CORPUS REFORMATORUM

EDIDIT

CAROLUS GOTTLIEB BRETSCHNEIDER.

VOLUMEN XIII.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

1846.

PHILIPPI MELANTHONIS

OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

EDIDIT

CAROLUS GOTTLIEB BRETSCHNEIDER.

VOLUMEN XIII.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

1846.

VOLUMEN XIII.

SCRIPTA PHIL. MELANTHONIS

AD HISTORIAM PROFANAM ET PHILOSOPHIAM SPECTANTIA.

LIBRI PHILIPPI MELANTHONIS

IN QUIBUS ENARRAVIT SCRIPTURAM SACRAM.

SCRIPTA PHIL. MELANTHONIS

AD HISTORIAM PROFANAM ET PHILOSOPHIAM SPECTANTIA.

II. LIBER DE ANIMA.

III. INITIA DOCTRINAE PHYSICAE.

IV. ELEMENTORUM RHETORICES LIBRI DUO.

V. EROTEMATA DIALECTICA.

II. LIBER DE ANIMA

ET

III. INITIA DOCTRINAE PHYSICAE.

Ut in omni genere scientiae Melanthon versabatur, ita etiam assiduum studium conferebat ad cognoscendam doctrinam physicam, quam saepius nomine *philosophiae* laudavit, et cuius scientiae dignitatem et utilitatem semper commendavit. Vid. e. g. epistola ad Meienburgium Vol. VII. p. 472 sqq. — In cognoscenda doctrina physica plures annos laboravit cum Milichio, collega, ut ipse tradidit in epistolis. Cf. quae scripsit ad Ioach. Camerarium d. 5. Decb. 1533, ad Arnold. Burenium d. 1. Febr. 1534, et ad Leonh. Fuchsium d. 30. April. eiusdem anni. (Vol. epist. III. p. 687. 702 et 748 sq.)

Quum autem illo tempore, ut ex epistola ad Camerarium d. d. 24. Maii 1535 (Vol. II. p. 878.) intelligitur, rem ad finem perducere non posset, elegit sibi eam partem doctrinae physicae, quae *de anima* agit, adcuratius pertractandam. Impeditus autem variis negotiis publicis et laboribus privatis (de quibus vid. ep. Vol. III. p. 388.), rem demum a. 1539 absolvit, et librum ineunte anno 1540 (vid. ep. Vol. III. p. 727 et p. 895.) edidit sic inscriptum:

„*Commentarius* de anima. Viteb. 1540." 1 Alph. 8 pl.

Recusus est hic *commentarius* in operibus Mel. Basileensibus T. IV. p. 1 sqq. Item, Vitebergae a. 1542, Argentorati a. 1544, et Witebergae a. 1548. Dicatus est commentarius Hieronymo Baumgartnero, Senatori Noribergensi, et dedimus epistolam supra Vol. III. p. 907.

Quum Melanthon hunc librum in schola saepe enarraret, more suo haud pauca invenit emendanda, quare eum recognovit et a. 1552 emendatum edidit, inscriptione mutata, illumque dicavit Hieronymo Baumgartnero filio Senatoris Norimberg. eiusdem nominis. (Vid. epp. Vol. VII. p. 1123.) — Prodiit videlicet:

„*Liber* de anima, recognitus ab auctore *Philippo Melan.* Witebergae. Excudebant haeredes Petri Seitzii 1553." 8. 399 pagg., ex qua editione hic a nobis liber descriptus est.

Recusus est Witebergae a. 1558. — Lipsiae a. 1560. — Witebergae a. 1562. — iterum a. 1569, porro Witeb. a. 1571. — a. 1574. — a. 1584.

Melanthon primus inter Germanos, quos scimus, *psychologiam* in hoc libro tractavit.

Totam *doctrinam physicam*, ut eam in schola enarrabat discipulis, edidit a. 1549 sic inscriptam:

„*Initia doctrinae physicae*, dictata in Academia Vuitebergensi. *Philip. Melanth.* Excusa Vuitebergae per Iohannem Lufft, anno 1549." 8. 32 pl.

ex qua editione nos hic librum descripsimus. Dicatus est Michaeli Meienburgio, Consuli Northusano, et epist. dedimus supra Vol. VII. p. 472.

Recusus est liber Witebergae a. 1555. — ibid. a. 1559. — iterum a. 1575.

Ex illo tempore, quo Melanthon doctrinam de anima tractaret, i. e. a. 1535, supersunt duo fragmenta chartarum, Melanthonis manu exaratarum, quae hic inserere placuit. *Alterum* inveni in Codice Lunzii, No. 91.; *alterum* est in Bibliotheca regia Hannoveriana.

A. *Scheda in Cod. Lunzii* haec habet:

„Formam autem Galenus iudicat esse ipsam crasin, videlicet materiae mixterum [mixtarium ?] temperamentum conveniens certae speciei et certis actionibus. Etsi autem Galeni sententiam, cum ait crasin esse formam substantiae, recentiores reprehendunt, tamen, ut a medico, vix videtur magis subiici posse oculis, quid sit forma, quam si digiti intendantur ad materiam et materiae temperamentum. Ideoque in primo de utilitate partium inquit Galenus de crasibus: αὐταὶ γὰρ τὴν ἰδίαν οὐσίαν συμπληροῦσι τῶν μορίων. Me-

dicus enim non procul a materia discedit, et omnium causas in materia monstrare conatur. Nec profecto absurdum est, formas substantiales intelligere, aut ipsas crases, aut, ut putavit *Andronicus*, δυνάμεις ortas a crasibus. Cum igitur *Aristoteles* definit, animam esse ἐντελέχειαν, non intelligit animam esse aliud quoddam corpusculum, ut spiritum vitalem, aut aliam quandam materiam, sed intelligit esse formam, hoc est, seu temperamentum ipsum, seu δύναμιν, quae est temperamento proxima, quae est ipsa animans vita seu agitatio. Haec est simplex et germana Aristotelis sententia, ut exemplum eius testatur. Confert enim animal ad oculum. Ut, inquit, oculus constat ex corpore oculi et visu, ita animal ex corpore et anima. Et sicut visus est oculi ἐντελέχεια, sic anima corporis. Non est autem visus aliud corpusculum, sed ipsa, ut ita dicam, oculi vita, quam Galenus non discernit a temperamento. Ac memineris, Aristotelem non de rationali anima tantum, sed de reliquis etiam in genere loqui, de anima in plantis, in pecudibus. Idque monet ipse, et diserte profitetur, has animas quarum actiones tantum sint corporis motus, ut vegetativam et sensitivam, non existere sine corporibus. Sed tamen addit: nihil prohibet, aliquam animam, videlicet rationalem, existere sine corpore.

Rectene vertit Cicero ἐντελέχειαν continuatam motionem?

Ego vero eos, qui flagellant Ciceronem, ac putant, Aristotelis sententiam non satis assecutum esse, falli ipsos potius iudico, et procul ab Aristotelis sententia deerrare. Ideo enim malunt verti *interiorem perfectionem,* quia somniant, animam hic definiri, quae sit alia quaedam materia movens, velut in navi gubernator. At Aristoteles, ut dictum est, longe aliud sentit, videlicet animam esse ipsam seu vitam seu agitationem. Itaque et nomen ἐντελέχεια huc accommodatur, quo alibi usus est in definitione motus, quem describit esse continuam quandam, ut ita dicam, agitationem, qua acquiritur vel calor, vel locus. Quare cum animam intelligeret esse ipsam vitam, maxime iudicavit nomen ἐντελεχείας huc quadrare."

[Desinit hic autographon Phil. Mel.]

B. *Scheda in bibl. Hannov.,*

quae sunt duo semifolia non inter se cohaerentia, quibus inscriptum est aliena manu: „Dieses, so auf diesen 2 Blättern sich befindet, hat Philippus Melanchthon mit eigener Hand geschrieben, und ist den 23. April a. 1698 von dem Hn. Professore und der Universität Leipzig bestellten Bibliothecario *Fellero* Mons. Philippo Ludwig Böhmern, S. S. Theologiae studioso zu Jena in Leipzig verehret worden, welcher mich damit wieder regaliret.

E. L. Arenth."

(In *prima scheda* leguntur:)

„At in definitione motus intelligenda est accidentalis ἐνδελέχεια. Aristoteles exempli causa haec dicit: Alterum se habet ὡς ἐπιστήμη, alterum ὡς τὸ θεωρεῖν, id est, alterum propemodum se habet ut habitus, alterum velut actus. Est igitur ἐνδελέχεια velut habitualis agitatio, seu δύναμις quaedam ciens actiones. Haec satis sit, et de Aristotelica definitione et de vocabulo Endelechias dixisse. Nunc addenda est communis sententia de anima, quam christiana doctrina probat.

Quid igitur de anima hominis dici potest?

Anima rationalis est spiritus intelligens, qui est altera pars substantiae hominis, nec extinguitur cum a corpore discessit, sed immortalis est. Haec definitio non habet physicas rationes, sed sumpta est ex sacris literis. Nam in genesi dicitur: inspiravit in faciem eius spiraculum vitae. Et in Evangelio . . . *)

Quomodo autem quadret haec interpretatio ad Ciceronis disputationem de immortalitate, suo loco dicendum est. Nunc enim de vocabulo tantum disputavimus. Ac monuimus supra, definiri hic animam in genere, nec tantum humanam. Sed ἐνδελέχειαι sunt etiam pecudum et brutorum animae.

Quid autem si quis reprehendat vel Ciceronis vel nostram interpretationem hoc modo: agitatio seu motio est accidens. Aristoteles certe". . . . [Desinit hic scheda prima.]

(In *altera* scheda leguntur:)

„est agitationes certorum partium corporis, seu temperamenta, Rationalem vero animam spiritum esse, non erit absurdum, docere tres esse animas in homine. Nam et Aristoteles in secundo de generatione animalium inquit, animas quarum actio corporalis est, non aliunde accedere, sed nasci in corporibus, nec simul fieri animatum et equum, hoc est animam vegetativam". . . . [Desinit hic charta Mel.]

---

*) Hunc locum Mel. non adscripsit.

II.

LIBER DE ANIMA.

Quid continet haec pars philosophiae, cui titulus est De Anima?

Ut de Aenea intuente seriem Romanae historiae in clypeo sculptam Virgilius inquit, Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet, ita nos, etsi nec humanae animae substantiam oculis cernimus, nec mirandas actiones penitus intelligimus, tamen imagine laetemur. Etsi enim procul et per caliginem haec miranda Dei opera aspicimus, tamen haec quantulacunque cognitio, non est fallax umbra, sed vere ostendit et esse humanas animas, et testimonium eas de Deo certississimum esse. Nam cum numerorum ordinem, et septum illud aeternum discernens honesta et turpia, et volucres in cogitatione motus et memoriae capacitatem pene immensam consideramus, convincimur ut fateri cogamur, hanc naturam non extitisse casu, sed mentem aliam architectatricem ac opificem esse, quae in hac utcunque suam similitudinem expressit, sicut et antiquitas dixit. Exemplumque Dei quisque est in imagine parva. Et inter Sibyllinos versus hic recitatur, *εἰκὼν ἐστ' ἄνθρωπος ἐμὴ, λόγον ὀρθὸν ἔχουσα.*

Ac proposuit nobis conditor hoc opus, ut, quantum fieri potest, aspiciamus, et ipsius in nobis vestigia contemplemur. Non igitur haec doctrina negligenda est. Et pars illa quae recitat organa et qualitates, alterationes, effectiones, et lesiones organorum, minus est obscura, et amplissimam doctrinam physicam continet. Hic enim exempla cernuntur regularum, quae supra de qualitatibus et earum effectionibus traditae sunt. Estque ad regendam ac tuendam valetudinem haec pars magnopere necessaria.

Deinde consideratio perpetuarum in mente noticiarum, ut numerorum, et earum, quae vocantur *κοιναὶ ἔννοιαι*, lumen est sapientiae discernentis certas et incertas et noticias, et fons demonstrationum in omnibus artibus.

Praeterea causae virtutum, et discrimina virtutum et viciorum sine hac doctrina conspici nequaquam possunt. Itaque cum ceterae artes multum sumunt ab hac doctrina, tum vero tota philosophia moralis velut ex hac scaturigine manat. Vera est igitur laus huius doctrinae apud Aristotelem, qui in praefatione libri de Anima inquit: *δοκεῖ δὲ πρὸς ἀλήθειαν ἅπασαν ἡ γνῶσις αὐτῆς μεγάλα συμβάλλεσθαι.* Nec vero dubium est, plurimas utilitates esse huius doctrinae in tota vita, et in omnibus artibus.

Quam vero dulcis et iucunda sit haec cognitio mediocribus naturis, inter discendum omnes experimur. Talis est hominum natura, ut aspectio rerum pulchrarum per sese delectet, ut iuvat intueri formas humanorum corporum, quarum recta est symmetria, et bonus color, iuvat intueri stellas, flores, herbas, gemmas, aedificia arte extructa, picturas, et alia concinna opera. Cur igitur non sit voluptati, mirandas actiones in homine, et ordinem in singulis partibus considerare, praesertim cum et haec consideratio vitae utilissima sit in tuenda valetudine, in gubernandis moribus, et in artibus, et multis aliis negociis iudicandis? Et auget voluptatem utilitas.

Praeterea in Ecclesia nequaquam carere hac doctrina possumus. Quare et Gregorius Nissenus Basilii frater librum de Anima scripsit, qui adhuc extat, in quo nostro more potentias discernit, et

earum officia distribuit, quia ita iudicavit, multas materias in Ecclesia non habere lucem, sine hac qualicunque distinctione potentiarum animae.

Necesse est omnibus in conspectu esse discrimen legis et Evangelii. Hic si quis recte didicit hanc puerilem doctrinam, scit legem noticias esse nobiscum nascentes, sicut aliarum artium principia et demonstrationes. Sed Evangelium dissimilimam vocem esse, ac nequaquam nobiscum nasci, sed singulari revelatione a Deo illustribus testimoniis patefactum esse. Postea rursus discerni necesse est, noticias et appetitiones. Sunt in mente noticiae verae, rectae, aeternae et immotae. Et tamen appetitiones contrariae sunt. Quare Paulus inquit, homines veritatem Dei, id est, veras noticias divinitus nobis insitas, in iniusticia captivas detinere. De talibus sententiis ne populus quidem doceri potest, nisi hinc sumantur potentiarum distinctiones.

Cum de labe originis dicitur, necesse est recitari, quae sint in singulis potentiis vulnera, et quae bona sint reliqua in hac misera natura. Manent utcunque noticiae legis, quia Deus vult se agnosci, vult peccatum intelligi et accusari, vult etiam regi disciplinam. Manet igitur et libertas voluntatis in regenda loco motiva, quae est velut ministra disciplinae. Haec doctrina adeo necessaria est, ut nulla unquam aetas ea carere potuerit. Nec dubium est primum parentem suis natis copiose eam tradidisse in enarratione dicti: Sub te erit appetitus. Et passim intexuerunt eam poëtae suis scriptis, ut manifestum est Homerum, cum pingit a Pallade retrahi Achillem stringentem gladium, distinguere appetitionem, et rationem, quae cohercet loco motivam. Et Hesiodi Prometheus ratio est. Epimetheus stolidus frater, sensus et potentia appetens. Obiectum vero blandiens Pandora. Nec Bellerophontes Pegasum regere potuit, donec Pallas aureum frenum equo iniecit, id est, donec consilio vehementes animi motus rexit.

Sunt et aliae multae materiae in Ecclesia, in quibus enarrandis adiuvamur his distinctionibus potentiarum animae, ut cum dicimus de imagine Dei in homine, cum vocabula enarramus, quibus doctrina coelestis discernit Filium et Spiritum sanctum. Vetustas graeca et latina scripsit, Filium Dei dici *λόγον*, quia cogitatione nascitur, cum aeternus Pater sese intuens gignit imaginem suam. Cogitatione enim formari imagines in nobis quoque scimus. Et cum nostris vocabulis Deus utitur, significare hoc voluit, nasci Filium cogitatione.

Praeterea spiritus vitales in homine, nascuntur in corde, et vere sunt flammae, quae in omnium adfectuum incendiis, in laeticia, dolore, amore, odio, ira, et aliis, sparguntur. Et cum motibus voluntatis non simulatis hae flammae in corde congruunt. Ex hac umbra utcunque cogitamus de nomine Spiritus sancti, et discimus ei hanc adpellationem in divinis literis tribui, quia sit agitator, et quasi flamma, a voluntate Patris et Filii procedens, qua divinitas immensa bonitate nos sibi copulat et nos leticia complet, sicut effundit mater vitales spiritus osculans infantem filium aut filiam. Haec vocabulorum interpretatio sobrie et pie considerata de multis magnis rebus studiosos admonet.

Utilis est et haec consideratio intuentibus hominum naturam, cur in homine res dissimilimae copulatae sint? Mens, cuius naturam dicimus esse incorpoream, et semper victuram, et capacem divinae lucis sapientiae, et adflatus divini. Et pars corporea, et quidem culina, coquens cibos et hoc mortale corpus nutriens. Haec miranda societas rerum dissimilimarum non casu extitit, nec temere condita est. Itaque semper omnes non stolidi hanc coniunctionem valde admirati sunt. Nec quisquam sanus homo unquam iudicavit, hanc copulationem dissimilium rerum temere fieri posse, praesertim cum in mente sint similes in omnibus noticiae perpetuae et immotae, numerorum et legum vitae et aliae. Necesse est igitur fateri huius nostrae naturae, cuius partem interire videmus, aliam esse architectatricem sempiternam, et immensam, quae ut agnosceretur et quasi conspiceretur, in homines imaginem suam transfudit.

Ac nobis in Ecclesia proposita est commonefactio, ideo menti adiunctam esse culinam, cuius tamen nullus in aeternitate usus erit, quia Deus hunc ordinem sanxit, ut initia aeternae vitae sapientiae et iusticiae perpetuae in hac mortali vita accendantur. Non fulgebit sapientia et iusticia Dei in illis, qui non inchoant eam in hac mortali vita. Ideo vox doctrinae sonat in genere humano, et gubernatio instituta est, et multis vinculis munita. Necessaria sunt igitur doctrinae studia et disciplina. De his tantis rebus admonet nos aspectio humanae naturae, nec ulla tanta est ullius Angeli aut hominis sapientia, quae utilitates

omnes huius considerationis enumerare possit. Sed has paucas in hoc vestibulo recitavi, ut sciatis hanc doctrinam non negligendam esse, et vos ipsos aspiciatis, et hanc adspectionem cogitetis commonefactionem esse de Deo, et de multis virtutibus.

Quid est Anima?

Etsi non uno modo loquuntur philosophi de Anima in brutis, tamen de re ipsa non dissentiunt, et monstrant aliquid ortum ex materia, vel proprietatem materiae, quod nominant Animam, videlicet. Animam bovis dicunt esse aut spiritum vitalem aut *κρᾶσιν* seu temperamentum universi corporis. Cum hac declaratione congruit dictum Moisi, qui ait, Animam carnis in sanguine esse. Significat autem anima Ebraeis Vitam. Hanc cum dicit in sanguine esse, vult sanguinem vehiculum esse vitae, et indicat, Spiritus vitales illam ipsam rem esse, quae ciet corpora, quam nominamus Animam.

Cum hoc modo monstratur materia, ut spiritus vitalis, aut materiae proprietas, ut temperamentum, quid dicatur utcunque intelligi potest. Ut enim in lychno flammam intelligimus, quae rapit alimentum ex cera et filo, sic in corporibus animantium intelligere spiritum vitalem possumus, qui est tenuissima flamma, genita ex sanguine virtute cordis, volitans per totam corporis machinam, et largiens corpori vivificum calorem, et vim ciendi motus et actiones. Haec utcunque intelligi possunt. Et quanquam hic etiam interrogari potest. Quare spiritu vitali accendantur vita et motus, et non alia materia sanguine aut carne, cum tamen et hic vitalis spiritus sit materia et halitus ex elementis ortus? Responderi potest, quia tale est naturae opificium. Ut non est quaerenda causa ulterior, quare Coelum, Sol, Luna, sic moveantur. Sed talem videmus esse naturam, nec causas ulteriores quaeramus.

Postquam autem de Anima in brutis utcunque constituta est sententia, deinde quaesitum est, quid sit Anima hominis. Hic vero ingeniosi homines multa disputarunt. Nam si dicerent, tantum esse vitalem spiritum aut temperamentum, unde sunt intellectio, ratiocinatio, memoria, electio? Hae actiones non videntur esse materiae elementaris. Deinde si anima hominis superstes est extincto corpore, non erit spiritus vitalis aut temperamentum. Cum igitur discrimen esse inter animas brutorum et hominum, fatendum esset, magna diversitas opinionum semper fuit, quae res sit anima hominis.

Etsi autem alii aliter locuti sunt, tamen plurimorum sententiae eatenus congruunt, quod senserunt, animas humanas aut esse spiritus vitales ac animales, aut crasin. Nam qui dixerunt harmoniam esse, senserunt esse *κρᾶσιν*. Stoici et alii qui dixerunt halitus, aut igneas esse, flammas intellexerunt, quae sunt spiritus vitales. Congruit etiam cum his sententiis dictum Hippocratis, qui ait, Anima hominis semper gignitur, id est, seu calor naturalis, seu spiritus in sanguine. Itaque addit: Cum haec anima inflammatur, pereunt et corpus et anima. Nam cum calor aut spiritus non servant iustam dispositionem, extinguuntur animantia.

Verecundissime omnium Galenus loquitur, qui de Anima nutritiva et sensitiva non dubitat adfirmare, esse eas aut spiritus naturales et vitales, aut crasin. Sed de rationali dicit, se non adfirmare, an *λογιστικὸν* sit alia natura incorporea et seperabilis, an vero sit natura corporea. Sed spiritum animalem aut esse, illam ipsam animam rationalem, aut proximum eius organon. Verba eius haec sunt in septimo libro de placitis Hippocratis et Platonis: *Εἰ δὲ καὶ περὶ ψυχῆς οὔσας ἀποφήνασθαι χρὴ, δυοῖν θάτερον ἀναγκαῖον εἰπεῖν ἢ τοῦτο εἶναι τὸ οἷον αὐγοειδές τε καὶ αἰθερῶδες σῶμα λεκτέον αὐτήν, ἢ αὐτὴν μὲν ἀσώματον ὑπάρχειν οὐσίαν, ὄχημα δὲ τὸ πρῶτον αὐτῆς εἶναι τοῦτο τὸ σῶμα*, id est: Sin autem et de animae substantia aliquid pronunciandum est, duorum alterum dici necesse est, aut esse eam velut substantiam lucidam et corpus aethereum, aut ipsam quidem incorpoream esse, sed tamen hoc corpus, id est, spiritum animalem, vehiculum esse. Et ut Galeni verba magis perspicua fiant, distributionem Platonis hic statim initio recitabo, praesertim cum et Aristotelica in secundo de generatione Animalium cum ea congruat.

Plato inquit, naturam hominis esse quiddam monstri simile, et quidem Scyllae in Siculo mari, cuius species est suprema, similis virgini, pectus leoni, ima pars latrantium canum. Et sic loquuntur aliqui, Platonem tres animas in homine ponere, infima est *ἐπιθυμητικὴ*, cuius sedem esse epar inquit, vorax et ad libidines prona, canum similis. Haec complectitur facultatem nutritivam et generativam.

Altera media leonina vocatur *θυμική*, cuius sedes est cor, cui attribuit virtutem vitalem et adfectus, laeticiam, spem, tristiciam, metum, iram, odium, misericordiam, et cognatos adfectus. Et de his duobus gradibus Galenus adfirmat, has animas esse ipsa temperamenta epatis et cordis. Sic enim inquit: *ἐδείχθη γὰρ ἔμπροσθεν ἡ θνητὴ ψυχὴ, κρᾶσις οὖσα, τοῦ σώματος, ἡ μὲν οὖν τῆς καρδίας κρᾶσις, τὸ θυμοειδὲς ἐστὶ τῆς ψυχῆς, ἡ δὲ τοῦ ἥπατος τὸ ἐπιθυμητικόν.*

Tertia anima est *ἡ γνωμικὴ* seu *λογιστικὴ*, quam ait esse in capite, et eius officia esse, intellectionem, memoriam, raciocinationem, iudicium et suppeditare vim sensibus, et regere voluntarios motus. Hic vero dubitat, an haec anima sit ipse spiritus animalis, seu temperamentum, an vero accedat natura incorporea.

Eodem modo Aristoteles in secundo de generatione Animalium, numerat tres potentias. Ipse enim usus est nomine *δυνάμεως*. Et infimam *δύναμιν* nominat *θρεπτικὴν*, alteram *αἰσθητικήν*. Et has dicit non aliunde accedere, sed nasci in corporibus, et prius animam vegetativam esse in foetu, quam sentientem. De tertia vero addit: Mens sola extrinsecus accedit, eaque sola divina est, nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis. *Λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον, οὐδὲν γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ, κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια.*

Adhuc mediocriter congruunt dicta philosophica de Anima vegetativa et sensitiva. Ac de his duabus facultatibus etiam in Ecclesia vere dici videtur, esse eas vel temperamenta, vel *δυνάμεις*, propagatas ex natura corporea, videlicet ex natura seminum. Ut enim in plantis propagatur anima, seu vis seminalis cum semine, et bovis anima oritur ex vi seminis, sic de Anima vegetativa et sensitiva in homine dici potest. Homo enim non generat imperfectius, quam plantae aut boves.

Movetur hoc argumento et Occam scriptor Anglicus, ut dicat, in homine duas esse distinctas animas, Racionalem et Sentientem, quia manifestum est, animae sentientis nullas esse actiones, nisi organicas. Quare consentaneum est, oriri eam a semine, et esse vel temperamentum, vel *δύναμιν* in corpore. Addit et hoc argumentum: Contrarii sunt appetitus racionalis et sensualis. Videntur igitur et substantiae distinctae esse, quia in una et eadem, ac indivisibili natura pugnantes appetitiones collocare videtur absurdum.

Item: Naturalissimum est viventibus gignere aliud simile. Gignit igitur et homo hominem saltem secundum vitam sentientem, si non secundum animam rationalem. Et has Animas vegetativam et sentientem esse ex Traduce, id est, ex natura seminis fatendum est.

Nunc recito Aristotelis definitionem, quae non est obscura, iis qui Aristotelis sermonem intelligunt. Sed nova et peregrina videtur ignorantibus Aristotelicum sermonem.

Definitio Aristotelis.

Anima est Endelechia prima corporis physici organici, potentia vitam habentis.

Declaratio.

Unde haec nova appellatio est Endelechia? An praestigias offundit Aristoteles hominibus hac nova voce, ut multi existimaverunt?

Respondeo. Hic primum necesse est redire ad physicen Aristotelis. Aristoteles partitur universaliter substantias corporeas in materiam et formam. Nec intelligit formam, hoc modo, ut multi somniant, aliam materiam, vel aliud corpus in materia vel corpore crassiore, sed ipsam rei ex aedificationem, ut ita dicam. Ut cum leonem, aut bovem monstrat, dicit partem esse corpus seu materiam, aliud quiddam esse formam, videlicet vitam seu agitationem substantialem leonis, aut bovis, qua iam leo est talis, aut qua bos est talis. Nec vult illam agitationem substantialem leonis, aliam materiam esse. Sed cogitat talem esse naturam, ut aliud sit materia, et aliud agitatio. Quare et accidentalem motum nominat Endelechiam, ut cum navim currentem video, aliud esse cogito materiam navis, aliud motum, nec fingo motum esse aliam materiam. Sic et de vita loquitur, quam ipse primam et substantialem agitationem intelligit et nominat. Haec Aristotelica si quis perspicit, etiam hic intelliget, quo consilio Animam dicat esse Endelechiam, id est, agitationem, seu actum, ut veteres verterunt.

Vidit Aristoteles alios loquentes de anima, quaerere materiam, ut plurimi dixerunt esse spiritum vitalem. Ipse cogitat id corpus materiam esse. Potest autem rursus quaeri, cur haec materia scilicet Spiritus vitalis vivit? Sanguis, unde

oritur spiritus, non vivit? Ergo aliud quiddam est materia, aliud illa rei agitatio. Nec ulterius quaerendum est, quid sit haec agitatio, sed talis est natura. Nec vita, nec motus esset, nisi talis esset agitatio. Ut si quaeras de visione, aliud est materia, videlicet humor crystallinus, et spiritus illabens in nervo optico, aliud ipsa visio, quae non est alia materia. Itaque in definitione Animae et cautior est ceteris, et propius respondet. Sive spiritus vitalis, sive temperamentum, sive harmonia sit immediata causa vitae. Hanc immediatam sedem ipse relinquit, et dicit, Animam esse hanc ipsam agitationem, qua iam leo est talis, seu qua hos est talis, seu qua homo est talis.

Hanc esse Aristotelis sententiam nihil dubium est. Recentiores eius interpretes quaerunt quasi aliud corpusculum in corpore animantis, quod nominent Animam, et cogitant Aristotelem animam collocare in corpore, sicut gubernator est in navi, cum ipse comparet Endelechiam visioni.

De vocabuli ἐνδελεχείας origine et significatione.

Vocabuli interpretatio addet aliquid lucis et huic definitioni, et aliis multis disputationibus. Ut non dubium est, quin λευκὸν significet album, ita nequaquam dubium est, quin ἐνδελεχὲς significet continuum. Et ἐνδελέχεια, continuitatem. Cumque ubique obvia sint exempla, non addam testimonia, tantum meminerint iuniores veterem versum κοιλαίνει πέτραν ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ. Sumpsit igitur Aristoteles vocabulum a populo, et prius eo usus est in tertio libro physicorum in definitione motus, ubi ut significaret progressionem ad formam, hanc vocem usurpavit, qua significatur continua illa successio partium. Motus est Endelechia in subiecto, quod ad aliquam formam tendit, id est, est agitatio qua acquiritur forma. Ut cum aqua calefit, aqua subiectum est, et agitatio continua in aqua, est iter ad aliam formam. Ideo et Themistius verba illa declarans, ait, Endelechiam esse itionem ad formam.

Ac Boëtius, qui Aristotelis philosophiam recte intellexit, vocabulum Endelechiae interpretatur, Actum, non intelligens acta, vel res effectas, sed ut Latini veteres Actum pro agitatione dicebant, iuxta illud. Militem oportet in actu mori, id est, agentem et praeliantem. Et Quintilianus inquit: Studia sapientiae non iam in actu suo, atque in hac fori luce versantur, sed in porticus recesserunt. Quare et Cicero considerans et originem vocabuli, et Aristotelis consilium, vertit Endelechiam continuatam motionem, id est, adsiduam agitationem. Quia Graecis sciebat ἐνδελεχὲς esse idem quod continuum, et Aristotelem videbat loqui, de motu, seu de agitatione. Norat enim Cicero et antea apud Aristotelem, in definitione Motus poni vocem Endelechia. Sciebat et promiscue in eo ipso loco Aristotelem uti vocabulis Endelechiae et Energiae, et expresse dicere, motum esse ἐνέργειαν, id est, efficaciam, non ociosam formam. Et in nono μετὰ τὰ φυσικὰ rursus dicit, idem esse ἐνέργειαν et ἐνδελέχειαν. Quare et Plutarchus ait, ἐνδελέχειαν usurpari pro ἐνεργείᾳ.

Ex his, quae recitavi, lector candidus, et non rudis Aristotelicae doctrinae, iudicare potest, et quid vocabulum Endelechia significet, et Ciceronis interpretationem cum sententia Aristotelis recte congruere.

Argyropylus Ciceronem reprehendit, et maluerunt alii quidam verti Endelechiam, perfectionem interiorem, quasi τὸ ἔντος τελειοῦν. Hanc imaginationem adparet eos non sumpsisse ex Aristotele, sed ad eum attulisse, cum tantum de anima hominis dici arbitrarentur, et hanc videlicet naturam separabilem habitare cogitarent in parte corporis certa, sicut in navi gubernator sedet ad gubernaculum. Haec aliunde ad Aristotelem allata sunt, non sunt ex ipso sumpta. Cicero rectius vidit consilium Aristotelis. Nec tamen hanc quaestionem ulla φιλονεικία movi, nec impedio, quo minus sua cuique sententia placeat, praesertim in hac exili disputatione, quae non labefactat statum reipublicae. Ut nec iocus apud Lucianum turbat rempublicam, ubi litera δ agit interdicto unde vi quod ex dictione ἐνδελέχεια expulsa sit, postquam irruperit in eum locum litera τ. Sed indico non tam meam sententiam, quam meorum praeceptorum, qui non rudes fuerunt Aristotelicae doctrinae.

Obiectio.

Sed interpretatio Ciceronis reprehenditur hoc argumento. Agitatio seu motio est accidens. Anima non est accidens. Igitur non proprie dicitur esse Agitatio. Respondeo. Aristoteles ipse

diluit hanc obiectionem. Inquit enim duplicem esse ἐνδελέχειαν. Alteram substantialem, alteram accidentalem. Substantialis est ipsa talis vita rei viventis seu animalis, quae actiones ciet, ut si diceret, animam esse ἐνέργειαν, seu efficaciam. Et utcunque intelligi potest, vitam, agitationem esse continuam. Sed in definitione motus ἐνδελέχεια est accidentalis agitatio, quae sequitur substantiam, et incipit ac desinit manente substantia, ut motus localis, aut alteratio. Discernit Aristoteles substantialem Endelechiam ab accidentali, hoc modo. Alterum inquit habet se, ὡς ἐπιστήμη, alterum ὡς τὸ θεωρεῖν, id est: Alterum propemodum se habet velut habitus, alterum ceu actus.

Enarrato vocabulo, quod in definitione positum est ut genus, nunc membra definitionis ordine consideremus. Anima est Endelechia, id est, non est materia, non ignis, non aqua, non spiritus vitalis, sed est ipsa vita, qua vivit spiritus vitalis. Etsi enim Medici materiam quaerunt, ut spiritum vitalem, vel temperamentum, tamen quaeri potest, cur magis vivit haec materia, quae est spiritus vitalis, quam caro, aut ossa? Aliud igitur quiddam est, ipsa vita, seu agitatio. Ac prorsus vicina est Aristotelica sententia Andronici enarrationi, qui ait, ἐνδελέχειαν significare aut κρᾶσιν, aut δύναμιν. Ac laudat Galenus ingenuitatem Andronici, quod quasi digitum intendens in rem certam, monstret quid intelligat esse animam. Nam illa substantialis agitatio reipsa est δύναμις quaedam, orta ex tali temperamento. Nec ulterius quaerendum est, quare inde oriatur. Physicus enim cernit naturam esse talem. Sed doctrina a Deo tradita, inquit, quia naturae opifex Deus sua immensa sapientia naturam condidit talem, ut aliud sit materia, aliud vita et motus in materia.

Constituto genere sequuntur caetera membra. Anima est Endelechia corporis physici, quod dicitur ad differentiam operum artificialium, quae non agitantur sua natura, ut machinae horariae moventur, sed non natura, verum libramentis arte factis.

Deinde dicitur organici. Nam lapides non vivunt, quia vitae organa, hoc est, instrumenta eis desunt, quae sua natura cieant nutritiones, generationes, aut sensum, imo nec localis motus est sine impulsione.

Sequitur in definitione. Potentia vitam habentis, id est: Anima in corpore organico ciet operationes, quod iam tale est natura, ut talium operationum capax sit, ut foetus immaturus nondum capax est talium operationum. Hic enim nominat vitam operationes rei viventis, ut generationes, nutritiones, sensum, appetitiones, motum localem, intellectionem, electionem.

Recitavi descriptiones philosophicas, quae si de pecudis anima tantum quaereretur, utcunque monstrarent aliquid, quod cogitari potest in materia fons esse actionum. Nam bovis anima recte dicitur, aut spiritus vitalis, aut illa in spiritu vitali agitatio, qua bos vivit. Nondum tamen penitus haec perspicimus. Sed naturam foris intuemur, experimur et cernimus motus. Quid cur ita factum sit, sapientia est Artificis, non nostra. Et tunc demum penitus intelligemus mirandum naturae opificium, cum ideam in mente divina coram in illa aeterna Academia intuebimur.

Etsi autem utcunque iam cogitamus, quid sit bovis aut leonis anima, tamen de anima rationali hominis, seu de mente, quid sit, et unde sit, an sit spiritus vitalis et animalis, aut in homine res separabilis, utens ut organo proximo, spiritu vitali et animali, nondum ex his descriptionibus philosophicis liquet. Traditur ergo alia descriptio in Ecclesia.

Definitio Animae usitata in Ecclesia.

Anima rationalis est spiritus intelligens, qui est altera pars substantiae hominis, nec extinguitur, cum a corpore discessit, sed immortalis est.

Haec definitio non habet physicas rationes. Et quanquam nonnulli contra eam multa disputant, tamen nos quidem in his initiis doctrinae eam retinebimus, quia in Ecclesia propter haec dicta usitata est, videlicet quod Filius Dei inquit: Corpus possunt occidere, animam autem occidere non possunt. Item: Hodie mecum eris in paradiso. Item: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob. Non est autem Deus, Deus mortuorum, sed viventium. Ex his dictis sumitur enarratio verborum in Genesi. Inspiravit in faciem eius spiraculum vitae. Etsi enim Deus pecudibus quoque vitam indidit, tamen hic discrimen ostenditur inter animas hominum, et vitam pecudum. Adflatur hominibus anima foris, et

tale spiraculum est, in quod Deus transfudit suae lucis, ut ita dicam, radios, videlicet suam sapientiam, noticias numerorum, discrimen honestorum et turpium, et alias noticias, quae certe non sunt res ortae ab hac mole corporea, seu natura elementari. Fuit etiam in eo spiraculo tunc rectitudo voluntatis, et libera electio. Sed de his alibi dicemus. Itaque valde consentaneum est, in eo loco Genesis describi aliam naturam, quae non est moles corporea, et dissimilis est vitae pecudum. Nec prolixius immorabor huic disputationi. Sed retineamus sententiam ab Ecclesia acceptam, congruentem cum testimoniis, quae recitavi.

Hic autem quaestiones aliae moventur. An una sit tantum hominis anima, videlicet spiraculum illud separabile? An vero sint distinctae animae in homine, vegetativa, sentiens et racionalis, sicut Plato, Aristoteles, et Galenus loquuntur? Ac videtur mirum, quid negocii sit illi spiraculo vehenti radios divinos, cum culina, seu parte vegetatrice.

Sed haec sententia recepta est. In homine esse animam unam, videlicet spiraculum illud, simul vehens lucem divinam, et adferens vitam partibus omnibus congruentem. Non pugno de hac sententia, nec tamen absurdam esse iudico opinionem supra recitatam, eorum, qui dicunt, animam sentientem, et vegetatricem esse vel χρᾶσιν vel ἐνδελεχείας, vel animas distinctas ab illo spiraculo, in quo est intelligentia et electio.

Postea et haec quaestio agitatur. An racionales animae singulorum hominum de novo creentur a Deo, et corporibus infundantur, an vero ex traduce oriantur? ut non dubium est, in plantis et pecudibus vim seminalem esse, gignentem similia, quae ex traduce propagantur. Extat haec quaestio et apud Augustinum et apud alios.

Sed fateamur, nos mirandum opus sapientiae et potentiae Dei in creatione mundi non penitus perspicere. Agamus potius Deo gratias, quod aliquo modo aspicimus naturam, et aliquam partem intelligimus, et vestigia Dei in natura cernimus, quorum summa est certitudo.

Qui dicunt, animas non oriri ex traduce, moventur hoc dicto: Inspiravit Deus in faciem hominis spiraculum vitae.

Sed respondent alii, in illis verbis describi initium naturae humanae, et tunc primis hominibus hanc vim in illo adflatu insitam esse, ut deinceps propagatio viventium fieret. Et quamvis sit in natura vis seminalis, tamen perpetuo concurrere generalem Dei actionem, sustentantis et foventis naturam, quod verissimum est, sicut scriptum est: In ipso vivimus, movemur et sumus. Et discrimen inter animas heroicas et non heroicas ostendit, vere adesse Deum generationi, cum alias animas aliis donis ornet, quorum aliqua videntur non a corpore oriri.

Aliqui vero et propter hoc argumentum inclinant in hanc sententiam, ut existiment, animas oriri ex traduce, quia videatur absurdum, animas, quae nunc aversae sunt a Deo, et reae, de novo creari. Sed respondent alii, talem in generatione conservari naturam, qualis nunc est. Nam nec corpora essent, nisi divinitus sustentarentur. Frigidius respondent, qui dicunt, animas pollui contagio corporum. Quidam et ex dicto Gen. 2. raciocinantur, animas ex traduce oriri. Cessavit Deus ab opere suo, id est, conservat quidem species conditas, at non condit in eis partes novas ex nihilo. Sed hanc disputationem abrumpo, et iuniores moneo, ut discernant ea, quae utcunque mentis humanae acie penetrari possunt, ab aliis, quae pervestigari non possunt. Simus hac sapientia contenti, quod vita, sensus, raciocinatio et electio ostendunt, esse in nobis animas, et esse eis insitas noticias, et alias dotes, quae testantur, et esse Deum, et animas ab ipso conditas esse. Adiungamus et testimonia divinitus tradita, quae adfirmant, Deum semper vitae datorem et conservatorem esse, sicut antea dictum est: In ipso vivimus, movemur et sumus. Et agnoscamus eum fontem et custodem nostrae vitae esse. Deinde effectus animae et organa subiecta oculis aspiciamus, et videamus, quarum partium qui sint effectus et motus, quae partes in hac imbecillitate quales habeant actiones, quae quomodo regi possint. Hanc sapientiam vitae et moribus utilem quaeramus.

De quaestione, An sit Anima in toto, et in qualibet parte tota?

Anima bovis, quae est vel spiritus vitalis, vel χρᾶσις, vel Endelechia, est quiddam divisibile iuxta partes corporis. Nam spiritus vitalis similis est flammae, quae partes habet, et alibi sunt aliae. Nec de tali anima loquitur dictum: Anima est tota in toto, et in qualibet parte tota.

Quod unde sumptum sit ignoro. Nam in Aristotele nusquam extat. Et commenticium est, etiam si quis tantum de hominis anima intelliget, et sentiet, animam hominis esse spiritum separabilem. Quia spiritus finiti quanquam non sunt res divisibiles, ut corpora, tamen sunt in unico loco, ex quo agunt ad certam distantiam, alii magis, alii minus procul, ut suum cuiusque robur est. Galenus animam racionalem in cerebro collocat, quia ibi sunt sensus interiores, quorum ministerio proximo anima racionalis in cogitatione et raciocinatione utitur. Alii malunt, cor sedem esse animae, quia cor vitae fons est et sedes omnium adfectuum, qui cognitionem sequuntur. Et sermo propheticus ac apostolicus saepe nominat cor, cum loquitur non de fonte adfectuum, sed de parte cognoscente. Ut cum ait Paulus: Homines habere legem scriptam in cordibus. Sit igitur cor animae domicilium, in quo ad certam distantiam in coeteris membris ciet actiones. Hac brevi admonitione de hoc dicto contenti simus. Nunc potentias et earum organa, et actionum genera consideremus. Nam haec doctrina magis obvia est hominum intelligentiae, et conducit ad tuendam valetudinem, ad regendos mores, et ad monstranda illustria testimonia de Deo in nobis.

Quot sunt potentiae Animae hominis?

Tres gradus sunt Animarum. In plantis tantum est vegetativa. In brutis vegetativa et sentiens. In homine vegetativa, sentiens et rationalis. Receptum est in scholis unam ponere animam in quolibet animato. Ideo brutis tribuitur anima sentiens, sed additur vegetativa tanquam potentia, quam continet anima sentiens, sicut et potentias appetendi et loco movendi continet.

Sic loquuntur scholae et de homine. Unam tribuunt homini animam, videlicet rationalem, sed addunt vegetativam et sentientem, tanquam eius inferiores potentias. Loquemur et nos scholarum more, perinde ac si sit unica hominis anima continens plures potentias. Ut in una re possunt esse multae δυνάμεις. In radiis Martis est vis urendi et valde desiccandi. In radiis Lunae est vis leniter calefaciendi et humectandi. Sic certum est eiusdem animae vires esse, potentiam cognoscendi, et potentiam appetendi et aversandi.

Sunt igitur in homine potentiae quinque: Vegetativa, Sentiens, Adpetitiva, Loco motiva, Rationalis.

Agnoscitur autem haec diversitas ex actionibus, quae cum incurrant in sensus, movent, ut singularum organa et fontes quaeramus. Huius doctrinae amplissima est utilitas.

Magna et inepta contentio fuit in scholis, quomodo distinguantur potentiae. De organicis manifestum est, distingui eas organis. Et in aliis organis animam alias effectiones habere, sicut ex aliis fistulis alii soni eduntur.

Quid est organum?

Est pars corporis animati, certo temperamento, figura et situ, condita ad functiones certas, illi naturae convenientes. Ut in homine oculi certo temperamento, situ, figura, conditi sunt ad videndum. In plantis radices sunt velut os, quo nutrimentum attrahunt et transmittunt in reliquum corpus. Rami sunt baiuli fructuum, folia tegunt fructus.

Ut autem alias physicae partes ordimur ab iis, quae magis sensui obvia sunt, ita in hac doctrina, priusquam de potentiis dicemus, prodest aspicere corpus hominis, et diversa membra et organa, quasi machinas considerare. Ut enim conspecta mola seu bombarda et globo, ac pulvere tormentario, facilius raciocinari causas possumus, ita in corpore nostro monstratis machinis, potentias facilius intelligere et iudicare possumus.

Pertinet autem haec descriptio organorum ad vetustam illam Medicorum doctrinam, quae orta est ex sectione corporum, quam vocant ἀνατομήν, quae non inani curiositate tentata est, sed propter multas gravissimas causas omnibus aetatibus expetita est. Quid enim faciet medicus, si locum adfectum ignoret? Ac vetustas adeo necessariam esse cognitionem partium corporis humani iudicavit, ut in Medicorum familiis usitatum fuerit, domesticas dissectiones facere spectandas adolescentibus inde usque a prima aetate. Nam olim artes in possessione illustrium familiarum retinebantur, et gloriosum esse ducebatur, posteris in familia tradere maiorum doctrinam et inventa. Sic in Hippocratis familia, quae orta est ab Aesculapio, possessio artis medicae usque ad Aristote-

lem multis seculis mansit. Ideoque Galenus ait, tunc non scriptos esse libros anatomicos, quia domestica inspectio fuerit. Postea diligentia illa veteri extincta, scriptis opus fuit.

Quanquam autem doctrinae huius amplitudinem complecti nequaquam possumus, et haec propria artificum eius generis cura esse debet, et extat locupletissimum opus viri peritissimi Wesalii, unde sumi doctrina uberior potest, tamen hic initia quaedam recitabimus, quae ad discernendas potentias et actiones maxime necessaria sunt. Necesse est enim scire aliam sedem esse cognitionis, aliam adpetitionum. Et quae sint differentiae membrorum, quae nutritioni serviunt. Necesse est humorum discrimina tenere. Denique manifestissimum est, non solis Medicis, sed omnibus hominibus utilem esse mediocrem cognitionem partium corporis, quae ad valetudinem tuendam, ad medicationes et ad multas eruditas disputationes diiudicandas conducit.

Prius autem foris aspiciendum est corpus. Ideo nomina partium exteriorum recitabo sine physicis descriptionibus, quae longiores essent. Proderit autem haec ipsa qualiscunque vocabulorum interpretatio ad sequentia, et ad intelligendam lectionem in multis scriptis.

Vocabula partium corporis humani exteriorum.

Cutis, *δέρμα.* In homine ab Herophilo dicta *ἀνθρωπὴ*, quasi vestis est corporis, naturae vicina et carni et nervis, et quasi nervus est sanguine praeditus.

Supra cutem alia tenuior superficies est, quam vocant *ἐπιδερμίδα,* usitate cuticulam vocant. Et est exanguis, ac in eam tenuissimae fibrae venarum, arteriarum et nervorum desinunt.

Intus sub cute est membrana carnea, *ὑμὴν σαρκώδης,* panniculus crassior et robustior per totum corpus sparsus, cui adhaerent musculi, et per quem in cutem transmittuntur tenuissimae arteriae et nervorum propagines, quibus cuti alligatur.

Inter hanc membranam et cutem est pinguedo in homine, quae nominatur adeps, *πιμελή.* Nam ex venis et arteriis exudat sanguis, qui membranae frigiditate et caloris inopia in hanc pinguedinem vertitur, quae quidem et moderate calefacit, et aestus mitigat.

Περιόστεον membrana ossibus circundata, nervorum implicita surculis, ne sensus desit ossibus.

Caput, *κεφαλή.*

Vertex summum capitis, *κορυφή.*

Sinciput, quod a vertice in frontem vergit, *βρέγμα.*

Occiput posterior pars a vertice ad cervicem, *ἰνίον.*

Calvaria *κράνιον*, a *κράνος* galea.

Περικράνιον, membrana calvariam tegens.

Κόγχος, cavitas, quae est sedes oculorum.

Κύτος, cavitas interior calvariae.

Σκάφιον idem.

Frons, *μέτωπον.*

Στολίδες, lineae caperatae frontis.

Facies, *πρόσωπον.*

Bina tempora, *κροταφοὶ.*

Supercilia pili supra oculos, *ὄφρυες.*

Intervallum inter supercilia, *μεσόφρυον.*

Oculi, *ὀφθαλμοι, ὄμματα.*

Palpebrae, tunicae quae tegunt oculos, *βλέφαρα,* quasi *φάρος τοῦ βλέποντος,* tunica oculi.

Cilia, palpebrarum pili, nati in tunicis illis, quae tegunt oculos, *βλεφαρίδες,* quarum usus est, ut radios seu spiritus visivos dirigant. Nam his amissis aut retortis, oculi non possunt recte prospicere.

Pupilla, *κόρη,* non est humor, quo proprie videmus, sed foramen est uveae tunicae, per quod permeant species visibiles.

Iris est circulus in uvea, qui foramen illud ambit, dictus a diversitate colorum.

Albugo, *σφενδόνη,* et *λευκὸν.*

Anguli oculorum versus nasum et versus tempora, *κάνθοι.*

Ῥαντῆρες et *πηγαὶ*, id est, scaturigines carunculae in angulo oculi versus nasum, ubi lacrymae erumpunt, a verbo *ῥαίνω* aspergo.

Auris, *οὖς.*

Auricula orleplin, *λόβιον.*

Πτερύγιον, extremitas auris superior, supra *λόβιον.* Nominatur et *ἀντιλόβιον.*

Cavitas in auribus, *κόγχιον,* seu *σκάφος.*

Foramen, *πόρος ἀκουστικός.*

Nasus, *ῥίς.*

Foramina nasi, *μυκτῆρες,* unde verbum est *μυκτηρίζειν,* subsannare, quia gestu narium fit subsannatio.

Suprema pars nasi interior, ἠθμος cribrum, per quod attrahitur spiritus.

Genae vocantur et Malae, autore Plinio qui inquit: Malae homini tantum, quas prisci genas nominabant. Sunt inter nasum et aures pudoris sedes, quem ibi maxime rubor ostendit.

Graece μῆλα, superior pars genarum.

Inferior buccae, γνάθοι Baken, παρειαὶ.

Mandibula, et maxilla idem, kinback supra mentum, γέννες, σιαγόνες.

Mentum, γένειον.

Os, στόμα.

Labra, χείλεα.

Μύσταξ, pars a naribus ad labrum. Homerus vocat ὑπήνην, utroque nomine utuntur pro superioris labri barba, ein knebel bart. Aliqui totam barbam ὑπήνην nominarunt.

Dentes, ὀδόντες, numero duo et triginta.

Quaterni anteriores dentes, incisores vel divisores, τόμεις. Et gelasini, quia in risu reteguntur.

Proximi utrinque singuli dicuntur canini discernentes incisorios a molaribus, κυνόδοντες.

Ulteriores dicuntur Molares, γόμφιοι.

Ultimos qui postremi post septem annos nascuntur, Varro nominat Genuinos, Graeci κραντῆρας.

Indicium virium sumitur a dentibus. Quibus enim densi et firmi dentes sunt, hi plaerunque sunt μακρόβιοι. Contra brevioris vitae sunt, quibus dentes sunt rari et scabri. Pyrrho continuum os dentium fuit. Et nostra aetate in aula optimi principis Ernesti, ducis Luneburgensis, fuit virgo nata in familia nobili, cui fuit os dentium continuum. Et narrabat dux Ernestus, eximiam in ea virtutem et gravitatem fuisse.

Gingiva exterior, οὖλον zanfleisch.

Gingiva interior, ἔνουλον.

Lingua, γλῶττα.

Χηραμοὶ, foramina in carne glandulosa ad radicem linguae, ex quibus saliva manat.

Palatum, totum fastigium supra linguam, usque ad fauces, ὑπαρῶα. Et apud Aristotelem οὐρανὸς, et apud Galenum οὐρανίσκος.

Fauces, φάρυγξ, proprie cavitas vicina utrique fistulae, tracheae arteriae et oesophago. Suntque in eo spacio Gurgulio et amygdalae, Graeci φάρυγγα nominant ἴσθμιον.

Amygdalae Latinis tonsillae et glandulae, Graecis ἀντιάδες et παρίσθμια.

Gargulio, γαργαρεὼν, nomen est partis pendentis in faucibus. Alia duo nomina, Uva et columna morbos significant, σταφυλὴ dicitur una, cum gurgulio inflammatus est. Cum vero laxior dependet κίων, columna dicitur. Utilitas autem gurgulionis est, modulationem vocis adiuvare, et remorari aërem, ne minis frigidus ad pulmonem subito irrumpat.

Deinde faucibus vicinae sunt duae fistulae. Trachea arteria, quae est fistula descendens ad pulmonem, condita non ut cibum aut potum transvehat, sed tantum spirationis ac vocis gratia, facta est ex cartilagine, tanquam annulis distincta, ideoque vocatur aspera.

Nodus qui eminet sub mento, qui est orificium tracheae arteriae, ac vulgo adpellatur nodus gutturis, nominatur λάρυγξ, das kneufflin am hals.

Deinde reliqua pars tracheae inferior, nominatur βρόγχος.

Epiglottis est cartilago mollis, quae est operculum laryngis, simile folio Ederae, factum ad claudendam tracheam arteriam, ne cibus aut potus illabatur, rursus autem ad aperiendam eam in aëre attrahendo.

Aliud quiddam est γλωττὶς, quae est in orificio tracheae lingula, qualis est in fistulis Musicorum, rima videlicet facta duabus tenuissimis membranis, quae inflatae dilatantur, et sunt praecipuum vocis organum, ut infra copiosius dicetur. Hic enim tantum nomina posui, ut discernantur, ἐπιγλωττὶς et γλωττὶς, quia multi et haec vocabula, et rerum ipsarum descriptionem confundunt, qua de re eruditissime lectores monet Wesalius.

Altera fistula procedens a faucibus nominatur οἰσοφάγος, Latine Gula, Arabice Meri, quae est canalis continuus corpori ventriculi, similis tubae, supra angustior, infra amplior, transvehens cibum et potum in ventriculum. Nomen factum est ab οἴω fero, et φάγημα cibus. Totus hic canalis ab Aristotele nominatur στόμαχος. Nam στόμαχος generaliter significat angustos et longos canales, tendentes ad os aliquanto amplius, a στόμα et ἄγχω. Homerus totum oesophagum nominat στόμαχον inquiens, pecudi caput a stomacho praecisum esse. Interdum et Galenus sic nominat totum oesophagum. Interdum discernit, ut in libro tertio de Locis adfectis, sic nominat id quod proprie adpellatur orificium ventriculi:

ἡ ἀπὸ τοῦ τῆς γαστέρος στόματος, ὃ δὴ καὶ στόμαχον εἰώθασι καλεῖν οἱ ἰατροί.

Collum, τράχηλος, conditum est, ut per ipsum porrigatur trachea arteria, quam oportuit esse longiusculam, ad modulandam vocem. Itaque nullum animal, cui deest collum, vocem edit.

Cervix, αὐχὴν, etsi Aristoteli totum collum est αὐχήν.

Cavum, quod inter iugulos est, σφαγή.

Iuguli duo ossa a collo ad humeros extensa, vocantur et furculae κλεῖδες, quarum mentionem facit Demosthenes, inquiens, Philippum fregisse iugulum. Plinius inquit: Soli homini sunt duo iuguli, dexter et sinister.

Humeri, ὦμοι.

Humeri cacumen, ἀκρώμιον.

A cervice duo lata ossa utrinque tendunt, quae Graeci vocant ὠμοπλάτας, Latini scapulas et scoptula operta, et vulgo spatulas vocant. Celsus ita loquitur, quasi cacumen sit scapula, et reliquum scoptula. Sed Graeci uno nomine contenti sunt ὠμοπλάται, et Latini plaerumque contenti sunt nomine scapularum.

Interstitium inter scapulas usque ad duodecimam vertebram thoracis, ubi ventriculi orificium alligatur vertebris, nominatur μετάφρενον.

Brachium, βραχίων. Sed sic Graecis proprie nominatur pars brachii ab humeris usque ad cubitum. Celsus humerum nominat.

Cubitus duo ossa a flexu brachii usque ad καρπόν.

Flexus cubiti, ἄγκων et ὠλεκρανὸς apud Galenum.

Ulna, maius os in cubito, πῆχυς, et ὤλενος et ὠλένη, unde nomen ulnae Latinis factum est.

Radius, in cubito os brevius, κερκὶς et παραπήχιον.

Iunctura manus, ubi palma iungitur radio, καρπὸς dicitur. Inde Medici dicuntur mittere manum in καρπὸν, cum explorant pulsum arteriae.

Manus, χείρ, egregiam laudem habet. Aristoteles nominat eam organum organorum. Nam et plura et magis varia opera efficit, quam ullum organum, et fabricat caetera instrumenta Anaxagoras inquit. Manum sapientiae causam esse, nisi enim figuras et literas pingeret, et faceret machinas, neque doceri neque disci ullae artes possent. Sed Plutarchus allegoricam interpretationem addit, Manus, id est, experientiam, sapientiae causam esse.

Caeterum impressit natura miras significationes temperamenti in ipsas lineas manuum, quarum observatio peperit χειρομαντείαν, in qua etsi, ut in reliquis divinationibus, multa inepta et ridicula traduntur, tamen et Aristoteles non prorsus commenticiam esse hanc observationem existimavit. Nam in problematis quaerit de linea vitae quam sic vocant. Quare longaevi sint, qui habent integram lineam mediae manus.

Extensa manus usque ad digitos μετακάρπιον adpellatur. Id proprie nominat Celsus palmam, Graeci κτένιον, Avicenna pectinem manus.

Hinc palmus mensura est, et minor palmus dicitur spacium quatuor digitorum, graece παλαίστη et δοχμή, et δῶρον apud Hesiodum. Sed maior palmus est digitorum duodecim, graece σπιθαμή, ein ſpann, et ὀρθόδωρον. Latini dodrantem pedis nominant, quia novem uncias pedis continet. Ita saepe inquit Plinius, caulis dodrantali longitudine.

Vola, θέναρ, carnosa planicies in manu.

Cavitas in illa planicie κοτύλη.

Digiti, δάκτυλοι, constant tribus ossibus quae nominantur σκυταλίδες et φάλαγγες. Latine internodia.

Articuli digitorum eminentes, κόνδυλοι, unde et κόνδυλοι pugnos significant, ein fauſt. Et verbum κονδυλίζειν pugno verberare, mit feu= ſten ſchlahen.

Pollex, ἀντίχειρ, quasi vicaria manus, quia in praehendendo tantum praestat, quantum tota reliqua manus.

Index, λιχανὸς, salutaris.

Medius digitus, μέσος.

Medicus digitus, παράμεσος, proximus minimo, qui et annularis nominatur.

Minimus digitus, μικρὸς, qui et auricularis dicitur.

Thorax anterior pars a collo ad ilia usque. Sed Aristoteles hac adpellatione complectitur totum truncum a collo usque ad pudenda, quem truncum et ὅλμον nominant.

Pectus, στῆθος, pars thoracis a collo usque ad septum transversum, seu ad διάφραγμα.

Στέρνον, pars media pectoris, videlicet ossa media pectoris, ut Galenus ait in sexto de usu partium medii ossis in pectore, quod στέρνον

adpellatur. Et alibi inquit: Cor est situm sub *στέρνῳ*.

Ossa pectoris sub collo efficiunt furculam superiorem, quae *σφαγὴ* nominatur. Ita in imo pectoris efficiunt cavitatem, in qua est cartilago conspicua, quae nominatur *ξιφοειδής*.

Cartilago, *ξιφοειδής*, in illa cavitate sub ossibus pectoris, facta est ad muniendam partem vicinam stomachi. Galenus clare dicit, sub *στέρνῳ* esse cartilaginem, quae nominatur *ξιφοειδής*. Hanc recentiores nominant cartilaginem scutalem. Item malum granatum, quod sit similis flori mali punici.

Mamillae, *τίτθοι* seu *μαστοὶ*, in foeminis lactis causa conditae sunt laxiores. Etsi autem physica causa est, cur additae sint pectori in genere humano, ut et cordis calor magis defendatur, et vicissim fortior sit calor ad lac coquendum, propter vicinitatem cordis, tamen non dubium est, et consilium fuisse opificis, discernere homines et animantia. Bestiae tantum nutriunt sobolem, postea negligunt, et oblivio sequitur parentum et sobolis. Sed homines transfundunt *στοργὴν* in sobolem, et retinetur memoria, et fit mutuus amor. Debent etiam parentes institutionem et sapientiam soboli. Galenus mentionem facit mutuae calefactionis, inquiens: *καρδία θερμαινομένη πρὸς αὐτῶν, ἀντιθερμαίνει.*

Ac ut sanguis qui nutrit mamillas, melius coquatur, non recta vehitur ex cava vena, sed longis ambagibus a iugulo descendunt venae, ut fiat coctio diuturnior. Et quia mamillarum caro candida est, attrahens nutrimentum, transmutat sanguinem et album efficit, ac reliqua pars lac est utile ad alendos infantes.

Papillae, *θηλαὶ*, prior pars, qua sugit infans mamillas.

Costae, *πλευραὶ*, duodecim in quolibet latere. Sunt autem natura ossea, sed minus dura. Et sunt plures, ut interstitia fierent, ut dilatari et constringi pectus posset, et musculi inter costas collocarentur. Superiores septem vocantur verae costae. Inferiores quinque vocantur nothae, vulgo mendosae, quia et breviores et molliores sunt. Ideoque has quinque vocarunt Graeci *χόνδρον*, id est, cartilaginem, quia substantia cartilaginea est.

Oriuntur autem septem superiores a spondylis, et terminantur ad *στέρνον*, hoc est, ad medium os pectoris, ut cor et pulmonem muniant. Inferiores vero paulatim breviores fiunt, ne ventriculus repletus nimium comprimeretur, et ob eandem causam molliores sunt, ac ad diaphragma desinunt.

Πλευρὸν genere neutro latus.

Πλευρὰ genere foeminino membrana succingens costas, id est, intra totam cavitatem sub costis extensa, vestiens undique omnia quae continentur intra thoracem, et nominatur *χιτὼν ὑπεζωκώς*, ut infra rursus dicetur.

Πλευραὶ numero plurali costae.

Etsi autem Heva condita est ex costa sumpta ex Adam, tamen in viro et in muliere numerus est costarum aequalis. Existimandum est igitur in viro costas antea fuisse tredecim. Et tredecimum iugum ex viro exemptum esse, ubi est viri cinctus, et inde fabricatam Hevam. Etsi autem multae significationes inde sumuntur, tamen et complexus in cinctu significatur.

Sub costis pars exterior et interior supra umbilicum proxima costis nothis, nominatur *ὑποχόνδριον*, sicut Galenus expresse inquit, in hypochondriis sita esse epar et splenem. Nec recte redditur adpellatio hypochondrii, adpellatione praecordiorum. Nam praecordia sine ulla dubitatione significant diaphragma, ut testatur Plinius, qui ait, praecordia esse phrenas. Et ipsum diaphragma seu septum transversum phrenas dici, certissimum est.

De septo transverso, quod Graeci *διάφραγμα* et *φρένας* nominant, postea dicetur in descriptione Interiorum. Est autem *διάφραγμα* panniculus nervosus et carneus, qui est interstitium inter thoracem et ventrem, et munit superiora, ne halitus immodici simul ex ventriculo ascendant.

Sub diaphragmate situs est venter, *γαστὴρ*, cuius exterius tegumentum, quod est cutis et membrana carnea, superiore parte, videlicet supra umbilicum, nominatur *ἐπιγάστριον*.

Ilia, *λαγόνες*, sunt vicinae partes utrinque circa umbilicum, retrorsum proximae ossibus ilium, seu coxae, quae nominatur *ἰσχίον*.

Anterior vero pars sub nothis costis umbilico proxima nominatur *κενεῶνες*. Sed haec subtilis distinctio nominum, *λαγόνες* et *κενεῶνες*, saepe negligitur.

Pars exterior sub umbilico dicitur *ὑπογάστριον* et *ἦτρον*, ut Galenus expresse scribit in secundo Aphorismorum, Aphorismo 35. *ἦτρον δὲ ἰδίως ὀνομάζει τὸ κάτω χωρίον τῆς γαστρὸς,*

ὅσον ἐστὶ μεταξὺ τοῦ αἰδοίου καὶ τοῦ ὀμφάλου, id est, ἦτρον proprie nominat Hippocrates inferiorem partem ventris, quae est inter pubem et umbilicum. Et addit postea, totum spacium sub costis dividi in tria, in hypochondrion, ea quae sunt circa umbilicum et ἦτρον.

Sub hypogastrio pecten est, id est, os transversum latius, quod munit intestina. Aristoteles inquit: Extremum Itri est Epischion. Et Galenus inquit, Epischion esse os anterius, posterius vero os sacrum lumborum vertebris subiectum.

Circa imam partem pectinis Inguen, βουβών.

Partes exteriores in dorso.

E regione thoracis Dorsum est, νῶτον.

Pars inter scapulas opposita pectori μετάφρενον, id est, pars supra phrenas. Est autem intra μετάφρενον os stomachi ad septimam vertebram. Ideo in cruditatibus dolor sub scapulis sentitur.

Sub μεταφρένῳ est ἄκνηστις usque ad lumbos.

Lumbi sunt inter λαγόνας, ubi Renes sunt, et ubi cingimur. Sic enim describit Aristoteles: τῶν δὲ ὑποχονδρίων ὄπισθεν διάζωμα μὲν ἡ ὀσφὺς, ὅθεν καὶ τοὔνομα ἔχει. Inde et cinctum nominant hanc partem.

Sub lumbis est regio Ossis sacri. Nam os sacrum est sub dorso latum os, quod excipit ultimos spondylos, ac veluti gestat totam corporis molem, arte miranda compositum ex sex ossibus. Nominari autem os sacrum alii propter artificiosam compositionem, alii propter magnitudinem existimant. Aliqui arbitrantur sic adpellari, quia partum adiuvet, eo quod eius connexus cum ossibus coxae in parientibus aperiatur.

In medio dorsi ῥάχις, ipsa videlicet spondylorum series, quam et veteres Latini spinam nominarunt, sicut Celsus inquit: Caput spina excipit. Ea constat ex vertebris quatuor et viginti. Ita loquitur et Plinius. Sed Galenus discernit ῥάχιν et ἄκανθαν. Nominat ῥάχιν proprie ipsam spondylorum seriem. His vero additae sunt veluti pinnae, quas peculiariter nominant ἄκανθαν, id est, spinam, et dicit factam esse, ut sit tanquam vallum spondylorum, seu ut ipsius utamur verbis, χάραξ τῆς ῥάχεως. Porro ita sustinet ῥάχις omnia ossa, ut tanquam truncus et carina corporis humani esse dicatur.

Σπόνδυλοι vocantur vertebrae, suntque ossa figura vertebrarum seu verticillorum inter caput et lumbos, quatuor et viginti, mira arte iuncta, cava intus, et tenui carne et membranis vestita, ut medullam contineant, quae vocatur a Celso Spinae Medulla, a Galeno νωτιαῖος μύελος, ab Arabibus Nucha. Etsi autem adpellatio medullae huc translata est, tamen plurimum differunt medulla in ceteris ossibus proprie sic dicta, et haec substantia in spondylis. Nam medulla in ceteris ossibus est utilis superfluitas nutrimenti ex sanguine orta, destinata ad humectanda et ad nutrienda ossa. Sed haec substantia in vertebris est cognata cerebro, et quasi rivus cerebri, ut Galenus inquit: ποταμὸς ἐκ πηγῆς ἐκρέων τοῦ ἐγκεφάλου. Ac oriuntur et cerebrum et hic eius rivus a semine, nec sunt destinata ad nutriendas alias partes, sed sunt corpora peculiaris et veluti coelestis naturae, et nervos procreant, qui sunt instrumenta sensus et motus localis, ut infra dicam. Sunt autem periculosissimae laesiones spondylorum, et propter medullam, et propter nervos, quare singulari cura haec pars munienda et mediocri calore fovenda est.

Coxae seu coxendices, ἰσχία, sunt ipsa ossa natium proxima lumbis, sicut testatur Celsus, ima spina in coxarum osse desidit, quod transversum longeque valentissimum, vulvam, vesicam, rectum intestinum tuetur.

Cotyla seu Acetabulum est sinus, id est, cavum, in ima parte ossis natium, ubi infiguntur ei summa ossa magni pedis. Hunc sinum vocant Arabice Ancam.

Nates, γλοῦτοι.

Femur, μηρὸς, haud dubie significat superiorem partem magni pedis a natibus usque ad genu. Recentiores absurde confuderunt nomina coxae et femoris, et praepostere eis usi sunt. Os coxae dicunt pro Femore, et econtra os femoris pro Coxa. Haec inversio in vulgaribus scriptis diligenter animadvertenda est.

Totum membrum, quod vocant magnum pedem a natibus usque ad plantam, σκέλος nominatur ab Aristotele et a Galeno.

Genu, γόνυ.

Os in genu anterius, figura parvi scuti, propter multas utilitates factum, Patella nominatur a Celso. Graeci etiam nominarunt μύλην, id est, Molam, qua adpellatione Pausanias usus est in hac significatione, cum de Aiace inquit: Pa-

tefacto eius sepulcro in littore, conspectam esse inter ossa molam disci magnitudine, ac inde aestimatam fuisse corporis proceritatem. Ac diserte addit, Molam esse os in genu. Verba eius haec sunt: *Εἶναι οἱ κατὰ δίσκον μάλιστα τὰ ἐπὶ τοῖς γόνασιν ὀστᾶ, καλουμένας δὲ ὑπὸ τῶν ἰατρῶν μύλας.* Fuit autem discus haud dubie latior orbis, quam talis patella in vulgari corpore.

Poples, ἰγνὺς, cavitas posterior, flectendi cruris causa, facta. Crus pars a genu usque ad malleolos duobus longis ossibus constans, quorum maius nominatur Tibia, κνήμη, alterum vero minus est περόνη, fibula.

In posteriore cruris parte caro est, quae sura nominatur, waden, γαστροκνημία.

Malleoli ossa gibbosa, eminentia supra parvum pedem utrinque, sunt processus appendicum tibiae et fibulae, graece σφυρον et πέζα. Est autem vulgaris error, talos pro malleolis dicere. Sed erudite ostendit Wesalius discrimen, ac docet, Talos non esse eminentia ossa, quae foris tanguntur, sed alia interiora, quibus malleoli inseruntur. Estque artificiosa fabricatio. Malleoli sunt velut septa munientia talos. Tali vero etsi per sese sunt immobiles, tamen adiuvant pedis flexum, quia superiore parte cum tibia articulum constituunt, consistunt autem in osse calcis. Figura similis est parti rotae, curva in parte convexa. Postea in lateribus sinus habet. Ac τέτρωρον nominant, quasi dicas, quadri iugum, vel a quatuor lateribus, vel a rotae specie, vel certe propter usum, quia tendines ei alligati sunt. Et haec ossa quae vere sunt tali, nominantur ἀστράγαλοι. A quibus postea in ludis figurae similes nominatae sunt, quarum iactu certabatur. Et latus unum dicebatur κῶος, quod erat foelicius, alterum χῖος, infoelicius, quod et canem nominabant. Extant in codicibus Aristotelis de partibus animalium hae adpellationes, sed depravatae. Verum in libro secundo de coelo, cum ait, non semper respondere eventus conatui, hanc communem sententiam hoc exemplo ornat: *ἐστὶ δὲ τὸ κατορθοῦν χαλεπὸν, ἢ τὸ πολλὰ ἢ τὸ πολλάκις, οἷον πολλοὺς ἀστραγάλους κώους βαλεῖν, ἀμήχανον, ἀλλ' ἢ ἕνα ἢ δύο.*

Talus excipitur sinu ossis, quod calcem, seu calcaneum, graece πτέρναν nominamus, die fersen, quod retro spectat, et solum proxime attingit, cum stamus aut incedimus.

Proxima calci, seu calcaneo pars, est altior anteriore ac plana regione pedis, τάρσος. Germani den Reyen nominant.

A τάρσῳ deinde planum pedis dicitur πεδίον et στῆθος.

Huic proximi sunt digiti pedis.

Recitavi praecipuas adpellationes exteriorum partium corporis, et quia grammaticae diligentiae est, recte uti his vocabulis, quorum aliqua inerudite depravata sunt. Et quia hic ordo exteriorum postea lucem adfert distributioni et oeconomiae Interiorum. Nec anxie omnia vocabula conquisivimus, sed his magis usitatis contenti fuimus, quia hic modus utilior videtur rudibus et initia discentibus.

Iam interiora membra grandiora utcunque describemus. Ac si quis hanc considerationem iudicat inutilem esse, valde errat. Nam ut iam non dicam, plurimum eam conducere ad tuendam valetudinem, et ad medicationem, illud certe fatendum est, si quid de Animae potentiis et actionibus quaerendum esse putat, organa et regiones aspici oportere sciat. Multarum autem gravissimarum quaestionum explicatio in aliis artibus sumitur ex distinctione potentiarum animae. Ut saepissime dicendum est de discrimine noticiarum et adfectuum, quod ut aliquo modo intelligatur, regiones diversae monstrandae sunt. Et si res alias extra nos, ut leones aut cervos, aut arbores ac herbas nosse iuvat, cur non existimamus praeclarum esse, et nostri corporis fabricationem aspicere, praesertim cum Deus mirificam artem in ea adhibuerit, et haec ars illustre testimonium sit de Deo, ostendens nequaquam casu homines hoc modo ex atomis conflatos esse. Vide enim quam concinnus ordo sit, et quales in ipso ordine picturae propositae sint. Ut enim tres sunt velut ventres functionum praecipuarum, infimus servit nutritioni et generationi. Secundus, in quo cor est, ciet motus et defensionem. Tertius, in quo cerebrum est, continet maximarum rerum noticiam. Sic in vita sit aliqua cura quaerendi victus et conservandi corporis, et propagandae speciei. Sed non sit haec sola cura, verum dominetur sapientia, quae monstrat omnium actionum normas, haec est in cerebro. Et cor habeat motus et adfectus iudicio obtemperantes.

Et quia harum trium partium adpellationes usitatissimae sunt, et saepe repetendae erunt, hic initio eas recitabo.

Supremam partem, in qua est cognitio, ratiocinatio, iudicium, libertas electionis, Plato nominat ἡγεμονικὸν, et hanc attribuit cerebro.

Secundam partem propriam cordi, nominat θυμικὸν, quia cor ciet adfectus sensuum, quos nominat satellites rationis. Et sunt additi consilio, ut sint ministri et exequutores rationis. Cum qua ita congruere cor debebat, ut, iubente ea, suos motus cieret, et laetaretur recte faciendo, et doleret secus faciendo. Sed saepe est contumax, et incenditur suis quibusdam motibus contra consilium, ut infra dicam. Sed tamen singulari consilio Dei vestigium ordinis ab ipso conditi manet insigne et admirandum. Post facta redit ordo. Cum ratio improbat scelus, iam cor fit vindex, et ingenti dolore suam contumaciam punit, vult enim Deus inchoari in nobis scelerum poenas.

Infima pars nominatur ἐπιθυμητικὸν, quia continet adpetitiones vegetativae facultatis, famem et sitim. Ideoque Plato et φάτνην, id est, praesepe nuncupat, quia nutrimentum excipit, et praeparatum in reliquum corpus transmittit.

Ordinem vero accommodat ad voces in cantu, ὑπάτην, μέσην, καὶ νήτην. Maxime stabilis est ὑπάτη, cui tribuit ἡγεμονικὸν, quod noticias continet certas et firmas. Deinde ad μέσην confert cor, quia alias rationi obtemperat, alias est contumax. Longissime vero abest a cerebro venter, et fames et sitis minus reguntur consilio. Ideo infimam partem confert ad νήτην, seu νεάτην, id est, ultimam.

De Ventriculo, κοιλία, γαστήρ.

Ordimur a ventriculo, quia eius utilitas notissima est. Ac primum de figura et situ, postea de substantia et utilitatibus dicam.

Ventriculus, qui cibos transmissos excipit, et primum alterat, sub diaphragmate situs est versus dextrum. Estque figura rotunda, oblonga, sed nonnihil ampliore fundo. Deinde paulatim angustior, erigens se versus sinistrum latus. Inseritur autem ventriculo angustus canalis, continuus corpori ventriculi, figura inversae tubae, qui ad fauces usque non quidem recta, sed nonnihil cedens venae aortae, tendit. Hic canalis nominatur οἰσοφάγος propria adpellatione, quod per eum cibi vehantur ab ore in ventriculum. Habet autem οἰσοφάγος et nomen stomachi. Significat enim στόμαχος generaliter tales canales. Ac de his adpellationibus supra dictum est.

Habet ventriculus duo orificia seu hostia. Alterum factum accipiendi cibi et potus causa, quod nominant superius, quia aliquanto elatiore loco est quam alterum. Est autem situm ad sinistram, sed pene media regione in illa superficie ventriculi, ubi mox sub diaphragmate inseritur oesophagus ventriculo. Alterum hostium factum, ut evehat chylum et superfluitates, nominatur πύλωρος, hoc est, ianitor, quod nominant inferius. Sed est ad dextram situm, nec multo depressius est priore. Non enim in imum fundum collocatum est, sed aliquanto altius positum est, ut nutrimentum in fundo contineri, foveri et coqui posset. Et accepto cibo ac potu claudi solent haec hostia ambo, ut calor intus contineatur. Ac superius hostium eo clauditur, quia villi seu fibrae, seu ἶνες in imo oesophago sunt obliquae, quae serviunt constrictioni.

Et quia mox dicendum est de villis seu fibris, in tunicis ventriculi, hic obiter monendi sunt lectores, Villos, quos alii fibras, Graeci ἶνας nominant, triplices esse. Rectos, εὐθείας, qui secundum membri longitudinem, quo motus ducendus est, recti sunt. Hi miranda et arcana vi naturae attrahunt. Transversos, ἐγκαρσίας, qui alteros secundum longitudinem ductos secant ad angulos rectos. Hi coarctant partem superiorem corporis, et expellunt. Obliquos, λοξὰς, qui ductos secundum longitudinem secant ad angulos obliquos. Hi quia totum corpus coarctant, vim habent retinendi. Talis est igitur series et fabricatio villorum in partibus in oesophago et ventriculi tunicis, quae adiuvat usum naturae convenientem. In imo oesophago villi obliqui claudunt ventriculi orificium.

Estque adhibenda diligentia, ut vitemus causas, quae illam claudendi facultatem languefaciunt, ut nimia madefactio ac intempestiva post tempora prandii et coenae infusio potus, aut pomorum aut corporis motus vehementior. Nam hiante ventriculo, mala fit coctio, non solum quia fumi exhalant, et calor dissipatur, sed etiam quia paulatim villi ipsi fiunt laxiores.

Tunicae duae sunt ventriculi, ex substantia partim carnea, partim nervea. Interior vero tunica nervosior et spissior est. Villos habet rectos, quibus ceu digitis attrahit cibum. In exteriore

parte villos habet obliquos, qui retentioni serviunt. Exterior tunica magis est carnosa, quae villos habet transversos, expulsionis causa factos.

Situs est ventriculus inter epar et splenem, ita ut in dextro latere epar incumbat ventriculo, et eum pinnis suis amplectatur et calefaciat. In sinistro latere splen est. Ac situs admonet, quare sumpto cibo prosit cubare in dextro latere, cum enim in sinistro sit orificium adiunctum oesophago, cum in ea parte cubamus, ruere cibum versus orificium sentimus, quod non est utile. Magis etiam calefit fundus ventriculi, qui pronus in dextrum latus flectitur, cum ea pars cubando premitur.

Temperamentum ventriculi frigidum et siccum est, conveniens naturae nervosae, quam habet, primum sensus causa, ut rebus convenientibus adficiatur, et res non convenientes aversetur. Deinde, ut adpetentia et efficacia maior sit. Praeterea ut sit durior, ne ciborum asperitate offendatur. Habet autem et nativum calorem. Nam et exterior tunica calidior est, et calefit ventriculus a vicinis membris, ab Epate, Splene, Corde, Diaphragmate, quod adsidue agitatur, item ab Omento, praeterea et a spiritu, qui copiosus in ventriculum infunditur, propterea quod colligatus est vicinis membris per venas et arterias.

Utilitas minime obscura est. Servit enim potentiae nutritivae. Quare vim nativam habet appetendi cibi, cuius appetitionis sensus inest orificio, in quod multi nervi a cerebro demissi intexuntur. Cum igitur exhausta membra nutrimentum desiderant, et attrahere conantur ex venis, venae ex epate, epar ex ventriculo, ventriculus ab orificio, fit corrugatio in orificio propter suctionem venarum. In ea corrugatione propter nervos sensus ac dolor excitatur, qui est fames, et irritat animal ad quaerendum cibum.

Aiunt autem et irritari in orificio adpetentiam melancholia eo effusa, quae est acris. Et existimaverunt aliqui, grandiusculam venam ex splene in orificium ventriculi ob eam causam porrigi, ut magna eo copia infundatur. Sed certum est, venam, quae ex splene in ventriculum ducitur, mox inseri ventriculo in latere sinistro, non procul a fundo. Ac necessariam esse eius fabricationis causam, ut superfluitas ex splene evehatur. Utilitas vero est, ut iuvet facultatem retentivam in imo. Parvi autem surculi pilorum modo etiam ab hac vena serpunt ad orificium ventriculi, ubi consentaneum est, et nonnihil irritari adpetentiam exiguis rivulis atrae bilis.

Cum autem copiosior melancholia in ventriculum eructat, ut hic vidimus viro clarissimo Casparo Crucigero tantam copiam influere, ut virtus ventriculi penitus extingueretur, id quoque fit per eam venam, quam diximus sinistro lateri non procul a fundo insertam esse.

Ut autem alibi in genere dicemus, quatuor esse membrorum facultates, Attractivam, Retentivam, Alterativam, et Expulsivam: ita et de ventriculo sciendum est, naturales facultates in eo esse, vim attrahendi cibos, ac deinde retinendi et alterandi, et facta alteratione transvehendi nutrimentum, et expellendi superflua. Suntque ut dixi, villi seu fibrae ad attrahendum, retinendum et expellendum conditae. Ac vim attrahendi etsi et alia signa ostendunt, tamen et hoc illustre indicium est, quod in piscibus qui nominantur *χάνναι* seu Hiatuli, cum avidius persequuntur praedam, ita movetur ventriculus ipsa appetitione, ut in os procidat. Quo exemplo et ventriculi natura monstratur, et pingitur imago helluonum. Vis autem alterandi praecipua est, quae cibum mutat in liquorem. Id enim Graecis significat *χύλος*, qui quidem similis est cremori ptisanae, et hunc coquit tantisper, donec maturuit, ut transmitti ad epar possit. Fitque ea coctio primum vi nativa ventriculi, quod ex eo adparet, quia totus ventriculus miro modo universum cibum amplectitur ac fovet, velut matrix tota amplectitur foetum. Adiuvatur autem virtus nativa, et fovetur eo spiritu, quem advehunt arteriae in corpus ventriculi sparsae. Deinde et calore, quem augent vicina membra, epar, splen, et diaphragma, musculi abdominis et lumborum. Cumque maturuit chylus, aperitur pylorus, et evehit chylum in duodenum intestinum. Deinde in ieiunum, ibi venae mesaraicae rapiunt eum, et transvehunt ad epar. Superfluitas vero expellitur in coecum intestinum. Feces deinde in coetera deiiciuntur.

Dictum est breviter de ventriculo et eius officiis. Priusquam vero ad epar accedimus, in quo deinde altera fit coctio, prius recensebo duo tegumenta ventriculi, magno consilio a natura condita, ad muniendum ventrem et intestina.

Omentum.

Vetustas dixit obmentare, ut legimus apud Sextum Pompeium. Inde est ommentum geminata litera, *m*, id est, tegumentum, sive ab obmanendo, sive a mantica. Hac igitur adpellatione nuncupata est tunica seu panniculus proxime tegens ventriculum et intestina, qui cum similis sit marsupio, pars substrata ventriculo iuncta anteriori parti tegit intestina, et porrigitur ad pubem usque.

Est autem substantia nervosa, plena venis et arteriis, quas vehit in ventriculum et splenem. Et circumfusa est ei pinguedo copiosa.

Utilitas est, ut innatum ventriculi et intestinorum calorem conclusum teneat, et suo eum calore augeat. Galenus experimento probat, ommentum conditum esse, ut calefaciat. Ait enim gladiatori partem praecisam esse, qui etsi vivebat, tamen postea minus concoquere potuit, et adsidue gessit imposita ventri tegumenta ex lana facta. Graeci ommentum nominant *ἐπίπλοον*, quia propter pinguedinem quasi innatat ventri. Arabes Zirbum nominaverunt.

Περιτόναιον.

Undique circundat ventrem inferiorem alia tunica, videlicet ventriculum, intestina, ommentum, epar, splenem, renes, involvens haec membra inde usque a diaphragmate ad os pubis, orta a ligamentis connectentibus, vertebras lumborum, et ad eas adfixa. Arabes nominant Siphac.

Utilitas eius est ut alliget et suspendat ad dorsum membra ventris inferioris. Et ab ea oritur membrana inferior diaphragmatis.

Praeterea in exteriori superficie peritonaeon sustinet musculos motus causa factos, et eos ab intestinis separat, ne intestina vel impediantur, vel motum impediant, et cruciatus efficiant. Supra musculos carnosa membrana est, deinde adeps, postea cutis *δέρμα*, deinde *ἐπίδερμις*.

Intestina, *ἔντερα*.

Proxima ventriculo sunt et intestina, quorum tunicae ventriculo continuae sunt. Et quanquam ipsa quoque continua sunt, tamen figura, situ et officiis differunt. Ac tria superiora gracilia sunt, quia cum facta sint, ut in eis transvehatur chylus, et ut Galenus nominat, *ἀναδύσεως* causa, ut facilior sit transitus, graciliora esse proderat. Praeterea cum et in ipso transitu coctio aliqua fiat, facilius calefiunt propter gracilitatem.

Reliqua inferiora sunt magis carnosa et crassiora, quia evehunt excrementa.

Primum, Duodenum ab Herophilo nominatum esse scribunt, quia longitudo eius sit digitorum duodecim. Galenus nominat *ἔκφυσιν*, quasi dicas exortum seu processum. A pyloro, id est, orificio ventriculi altero oritur, et sursum in dextra parte versus dorsum porrigitur, ut alligari firmius possit. Praeterea ut ad bilis meatum in epatis regione apte locatum sit. Nam ubi desinit duodenum, in ipso ieiuni initio, meatus est ex vesicula fellis, ut bilis cibum pellat, et intestinum mundificet.

Ieiunum.

Duodeno continuum est Ieiunum, *νῆστις*, quod sub epate habet spiras aliquas, deinde aliquanto rectius porrigitur ad epar. Nominatur autem ieiunum, non quod prorsus inane sit, sed quia citius inde rapitur chylus a venis mesaraicis, quarum maior numerus in hoc intestinum inseritur, et reliquum a bile pellitur, quae non miscetur chylo, sed fluit in lateribus intestini in colon usque, ut pellat excrementa, et abstergat intestina.

Εἴλεος.

Tertium intestinum nominatur *εἴλεος*, non solum quia in eo gyri sunt plurimi, sed etiam quia varie impliciti sunt Mesenterio, unde multae venae in *εἴλεον* inseruntur. Habet autem usum eundem, quem habet ieiunum, ut transmittat chylum. Sed hoc interest. Ieiunum citius exugitur. Verum *εἴλεος* diutius retinet chylum, quam ob causam et longius est, et plures anfractus habet, ut chylum magis coquat, et diutius suppeditet alimentum, ne opus sit mox ingerere alios cibos. Plato inquit hoc consilio fabricatos esse hos gyros, ne si etatim alii cibi ingerendi essent, vitam ageremus *ἀφιλόσοφον καὶ ἄμουσον*. Apud Hippocratem et Galenum *εἴλεος* est morbi nomen, non intestini. Sicut enim in alio crasso intestino, quod *κόλον* nominatur, fiunt dolores *κολικοί*. Ita in hoc gracili intestino similis morbus existit admodum periculosus, cum fiunt obstructiones, ne quid expelli possit, aut sunt ibi viscosi ac mordaces humores. Vulgo nominant Iliacum morbum, qui circa umbilicum sentitur.

Intestina crassiora.

In canibus, porcis et crudivoris animantibus Intestinum quod coecum nominant, maius esse conspicitur, quod in talibus excrementa excipit ex ileo, et cum inde rursus aliquid nutrimenti exhaustum est, reliquae feces expelluntur in *κόλον*. Dicitur autem *τυφλὸν*, quia unicum habet foramen, quod et excipit illapsa ex ileo, et rursus emittit in *κόλον*. Nam orificia ilei, coeci et coli coëunt in una cavitate. In homine vero narrant parvam appendicem esse ilei, nec conspici usum.

Κόλον.

Etsi Medicorum libri scribunt *κῶλον,* prima syllaba longa, cum nominant intestinum secundum crassius, tamen ex Aristophanis versibus apparet, scribendum esse *κόλον*, prima syllaba brevi, quasi *κολεός*, id est, vagina, seu quasi truncatum *κολοβόν*, quia velut sectum in diversas cellulas, varios flexus habet. Excipit enim feces seu excrementa, et ne statim effluant, paulatim in angustiores meatus transmittit. Ac aridiora stercora, quae usitate nominantur *σκύβαλα*, quasi dicas canum excrementa, imitantur figuras cellularum, et sunt similia globulis.

Influit autem Bilis ex ieiuno in *κόλον*, qua stercus pellitur et coloratur. Inde et colici dolores nomen habent. Ibi enim fiunt cum oppilantur meatus a frigidis, crassis, viscosis humoribus, ac sentiuntur hi cruciatus supra umbilicum.

Rectum intestinum.

Etsi colo rectum intestinum continuum est, tamen cum situ et figura discernatur, propria ei adpellatio attributa est. Rectum intestinum graece *ἀπευθυσμένον*, id est, directum. Veteribus ignotum est vocabulum Longaon, quo vulgo utuntur. Ductus autem rectus est, ut nomen sonat. Nam postquam *κόλον* ab epate versus renem sinistrum reflectitur, ibi ossi sacro et renum spondylis alligatur hoc rectum intestinum, et porrigitur ad anum usque vel sedem, quam nominat Galenus *σφιγκτῆρα*, a constringendo, quia musculis constringitur sedes, ut sit munita contra praecipites et involuntarios profluxus. Utilitas autem eius est evehere stercus.

Sunt autem tunicae intestinorum substantiae pannicularis propinquae carni, et nervosae, ac fibras habent transversas, quae expulsionem adiuvant. Sed exterior tunica coli et recti intestini etiam rectas fibras habet, quae iuvant attractionem, ut evehenda stercora ex superioribus locis attrahant.

Μεσεντέριον.

Mesenterium nequaquam intestinum est, sed implicitus intestinis panniculus a peritoneo ortus, nervosus, continens carnem glandulosam et pinguedinem, gestans, distinguens, et dorso alligans intestina, praecipue vero, ut venas mesaraicas, arterias et nervos gerat. Ut enim a truncis arborum porriguntur in terram radices, ut nutrimentum attrahant, ita rami a porta epatis sparsi per mesenterium adhaerescunt intestinis, ceu radiculae, et inde nutrimentum attrahunt.

Cum autem intervallum sit inter epar et intestina, opus fuit fulcro seu stragulo illis canalibus, qui ab epate procedunt. Duo igitur rami, alter venae portae, alter arteriae, inseruntur in centrum mesenterii, ubi plurimae propagines venarum et arteriarum augustae ab illis ramis in centro nascentes per totum mesenterium sparguntur, et adhaerescunt intestinis.

Caro autem glandulosa, et pinguedo non solum muniendi causa conditae sunt, sed etiam ut humectent intestina, et calorem conservent, tum venarum, tum intestinorum. Sunt autem venis adiuuctae arteriae, ut calorem praebeant tum ipsis venis coquentibus chylum, tum vero intestinis. Nervi autem sensum praebent intestinis. Venae hauriunt chylum, et vicissim nutriunt intestina, ac nominantur Manus Epatis, quia rapiunt ex intestinis chylum, et in epar transmittunt.

Postquam autem forma operis et utilitas nota est, vocabulorum ratio facile intelligi potest. *Μεσεντέριον* dicitur, quia panniculus est arte implicatus intestinis, et velut in medio stragulum. Sed *μεσάραιον*, quia ex centro plurimae angustae propagines venarum et arteriarum sparguntur. Nam *ἀραιὸν* significat exile, vel tenue. Inde nomen est venis mesaraicis, id est, exilibus, quae ibi in mesenterio sparsae, tendunt ad intestina.

Πάγκρεας seu καλλίκρεας.

Dixi membranis mesenterii additam esse carnem glandulosam explentem loca vacua inter ventriculum, Epar et Splenem, ut sustineat et mu-

niat venas mesaraicas. Huic carni glandulosae nomen peculiare attributum est πάγκρεας seu καλλίκρεας. Arabes nominant Eucarum, fortassis depravato nomine, a graeco καλλίκρεας.

Epar. Iecur.

Generosum membrum est Epar, et inter organa nutritivae potentiae nominatur praecipuum, quia est officina sanguinis.

Est autem substantia eius caro rubra, propemodum ut coagulatus sanguis, sed tamen sua natura quiddam perfectum. Ac in totam eius carnem ceu rete quoddam, plurimae venae sparsae sunt, quarum aliae tendunt ad imam partem, ubi meatus est accipiens chylum, in quo meatu vena ast amplior, cui nomen est vena portae in hanc parvae illae propagines ex corpore epatis coëunt. Ac nomen est Portae huic venae, quia per eam invehitur chylus in epar. Aliae sursum tendunt in gibbum epatis, et coëunt in amplam venam, quae nominatur vena cava, graece κοιλὴ, quae sanguinem vehit ad cor, ut postea dicetur. Hanc venam κοιλὴν Galenus existimat primum venarum initium esse.

Percoquitur autem chylus in his parvis venulis in corpore epatis, et in sanguinem convertitur. Ac propria causa convertens chylum est ipsa epatis caro, quae sua specifica virtute organum est generandi sanguinis, quo corpus nutriendum est. Transformat igitur chylum, et tanquam sibi assimilans rubrum efficit. Estque temperamentum epatis calidum et humidum, conveniens et elixationi, et ipsi sanguini. Suntque deductae parvae arteriae in epar ab Aorta, ut spiritus vitales et calorem vitalem epati adferant, ut conversio virtute cordis, spirituum et caloris adiuvetur. Ideo autem parvae sunt, quia non hauriunt ibi sanguinem, sed advehunt spiritum, et praebent viam emittendis halitibus, seu ad eventandum. Inseruntur et duo nervi in tunicam epatis, raris ac modicis surculis, quorum alter in corpus epatis transmittitur, ne prorsus sit sine sensu.

Est autem figura semicirculi, seu velut Lunae prodeuntis a coniunctione, et sub diaphragmate situm est in dextro hypochondrio.

Ostendunt autem oculi, epar porcinum scindi in plures pinnas. Sed humanum epar scribit Wesalius non prorsus simile esse porcino, sed unam eius esse sectionem initio circa superius orificium ventriculi. Has accuratas descriptiones reiicimus ad inspectionem, hic enim initia rudibus traduntur, ne prorsus ignota sint praecipuarum actionum domicilia et sedes in homine. Qui vero dixerunt, pinnas seu λόβους epatis quinque seu quatuor esse, nomina etiam singulis attribuerunt. Primae pinnae adpellatio apud illos est focus, quod ibi initium fiat coctionis. Secunda dicitur mensa, quod iam incipiat ibi confluere nutrimentum. Tertia culter, quod ibi dividantur humores. Quarta auriga, quia ad venam cavam transvectio ibi fiat. Etsi autem hae pinnulae commenticiae esse dicuntur, tamen has adpellationes diversarum functionum recitavi, quia hi, qui eas tradiderunt, ordinem actionum cogitarunt, etiamsi epatis figura scissas hoc modo partes non haberet.

Omitto etiam disputationem de venarum origine, quarum esse initium, et veluti truncum Galenus existimat cavam venam, quae est in superiore parte epatis. Hoc vero certum est, hanc esse canalem, quo sanguis primum evehitur ad nutrienda coetera membra. Ascendit autem cava vena per diaphragma. Estque continua dextro ventriculo cordis, inde sursum et deorsum rami propagantur. Ulysses inquit, se deliberasse, an ea parte confoderet Cyclopem, ubi epar iunctum est phrenibus, hoc est, diaphragmati, quia perfossa vena cava, statim extinctus esset Cyclops, desiisset enim ali beneficio cavae venae, et strangulatus esset sanguine effuso extra suos canales. Versus est in Nono Odysseae: οὐτάμεναι πρὸς στῆθος ὅθι φρένες ἧπαρ ἔχουσιν.

Fit in toto corpore epatis in venulis generatio massae sanguineae, in qua ut postea de humoribus dici prolixius necesse erit, sunt dissimiles humores quatuor, quod Galenus describens venustissima similitudine musti usus est. Ut in mustis effervescentibus ebullire videmus id, quod tenuius est, et spumae simile, quod ipse nominat ἄνθος, deinde quiddam inesse aquosum, subsidere etiam feces, et praeter haec vini sustantiam esse purius quiddam, et melius temperatum. Ita in massa sanguinea totidem sunt humorum discrimina. Levior spuma est bilis flava. Humor subaquosus nominatur phlegma. Feces bilis atra. Sanguis vero, pars optima, temperate calida et humida, dulcis, et praecipua pars nutrimenti. Etsi autem ex singulis partibus aliqui rivuli una

cum sanguine in nutritione vehuntur, tamen ut massa nutritioni destinata sit purior, prius in epate fit segregatio. Sunt enim et atrae bilis. Ideo vicina vasa condita sunt, fitque purificatio sanguinis in media parte epatis.

Vesica Fellis,

κύστις χοληδόχος.

In medio epate est folliculus longiusculo pyro similis, qui Fel, id est, flavam bilem excipit. Tunica est una firmiuscula, habens triplices fibras. Duo autem rami seu canales porriguntur a collo huius folliculi, quorum alter sursum ducitur ad surculos venae portae, ubi et ipse in multos surculos spargitur, et haurit flavam bilem in purificatione sanguinis.

Alter deorsum ducitur, ac inseritur intestino duodeno, non procul ab initio ieiuni, ut bilem eo advehat, pellenten nutrimentum, et fluentem postea in *κόλον,* ut pellat excrementa, et abstergat intestina.

Utilitas huius fabricationis in conspectu est. Necesse est in purificatione sanguinis aliquo derivari flavam bilem copiosiorem. Frat igitur opus receptaculo, in quo bilis etiam calefacit epar, et putrefactionem prohibet. Deinde pellit nutrimentum in duodeno, et pellit excrementa, et abstergit sordes in coeteris intestinis. Et ostendit experientia, quanta sit necessitas huius fabricationis. Nam cum obstruuntur hi canales, magni morbi sequuntur, Ictericus, inflammatio Epatis, Hydrops.

Tradit Galenus etiam ab altero ramo propaginem in ventriculum paucissimis quibusdam duci, et his propter bilem largiter influentem in ventriculum nasci in eo multam prasinam bilem, et impediri coctionem, et accidere crebros vomitus et *ἀτροφίην.* Sed haec rara exempla omitto.

Regulare est non duci ramum ex folliculo fellis in ventriculum, quia flava bilis cum sit acris, mordax et dissipatrix, turbaret coctionem. At ventriculo quiete opus est ad fovendum et coquendum chylum. Ideo sapienter cavit architectatrix natura, ne ex folliculo fellis ramum in ventriculum duceret. Sed nascitur interdum in ventriculo prasina bilis ex adusta pituita et superfluitatibus aliis, quae non adfluit ex felle, quae est admodum infesta ventriculo, et in vomitu saepe eiicitur, ut infra dicemus. Sed in naturis biliosis, quibus maior est hic folliculus, et multum bilis in sanguinem regurgitat, fieri potest, ut ex duodeno aliquid bilis in ventriculum quoque ascendat.

Splen, Lien.

In sinistro hypochondrio Splen situs est, cava parte ventriculum amplectens, alligatus dorso et costis mendosis, conditus autem propter hanc praecipuam utilitatem, ut feculentum et limosum sanguinem excipiat, quam ob causam et vena grandiuscula ducitur a vena portae in splenem, qui canalis est huius limosi sanguinis. Adfluentem autem caro splenis rursus coquit, et ex meliore eius parte nutritur. Nam et arteriis ab aorta descendentibus calefit ac adiuvatur. Reliquum partim retinet, partim eructat in imum ventriculum, ut supra dixi, ex splene in fundum ventriculi venam duci, qua bilis atrae pars emittitur, ut inde ex corpore expelli possit. Quod vero alii de ramo in orificium ventriculi porrecto dicunt, commenticium esse existimatur.

Utile est autem huius visceris accidentia considerare, quia hominibus anxiis cura et dolore seu moestis crebro accidunt hypochondrii dolores, quos cum intelligunt, facilior est medicatio. Nec leve periculum est, huius morbi causas ignorantibus. Fiunt enim obstructiones in vena, quae ab epate ad splenem ducitur, propter quas cum purgari epar non possit, actio tota epatis impeditur, et paulatim epar corrumpitur, et fumi ascendunt in cerebrum, et errores in cerebro efficiunt. Hoc malum Arabes nominant Melancholiam Mirachiam. Cognita autem causa, occurri potest initiis. Ac multa digna admiratione in hoc morbo concurrunt. Talis est ordo in corpore humano, sicut in ira cor pellens sanguinem et effundens spiritus, simul ciet rubram bilem in vesica fellis. Ita contrario modo in moesticia, cum refugit sanguis ad cor, quod quasi compressum arefit, et consumptione spirituum languescit, cietur atra bilis in splene et effunditur. Haec ipsa effusio dolores efficit in hypochondriis, et facit obstructiones exitiosas. Sed initio moesticiae cordis repugnandum est, et diligentia adhibenda, ne intercludatur egestio. Haec ideo recitamus, quia usitatissimum est in moesticia hunc morbum et haec pericula accidere. Exempla adeo crebra sunt, ut hic nomina eorum recitare nolim, quos

vidimus hoc morbo laborare. Et quidam admoniti de causis, cum antea morbum non intelligerent, facilius postea liberati sunt.

Renes, *νέφροι.*

Adhuc recitamus membra, in quae evehuntur superfluitates, quae in epate primum sanguini mixtae sunt. Alimentum est sanguinis, subaquosus humor nondum percoctus, quem nominant utile phlegma, *καὶ καταφύσιν*, et vehitur una, ut vertatur in sanguinem et faciat tenuiorem, ut sanguis penetrare venas possit. Labitur autem simul excrementum ex tota massa sanguinea tenuissimum aqueum, cuius nulla est utilitas amplius propter nimiam tenuitatem, quod nominant serosam superfluitatem, *ὀῤῥῶδες περίττωμα*, quod est quiddam sudori simile, ut Graeci nominant *ὀῤῥὸν*, quod tantisper dum venit ad cavam venam, adiuvat transitum sua tenuitate. Postea vero cum ex epate ad cavam venam sanguis pervenit, iam haec serosa humiditas copiosa, quae fit urina, evehitur. Oriuntur enim a cava vena praeter alios ramos, et duo ampli rami, figura literae *λ*, qui nominantur venae emulgentes, quae hanc serosam superfluitatem segregatam a sanguine excipiunt, et ad Renes transmittunt. Simul autem aliquid sanguinis eo influit ad nutriendos renes, estque bilis admixta sanguini.

Tendunt igitur venae emulgentes ad duos renes, quorum alter sub epate, alter sub splene situs est. Estque eorum substantia carnea, solida, densa, ne dissolvatur ab aquosa et a biliosa superfluitate, et ut Galenus inquit, ne sanguis, quo renes nutriendi sunt, una cum aquosa superfluitate extillet. Additae sunt renibus maiusculae arteriae, quae spiritum et calorem suppeditant, ut renes percolare excrementum, et convertere sanguinem in nutrimentum possint.

Est autem in medio renum cavitas tanquam lacuna huius usus causa facta. Nam venae emulgentes non sunt in cavitatem demissae, sed statim ubi renum carnem attigerunt, sparguntur in multas exiles venas, quibus renes sanguinem illum aquae permixtum accipiunt, ut sanguine nutriantur, quo defecato, aqua et bilis in lacunam illam exudant. Ab ea lacuna inchoatur in quolibet rene longus canalis, descendens ad vesicam. Hi duo meatus nominantur *οὐρητῆρες*, id est, urinarii, quia per eos defluit urina in vesicam. Quae quia iam a sanguine segregata est, colorem aquae habet, sed a bile tingitur. Ideo nonnihil flava est et acris.

Ut autem in terra gignuntur saxa ex terra et humore pingui, seu magis, seu minus usto, vel ut in caminis coquuntur lateres. Ita in renibus ac plaerumque in lacuna, gignuntur calculi terrestri et glutinoso humore, qualis praecipue ex salsamentis aut frixis excoquitur. Inde cum subsidit in renibus coagulum, renes immoderate calidi tum natura, tum propter obstructionem, durant eam molem, sicut lateres igni durantur. Et quia in angustis illis cavernis, et postea in ureteribus nervi distenduntur, interdum etiam urina impeditur, laesio nervorum ingentes cruciatus efficit. Et quia hic dolor pervenit ad vicina membra, ventriculus etiam adficitur, et vomitus cientur. Haec commemoravi, ut studiosi considerent physicas causas, quomodo in renibus calculi generentur. Sunt autem renum officia, attrahere aquosam et serosam superfluitatem ex vena cava, et derivare urinam in vesicam.

Vesica, *κύστις.*

Ex renibus advehunt urinam duo canales, qui nominantur *οὐρητῆρες*, id est, urinarii, in vesicam, quae condita est, ut sit receptaculum paulatim excipiens destillantem urinam, ut collectam deinde effundat. Nam si haec superfluitas non eveheretur, cum corpus impletum esset, et redundaret, plaeraque membra rumperentur, imo suffocaretur homo compresso diaphragmate.

Nota est figura pene similis urnae, cuius fundus est amplior, deinde orificium angustius.

Sita est in viris iuxta rectum intestinum ad anum. Inde porrigit cervicem ad virgam. Sed in mulieribus magis supra os matricis collocata est. Et sunt in mulieribus breviores et ampliores urinae meatus, quare minus ibi adficiuntur calculi doloribus.

Constat autem substantia ex nervea membrana, intexto triplici genere fibrarum. Rectae enim attrahunt. Obliquae iuvant retentionem. Transversae expulsionem.

Sparsae sunt in eam et venae et arteriae quaedam. Cervix vesicae carnosa est, et habet anfractus, ut facilius retineat urinam. Habet et musculum unum involventem eius os, factum, ut cum volumus, urinam expellat.

Etsi autem proprie una est vesicae tunica, tamen eam circundat et alius panniculus a *περιτοναίῳ* ortus. Atque ita ureteres per utramque tunicam infixi et sparsi sunt, ut meatus non sint recte oppositi, ne retro fluat urina. Etsi autem in mortuis vestigia ureterum foris conspiciuntur, tamen intus membranae eas obducunt. Conspicitur autem patulum orificium, quod factum est ad emittendam urinam. Reliquis partibus undique clausa est adeo, ut ne quidem aër perspiret.

Utilitas vesicae est, ut dixi, paulatim excipere urinam, et collectam aliquantisper retinere, et deinde effundere.

Variis adfici morbis potest, et notabilis solutio eius laetalis est. Nascitur in ea calculus ex humore viscoso et terrestri, qui calore duratur, et fit calculus, ut supra dictum est. Accidunt vesicae et difficultates urinae emittendae, quae dicuntur *στραγγουρίαι*, ab *οὖρον* urina, et *στραγγίζειν*, quod est colare, et vi guttulas exprimere, *στράξ* enim gutta est. Sunt et aliae species vicinae stranguriae. Cum enim meatus in cervice, qua emitti urinam oportet, obstruuntur crasso et frigido humore, non potest emitti urina. Interdum aliis de causis hoc accidit, vel propter calculum, vel propter debilitatem virtutis expulsivae.

Vasa seminaria,
σπερματικὰ ἀγγεῖα.

Usitatum est ordiri descriptiones partium humani corporis, ab iis membris, quae facta sunt, ut nutrimentum praeparent et coquant. Etsi enim et horum fabricatio plena est artis et sapientiae, tamen aliquanto minor est in hoc opificio obscuritas, quam in coeteris. Ac saepe, cum nos ipsos et hanc fabricationem intuemur, de hoc praecipuo consilio architecti cogitemus, quare cum homo ad immortalitatem conditus sit, illi parti in qua fulgebit lumen sapientiae divinae, et ardebit amor Dei et iusticia in omni aeternitate, culina adiuncta sit, cuius tamen postea non erit usus. Nec vero dubium est, hanc esse causam, quia Deus in hac mortali vita inchoari vult illam aeternam sapientiam et iusticiam. Exuscitemus igitur nos ad illam inchoationem, et sciamus eos, qui haec initia iam negligunt, in omni aeternitate in horrendis cruciatibus futuros esse.

Est et hoc consilium considerandum, quod ideo nobis attributa est facultas generationis, quia vult aeternam Ecclesiam colligere ex genere humano hoc modo nato. Haec miranda consilia nunc quidem cogitanda sunt, et Deo gratiae agendae, quod se patefecit, quod ex hac massa infirma colligit aeternam Ecclesiam, quod nobis adest, nos fovet et exaudit, et non solum hanc totam rerum naturam nostra causa conservat, foecundat terram, et alit nos, sed multo magis, quod se ipsum nobis impertit. Omnino superant haec beneficia omnium cogitationem et eloquentiam. Sed tamen excitandae sunt mentes ad hanc considerationem, et dolendum, quod in hac caligine hanc Dei praesentiam minus aspicimus, et minus adficimur ipsius erga nos vero et ingenti amore.

Cum autem ita ordinaverit generationem, ut certas leges addiderit, et intelligi velit castitatem, et severissime prohibeat abusum seminis, et multa miracula generationi addiderit, reverenter hanc partem opificii in homine consideremus.

Semen animalis est utilis superfluitas ultimi alimenti sanguinei, per totum corpus dispersi, post quartam digestionem decisa, quae attrahitur a vasis seminariis, et perficitur et conservatur in testibus ad generationem. Ac postea de semine plura dicentur. Nunc tantum ideo recitata est definitio, ut de vasis, quae inde nomen habent, magis perspicue dici possit.

In dextro latere a ramo venae cavae infra dextrum renem oritur vena. Et non procul a ramo aortae descendentis oritur arteria, quae paulatim concurrunt, velut pyramidem efficientes, et ad dextrum testem descendunt. Ac similia duo vasa in sinistro latere oriuntur, ramus venae ab emulgente supra sinistrum renem, arteria vero inferius, quae ab aorta propagatur. Concurrunt autem et in hoc latere vena et arteria, et pyramidis specie descendentes, tendunt ad sinistrum testem, et vergunt harum pyramidum bases ad testes. Suntque involutae ambae panniculis, qui a peritoneo oriuntur. Hi canales ab utroque latere ducti, ut dixi, nominantur Vasa seminaria, quae attrahunt illam utilem superfluitatem ultimae coctionis, ac praeparant ad seminis naturam. Ideo et vasa praeparantia nominantur.

Et quia duriuscula sunt, non attingunt testiculos, sed aliud quoddam vas ceu vesicula ex panniculis quibusdam conditum est, quo involuti sunt testes, quod nominatur *ἐπιδιδυμὶς*, id est, involucrum testium. In hoc involucro, quod est mol-

lius, desinunt vasa illa descendentia, et per eius poros liquor destillat in testes, qui cum sint cavernosi et calidi, attrahunt et percoquunt semen, ut ibi albefiat et ibi accipiat virtutem generativam.

Quod enim Aristoteles existimat, testiculos tantum attrahere semen, ut eiiciatur, non conducere ad generationem, nec alterare semen, nec conferre ei virtutem generativam, id Galenus iuste reprehendit. Nam et natura calidi sunt testes, et arteriae vasorum spermaticorum transvehunt eo spiritum. Quare cum ibi seminis natura et virtus perficitur, tum demum habet virtutem generativam. Antea liquor ille paulatim in venis praeparatur, et adhuc rubet, et naturam habet sanguini propiorem. Deinde vero in testibus magis alteratur, et percoquitur, ac mutat colorem, et propriam seminis formam accipit.

Sciendum et hoc est, Hippocratis sententiam esse, semen oriri a toto corpore, sanum a sanis partibus, languidum a languentibus, sed plurimum a cerebro. Nam cerebrum maxime cognatum est naturae seminis, cum totum oriatur ex praestantissima parte seminis, plena spiritus. Est igitur inimicissima cerebro et perniciosissima, immoderata Venus. Verba in libro de semine, qui extat inter Hippocraticos, haec sunt: *χωρέει γὰρ τὸ πλεῖστον τοῦ γόνου ἀπὸ τῆς κεφαλῆς.* Regulare est morbos certorum membrorum in natos propagari, unde adparet materiam seminis ab illis membris parentum quoque ortam esse.

Cum autem testes, qui sunt velut spongiosi, percoxerunt semen, rursus in illud involucrum, quod vocatur *ἐπιδιδυμὶς,* exudat, quia et calore testium et suo spiritu incitatur. Est enim semen plenum spiritu.

Ab involucro vehitur in vasa, quae vocantur *παραστάται,* propter similitudinem. Nam *παραστάται* significant columnas iuxta se collocatas. Ita ascendunt a testibus ad virgam duo glandulosi et cavernosi canales, qui excipiunt et retinent semen. Ideo adpellantur vasa conservantia.

Testes vocantur *δίδυμοι*, id est, gemelli.

Cutis extrema quae continet testes, vocatur *ὄσχεον,* latine Scortum, quod vulgo non recte scrotum dicunt.

Virga, *καυλός.*

Matrix, *μήτρα.*

Partes habet duas. Receptaculum, factum ut foetum continere possit, idque vocatur *ὑστέρα.* Altera pars est angustior, quae est aditus longiusculus. Ideoque collum matricis dicitur. Et quoniam receptaculum amplius est, qua parte versus collum tendit, sunt addita cornua, ut quasi Lunae crescentis figuram referat. Nam haec cornua sunt ligamenta, quae matricem alligant coxis.

Habet et mulier testiculos, sitos iuxta haec cornua utrinque, minores virilibus et frigidiores, sed tamen semen quoddam generantes, quod est quidem tenuius virili et subaquosum, sed tamen in procreatione foetus, miscetur virili semini, eique velut alimentum est, ut Galenus inquit, ut augeat virile semen, et foetus ex utroque procreetur. Nam utrumque semen et active et passive se habet in generatione foetus. Multum in utroque spirituum inest, sed virile cum sit calidius et minus rarum, magis se active habet.

Amplectitur autem tota matrix foetum, nec distincti sunt in ea sinus, ut alii narrant. Sunt autem in pecudibus orificia venarum in matrice undique sparsa, tali figura, qualis fit cavitas, pisis in ceram impressis. Haec orificia propter figuram nominantur *κοτυληδόνες.* Quia ut amplecti possint fibras, quibus foetum in utero et retinent et alunt, figura ad prehendendum idonea condita est, qualis est seu cotulae mensurae, seu pedum polypi.

Hae sunt, ut dixi, in pecudibus magis conspicuae. Sed in utero muliebri non cernuntur tam expressa orificia, sed tanquam exilia puncta, quia meatus aliquos esse oportet, per quos venae et arteriae advehant sanguinem puriorem matrici, et per quos vicissim hauriant mamillae partem sanguinis ex utero, quae in lac mutatur, sicut inquit Hippocrates, Lac menstruo fraternum esse. Sunt igitur hi usus cotyledonum, adferre sanguinem puriorem matrici, alere foetum, et secundinam apprehendere, ut foedus in utero firmius retineatur, et vicissim ad mamillas transfundere partem sanguinis ex utero, ut in lac vertatur.

Variis morbis adfici matrix potest, quos recitare non est huius loci. Plato eam nominat Animal, quia cum sit nervosa substantia, et mirificam cognationem habeat cum cerebro, adficitur odoribus, et variis motibus agitatur, qui tamen ei per accidens eveniunt.

Involucra foetus.

Tria sunt involucra foetus. Extremum, *χόριον*, simile fasciae, attingens proxime superficiem cavam matricis, et excipiens orificia venarum seu *κοτυληδόνας*, quae adprehendunt hanc fasciam, in quam et a foetu tendit *οὐραγὸς*, id est, meatus, qui ab infantis umbilico oritur, per quem tunc foetus alitur. Ita prima fascia prehensionis et nutritionis causa condita est.

Media fascia nominatur *ἀλλαντοειδής*, id est, similis farcimini, condita, ut urinam excipiat, quae primis mensibus per *οὐραγὸν* effunditur, postremis vero mensibus per virgam. Quia enim foetus nondum alitur per os et oesophagum, nondum fiunt egestiones ex ano, sed cum fiat nutrimenti transvectio per *οὐραγὸν*, primum inde et superfluitas urinae modo extillat, postea et per virgam emittitur. Ne autem rodat et laceret teneram cutem in foetu, hic secessus ordinatus est. Et tegitur foetus tertia pelle, quae est proxima foetui, quae nominantur Agnina, *ἀμνεῖος*, quia tenerrima est. Non igitur attingit urina foetum tectum fascia agnina, sed in mediam pellem effunditur.

Hactenus recitata est descriptio infimi ventris, qui continet organa propria nutritionis et generationis, quae sunt velut oeconomica pars in homine. Nunc dicemus de aliis partibus, quae sunt fontes actionum, quae magis propriae sunt hominis, videlicet cogitationum, motus et adfectuum.

Nominatur autem venter medius illa pars, quae intra thoracem continetur, continens Cor, Pulmonem, organa respirationis et vocis. Haec pars quasi involuta est panniculo seu lacerto, qui adpellationes antiquas habet multas, nominatur enim graece *διάφραγμα* et *φρένες*, latine Septum transversum et Praecordia. Et Plato inquit: Sicut in aedificiis distinctae fuerunt interstitio habitationes virorum et mulierum, ita *φρένες* sunt interstitium inter partem praestantiorem seu magis virilem, et alteram inferiorem, quae est tanquam culina. Enarratum est et supra vocabulum *φρένες*, ubi et Homeri dictum de Cyclope recitatum est. Ideo hic omitto longiorem de eo commemorationem.

Est igitur *διάφραγμα* substantia carnea, duabus contexta membranis, dorso circa duodecimum spondylum alligata, ascendens autem in parte anteriore usque ad cartilaginem, quae nominatur *ξιφοειδής*, ubi ossibus pectoris in imo alligatur.

Foramina tria habet. Unum in dextro latere, quo transmittit venam cavam, unde sanguis ad cor transvehitur.

Secundum foramen aliquanto inferius altero, in latere sinistro transmittit oesophagum ad ventriculum.

Tertium vero vicinum duodecimo spondylo, transmittens ramum aortae descendentem et venam, *ἄζυγον*.

Utilitates multae sunt. Praecipua est, quod munit illas generosas partes. Altera, quod movet thoracem, ideoque musculosa substantia est, et motu thoracis iuvat respirationem. Fit enim attractio aëris, cum superior pars pectoris dilatatur, facta contractione diaphragmatis versus centrum. Rursus fit expulsio, cum a centro laxatur diaphragma. Tertia, ut suo motu iuvet intestina ad expulsionem.

Mirum est quod narrat Plinius, gladiatores diaphragmate vulnerato mortuos esse risu. Ideoque diaphragma sedem esse risus arbitratur. Quia enim multum habet nervorum, titillatio ciet ibi sensum acriorem. Est enim risus dilatatio orta ex acriore sensu nervorum.

De Panniculo qui nominatur Mediastinus.

Antea de diaphragmate dixi, quod et magnitudine et usu conspicuum est, quia septum est inter imum thoracis et culinam. Postea nominantur Mediastinus et Tunica cingens costas.

Sed mediastinus gemini panniculi sunt, versus dorsum contigui, distantes vero anteriori parte, dividunt autem pectus secundum longitudinem per medium in dextram et sinistram partem. Et intra hos duos parietes sunt capsula cordis et cor, et venae cavae alveus in dextrum sinum cordis insertus. Dividunt et pulmonem, ut gemina sit spirationis copia, ut altero latere languefacto, tamen alterum sit in officio.

Vocabulum rediastini recens est. Pro hoc veteres nominaverunt haec interstitia *διαφράττοντας*, id est, membranas intersepientes.

De Tunica cingente costas, quam recentiores nominant Pleuram.

Intra diaphragma est panniculus totum thoracem tegens, qui nominatur Tunica cingens co-

stas, et vulgo Pleura. Subtilis et nervosa substantia est, extensa, ut introrsum vestiat costas et musculos inter costas. Hoc loco morbus oritur *πλευρίτις*, cum adfluunt humores ad musculos illos seu membranam, et ibi inflammantur et putrefiunt. Sequuntur autem febres ardentissimae, quia pars adfecta non procul distat a corde, et colligata est cum diaphragmate, quod cum sit vicinum, incalescit, et motu suo auget inflammationem.

Περικάρδιος χιτών, Capsula cordis seu Involucrum cordis.

Proximum domicilium cordis est, quod recentiores nominant Capsulam cordis, Galenus *περικάρδιον χιτῶνα*, et multi Involucrum cordis. Est autem membrana simplex, nullis intertexta fibris, sed firma et valida, figura nucis pineae, intus cavitatem habens, quae cordis domicilium est, orta ab ipsis venarum et arteriarum tunicis, quae per hanc membranam ducuntur, alligata parietibus mediastini et diaphragmati firmis nexibus. Hoc involucrum munimentum est cordis, in quo ita latet, ut intervallo certo distet undique cor ab ipso, ita ut nec ipsi adhaereat, nec alterum ex altero natum sit. In hac arca existimant seu aquam seu madorem rori similem esse, qua sit opus ad cordis irrigationem in tam adsiduo motu et tanto calore. Qua aqua exhausta cor contabescit, idque fieri in moesticia scribitur, ut Marchioni Casimiro mortuo cor exemptum aiunt simile fuisse pyro tosto.

Cor.

In hac arca pendet hic vitae dominus, Cor, liberum a reliquo corpore, cui vitam largitur, nisi quod ei adiunctum est per venas, arterias, et nervos, quibus tanquam canalibus utitur, partim, ut aliena beneficia accipiat, partim, ut sua inde effundat.

Substantia autem cordis est proprii cuiusdam generis caro, dissimilis carni in reliquo corpore spissa et bene compacta, intextis fibris seu villis arctissime intricatis, non ut diserte distingui possint, ut in aliis corporis partibus.

Figura cordis pyramidem utcunque imitatur, sed basi latiore ac gibba. Lusit Plato de figura, ideo similem esse pyramidi, quia cum sit igneae naturae, flammarum pyramides referat. Etsi autem de hac causa nihil adfirmari potest, tamen architectus non temere hanc figuram elegit, quae inter solidas prima est, et ad hunc motum congruentior.

Situs est, ut basis, in qua generosissimi thalami sunt, exquisite medium pectoris teneat, mucro autem erigatur nonnihil ad sinistrum latus, et ne occurrat ossibus pectoris, et ut sinistro lateri plus caloris tribuat, cum dextrum adiuvetur calore epatis.

Duo sunt autem cordis ventriculi seu thalami, seu sinus. Inter hos interstitium est, quod distinguit thalamos. Hoc interstitium cum sit crassum et firmum, et oculis conspiciatur, non recte dici tertium ventrem facile iudicari potest. Ac ne quidem conspici meatus per hoc interstitium facti possunt, sed exudat sanguis in alterum ventriculum per angustissimos poros.

Est autem dextri thalami haec utilitas, excipere ex cava vena sanguinem eo influentem, qui ibi praeparatur, et in duas partes distribuitur. Altera pulmonem alit, altera subtilior exudat in sinistrum thalamum, et in spiritus vitales convertitur.

Duae sunt autem venae infixae dextro ventriculo: Cava scilicet, quae est canalis sanguinis ab epate transmissi. Sparguntur autem et ab hoc ipso canale in summa basi exiles rami, coronae specie, qui sanguinem vehunt minus subtilem, quo proprie cor nutritur. Altera vena in dextro ventriculo ex ipso corde oriens, nominatur vena *arterialis*, quia tunicas habet crassiores et arteriis similes, qua in pulmonem vehitur sanguis subtilior, qui exhalaret, nisi vena munitior esset.

Sinister vero thalamus longe praestantior est, et officina eius operis, quod praecipuum est cordis. Gignit enim spiritus vitales ex sanguine subtilissimo, qui ex dextro sinu eo exudat. Est autem spiritus vitalis lucidissima et vivifica flamma, similis naturae coelesti, quae calorem et vitam in totum corpus perfert, et praecipuarum actionum organum est.

Nascuntur in hoc ipso ventriculo duo canales grandiusculi: Arteria aorta, quae omnium arteriarum in toto corpore stipes est, per quas tanquam per alveos praecipuum cordis beneficium in omnes corporis partes manat, videlicet halitus ille, seu vivifica flamma, suo calore fovens omnia membra, et actiones adiuvans.

Etsi autem existimo, arterias dici ab ἀρτάω, quod firmiuscule compactae sunt, et venas secum suspendunt, nam adiunctae venis sparguntur in totum corpus: tamen et hanc etymologiam recitemus ex officio fictam. Scribunt enim dici arteriam, ab ἀὴρ et τηρῶ, quasi custodem aëris et spiritus. Aorta significat Macedonica consuetudine vaginam, unde propter similitudinem translata est adpellatio ad hunc arteriarum truncum, propterea, quod sit canalis aliquanto firmior et densior, quam venae, et ut ita dicam, vaginae similis. Galenus inquit, Aristotelem huius adpellationis autorem esse. Apud Homerum Odysseae ρ′ in descriptione perae nomen est ἀορτὴρ pro circulo, a quo pendebat pera.

Scinditur autem aorta paululum extra cor porrecta in duos grandes ramos, quorum alter adscendit, ut spiritum vitalem superioribus partibus corporis advehat, alter descendit aliquanto grandior. Occurrunt autem ramis venae cavae, cum quibus simul per corpus sparguntur. Raro enim sunt arteriae solae, non adiunctae venis.

Ac iucundum est considerare consensum venarum et arteriarum, et mutua officia. Nam arteriae venis adiunctis per angustissimos poros ac meatus impertiunt spiritum, qui calore vitali sanguinem exuscitat, percoquit et conservat. Rursus etiam arteriae hauriunt aliquantulum sanguinis ex venis, quo vehitur, rigatur et augetur spiritus. Ideo inquit Galenus: *Συνανεστόμωνται μὲν καὶ ἀρτηρίαι ταῖς φλεψὶ καθ᾽ ὅλον τὸ σῶμα.* Illustre autem exemplum nobis in hac imagine propositum est mutuae communicationis, sine qua conservari natura non potest.

Dixi brevissime de aorta. Oritur autem ex sinistro ventriculo cordis et alius canalis, qui nominatur Arteria venosa, et porrigitur in pulmonem. Differt autem non solum figura, sed etiam usu a vena arteriali, de qua supra dictum est. Nam vena arterialis ex dextro ventriculo sanguinem vehit in pulmonem nutriendi eius causa. Sed hic canalis sinistri thalami ex pulmone adfert aërem refrigerandi cordis causa. Adfert enim trachea aërem in pulmonem et iunctos ramulos arteriae venosae, qui angustis orificiis aërem excipiunt, ut ad cor transmittant. Rursus a corde evehit haec arteria fumos et aërem nimis calidum, etsi una advehit pulmoni spiritus et arterialem sanguinem, ad calefaciendum pulmonem.

Ad hunc usum et figura accommodata est. Non enim perinde densa est, ut coeterae arteriae, sed constat una tunica, ut facile dilatari et constringi possit, ad exhalandum et recipiendum aërem, praeterea ut facile exudet sanguinem halituosum, neve duricie impediat motum pulmonis. Ideoque nominata est arteria venosa. Est enim condita praecipue aëris et spiritus vehendi causa, et tamen figura imitatur gracilitatem venarum.

Aliae sunt minutae particulae cordis, quarum fabricatio tamen causas habet.

Auriculae duae additae sunt. Altera dextra, ubi cava vena sanguinem in cor infundit. Huic orificio addita est membrana, quae sinus et anfractus habet. In hos spargitur aliqua pars sanguinis, quam cor proxime haurit, ne vehementiore attractione cava vena rumpatur. Sicut in tota machina humani corporis opifex cavit, ne subito magnae moles transfundantur, sed ubique moderationem et contationem amat, et paulatim facit tanquam instillationes.

Sinistra vero auricula adiuncta est arteriae venosae, ut contantius fiat aëris transfusio.

Dixi brevissime de auriculis.

Reliqua sunt hostiola, omnibus addita canalibus, adeo exilia, ut difficulter oculis iudicari possint. Quatuor canales, quos recensui, videlicet Cava vena, et vena Arterialis in dextro ventriculo. Deinde in sinistro Aorta et Arteria venosa, tenuissimis pelliculis clauduntur et aperiuntur, et quidem singulis propria sunt huiusmodi opercula. Hae pelliculae dictae τριγλώχινες, quia similes sunt cuspidi habenti tres pinnas, non solum hunc usum habent, ut prohibeant, ne nimium influat aut effluat, sed etiam organa sunt attractionis. Nam motu cordis tensae, tendunt et ipsae canalium tunicas, ut sanguinem, spiritum, et aërem, quem continet, pellant.

Hactenus de aedificio cordis pauca diximus. Nunc considerentur utilitas et motus.

Prima et summa utilitas est, quod reliquo corpori fons et initium est vitae et caloris vivifici, sive haec discernas, sive idem esse dicas. Deinde spiritum et hunc vivificum calorem in totum corpus spargit. Ideo inquit Aristoteles: *Καρδία ἐστὶν ἀρχὴ βίου πᾶσι μέρεσι, καὶ μεταδιδοῖ θερμασίαν βιωτικὴν πᾶσι, καὶ πνεῦμα τῷ ἐγκεφάλῳ καὶ ἥπατι.*

Secunda utilitas, quod spiritus geniti in corde, cum postea cerebri vi temperantur, fiunt instrumenta proxima actionum in cerebro et in nervis, et cient cogitationem, sensum et motum. Cum autem vita sine cogitatione, sensu et motu similis morti esset, intelligi potest, magnam esse cordis utilitatem, cum fons sit spirituum, qui harum summarum actionum proxima instrumenta sunt.

Tertia utilitas est, quod cor non solum sedes est adfectuum, sed fons etiam et propria causa. Talis est autem natura hominis, ut vita sit laeticia quaedam. Moesticia vero destructio. Ut igitur vitae initium cor est, ita sedes est propria laeticiae et moesticiae. Ac Deus haec mirando consilio, ut postea dicam, hoc modo condidit, quia vult in corde sentiri gaudium bonae conscientiae et poenas scelerum.

Quanquam autem cor sentit suaves et insuaves motiones per nervos, qui a sexto pari nervorum cerebri in cor deducti sunt, tamen sua quaedam est natura cordis, qua ciet adfectus, laeticia fruitur, et contabescit dolore.

Sunt autem haec in vita praecipua: Sensus, Cogitatio, Motus, laetari rebus convenientibus, aut dolere adversis. Horum ultima propria cordis esse fatemur. Itaque ad hunc usum principaliter conditum est cor, ut domicilium Dei sit, et divina laeticia refertum perpetuo vivat.

Hanc mirificam operis varietatem, et haec Dei consilia, foris et per densam caliginem aspicientes, obstupescimus, ac dolemus, nos non penitus introspicere naturam, et causas videre posse. Sed tunc demum, cum idaeam naturae in mente divina cernemus, totam hanc machinam velut intus aspiciemus, et opificis consilia et causas omnium operum divinorum intelligemus. Nunc inchoata hac consideratione Deum architectum agnoscamus, et illius perfectae sapientiae desiderio accendamur.

De motibus cordis.

Brevissime recitavi utilitates, quarum magnitudo superat omnium hominum sapientiam et eloquentiam. Pauca etiam de motibus addenda sunt.

Duo sunt autem genera motuum, qui cordi secundum naturam competunt, seu qui sunt *ἐνέϱγειαι*. Pulsus videlicet, et Adfectus. Nam tremor non est *ἐνέϱγεια*, et prorsus violentus est, incussus aliunde, nec adiuvatur cordis inclinatione.

Est autem Pulsus motus cordis, quo dilatantur et contrahuntur ventriculi cordis, ut attrahere aërem et exhalare possit, item ut generet ac transmittat spiritus. Nam cordi refrigeratione opus est. Et mira copulatio est aëris cum nostris corporibus. Ut enim nutrimur rebus natis ex quatuor elementis, quia ex his et nostra corpora conflata sunt, ita cum in aëre versemur, plurimum haurimus aëris, et hic temperat lucidissimam flammam, quae est spiritus vitalis.

Praeterea nec percoqui spiritus sine motu potest, nec in arterias expelli.

Fit autem haec dilatatio et contractio *διαστολὴ καὶ συστολή*, sua quadam cordis natura, nec regitur a cerebro aut nervis. Sed propriae sunt cordis fibrae, huius motus rectrices. Nec plura hic addam de differentiis, tantum brevissime admoneo iuniores, ut cogitent, necessitatis seu vitae causa, ad hos usus pulsum institutum esse, quia hoc motu attrahitur et expellitur aër, et adiuvatur generatio et transmissio spirituum.

Alter motus in corde nominatur Adfectus, qui cogitationem sequitur, et accenditur noticiis, estque totius cordis vel dilatatio, ut in laeticia, qua cor sentit voluptatem seu suavitatem, vel compressio, ut in moesticia, qua cor non sentit suavitatem, sed dolorem, et torrefit ac destruitur. Etsi autem ad hunc sensum voluptatis et doloris nervi concurrunt, tamen natura cordis proprie adfectuum causa est.

Multa sunt autem miracula in hac re. Quomodo enim feriri corda noticiis possunt? Aut quae vis est cerebri et spirituum ferientium corda, ut tam varii motus cieantur? Hic ostendere aliam causam non possumus, nisi quia sic condita est natura, ut talis sit cerebri et cordis consensus ac *συμπάθεια*. Voluit Deus lucere suae sapientiae radios in cerebro nostro. Cum his et corda congruere voluit, laetantia agnitione Dei, et ipse adesse in cordibus nostris, tanquam in sede sua voluit, et perfundere nos sua luce et laeticia. Haec minus intelligimus, quia prima cerebri et cordis harmonia, quam Deus condidit, turbata est. Nunc igitur ita disputant, adfectus comitantes noticiam, ut iram, incendia amorum, laeticiam, spem, metus, hoc modo excitari, quia cor feri-

tur spiritu a cerebro misso. Sed explicatio facilior est iis, qui dicunt, cor domicilium esse proprium substantiae animae.

Pulmo, *πνεύμον*.

Quo consilio natura circumdederit cordi pulmonem, officia eius declarant. Concinne enim vocat Pulmonem Plato *ἅλμα μαλακὸν,* molle ventilabrum cordis, breviter et substantiam et officia significans.

Est enim substantia pulmonis, caro aërea, rara, mollis, spongiosa, similis coagulatae spumae sanguinis, intextis in eam carnem tribus fistulis, quae velut rete per totum pulmonem sparsae sunt. Nam trachea arteria, quae grandior est, pulmoni inseritur, cui occurrunt duo canales ex corde emissi. Vena arterialis nutrimentum adferens pulmoni, et arteria venalis, aërem in pulmone excipiens, et ex corde fumos evehens et arterialem sanguinem. Hi canales spargunt exiles surculos per totum pulmonem. Et quia adsidue hauritur et emittitur aër per tracheam arteriam, et per arteriam venalem, continui sunt motus pulmonis dilatatio et constrictio. Ac primum in pulmone praeparatur aër, qui in cor transvehendus est. Mirum est autem, cum adsiduus sit pulmonis motus, tamen non alligatum esse ad thoracem, nec thoracis motu trahi. Movetur autem ratione vacui, ut sit agitatio mollior, cum cedit thorax, qui a diaphragmate movetur. Et fortassis adiuvant pulmonis motum halitus a corde venientes, et ipsa aëris copia, qui et influit et exhalat.

Figura pulmonis imitatur ungulam bovis, quia in duas partes a mediastino dividitur, et singulae in imo binos lobos habent.

Utilitas pulmonis duplex est. Factus est enim et spirationis et vocis causa. Spiratio cordi necessaria est. Adfert enim pulmo cordi aërem, qui mitiget calorem cordis et spirituum. Et hunc aërem antea praeparat. Cor enim laederetur, si penetraret ad ipsum aut aër frigidor, aut nimis copiosus. Suffocaretur autem cor copia spirituum et fumosi aëris, nisi rursus fieret exhalatio. Ideo et per pulmonem rursus emittitur fumosus aër, ideoque pulmo capax est multi aëris, ut paulisper omissa spiratione, tamen cor accipiat et reddat aërem. Ac si deesset pulmo, brevi intervallo omissa spiratione suffocarentur animantia. Ita spirationis causa pulmo factus est. Nec addo hic disputationem de piscibus, quos dicunt non spirare, cum pulmonem non habeant, qui tamen attrahunt et emittunt aërem per bronchias, ut alibi dicitur.

Altera utilitas pulmonis est insignis, quod servit formandae voci. Ut enim in fistulis hoc modo fiunt soni, cum inspiratum aërem lingua tanquam plectro formamus, ita propemodum fit vox humana. Pulmo ceu utriculus motus aërem reddit tracheae. Hunc cum formant circuli in trachea, et lingula, quae nominatur *γλωττὶς,* fieri vocem experimur.

Aspera Arteria, *τραχεῖα ἀρτηρία*.

Fistula a faucibus ducitur ad pulmonem, quae ad geminos usus condita est. Cum enim ut supra dictum est, cordi opus esset aëris attractione et expiratione, hic canalis factus est, ut aërem ore et naribus acceptum, transmittat ad pulmonem, et inde rursus exhalant fumi cordis, ut dictum est.

Simul autem haec ipsa fistula instrumentum est formandae vocis, nam ad vocem opus est aëre, quo haec fistula abundat, et motu, quo aër in hanc fistulam impellitur compressione pulmonis. Itaque loci et partium opportunitas fuit in causa, ut haec fistula fieret etiam vocis organum.

Consideremus autem consilium architecti, qui sicut oratores proxime adiuncti sunt regibus, ita cordi vocis organum addidit, quia si natura integra esset, pulcherrimus consensus esset cordis et vocis. Cor ardens luce et amore Dei, patefaceret divinos motus voce celebrante Deum. Et erga homines vera et iusta dicendo congruerent cor et vox.

Figura autem haec est. Arteria trachea ceu fistula et mucronis figura descendit in pulmonem, in quo finditur in duos ramos. Ab his deinceps in ipso pulmone oriuntur innumerabiles fibrae. Est autem composita trachea, partim ex cartilaginibus, partim ex membranis. Oportet enim moveri tracheam, cum accipit aut emittit aërem, et laxari in expiratione, et astringi in inspiratione. Ideo fabricanda fuit ex mobilibus membranis, quae sunt mollia ligamenta.

Rursus quia est organum vocis, admiscendae fuerunt cartilagines, ex quibus annuli in tra-

chea facti sunt, et iuncti propemodum, ut circuli iunguntur in cauda cancri. Horum asperitas et varietas ad vocem formandam necessaria fuit. Non enim fieri potest vox, nisi aër in aliquo repercutiatur.

Vestiunt autem tracheam panniculi, quorum is qui intus tegit cartilagines, durior est, ut muniat eas, ne arrodantur ab acribus fumis et catarrhis.

Iam vocabula totius fistulae, et partium consideremus. Totus hic canalis a nodo gutturis in pulmonem porrectus, nominatur Arteria Trachea, propter asperitatem cartilaginum, quae intus velut annulis distinctae sunt. Est et totius fistulae nomen *βρόγχος*, ut expresse inquit Galenus in pluribus locis. Cuius haec sunt verba in septimo libro de administrationibus anatomicis: *ὅλην αὐτὴν τὴν τραχεῖαν βρόγχον καλοῦσιν.* Significat enim bronchum asperum et scabrum, sicut Plinius ait lib. 11.: Senectus in equis intelligitur dentium bronchitate.

Cacumen huius fistulae, quod Latini nominant Nodum gutturis, graece est proprie *λάρυγξ* et *κεφαλὴ βρόγχου.*

In huius fabricatione ars miranda est. Constat tribus cartilaginibus, quarum anterior, quae maxima est, scuto similis, dicitur *θυρεοειδὴς,* id est, scuto seu peltae similis, quae in collo eminet, et digitis contrectatur.

Secundae cartilagini vetustas non fecit proprium nomen. Est autem retro posita, ubi laryngem discernit ab oesophago, et quasi munimentum est contra oesophagum, ne in deglutiendo trachea laedatur. Similis est annulo, qui in pollice gestatur.

Tertia cartilago est intra alteras duas, rimam constituens, et propter figuram nominata *ἀρύταινα,* seu *ἀρυταινοειδὴς,* id est, rostro fusorio similis in urceis, aut cantharis quibusdam. Notum est enim *ἀρύταιναν* a Graecis nominari talem cyathum, qui velut rostrum habet, quales sunt in myropoliis, quibus funditur oleum. Recentiores nominarunt hanc tertiam cymbalarem. Id nomen non videtur a figura sumptum esse, sed quia vocis organum est.

In medio igitur huius tertiae cartilaginis profunda Rima est, quae nominatur *γλωττὶς,* quia propriissimum vocis organum est, ac latera contrahuntur et dilatantur peculiaribus musculis. Adiuvant autem hanc contractionem et dilatationem musculi, qui coeteras cartilagines connectunt. Ita variatur vox, ut sit acuta aut gravis, clara vel obscura, hac ipsa contractione laterum, quae constituunt illam rimam. Eam varietatem fistulae non possunt efficere in ipsa rima, seu lingula, sed foramina fistulis addita sunt ad eam varietatem efficiendam.

Supra hanc rimam operculum est laryngis, quod nominatur *ἐπιγλωττὶς,* quod est corpus cartilagineum, figura trianguli, duriusculum, factum, ut arceat cibum et potum, ne quid illabatur in tracheam arteriam. Singulari enim consilio Deus hos canales, oesophagum et tracheam distinxit, et periculi magnitudo ostendit, velle Deum, ut inter edendum quietiores et taciturni simus. Quia cum vox editur, hiat operculum tracheae, in quam cum infunditur vel exigua massa, nisi statim reiiceretur, secutura esset suffocatio. Et hoc periculum eo facilius accidit, quia trachea collocata est ante oesophagum.

In hac partium et nominum recitatione multi errarunt ante Wesalium, qui recte taxavit priorum errores, et depravatos Galeni libros emendavit, in quibus promiscue scripta fuerant haec duo nomina *γλωττὶς* et *ἐπιγλωττὶς.* Sed rerum diversarum diversas adpellationes esse, Wesalius perspicue ostendit.

Ac ut magis nota sint iunioribus discrimina oesophagi et tracheae arteriae, considerentur usus, situs, substantia et longitudo.

Usu differunt, quia oesophagus est canalis cibum et potum vehens in ventriculum. Sed trachea canalis est, factus spirationis et vocis causa.

Situ differunt, quia trachea in anteriore parte colli posita est, ut recta tendat ad os hauriendi aëris causa. Oesophagus autem in posteriore parte colli est, et magis latet, ut plus contineat caloris. Descendens autem nonnihil flectit se ad dextrum, ut cedat locum aortae. Rursus autem ad sinistrum reflectitur, cum fere accessit ad diaphragma, ut cedat locum venae cavae. Ita velut servus officiose cedit praestantioribus membris. Sed anfractus illi prosunt, ut hoc membrum fulciant, et nervos excipiant, item ne impediatur deglutiens.

Substantia differunt. Nam trachea est ex cartilaginibus, ut dictum est, ut sit firmior ca-

nalis, nec toto suo corpore coëat, sed maneat meatus aëris in spiratione. Oesophagus vero quanquam nervea membrana est, tamen est substantia mollior quam trachea, et astringitur suis villis, cum est inanis.

Longitudine differunt. Trachea enim multo brevior est, quam oesophagus, qui sub diaphragmate attingit ventriculum. Trachea vero sub surculis inseritur pulmoni.

Etsi autem puerilis est disputatio de dicto Platonis, qui ait, tracheam canalem esse potus, tamen ne sit ignota iunioribus, hic breviter inserenda est, praesertim cum a Plutarcho, Gellio et Macrobio agitata sit. Manifestum est tracheam tantum esse aëris meatum. Ut autem cibus per oesophagum in ventriculum vehitur, ubi coctionis initia sunt, fitque postea alia coctio in epate, ita et potus eadem via in ventriculum et epar defluit, et ut pars nutrimenti coquitur, ac in sanguinem vertitur. Relinquenda est igitur inepta opinio, quae finxit, tracheam esse canalem potus.

Quod vero poëtarum dicta citantur de rigando pulmone, facilima est explicatio. Certe opus est pulmoni et nutrimento et rigatione. Sed ut supra dicitur, manifestum est nutriri et rigari pulmonem per venam arterialem, quae subtilem sanguinem vehit in pulmonem. Sanguis autem ex cibo et potu antea in epate natus est. Harum actionum ordinem esse non negant poëtae, cum dicunt, vino rigari pulmonem. Verba Alcei recitantur a Plutarcho, quae mendose scripta sunt in codicibus Gellianis, et rectius sic leguntur: *Τέγγε πνεύμονας οἴνῳ, τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται,* Humectato pulmonem vino, Sol enim circumvolvitur, id est, non iam ascendit, sed flectitur ad occasum.

Cum igitur cor accensum sit, et pulmo arefactus diurno aestu et labore, tum a meridie corporibus quies concedatur, et cibo ac potu reficiantur vires et spiritus, et rigatione humectentur et refrigerentur cor et pulmo. Notum est enim quod fuerit coenae tempus veteribus.

Sic et Euripidis versus intelligatur de rigatione, quae fit ordine per coeteros meatus. *Οἶνος περάσας πνευμόνων διαῤῥοιάς.* Vinum penetrans pulmonum meatus, scilicet eo ordine, quem natura attribuit nutrimento. Alii quaerunt subtiliores interpretationes, quas omitto.

Θυμός.

Donec in descriptione pectoris versamur, est et parvae cuiusdam particulae mentio facienda, quae nominatur *θυμὸς*. Est autem *θυμὸς* sub iugulo circa pulmonem glandulosa caro substrata ascendentibus venis et arteriis. Fortassis autem ideo sic nominatur, quia in iratis incensi spiritus ibi ascendunt, qui quidem pulmonem et caput inflammant, ut videmus, iratis rubescere oculos et totam faciem. Ac in ea ipsa parte, quae *θυμὸς* nominatur, interdum valde irati sentiunt acutissimas punctiones, propter concursum spirituum vehementiorem et quasi aestum et Euripum.

Lingua.

Ante laryngem positum est os bifurcatum, quod et munit cartilagines laryngis, et basis est, cui alligata est Lingua per plurimos musculos. Galenus nominat *ὑοειδές,* a figura literae *υ*. Alii nominant *λαβδοειδές*. Nam et *λάμβδα* duos habet ramos. Si enim uni tantum ramo alligata esset lingua, moveretur inaequaliter, trahereturque tota ad unum latus. Ut igitur aequaliter agitetur lingua, duo eam rami sustentant, supra quos libratur, ceu machinae fulcris impositae. Herophilus nominat *παραστάτην,* sicut in aedificiis usitatum fuit duas columnas vicinas nominare *παραστάτας*.

Est autem lingua caro musculosa, sed mollis, rara, fungosa, plena nervorum, arteriarum et venarum, abundat nervis propter multiplices et varios motus, ac propter duos sensus, gustum et tactum. Et quanquam iidem nervi utrumque sensum impertiunt, gustum et tactum, tamen ab his distincti sunt nervi, qui motum praebent. Ideoque percussi in cervice interdum fiunt muti, etiamsi non amittant gustum, laesa videlicet nervorum origine, qui sunt instrumenta motus.

Arteriis autem abundat, quia opus est linguae multo spiritu et calore, propter tantam motus varietatem.

Abundat et venis, ne desit ei nutrimentum. Ac humiditas addita est, ne arescat lingua adsiduitate motus. Quanquam igitur excrementum est saliva, tamen aliqua eius utilitas est, ut linguam madefaciat. Nam saliva excrementum est phlegmatis, destillans partim ex cerebro in fauces, partim ex ventriculo exaestuans. Foramina enim condita sunt in osse basilari, quod inter palatum

est et nares, tum aëris hauriendi causa, tum ut per ea destillet saliva. Quam ob causam haec foramina colatorium nominant.

Brevissime diximus de miranda linguae fabricatione, ut praecipua quaedam opera in ea iuniores considerent. Sed musculorum ars in ea non satis explicari potest, quibus varie tenditur. Multo minus causa ostendi potest alia, cur linguae motu ceu plectro, in homine dissimilia verba formentur, quae sunt notae picturaeque rerum et cogitationum, nisi quia Deus hoc modo naturam hominum condidit, cuius celebremus sapientiam, et ei gratias agamus, quod propter utilitates plurimas sermonem homini attribuit.

Utilitates igitur linguae humanae sunt tres. Format sermonem, hoc est, articulatam vocem. Nam in larynge vox non sermo formatur.

Secundo organum est gustus, in qua utilitate et palatum habet adiunctum, quod etiam ad organum gustus pertinet, et pellicula, in qua sunt nervi, qui gustum et tactum linguae suppeditant, oritur a nervis per palatum demissis ad linguae radicem.

Tertia utilitas est, quod cibum excipit, et adiuvat praeparationem coctionis in masticando ut vocant, seu ut Graeci loquuntur, *ἐν τῷ μασσᾶν*, et transmittit ad oesophagum.

Sed illa est summa linguae humanae dignitas, quod sermonis et eloquentiae opifex est. Qua in re nec utilitatis magnitudo satis praedicari potest, nec ars exponi. Sed reverenter agnoscamus voluntatem Dei, qui linguam voluit esse mentis et cogitationum interpretem, ut alii alios de Deo et de aliis rebus bonis docerent, et ut sermo vinculum esset consociationis hominum. Et sciamus tunc nos intellecturos esse causas et artem totius fabricationis, cum in ipso opifice ideam horum operum cernemus. Interea grati Deum autorem celebremus, et ipsius operibus recte utamur, et sciamus eum velle, ut in hac vita ad illam aeternam lucem his initiis doctrinae praeparemur.

De supremo ventre. Caput, κεφαλή.

Etsi totius naturae, coeli, elementorum, plantarum, metallorum et animantium fabricatio plurima continet miracula, et illustria testimonia, quae ostendunt, hanc naturam non extitisse casu, sed a mente architectatrice conditam et ordinatam esse: tamen vestigia divinitatis maxime expressa et perspicua sunt in ea parte, in qua sunt: Cogitatio, Intellectus numerorum et ordinis, Ratiocinatio, Iudicium, Memoria, Libertas electionis, discrimen honestorum et turpium. Hae admirandae actiones in nobis perspicue convincunt omnes homines, ut fateri cogantur, hanc naturam neque casu ex Democriti Atomis conflatam esse, neque a natura bruta ortam esse. Sed mentem architectatricem esse, intelligentem ordinis, et quidem ostendunt qualis sit, videlicet, discernens honesta et turpia, et conservatrix humanae societatis, et certo puniens atrocia delicta, pugnantia cum suo ordine.

Quanquam igitur neque cerebri natura, neque actiones penitus cognosci possunt, tamen haec opera necesse est utcunque aspici, ut adsensionem de Deo et de providentia confirment. Quae intuentes agnoscamus voluntatem Dei erga nos, quod in hominum naturam transfudit similitudinem suae sapientiae, et voluit nos esse imagines divinitatis, ut in veteri versu dicitur. Exemplumque Dei quisque est in imagine parva, et ei gratias agamus, et quantum possumus, curemus, ut haec imago fiat illustrior, et magis congruat cum archetypo, agnitione ipsius, sapientia, et virtutum similitudine.

Primum de situ capitis dicitur. Quanquam autem non sine causa talis est figura homini attributa, ut aliud nullum animal incedat erecto corpore, tamen hanc commemorationem omitto. Satis intelligi potest, hunc positum et ad speciem pulcherrimam et ad utilitatem accommodatissimam esse.

Figuram capitis optimam esse Galenus scribit, si imitetur sphaeram exacte rotundam, sed quae paulatim utrinque comprimitur et fit arctior. Ac laudat magnum caput pro proportione, et ut ipse ait, *εὔρυθμον*, quod eo recitamus, quia Homerus in vituperatione Thersitae etiam hanc notam perversi ingenii posuit, quod habuerit acuminatum caput, *φοξὸς ἔην κεφαλήν*. Quia enim medius venter non habet iustam amplitudinem, spirituum actio et ratiocinatio ibi impeditior et confusior est. Et in quacunque parte capitis figura non habet convenientem proportionem, ibi debilitas significatur, ut exempla manifeste ostendunt. Non est firma in his memo-

ria, qui habent occiput nimis parvum, seu non eminens.

Est autem utilitas capitis continere cerebrum et sensuum organa, quae sunt partes gubernatrices vitae, et cognitionis causa conditae, et sunt domicilium lucis divinae in nobis.

Ut autem partes ordine recitemus, primum foris aspiciemus ea, quae vestiunt caput.

Etsi autem capilli sunt superfluitas, tamen aliqua eorum utilitas est, calefaciunt caput, et in eam materiam eduntur halitus cerebri.

Sub capillis crassa et carnea cutis est, ut pili in ea radices agere possint.

Sub cute parum carnis est, circa frontem et tempora.

Deinde est panniculus circumdans totum os capitis, qui nominatur *περικράνιον*, ortus a nervis et ligamentis per suturas prodeuntibus a dura matre, conditus magnarum utilitatum causa, Primum ut alliget cranio duram matrem. Deinde ut venas et arterias excipiat ac sustentet, quae sparsae per extrema colli ascendunt, ut ad caput perveniant, et ingressae per suturas nutriant et foveant cerebrum. Praebet hic panniculus etiam sensum cranio.

Sub hoc panniculo est totum os tegens caput, quod graece *κράνιον* adpellatur, et munit ac continet cerebrum. Latini calvariam nominant.

Quia vero meatus esse oportuit, certarum utilitatum causa, ideo haec testa non est unum et continuum os, sed septem ossa coniuncta sunt suturis, quae praebent meatus.

Sub cranio proxima est dura mater, quae est panniculus satis crassus, ac nominatur a Galeno Crassa Meninx, sustentans venas, quae nutriunt cerebrum.

Deinde sequitur pia mater, quae est tenui membrana immediate continens et cingens cerebrum. Galenus nominat subtilem meninga.

Deinde cerebrum, in quo sunt amplae cavitates, quae nominantur ventriculi, distinctae intervallis.

Supra medium ventriculum versus cerebellum nates binae sunt, sunt et figurae vermium, conus unus.

Deinde infusorium, in quod a cerebro velut in pelvim derivatur superfluitas, quae partim sputo, partim per nares excernitur.

Praeterea oriuntur a cerebro nervi, qui sunt instrumenta sensuum et motuum, qui sunt in organis sensuum.

Deinde contemplandi sunt Oculi, Aures, Nares.

Dura Mater.

Veteres Graeci generaliter nominant Meningas, quaslibet crustas seu membranas circundantes aliud corpus. Postea haesit adpellatio in his membranis tantum, quae ambiunt cerebrum. Id de nomine admonet Galenus libro nono Anatomicorum.

Est autem crassa meninx, seu ut nunc nominant, Dura Mater, panniculus nerveus, crassus, et firmus, sed tamen porosus, cranio proximus, ambiens totam cerebri molem, ita ut etiam ipsum cerebrum a fronte ad postremam partem, quae nominatur cerebellum, dividat secundum longitudinem, ut sic dicam, efficiatque interstitium, ut etiam in pecudum capitibus cerni potest. Deinde cum cerebellum, quod nominatur *παρεγκεφαλὶς*, quod in postrema parte capitis situm est, magna ex parte seiunctum sit ab altera mole cerebri, hic quoque dura mater facit interstitium inter utramque molem secundum latitudinem.

Utilitas huius membranae est munire cerebrum molliore tegmine, quam erat cranium, ne impingens in motu vehementiore in cranium, laederetur. Sunt et aliae utilitates, sustentare venas, quae nutriunt cerebrum et vicinas partes, et adiuvare piam matrem, in quam inseritur, ut firmius suspendat cerebrum.

Pia Mater.

Circundat proxime cerebrum alia quasi fasciola, quae nominatur tenuis membrana. Est autem subtilis panniculus, nerveus, proximus cerebro, non modo ambiens ipsam molem, sed etiam penetrans intra varias plicaturas, quae conspiciuntur in cerebro. Et quia proxime ambit cerebrum, et tanquam fovet, ut foetus in utero fovetur a chorio, hanc membranam Galenus nominat *χοριοειδῆ*.

Utilitates sunt. Prima, ut tanquam mollis fasciola, vestiat cerebrum, ne diffluat. Secunda, venas et arterias nutritionis et caloris causa colligit et sustentat, et in ipsum cerebrum tanquam

subtilissimos canales transmittit. Tertia, cum cerebrum per sese non sentiat, haec fasciola quae est nervea, impertit cerebro sensum.

Cerebrum.

Etsi nulla pars in universa natura ita introspici potest, ut penitus et tota cognoscatur, tamen multo magis admirandum est cerebrum, quod est domicilium sapientiae et Deo simillimum, ac officina est cogitationum, iudicii, ratiocinationis, et memoriae, quam coeterae partes ullae in natura. Quod ignis calefacit, videmus similem qualitatem ex corpore valde calido transfundi. Quod aqua humectat, eodem modo videmus similem qualitatem transfundi. Et consentaneum est, naturas efficere simile quiddam. Haec physica utcunque intelligi possunt. Sed actiones cerebri quantum differunt a physicis qualitatibus cogitatio, iudicium, ratiocinatio, recordatio? Praeterea quae est substantia cerebri? ubi? quomodo fiunt hae mirandae actiones in hac squalida massa? Haec fateamur non penitus sciri, et agnoscamus Deum esse naturae nostrae conditorem, et actiones cerebri proprias maxime testari, hunc mundum non extitisse casu, et Deum conditorem esse mentem sapientem, beneficam, iustam et veracem. Quia impossibile est, discrimen honestorum et turpium casu aut a natura bruta ortum esse.

Etsi autem non penitus nobis cerebri substantia nota est, tamen hoc sciamus, oriri ipsam a subtilissima parte seminis et plena spirituum, quae in formatione foetus in illam arcem summam quasi exaestuat, cum epar et cor et venulae inchoantur.

Ventriculi cerebri.

Sunt in cerebro cavitates magnae, velut in aedificio, mirumque est stare culmen velut ardua laquearia in templis. Etsi autem et dura mater superne culmen nonnihil alligat, tamen cum sit moles non parva et valde spongiosa singulorum parietum, non collabi eos mirum est.

Sunt autem hae cavitates plenae spirituum, qui per arterias adsidue ex corde advehuntur, et in his cavitatibus fiunt lucidiores, et quasi ex igneis flammis fiunt coelestes. Est enim omnino similitudo quaedam coeli, et spirituum ac cerebri. Nec dubium est, hos spiritus esse organa actionum in sensibus interioribus. Ac Plato sigilli similitudine usus est, significans a spiritu tanquam a sigillo tangi cerebrum, et imprimi ei notam. Cumque initia harum actionum sint a sensibus exterioribus, cogita in nervis transvehi motiones, sicut in aqua fiunt gyrationes, coniecto in unam partem lapillo. Harum motionum progressio perfertur ipsis spiritibus in cavitates cerebri. Nec se cerebrum habet tantum velut alveus, sed ut chordae pulsatae reddunt sonos, sic fieri consentaneum est in corde et in cerebro. Fiunt adfectus in ipsa cordis substantia, cum feritur et pulsatur a spiritibus. Ita et cogitationes fieri credibile est, cum cerebrum a spiritibus feritur et pulsatur, quod quidem ubique spongiosum est, ut passim subeant spiritus, et parietes intus non sint ociosi, sed in ipsis quoque cogitatio formetur, impressa quasi specie in sigillo.

Adsidui sunt autem velut in Euripo, fluxus et reflexus spirituum, ex nervis sensuum exteriorum et in eos, ut advehant illas gyrationes imaginum seu specierum, quas nervi ab externis obiectis acceperunt. Ideoque horum nervorum origo est statim sub fundis ventriculorum, ut proxima sit actionibus cerebri.

Ventriculi numerantur seu cavitates cerebri hoc modo quatuor. Duo primi in parte anteriore cerebri dextra et sinistra, ampli et longi, figura lunae recens prodeuntis, amplitudine ovi. Distincti sunt interstitio satis conspicuo, quod ex substantia cerebri propagatum est. Utilitates horum ventriculorum recenset Galenus tres. Primam, ut spiritus animalis in his ventriculis praeparetur. Secundam, ut ad inspirationem et expirationem conducant, hoc est, ut recipiant et emittant aërem, quo opus est ad fovendos spiritus. Tertiam, ut sint spacia ac meatus ad excrementa.

Ipsa vero pars anterior cerebri tota, ut infra dicam, organum est sensus communis, quod diversorum sensuum obiecta recipit et discernit.

Medius ventriculus.

Ubi post interstitium partes cerebri continuae quasi testudinem faciunt, sub ea testudine communis cavitas est, quae nominatur medius ventriculus, quem Herophilus existimat factum esse, ut per eum spiritus transmittantur in ultimum ventriculum, qui est inter cerebellum et

initium medullae spinae dorsi. Clauditur autem medius ventriculus versus anteriorem partem glandula seu conario.

Postremus ventriculus.

Cerebrum et cerebellum interstitio distinguuntur, quod ex dura matre ortum est, nec alia pars durae matris crassior et firmior est. Est autem via a medio ventriculo in postremum sub natibus, quae sunt substantiae cerebri tubercula, quae figura imitantur nates, eo loco ubi principium est dorsalis medullae. Est igitur postremus ventriculus ampla cavitas, pene ovi magnitudine, quae sinus est partim cerebelli, partim initii dorsalis medullae.

Cum autem manifestum sit, laeso cerebello. memoriam labefactari, consentaneum est, hunc postremum ventriculum et cerebellum organum esse memoriae et recordationis, rerum imaginibus in cerebellum tanquam notis impressis.

Etsi autem in hac caligine non perspicimus, quomodo haec miranda opera, cognitio, ratiocinatio, memoria, recordatio, iudicium fiant: tamen cum fieri ea cerebri ope certissimum sit, cogitemus cerebri substantiam, quae sedes est divinae lucis et divinarum actionum, cognatum esse coelesti naturae, in quam etiam undique sparsam esse lucem videmus, et ardentissimis votis Deum oremus, ut sua luce semper hoc templum illustret et gubernet. Causas totius opificii, quas magna sapientia cogitatas esse non dubium est, tunc in illa aeterna academia considerabimus, cum et ipsum opificem, et in eius mente ideam horum operum intuebimur. Nunc ei obtemperemus, agnoscamus discrimen inter naturas ratiocinantes et non ratiocinantes, et Deum celebremus sapientiae fontem, et hoc domicilium sapientiae reverenter tueamur, quantum possumus. Plura de hoc mirando opificio dicere non possum.

Vocabula quaedam recitabo, quorum hic fit mentio.

Nominant vermes quaedam exilia volumina, quae vermium speciem referunt, procedentia a cerebello versus medium ventriculum. Nec de usu plura verisimiliter traduntur, ac opiniones multorum de hac parte volens omitto.

Χοάνη infusorium seu infundibulum, quod prorsus imitatur figuram, quam nos ein Trechter nominamus, est sub medio ventriculo versus os basilare, ita formatum ex pia matre cingente basin cerebelli, ut crassiores superfluitates cerebri, quae deinde in sputum vertuntur, aut per nares excernuntur, excipiat.

Sub hoc *χοάνη* est glandula sita in cavitate ossis basilaris, quae nominatur *πτύελος*, id est, pelvis, in quam effunditur superfluitas ex *χοάνῃ*, ac partim versus palatum, partim versus nares evehitur.

Nominat Galenus contextum quendam arteriarum intra os basilare, substratum toti cerebro, *πλέγμα δικτυοειδὲς*, quod nuncuparunt Arabes Rete mirabile. Sed in capite hominis hunc insignem contextum negant esse.

Oculi.

Dominantur inter sensus Oculi, quos inquit Plato praecipue nobis duces esse ad agnitionem Dei, intuentes hanc pulcherrimam coeli machinam, ac notantes motuum varietatem, quae non alio sensu, nisi oculorum animadverti potuit. Est et hoc ingens beneficium, quod hoc sensu lucem agnoscimus, quae et mirandum Dei opus est, et magnam naturae partem praecipue ostendit. Et praestantissimas naturas lucidas esse certum est, Deum, angelos, animas, et in corpore spiritus vitales et animales.

Fabricatio autem sic describitur. Tunicae oculi quinque sunt, et tres humores. Etsi enim artifices tenuius dissecant tunicas, et plures numerant, tamen id eo fit, quia easdem discernunt locis, anteriori et posteriori.

Prima nominatur Coniunctiva, seu alba, seu adhaerens, quia oculum capiti coniungit, orta a panniculo tegente ossa frontis, et ab interiore pellicula palpebrarum. Haec ambit oculum usque ad circulum corneae.

Secunda nominatur Dura seu cornea, quia anteriore parte imitatur laminas pellucidas, ex cornu factas, calore et firmitate. Oritur a dura meninge. In anteriore parte est perspicua. In posteriore cum sit opaca et durior, vocatur *σκληρά*.

Tertia est Uvea contigua durae tunicae, dicta *ῥαγοειδής*, oritur a tenui meninge tegente nervum opticum. In huius uveae tunicae anteriore parte foramen est, quod nominatur pupilla oculi, quo recipiuntur species visibiles. Eius foraminis ambitus nominatur iris, propter colorum

varietatem, qui in aliis iris cerulea est, in aliis nigra, in aliis fulva. Nam Gaza χαροπὸν vertit fulvum, quales sunt oculi leonum, aquilarum, turturum. Hunc colorem Aristoteles inquit ingenii et animi praestantiam significare.

Quarta tunica est nervi visorii dilatatio in cavitatem similem nassae. Quare a sagena piscatoria nomen ei factum est ἀνφιβληστροειδής. Complectitur totam posteriorem sedem vitrei humoris, et porrigitur usque ad medium oculi.

Quinta tunica Aranea nominatur, quae est interstitium tegens vitreum et crystallinum humorem, et discernens ab aqueo, ac efficit crystallino humori velut glaberrimi speculi superficiem, ut in ea reddi et fulgere imagines seu species acceptae possint, ac longe omnia specula claritate vincit.

Humores tres sunt. Aqueus, qui fluidus est, continetur inter corneam, ut sit intervallum inter corneam et araneam, utile refractioni, qua species collectae dirigantur ad centrum crystallini humoris.

Vitreus dicitur vitro liquefacto similis, nigredine quadam mixta albo. Nec est fluidus, sed aliquanto firmior. Estque sedes crystallini humoris. Nam humor crystallinus huic vitreo insertus est, tanquam gemma annulo, ac dicit Galenus a vitreo humore nutriri crystallinum.

Praestantissimus humor est crystallinus, in quo immediate fit visio. Est enim hic humor tanquam lucidissimum speculum, non aliunde petita luce, sed sua natura lucens, et coeteras oculi partes, in quibus est lumen, illuminans. Nec est fluidus humor, sed paulo firmior, pene ut cera, ut recipere imagines possit, figura lentis in centro oculi. Interdum fulgor, ut in fele, effundit lumen extra oculos, unde existimari potest, qualis sit luciditas huius humoris.

Aures.

Non omnia oculis accipiuntur, quae discimus, sed multa sermone traduntur, imo doctrina ministerio oculorum et aliorum sensuum inchoata, sermone exaedificanda est, ut, cum vidimus eclipsin lunae, postea longa ratiocinatione quaerimus causas, positus terrae et lunae, umbrarum discrimina, docemus, quare non singulis mensibus fiant eclipses. Postquam tactu compertum est, corpora in febri inflammari vino, medicus monet laborantem febri, ut a vino abstineat. Denique vera Dei agnitio cum ex ipsius voce sumenda sit, auditu opus esse manifestum est. Cumque sermo sit inter praecipua opera hominis, nequaquam obscurum est, ingens esse beneficium auditus, quo solo accipitur sermo.

Aurium substantia cartilaginea est, mollis et tenuis, quae gyros et anfractus intus habet, ut sonos paulatim colligat et contineat, ne subito irruentes in organum auditus, aut confundantur, aut laedant organum.

Foramen est in ossibus, quae petrosa, λιθοειδῆ, nominantur, quorum eo est duricies maior, ut muniant organum auditus. In eo foramine duo sunt panniculi subtiles et solidi, orti a nervis auditivis. Alter panniculus continet et alligat ossiculum simile incudi, quod tamen extra panniculum supra ubi feritur, eminet.

Incudi vero aliud ossiculum simile malleo parte superiore nerveis membranulis connexum est, quod ab altero panniculo sustinetur, sicut chorda tympano intenditur. Etsi autem non perspicue singularum partium officia describi possunt, tamen hoc certum est, auditionem in illo meatu fieri, per spiritus in nervis. Et excitari spiritus percussione illa, qua malleolus impulsus a sonis ferit incudem. Mirifica vero imago est docentium. Concionator accipit vocem divinitus, et tanquam malleolus ferit incudem, videlicet pectora audientium, ac simul spiritus excitatur.

Nares.

Tria sunt magna beneficia Narium, attractio aëris et expiratio. Attractio odorum, ut iuvent cerebrum, ac foveant et augeant spiritus animales. Tertium est evectio pituitae, valde necessaria cerebro.

Figura narium nota est, et his usibus accommodata.

Substantia est inferius magis cartilaginea, superius magis ossea. Supra nares ossi frontis insertum est os, quod multa exilia foramina habet, quae sunt meatus et aëris, et odorum, quod antiquitas nominat vel ἠθμοειδὲς, id est, colatorio simile, vel σπογγοειδὲς, quia multa in eo foramina conspiciuntur, velut in spongia. Recentiores putarunt ideo dictum colatorium, quia sit meatus pituitae, sed constat, alios esse quasi

canales ampliores pituitae ex χοανῇ, Trechter, ductos infra oculos, versus nares, qui utrinque naribus inseruntur mediocri intervallo infra ἠθμοειδὲς. Nec vero dubium est foramina illa in osse ἠθμοειδεῖ facta esse spirationis et odorum causa. Via enim proxima est ex eo osse ad extrema priorum ventriculorum cerebri.

Et ab illa extrema parte cerebri descendunt duae propagines ex substantia cerebri in os ἠθμοειδὲς, sparsae ad foramina, et ut sint gemina organa, interstitio solidi ossis distinctae. Has propagines vere esse organum olfactus traditur. Unde et transmittuntur odores in priores ventriculos cerebri. Haec sententia de organo olfactus magis probatur eruditis, quam quae alii de carunculis mamillaribus dicunt, quae sunt supra oculos, ut expleant cavitates ossium frontis, per quas carnes nulli sunt ad cerebrum meatus. Manifestum est autem, odores ad cerebrum transvehi oportere, cui prosunt ut dictum est.

De membris similaribus seu homogeneis.

Multae graves causae sunt, propter quas prodest statim adsuefieri iuniores ad qualemcunque considerationem opificii humani corporis, etiamsi haec prima pictura aliquanto rudior est. Primum enim organa utcunque potentiarum discerni et monstrari necesse est, quod cum fit, praecipua membra recitantur. Deinde ad tuendam valetudinem et ad medicationes prodest scire membrorum qualitates. Nec dubium est temperantiae et moderationis in multis actionibus disciplinam esse, considerationem organorum, ut, qui scit epatis actionem languidiorem esse, cum accipit ex ventriculo chylum adhuc crudum, et totam sanguinis massam fieri impuriorem, et saepe cacochymiam et hydropem, is magis servat ordinem naturae convenientem in cibo et potu.

Ingens autem et haec utilitas est, arte considerata ratiocinari, hoc mirandum opus non casu ita confluxisse, nec tantum ad hunc usum in vita mortali conditum esse. Esse etiam arcanam causam, cur ipse filius Dei induerit humanam naturam. Hunc in omni aeternitate tuis oculis intueberis, audies auribus tuis disserentem de sapientia divina, tuo complexu ipsum salutabis. Tunc demum intelligemus, et cur haec corpora sic condita sint, et quae sit substantia singularum partium. Interea hanc sapientiam utcunque inchoëmus, agnoscamus hanc naturam non casu ex Democriti atomis conflatam esse, celebremus Deum architectum, fateamur radios sapientiae divinae in nos non frustra sparsos esse, qui monstrant ordinem omnium actionum, et eis obtemperemus, petamus et expectemus immortalitatem. Et sciamus tunc demum haec nostra corpora habitura ultimum et perfectum decus, cum coram cernent et audient filium Dei, et undique in eis fulgebit lux divina.

Supra autem nominavimus partes crassiores. Nunc addenda est usitata et necessaria distinctio. Alia membra dicuntur ἑτερογένεα, quorum partes non retinent nomen totius, ut caput, oculus, cor. Non enim quaelibet pars capitis est caput. Haec ex multis et dissimilibus partibus constructa sunt.

Alia membra nominantur ὁμογένεα, seu similaria, ut Gaza loquitur. Videlicet in quibus pars retinet adpellationem totius, et sunt novem:

Caro
Os
Cartilago
Nervus
Chorda
Ligamentum
Vena
Arteria
Panniculus.

Ac praeter carnem, omnia reliqua oriuntur ex semine, non ex sanguine. Ideoque dicuntur σπερματικά, etsi ex sanguine conveniens nutrimentum accipiunt.

Recitabimus autem brevissimas descriptiones, quia necesse est aliquo modo nosse discrimina harum partium, quae et ipsae sunt ministrae actionum praecipuarum.

Caro, σάρξ, est substantia sanguinea, quae fit cum crassior pars sanguinis coagulata, sua quadam coctione fit corpus solidum et molle.

Ossa, ὀστᾶ, fiunt e semine, cum id quod crassissimum est a calido urente induratur, sicut lapides coquuntur a calido urente. Sunt autem ossa velut truncus sustinens reliquum corpus.

Nervus, νεῦρον. Est substantia e cerebro, aut spinali medulla orta, tenuis, mollis et alba, tenuissimis villis per longum contexta, quae est instrumentum praecipuum sensus et motus. Nam

nervi a cerebro et a spinali medulla quasi transvehunt vim sensitivam et motivam ad membra impulsa spiritu.

Oriuntur autem a cerebro septem paria nervorum, quae partim ad sensuum organa perveniunt, partim sparguntur in alia membra, ut in ventriculum, quod eo observandum est, ut membrorum *συμπάθεια* magis consideretur. Suntque molliores nervi ex cerebro orti.

Alii sunt duriores, qui a spinali medulla oriuntur. Conveniebat enim duriores esse, quia non solum sensus, sed etiam motus instrumenta sunt. Caeterum supra dictum est, spinalem medullam cognatam esse cerebro, et quidem ab eo oriri.

Hic numerantur triginta paria nervorum a spinali medulla orientium, qui passim in totum corpus sparguntur.

Etymologia nominis extat apud Galenum, *νεῦρον* a verbo *νεύω*, quod est nuere, agitare, quia nervi sunt instrumenta voluntarii motus.

Et quia facta est mentio villorum, obiter dicendum est, villos nominari subtilissima fila tenacia et solida, Graeci adpellant *ἶνας*. Cumque in multis membris dicantur esse villi, sciendum est, non unum esse genus villorum. Sed nervorum villi nihil sunt, nisi tenuissimae partes nervi. Et his villi in panniculis cognati sunt. Verum in corde nulla est cognatio villorum cum nervis. Ibi enim villi sunt ex substantia cordis, quae tota est caro naturae cuiusdam peculiaris. Coeterum ut voluntario motui serviunt nervi et musculi, ita naturales motus attractiones et expulsiones cient villi naturae nerveae ubicunque sunt, in tunicis, ut in ventriculo, vesicis, intestinis, arteriis, ut supra dictum est.

Venae, *φλέβες*, sunt canales tenui tunica, vehentes sanguinem crassiorem, quo nutrimur. Galenus censet primam earum originem in epate esse, et stipitem esse, magnum et amplum canalem, qui nominatur vena cava, quia ut truncus arboris maior est, a quo rami et frondes orientes sunt graciliores, ita iudicat ramos venarum a grandi aliquo vase oriri. Hac communi sententia Hippocratica et Galenica contenti simus. Ait enim Hippocrates: *ἡ ῥίζωσις φλεβῶν ἧπαρ.*

Arteriae, *ἀρτηρίαι*, sunt canales tunicis densioribus et firmioribus facti, quorum meatus sunt angustiores, et vehunt spiritus vitales, cum rivulo tenuissimi sanguinis. Origo autem in corde est, ubi stipes est conspicuus, aorta. Ideo autem necesse est densiores esse arterias, ne spiritus exhalet, ac sextuplo crassiores sunt arteriae quam venae. Interior enim tunica quintuplo crassior est, quam venarum tunicae. Hanc ambit alia tunica exterior tenuis.

Pulcherrimo autem foedere iunctae sunt venae et arteriae, ut venae suppeditent spiritui materiam, spiritus vero in arteriis calore suo foveat sanguinem. Ac mutua sunt orificia, ut spiritus ceu flammula rapiat nutrimentum ex venis, et venae spiritum et calorem ex arteriis. Sic vivimus, ut in lychno flamma rapit nutrimentum ex cera, sic spiritus in nobis suum alimentum ex venis haurit, eaque in re pulcherrimum exemplum mutuae communicationis in hac civili vita nobis propositum est. Et congruit imago ad multa, quae Deus vult esse consociata, ad verbum et spiritum sanctum, item ad fidem et opera.

Ligamenta, *σύνδεσμοι*, sunt membra nervis similia, alba, exsanguia, et sine interiore cavitate, duriora nervis, tametsi mediocris est duricies, ne nimis tura impediant motum iuncturarum, neve nimis mollia rumpantur, aut faciant dislocationes. Cognationem habent cum ossibus, non cum nervis. Oriuntur enim ab ossibus, et omni sensu carent.

Utilitas est multiplex, alligant ossibus coetera membra, ut cor, ventriculum, matricem, vesicam. Alligant et musculos ossibus. Aristoteles improprie nominat nervos, sed Medici recte discernunt nervos et ligamenta. Est enim dissimilis origo et natura, ut dixi.

Chordae, *τένοντες*, membra composita sunt ex nervis et ligamentis venientibus ad musculos, in quorum extremitatibus natae trahuntur inde ad iuncturas, ut eas moveant cum volumus. Nam musculus est mediatum organum voluntarii motus iuncturarum, chordae immediatum, quae quidem trahuntur a musculo. Musculus vibratus spiritu quem nervi adferunt, movetur suae carnis natura, et suis quibusdam fibris, et se dilatat et contrahit, ut hac dilatatione vel contractione *τένων* trahatur. Constat igitur *τένων* ex nervo et ligamento, ut nervus suppeditet sensum et motum. Sed ne rumperetur fuit opus alio duriore vinculo. Ideo additum est ligamentum.

Homerus Iliados 10. inquit, sectum esse collum Doloni, et duas chordas praecisas, quia in cervice ascendunt duae admodum crassae et conspicuae chordae, quae alligant caput trunco, ac proprie usus est Homerus adpellatione *τένοντος*. *Φασγάνῳ ἀΐξας ἀπὸ δ' ἄμφω κέρσε τένοντε.*

Cum autem hic facta sit mentio musculi, brevissime addam vocabuli declarationem. Musculus seu lacertus est quiddam confarctum et thorosum, compositum ex nervis, carne et ligamento, sicut Galenus inquit: Perinde ut pileos, ita musculos fieri, permixtis inter se et compactis nervorum, ligamenti et carnis partibus. Inseruntur autem musculis venae et arteriae, nutritionis et calefactionis causa, et totum opificium panniculo tegitur. Sed hae res non sunt partes constituentes musculum. In ima vero parte musculi oritur *τένων* a nervorum villis et ligamento.

Nomina vero musculi et lacerti sunt a figura sumpta, quia alia parte tenuiores sunt, alia thorosiores et ampliores, et pendet inde *τένων* velut cauda. Sunt autem plures quadringentis passim in corpore, ut multae partes sunt, quae voluntariis motibus cientur.

Panniculus, *ὑμὴν*, est tenuissima membrana ex nervis et ligamentis facta, sed in aliis plus est naturae nerveae, in aliis plus naturae ligamentalis, alii enim aliis crassiores sunt, muniunt et alligant membra, et impertiunt sensum plaerisque, ut epati, cordi, pulmoni, spleni, renibus. Saepe *χιτῶνες* et *σκεπάσματα* a Galeno nominantur.

Cartilago, *χόνδρος*, est osse mollior et aliis omnibus membris durior. Huius utilitatis causa facta est, ut sit fulcrum mollius, quam ossa, et ne ossa inter se durius collidantur.

Has adpellationes propter insignium rerum diversitatem discant iuniores, et ut sint minus obscurae, accedat inspectio vel in mactatione pecudum, vel in mensis, ubi etiam discrimina quaedam mediocriter agnosci possunt, et admirentur providentiam et artem opificis, qui tam sapienter praevidit, quibus motibus et machinis animali opus sit, et summa arte machinas idoneas fecit.

De Humoribus.

Etsi fontes humorum melius conspiciuntur, cum modus nutritionis recitatur, tamen cum humores sint magna pars in corpore animalis, et non solum sint nutrimentum, sed etiam discrimina plurimarum actionum efficiant, et sint causae diversorum temperamentorum, nequaquam hic praetereundi sunt.

Nominatur autem hoc loco humor liquidum et fluidum corpus, in quae convertitur nutrimentum in epate, ut corpora nutriantur et conserventur. Species autem humorum in corpore animalis nominantur quatuor: Sanguis, phlegma, flava bilis, et atra bilis. Ac simul generantur in epate hoc modo.

Ut in omnibus mixtis insunt diversae partes, aliae igneae, aliae terrestres, aliae aquosae, aliae aëreae: ita in tota massa sanguinea, postquam haec in epate cocta est, igneum quiddam est ebulliens, id nominatur Flava bilis, quae est calida et sicca. Inest et terrestre quiddam fecibus simile. Id nominatur Atra bilis, quae est frigida et sicca. Manet ibi etiam quiddam aquosum, cuius etsi inchoata est coctio, ut fiat sanguis, tamen nondum perfecta est. Ea igitur pars adhuc alba, insipida, et remissi caloris est. Id nominatur adpellatione usitata Phlegma, de qua adpellatione postea dicam. Reliqua est pars aërea, calida et humida, sed temperata, dulcis, pinguis, suaviter nutriens. Ea pars proprie nominatur Sanguis.

Haec discrimina humorum Galenus pingit venusta similitudine. Ut videmus in mustis effervescentibus ebullire id, quod tenuius est, quod ipse nominat *ἄνθος*, deinde quiddam inesse aquosum, subsidere etiam feces. Ita sunt in massa sanguinea totidem humorum discrimina.

Plato dixit bilem flavam et atram accendi ut vicia in sanguine, nec narrat utilitatis causa nasci naturae ordine in humano corpore. Sed sciendum est, has ipsas species in corpore diversorum modorum esse. Alii humores sunt naturales, qui ordine naturae et magnarum utilitatum causa in corpore humano nascuntur. Alii sunt praeternaturales ac viciosi, qui in ea crasi existunt, quae multum ab aequalitate recedit, aut corrupta est. De his viciosis humoribus tantum loquitur Plato, cuius vituperatio seu querela non levis est. Ait non nutriri ab eis corpora, et inimicos esse temperamento, *οὐδεμίαν τροφὴν τῷ σώματι παρέχειν*. Admonendi sunt igitur iuniores, ut discernant humores naturales a viciosis.

Sanguis est humor calidus et humidus, sed temperatus, dulcis, aëreus, pinguis, optima et praecipua pars nutrimenti. Etsi enim semper cum sanguine vehuntur reliqui humores, et simul fiunt nutrimenta, ut sanguis dilutus phlegmate magis alit frigida et humida membra, ut cerebrum. Biliosus magia alit pulmonem. Melancholicus magis alit ossa, tamen praecipua nutrimenti pars est id, quod proprie est sanguis. Nam nutrimentum oportet esse dulce, aut dulci succo dilutum. Haec de sanguinis utilitate brevissime recitasse satis sit.

Phlegma est humor subaquosus, qui cepit coqui, ut fiat sanguis, sed nondum percoctus est. Ideo est subalbus, insipidus, tenuis, non pinguis, nec calore aequans sanguinem. Utilitates eius sunt, materiam esse, ex qua fit sanguis, cum paulatim magis coquitur. Item ardorem sanguinis mitigare. Item prohibere, ne sanguis fiat densior et aridior. Item, cum sanguine alere cerebrum et alia phlegmatica membra.

De nomine phlegmatis rixati sunt et veteres. Et adparet initio sic vocatum esse viciosum humorem adustum. Notiores enim sunt populo viciosi humores. Et a populo vocabula accipimus. Prodicus maluit hunc humorem nominare *βλέναν*, id est, pituitam. Opinor autem et id nomen initio viciosi humoris fuisse. Interpretantur enim *βλέναν*, *μύξαν*. Postea docti transtulerunt nomen ad humorem non viciosum.

Flava bilis, *ξανθὴ χολὴ*, non viciosa, est spuma sanguinis calida et sicca, quae fit, cum calidiores et sicciores partes chyli propter fortem calorem sic ebulliunt. Saporis est amari, qui proprie dicitur *πικρὸς*, ut Galenus expresse discernit utramque bilem saporibus, inquiens: *Καί τοι τῶν χολῶν, ἣ μὲν ἀεὶ πικρὰ φαίνεται, κἂν μικρῷ μυρίῳ ψαύσῃ τῆς γλώττης, ἡ μέλαινα δὲ ὀξεία.* Colores etiam in non viciosa bile differunt. Alias magis, alias minus rubet, quare et rubram et flavam nominant.

Utilitates eius sunt, dissipare et penetrare, aperire meatus ubi cum sanguine vehitur, et simul alere membra cognata, ut pulmonem. Nec tota vehitur cum sanguine. Sed maior pars derivatur in folliculum fellis, quae et ipsa est bilis non viciosa. Sunt autem ex felle meatus, qui vehunt flavam bilem ad intestina, ut inde pellat feces.

Iuniores et de nomine admonendi sunt. Aliud est *χολὴ*, aliud *χολερὰ* apud veteres, qui morbum nominant *χολερὰν* a bile largiter influente in ventriculum, et erumpente per vomitus et per inferiora. Est autem diligentia digna studiosis recte loqui.

Atra bilis non viciosa, est humor magis crassus et terrestris, qui in sanguine subsidit, propemodum nigro et spissiori vino similis, sed est frigidus et siccus. Pars vehitur cum sanguine, quae tamen quia diluitur sanguine, pontici saporis magis est, quam acidi, ut Acaciae seu Cydonium. Reliqua naturalis derivatur in splenem, quae est acida.

Utilitas eius est, sanguinem reddere spissiorem et adstringere, et ubique adiuvare retentionem, et una cum sanguine nutrire melancholica membra, ossa et splenem.

Recitavimus diversas humorum species, quas natura gignit magnarum utilitatum causa. Sed horum corruptio perniciosa est, ut iam dicam. Ac Plato vituperans utramque bilem, tantum de corruptis humoribus loquitur. Nunc igitur et breves distinctiones addam de humoribus a naturae ordine recedentibus.

Humores a naturae ordine recedentes ac viciosi dupliciter corrumpuntur, aut quia sine alterius admixtione, substantia ipsa degenerat, aut quia miscentur alii viciosi. Sanguis degenerat, ut cum putrescit clausis poris, ac vertitur in bilem viciosam, unde oritur continua febris.

Corrumpitur etiam sanguis admixtione alterius humoris, ut in hydrope prior massa sanguinis viciatur adfluente crudo humore non cocto in epate. In ictericis adfluente bile.

Phlegma non naturale quoddam nominatur crudum, quod est humor aquosus, frigidus et humidus, redundans in corporibus propter infirmam coctionem. Idque alias tenuius est, quod sputo vel per nares eiicitur, et interdum ut in coryza largiter destillat, alias crassius est, quod vomitu et egestionibus interdum eiicitur.

Aliud quoddam phlegma nominatur salsum, cum videlicet phlegmati miscetur rufa bilis, quod quidem ex sapore sputi facile iudicari potest, et in corporibus intemperantium, qui salsis cibis utuntur, nascitur copiosius, ac inde perniciosi catarrhi oriuntur. Nominatur acetosum, cum miscetur atra bilis.

Degenerat per sese flava bilis, cum aduritur, et fit atra bilis viciosa et cinerea, densa et mordax, sicut paulatim in picrocholis degenerat rubra bilis in adustam, vel aetate, vel vehementioribus motibus, quare tales *πικρόχολοι* senescentes fiunt furenter iracundi.

Corrumpitur autem flava bilis admixtione alterius humoris, ut cum miscetur tenue phlegma et rubor diminuitur. Haec bilis nominatur citrina seu pallida. Sed si est crassius phlegma admixtum, fit bilis vitellina, sic dicta, quod color imitatur vitellum ovi. Fiunt autem tertianae febres nothae ex bile, cui phlegma admixtum est.

Praeter has species gignitur in ventriculo humor viridi colore, qualia saepe videmus esse infantium excrementa, aut aliorum. Saepe et in vomitu viridem humorem valde mordacem eiicimus. Hic humor etsi fit admixtione bilis, et immodica adustione, tamen non est vere bilis, ut Iacobus de partibus recte disputat. Sed crudus humor in ventriculo nimis ustus, cui aliqua bilis influens in ventriculum admixta est. Nominatur autem a Galeno Prasina bilis, quod viriditas imitatur porri colorem. *Πράσον* enim significat porrum. Et cum viriditas est obscurior, nonnihil ad fulvum colorem accedens, nominatur haec bilis aeruginosa, graece *ἰώδης*, ab *ἰὸς*, quod significat rubiginem. Nam rubigo vetus quasi virescere incipit. Talis bilis saepe vomitu eiicitur.

Atra bilis viciosa est, cum vel coeteri humores, vel ipsa atra bilis ita aduritur, ut humor cineris naturam crassiorem et mordacem referat. Nam et Hippocratis aphorismus testatur, degenerare sanguinem ac rubram bilem, cum aduruntur clausis poris in atram bilem. Verba aphorismi haec sunt: *ὡσαύτως τὸ ἐπίχολον καὶ ἄναιμον σῶμα, μελαγχολικὸν γίνεται, μὴ ἔχον ἐξεῤῥωσίας.* Pariter biliosum et sanguineum corpus fit melancholicum, ubi non effluunt seu exhalant fumi. Et hinc multiplices amentiae existunt.

Cum melancholia est ex sanguine et diluitur modico sanguine, efficit amentias ridicule laetantium, quale aiunt fuisse delirium Democriti hilarius, qui ridere solebat hominum stulticiam, eaque animi tranquillitate vitam produxit usque ad annum centesimum nonum suae aetatis.

Cum vero melancholia est ex rubra bile, aut diluitur multa rubra bile, fiunt atroces furores et maniae, qualis fuit Herculis et Aiacis furor. Ut Virgilius de ira Herculis inquit:

Hic vero Alcidae furiis exarserat atro
Felle dolor.

Etsi enim rubra bilis in ira cietur, tamen Virgilius atram nominat, quia rubra mixta est atrae copiosiori, imo et uritur, ac velut cinerea est simul cum atra.

Si diluitur copioso phlegmate, fit inusitata segnicies, sicut ipsi vidimus mente errantem, qui fere perpetuo dormiebat, summisse loquebatur, nec excitabatur, nisi citharae sono, quem cum audiret, attollens caput, arridere incipiebat, et interrogatus hilariuscule respondebat.

Si ipsa per sese atra bilis redundans aduritur, fiunt tristiciae maiores, fugae hominum, qualis fuit Bellerophontis moesticia:

Qui miser in campis errabat solus Aleis,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans,

ut inquit Homerus.

Sed hae species mira varietate miscentur, sicut temperamentorum varietas multiplex est. Vina quam varie temperata sunt? Creticum, Italicum, Rhenanum, Neccharinum, quantum differunt? Quia ex terra et aëre succus in vitibus differt. Ita species humorum eaedem in aliis generosiores, mitiores et puriores sunt.

Ita differunt humores in corpore humano propter temperamenta parentum, et propter coelestes causas. Multo generosior est melancholia, si coniunctione Saturni et Iovis in Libra temperetur, qualis videtur Augusti melancholia fuisse, quam si confusa sit Saturni, Martis et Lunae congressu in Scorpio, qualis Catilinae melancholia fuisse videtur.

Haec ideo recito, ut admoneam iuniores, non posse enumerari omnes modos varietatis humorum, vel bonorum vel viciosorum.

Homerus moesticia mortuus dicitur, aenigmatis perplexitate vexatus.

Heraclitus Ephesius saepe lacrymabat senex deplorans hominum miserias, quem quidem fuisse melancholicum et Theophrastus scripsit, tribuens melancholiae, quod obscura et confusanea scripsit, quaesivit solitudines, et immundicie victus hydropicus factus est. Postea sperans se aquam illam intra cutem desiccaturum esse, iussit se obliniri stercore boum, et ad solem exponi. Inde mortuus fertur.

Empedocles furens insiliit in Aetnae voragines.

Sophoclis delirium fuit multo suavius, qui convivia appetebat, et oblectabat se scribendis poëmatis, negligens administrationem rei domesticae.

Marius delirans imaginabatur expeditiones et praelia, adeo ut gestus et clamorem pugnantis repraesentaret.

At Luculli amentia fuit hilarior ac mitior. Ita in senibus, cum degenerat melancholia, efficit dissimiles amentias.

Hic breviter adiungam Aristotelis quaestionem de atra bile, non solum ut natura humoris propius aspiciatur, sed etiam, ut multi inviteritur ad illas ipsas Aristotelis paginas legendas, quae doctrinam dulcissimam continent.

Interrogat autem, qui fiat, ut multi ingeniosissimi homines, qui vel in artibus, vel in studio sapientiae, vel in gubernatione excellunt, melancholici sint? Ut Archimedem melancholicum fuisse non dubium est, qui adeo intentus fuit suae speculationi, ut non senserit tumultum captae urbis. Et antea saepe stans cum ungeretur oleo, pinxerit tacitus geometricas figuras in ipsis femoribus oleo perfusis. Cum in balneo invenisset rationem, qua deprehendi posse intelligebat, quantum aureae coronae argenti admixtum esset, exiliit ac nudus per plateas currens vociferatus est: *εὕρηκα*, *εὕρηκα*.

Hic quaeritur de atra bile: an et quomodo praestantiores motus in ingeniis efficiat? Aponensis non recte iudicat, qui existimat hos motus in magnis viris ab adusta bile esse, non a naturali. Nam adusta efficit furores et amentias, non parit motus, qui reguntur consilio. Deceptus est Aponensis, cum putavit Aristotelem hoc interrogare, an paulatim aetate heroici viri fiant melancholici? Id enim non proponit Aristoteles, sed ipsas naturas et temperamenta eorum sentit esse melancholica. Ac deinde satis ostendit, se non de vicioso humore loqui, sed de naturali. Ait, triplicem esse atram bilem. Asininam dilutam multo phlegmate, quae adfert frigidos morbos, nec prodest ingeniis. Altera est adusta, quae furores ciet. Tertia est non viciosa, quae cum est copiosior et sanguini temperato apte miscetur, efficit acriores, ardentiores et tenaciores impetus.

Ac venustissime confert Aristoteles atram bilem ad vinum. Ut enim vinum dissimiles motus in ebriis efficit, alii fiunt hilariores, alii facilius incenduntur ira, alii lacrymant, quia cum sit calidum, spumosum et halituosum, excitat calorem sanguinis, et gignuntur spiritus pro qualitate sanguinis copiosiores, unde in graeco verso dicitur: *οἶνος τρόποις τῶν χρωμένων κεράννυται.* Sic et atra bilis, cum sit halituosa et tenacior, efficit in sanguine spiritus copiosiores et ardentiores, sicut ignis in ferro urit multo vehementius quam in stipula.

Fiunt autem haec alias magis, alias minus, alias concinnius, alias minus concinne, iuxta diversitatem crasis. Conspectior autem est varietas humorum in morbosis corporibus, ubi insigniter turbata est harmonia temperamenti, et excessus unius qualitatis aut humoris magno cum cruciatu percipitur. Quam mira dissimilitudo est adustae bilis in communi scabie, in lepra, in morbo gallico, ut nominant, in cancro, in phthiriasi, in phagedaena, quae nominatur lupus vorans?

Discrimen in crasi temperata obscurius est. Et tamen ibi quoque multi gradus sunt, et magna est varietas. Nominatur autem temperata crasis, in qua utcunque aequalitas est, et proportio qualitatum, speciei conveniens. Nec intelligatur tam perfecta harmonia, ut non sit aliqua levis, ut ita dicam, dissonantia. Recedit igitur semper temperata ad aliam crasin, seu plus, seu minus. In Platone, Scipione discedebat temperata crasis magis ad melancholicam. In Alexandro magis ad sanguineam.

Cum igitur Aristoteles tribuit ingenii praestantiam melancholicis, loqui eum de temperata crasi sciamus, declinante ad melancholicam. Excellit enim haec temperata crasis declinans ad melancholicam, quia in tali sanguine spiritus efficiunt acriores, stabiliores et ardentiores motus, qui tamen sunt concinni, quia harmonia aliquo modo temperata est, et sanguis nonnihil refrigeratur, et est sedatior, propter melancholiam non viciosam. Ita et Aristoteles inquit in secundo libro de partibus animalium. Sanguis crassior et calidior efficit maius robur. Sed tenuior et frigidior auget vim sentiendi et intelligendi. Verba Aristotelis haec sunt: *ἐστὶ δ' ἰσχύος μὲν ποιητικώτερον τὸ παχύτερον αἷμα καὶ θερμότερον. Αἰ-*

σθητικώτερον δὲ καὶ νοερώτερον τὸ λεπτότερον καὶ ψυχρότερον.

Breviter autem et hoc monendi sunt iuniores, quod mores plaerunque imitantur crasin, ut quo propior est crasis temperatae, eo sunt adfectus, gestus et mores magis placidi et concinni, ut in Lelio, qui pingitur in exemplo Mitionis.

Cum est excessus rubrae bilis, naturae sunt iracundae et irritabiles, et accensa ira cito deflagrat, gestus sunt concitatiores, stulti et turbulenti impetus, loquacitas et futilitas, ferocia in lacessendo, nec tamen in sustinendo firmitas. Qualis est natura in canibus. Ideo de Agamemnone inquit Achilles: *κυνὸς ὄμματ᾽ ἔχων.* Et multi tales sunt *θρασύδειλοι.*

Cum est excessus atrae bilis, naturae sunt tristiores, taciturnae, sedulae, morosae, suspicaces, pertinaces, aliae magis, aliae minus.

Cum est infoelix confusio rubrae et atrae bilis, fiunt monstrosae naturae, plenae superbiae, malevolentiae, veneni et fraudum, Thersitae, Sinonis, Timonis similes. *Μισάνθρωποι μωρόκακοι,* et *ἐπιχαιρέκακοι.*

Cum excessus est phlegmatis, naturae sunt segnes, fugiunt laborem, et dedunt se voluptatibus corporis, amant delicias cibi et potus, quales fuerunt Margites, Sardanapalus, Bonosus et similes, dissimilimi viris fortibus, de quibus scripsit Hesiodus, ut citat versum Polybius: *αἰακίδαι πολέμῳ κεχαρήοτες ἠέ γε δαιτί.*

Sed omnium specierum magna varietas est, ut in singulis corporibus temperamenta propter diversas parentum naturas, et diversas stellarum commixtiones differunt. Ac Medicis necessariam esse considerationem harum dissimilitudinum constat. Prodest autem et in communi vita ad tuendam valetudinem, ad regendos mores, ad circumspectionem in familiaritatibus. Omnino necessaria diligentia est vitare monstrosas, superbas, malevolas et perfidiosas naturas.

Praeterea cum animadvertimus in nobis ipsis, ad quae vicia proniores simus, vigilantia et adsuefactione eas inclinationes frenare, et extinguere annitamur. Sciamus etiam a filio Dei petendum esse auxilium, ut viciosos impetus in nobis reprimat et frangat, sicut scriptum est: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus?

De Spiritibus.

Spiritus est subtilis vapor ex sanguine coctus virtute cordis, ac incensus, ut sit velut flammula, quae in diversis membris dissimiles habet actiones. Quanquam enim unus est fons spirituum, tamen locis mutantur, et mutati dissimiles habent actiones.

Sunt autem species duae. Spiritus vitalis est flammula ex purissimo sanguine in corde nata, calorem vitalem devehens ad coetera membra, et impertiens eis vim exercendi actiones, quas calore vitali efficiunt. Ad hunc usum supra dictum est arterias esse conditas, ut hunc spiritum in omnia membra transvehant.

Spiritus animalis est ex eodem genere spirituum, qui nati sunt in corde, pars transmissa ad cerebrum, ubi virtute cerebri fit lucidior, et conveniens temperamento cerebri, et in nervos infusa velut lumen, ut eos impellat, et actiones sensuum et motum localem cieat.

Etsi enim alii disputant, unde generetur hic spiritus, tamen consentaneum est, oriri eum a vitali spiritu, ut Galenus inquit libro septimo de dogmatum Hippocratis et Platonis consensu: *Οὕτω τὸ ψυχικὸν πνεῦμα ἐκ τοῦ ζωτικοῦ κατειργασθέντος ἐπὶ πλέον ἔχει τὴν γένεσιν.* Et manifestum est, spiritum fieri meliorem in cerebro, quando bonum est cordis temperamentum, et quando cor non turbatum est ira et moesticia.

Quidam addiderunt tertiam speciem, videlicet spiritum naturalem in epate, qui ibi fovet sanguinem, et in sanguine halitus excitat. Sed commodius est dicere, vitalem spiritum a corde etiam ad epar transvehi, qui calorem vivificum epatis adiuvat in generatione sanguinis. Est enim cor fons vitae.

Iam cogitent studiosi hoc mirandum Dei opus in homine. Spiritu vitali et animali actiones praecipuae efficiuntur, vitae conservatio, nutritio, generatio, deinde sensus, motus, cogitatio, adfectus in corde. Ideo aliqui dixerunt, animam esse hos spiritus seu flammulas vitales et animales. Galenus inquit de anima hominis, hos spiritus aut animam esse, aut immediatum instrumentum animae. Quod certe verum est, et sua luce superant solis et omnium stellarum lucem. Et, quod mirabilius est, his ipsis spiritibus in hominibus piis miscetur ipse divinus spiritus, et efficit magis fulgentes divina luce, ut agnitio Dei sit il-

lustrior, et adsensio firmior, et motus sint ardentiores erga Deum.

Econtra ubi diaboli occupant corda, suo adflatu turbant spiritus in corde et in cerebro, impediunt iudicia, et manifestos furores efficiunt, et impellunt corda et alia membra ad crudelissimos motus, ut, Medea interficit natos, Iudas sibi ipsi consciscit mortem.

Aspiciamus igitur naturam nostram, et diligenter eam regamus, et sciamus, oportere spiritus nostros esse domicilium Spiritus sancti, et oremus filium Dei, ut ipse depellat a nobis diabolos, et spiritum divinum in nostros spiritus transfundat.

De potentiis Animae.

Ostendimus utcunque picturas membrorum corporis humani. Cum enim necesse sit discerni actiones animae et actionum fontes, videlicet potentias, et aliae sint sedes et organa aliarum potentiarum in corpore, simul necesse est membra corporis aspici, ut sedes cogitationum est cerebrum, sedes adfectuum cor. Deinde alia sunt instrumenta praeparantia et coquentia nutrimentum, alia regentia motum localem. Ut autem haec varietas aliquo modo intelligatur, consideranda est fabricatio corporis, in quo ideo diversa membra condita sunt, ut sint instrumenta diversarum actionum. Utinam vero etiam aspicientes artem in hac miranda fabricatione et ipsas actiones hominum, scilicet noticias, diiudicationem, ratiocinationem et electionem, agnoscamus hanc rerum naturam non casu ex atomis confluxisse, sed mentem aeternam immensae potentiae, sapientiae et bonitatis architectaricem esse, quae ideo condidit hominem, et in eum transfudit radios suae lucis, ut eum agnoscamus et ei obediamus, et similitudinem divinitatis in nobis tueamur.

Nunc autem redeo ad quaestiones usitatas de potentiis.

Quot sunt potentiae Animae?

Quinque numerantur distinctae his adpellationibus: Vegetativa, Sentiens, Appetitiva, Motiva secundum locum, et Intellectiva. Hanc perspicuam enumerationem retineamus, omissis rixis.

Quaerunt alii, quomodo haec ad medicorum distributionem accommodari possint, qui potentias tres numerant: naturalem, animalem, et vitalem. In has distribuit coeteras potentias Galenus in libro de causis morborum. Naturalis eadem est, quae nominatur vegetativa. Animalis comprehendit sensus exteriores et interiores, et loco motivam. Vitalis est potentia cordis vivificum calorem et spiritus suppeditans coeteris, qui et fovent calore alias partes, et fiunt instrumenta actionum. Est et cor sedes adfectuum, qui proprie sic nominantur, ut suo loco dicemus.

Sed supervacaneum est recitare dissimiles enumerationes, praesertim cum rebus cognitis, non difficile sit iudicare, quae adpellationes cum quibus congruant, et quae species alicubi omissae sint.

DE VEGETATIVA.

Tria sunt officia vegetativae potentiae: nutrire, augere, et gignere. Nihil repugno, si qui vegetativam partiri volunt in tres potentias: nutritivam, augentem, et generativam. Sic enim aliqui loquuntur.

Quid est Nutritio?

Nutritio est conversio nutrimenti in substantiam animati, facta vi caloris naturalis, ut instauratio fiat in eo, quod absumi coeperat.

Quae sunt organa in animalibus?

Nutritionis organa vocantur membra proprie destinata ad accipiendum, transmutandum et transvehendum nutrimentum, scilicet: Os, Oesophagus, Ventriculus, Epar, et Venae deferentes sanguinem. Quanquam enim nutritio fit virtute omnium partium corporis, quae convertunt nutrimentum in substantiam suam, tamen aliae partes non nominantur huius officii organa, quia habent alias functiones principales. At oesophagi, ventriculi, epatis, venarum tantum haec sunt officia, ut nutritioni serviant. Ideo usitatum est has partes nominare organa Nutritionis.

Attribuuntur autem singulis membris universaliter quatuor ministrae facultates: Attractiva, Retentiva, Alterativa, et Expulsiva. Hae facultates serviunt nutritivae. Nutrimentum attrahi-

tur, et retinetur virtute certorum villorum, ut supra dixi. Transmutatur vero propria membri ut ventriculi et epatis natura. Superfluitas autem expellitur, et adiuvant certi villi expulsionem.

Quomodo fit nutritio in corpore humano?

Plantae nutrimentum per radices excipiunt. In insectis et in piscibus desunt quaedam membra. Quare omissis animantibus coeteris, dicam de nutritione in corpore humano.

Etsi autem postea discernemus genera adpetionum, tamen nunc ex eo loco aliquid huc transferendum est. Ut enim fiat nutritio, ordinatae sunt adpetitiones cibi et potus, fames et sitis.

Descriptio famis apud Galenum haec est. Fames est sensus suctionis venarum, quae cum deest nutrimentum, mulgentur ab exhaustis membris, quare cum et ipsae sugunt ventriculum, fit corrugatio ventriculi et orificii, quae sensu percipitur. Adfluit etiam aliquid atrae bilis, quae sua mordacitate acuit sensum illum corrugationis. Deinde imaginatio hoc irritata dolore, iudicat cibos quaerendos esse.

Aliqui tantum dicunt, causam adpetitionis esse frigiditatem ventriculi, et atram bilem adfluentem ad orificium ventriculi. Sed hae non sunt principales causae, verum suctio venarum est principalis causa famis. Omnibus enim membris naturaliter inest vis attrahendi nutrimentum ex vicino. Membra igitur exhausta mulgent venas, venae sugunt ventriculum. Inde sequitur ventriculi et orificii corrugatio, quae dolorem adfert propter concursum multorum nervorum in orificio.

Deinde sitis causa magis etiam perspicua est. Natura arefacta indiget rigatione. Et suctio venarum magis arefacit ventriculum et eius orificium. Et cibus cum sit calidus et solidior, minus opitulatur arefactioni. Adpetitio igitur oritur frigidi et humidi nutrimenti, quae nominatur sitis. Sentitur autem propter arefactionem in orificio ventriculi. Ita Galenus diserte inquit, famis et sitis organum esse orificium ventriculi, propterea, quod in eo loco sentitur irritatio.

Haec de naturali fame et siti dicuntur. Postea ut *βουλιμίας* sunt aliae causae, ita sitis praeternaturalis seu viciosa habet alias causas. In cruditate et in febribus halitus calidi et sanguinis ac spirituum accensio arefaciunt oesophagum et fauces, unde sitis fit ardentior. Magna moesticia propter extinctionem spirituum arefacit vasa, et accendit sanguinem, ut postea rigationem avidius adpetant et oesophagus et venae.

De modo nutritionis.

Et ad conservationem valetudinis, et ad medicationes ac multorum morborum depulsiones praecipue conducit nosse modum nutritionis, de quo tamen eo brevius dicam, quia ex descriptione anatomica, ubi dicitur, ad quos usus singula membra condita sint, utcunque et ordo ac modus nutritionis cognosci possunt.

Cum ventriculus accepit nutrimentum, amplectitur ipsum, ut coquat et vertat in chylum. Postea chylus per *πυλωρὸν* emittitur in duodenum intestinum et ieiunum. Ex ieiuno venae mesaraicae rapiunt id, quod purius et liquidius est, ac transvehunt in epar. Luculentum vero pellitur ex ieiuno in inferiora intestina. Transvectus autem chylus in epar, ibi coquitur ac vertitur in massam sanguineam, in qua insunt, ut dictum est, quatuor humores. Sed horum fit ex aliqua parte separatio. Multum rubrae bilis derivatur in folliculum fellis, multum atrae bilis in splenem transmittitur. Aquosa superfluitas cum ventum est ad cavam venam, plurima effunditur in venas emulgentes, et defluit ad renes et vesicam, fitque urina.

Reliquum sanguineae massae, quod est in cava vena, distribuitur inde in tres partes. Una evehitur in ramos ascendentes. Secunda in dextrum thalamum cordis, ut cor et pulmonem nutriat, et ut inde transfundantur rivuli in sinistrum thalamum cordis, unde spiritus gignuntur. Tertia pars sanguineae massae labitur in ramos ex trunco venae cavae descendentes, ad alenda inferiora membra.

In extremitatibus autem venarum sanguis ille vertitur in secundam humiditatem, quae nominatur Cambium, quae iam membris adponitur et assimilatur, quae quidem assimilatio revera est generatio quaedam, facta virtute spirituum et caloris naturalis in quolibet membro. Quia cuilibet membro insunt, ut ante dictum est, attractio, retentio, alteratio et expulsio. In quolibet enim *ζωὴ φυτικὴ* est ipse calor naturalis, qui et fovetur spiritu vitali, et est harum virium copulatio, videlicet attrahendi, retinendi, alterandi et expellendi.

Hic modus est nutritionis, in quo gradus sic discernuntur. Digestiones tres numero. Primam in ventriculo. Secundam in epate. Tertiam in extremitatibus venarum, ubi sanguis vertitur in secundas humiditates, quae nominantur cambium. Id postea attrahitur a membro nutriendo, et in eius substantiam vera generatione convertitur, ut dictum est. Etsi autem de numero digestionum alii aliter locuti sunt, tamen prolixiores et inutiles disputationes addere nolui.

De materia nutritionis, et aliis rebus eam adiuvantibus.

Dictum est de potentia, de organis, de modo nutritionis. Iam et de materia, videlicet de nutrimentis, de cibis et potu, et de externis rebus adiuvantibus nutritionem dicendum erat, quae numerantur sex:

Aër.
Cibus et potus.
Somnus et vigilia.
Motus et quies.
Evacuatio.
Adfectus animi.

Haec sex genera nominantur res non naturales, quia non sunt partes in hominis substantia. Nos hic recitamus, ut adpellatio rerum non naturalium, quae tamen nutritioni serviunt, nota sit. Et prodest saepe commonefacere iuniores de his ipsis rebus, ut maiore cura observent, quid conducat valetudinii, quid noceat. Petenda est autem longior doctrina a medicis.

Videmus hominem non nisi in aëre vivere. Et manifestum est, expiratione opus esse, ne multitudine spirituum repleta sede cordis strangulentur homines. Inspiratione vero opus est, quia aër refrigerat cor, et pars aëris mutatur in spiritus admixta halitibus, qui ex sanguine nascuntur. Hinc intelligi potest, facilime infici corda venenato aëre. Praeterea aër totum corporis temperamentum variat. Alia natura est corporis nati et educati in aëre Scythico, ubi sunt corpora ursis similiora, alia in aëre Libyco, ubi corpora sunt similiora simiis. Nec addam plura de aëre.

De cibis et potu consideret quisque, qui sint et communi hominum naturae, et suo temperamento convenientes. Nam sapientia Dei res certae ita conditae sunt, ut propter cognationem cum corpore humano, verti in sanguinem et addi corporibus nostris possint, aliae magis, aliae minus, ut ex tritico et vino fit sanguis. Ex arborum foliis et corticibus sanguis fieri non potest. Tantum vero addam hic duo dicta Hippocratis, quorum alterum monet, ut eligantur cibi convenientes suo cuiusque temperamento, qui vel arcere morbos, vel lenire possint, ut hi qui frigidum ventriculum habent, non bibant aquam, aut nimis tenuem cerevisiam. Sed vina mediocria, non cruda. Qui propter temperamentum calidius et siccius, aut etiam propter moesticiam parum dormiunt, utantur lactuca, amygdalis, croco. In hanc sententiam inquit Hippocrates: *Ἐν τροφῇ φαρμακίη ἄριστον.* Hanc regulam nosse et sequi in victu, omnibus iunioribus et senioribus valde utile est, possuntque hac diligentia saepe arceri periculosi morbi.

Sed medicamenta, quae non sunt cibi, nequaquam cibis miscenda sunt. Ut, rhabarbarum, aut agaricum non misceatur cibis. Ideo et haec sententia ab Hippocrate tradita est: *Ἐν τροφῇ φαρμακίη φλαυρὸν,* quia diversae sunt actiones cibi et pharmaci, et impeditur actio naturae cibum coquentis, cum interea pharmacum trahit et pellit viciosos humores.

De motu et quiete hoc tantum monendi sunt iuniores. Agitatio corporum praecedat cibos. Excitatur enim calor, superfluitates consumuntur et expelluntur, et irritatur adpetitio. Ita inquit Hippocrates: *Πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν.*

Maiore etiam cura omnes iuvenes et senes post sumptum cibum vitent omnes vehementiores motus corporis et animi, vitent et vocis contentionem. Tribuenda est enim quies ventriculo amplexo iam cibum, qui cum agitatur, patefit stomachus, et exhalant spiritus et calor, et fit dissipatio cibi. Hunc igitur et sensum pecudibus natura inditum videmus, ut postquam pastae sunt, ament quietem, et cubantes placide fruantur quiete. Nec dubium est, multos homines sibi certum exitium accersere talibus intempestivis agitationibus post sumptum cibum. Et exempla quaedam vidimus.

De evacuatione ordo naturae notus est. Deinde magna varietas est evacuationum, de qua consulendi sunt medici.

De adfectibus animi, quare ita conditi sint in natura, ut vel foveant vitam, vel extinguant, et sint tanquam flammae vindices et executio iu-

dicii divini, infra dicam. Certum est autem, valde multos homines tantum moesticia contabescere et interire, quia cor, quod sedes est adfectuum, torrefit, et spiritus gignuntur debiliores, et languefiunt omnes aliae vires. Ideo Hippocrates inquit: φροντὶς, χαλεπὴ νόσος. Medicatio autem omnium efficacissima est, fiducia praesentiae et auxilii divini acquiescere, et a Deo petere et expectare vel liberationem vel mitigationem, iuxta dictum: Iacta in Deum curam tuam, et ipse te enutriet.

De somno necesse est plura dicere. Et consideratis somni causis et utilitatibus, magna pars doctrinae de potentiis animae fit illustrior.

Somnus est quies animalis virtutis, quae fit, cum vapores utiles ex nutrimento exhalant in cerebrum, qui ibi suaviter liquescunt, et passim fluentes in cerebro obstruunt meatus sensuum et nervorum motivorum.

Initio autem causa finalis consideretur, quia mirum videri potest, cur facta sint haec intervalla motuum in animalibus, cum coelestes motus et fluminum nulla habeant intervalla. Sed hic ordo animalibus sancitus est: Quod caret alterna requie, durabile non est. Loquamur autem de hominibus, non de pecudibus.

Sicut tota natura hominis ita condita est, ut paulatim et consumptio fiat nativi humidi, et facienda sit instauratio per nutrimentum, et postea accesserit hominum naturae senectus et mors, eadem causa est, cur opus sit alimento et quiete. Nam et quies servit conservationi membrorum in hac natura, qualis nunc est. Cerebrum adsidua intentione, et cor adfectuum motibus arefierent et languescerent, si non recrearentur quiete. Quare ad hunc finem ordinata sunt haec intervalla, ut fiat rigatio cerebri, et in ipsa quiete rursus colligatur naturalis calor, item, ut cor aliquantisper minus turbetur adfectibus, et recuperet vires, et gignat spiritus maiore copia. Ac tunc simul iuvantur ventriculi et epatis actiones, quia calor et spiritus minus effunduntur quiescente corpore, imo tunc recreato corde et calor et spiritus coeteris membris uberius suppeditantur.

Propter has causas finales proximas ordinatum esse somnum in natura, qualis nunc est, facile intelligi potest. Cur autem natura hominum talis sit condita, ut fiat consumptio, et sit instauranda nutritione et quiete, non quaeritur causa a philosophis. Sed consilii divini causae aliquae cogitandae sunt. Inenarrabili sapientia et bonitate Dei decretum est, ut in hac natura corporali colligatur aeterna Ecclesia, et haec ita condita est, ut nutritione sustentaretur, et res in terra nascentes ei usui essent. Et cum in natura fiant consumptio et nutritio, quies ad haec ordinata est. Postquam autem natura hominum obnoxia est morti, et multo infirmior est quam fuit, intervalla quietis magis necessaria sunt. Deinde haec ipsa quies imago est mortis et resurrectionis, ut cogitemus et servari vitam, quanquam mortuis, sicut ex somno exuscitamur, quanquam ignari, quomodo id fiat. Imo ut vires redierunt meliores post somnum, ita hominum natura in his, in quibus est semen Dei, exuscitata, vires habet multo praestantiores. Sed has finales causas in illa aeterna consuetudine Dei integre intelligemus. Nunc physicum est aspicere praesentem naturam, et considerare in materia causas, quomodo fiant in ea usitatae mutationes.

Est igitur causa materialis, vapor suavis, qui cum liquescit, defluens obstruit meatus sensuum, et spiritus impedit, ne in nervos delabantur, qua re et motus localis sistitur. Non est enim viscosus aut lentus humor, qui laedit cerebrum, et efficit apoplexias. Sed suavis halitus est, qui postquam ascendit, frigiditate cerebri densatur, et defluit, rigans et humectans cerebrum. Ideoque Aristoteles Euripo hunc vaporum motum confert, quod ascendentes refluant, et alii succedant.

Formalis causa est ipsa, quies, hoc est, vacatio sensuum exteriorum et motus localis. Nam interiores sensus minus impediuntur.

Causam efficientem hic nominant eam, quae coctionem cibi adiuvat, unde vapores exhalant. Sit igitur haec causa, ipse calor intro revocatus virtute cordis, qua in re consilium et ordinem naturae considerare valde prodest.

Toties iam dictum est, cum naturam hominum Deus opifex talem condiderit, ut velit eam nutritione servari, multa instituit, quae ad id opus conducunt. Sumpto alimento fieri in ventriculo et epate coctionem necesse est. Eodem tempore simul cum novo sanguine cor rigatur et reficitur, plurimum spirituum gignitur. Ut igitur cor actioni propriae, et ventriculi et epatis opem ferat, minus spargit calorem in externa membra.

Iam revocato calore intro, cum coepit fieri coctio, simul exhalant vapores in cerebrum, et liquescentes obstruunt meatus sensuum, et impediunt spiritus, ne delabantur in nervos, qua re sistitur motus localis.

Ita tunc simul iuvantur quiete externa, ventriculus, epar, cor, et cerebrum. Ac iustissimum est esse aliqua certa intervalla, in quibus haec praecipua membra hominis reficiantur. Nec aliam causam quaeri opus est, cur intro calor revocetur, nisi quia necesse fuit hunc ordinem nutritioni servire, et in hoc ipso intervallo cor et cerebrum refici. Quare et intro calor revocatur, et foris ocium est.

Adiuvat autem revocationem caloris, et ipse defluxus vaporum liquescentium ex cerebro, qui cum ambiunt calorem cordis, densiorem efficiunt. Ac revocari calorem manifestum est. Nam in somno corpora pluribus tegumentis indigent. Et Hippocrates inquit: *Τὸ αἷμα ἐν ὕπνῳ εἴσω μᾶλλον φεύγει.*

De causis finalibus non est obscura doctrina. Sentiunt etiam indocti manifesta et ingentia beneficia somni. Praecipuae potentiae humani corporis, et earum organa somno iuvantur. Virtus nutritiva sine auxilio somni coctionem non potest perficere. Ac insomnium tetra et exitiosa cruditas sequitur.

Deinde cor fieri languidius necesse est, cum neque recte nutriatur, neque gignere copiam spirituum convenientem possit, dissipato calore.

Cerebri vero et nervorum virtus celeriter penitus extinguitur, nisi somno foveatur. Nam et nutrimento et rigatione, et quiete cerebrum indiget. Et languefacto cerebro, et deficientibus spiritibus, nervorum debilitatem sequi necesse est. Sicut Hippocrates inquit, vigilias immoderatas adferre spasmos et desipientiam: *Ἐπὶ ἀγρυπνίῃ σπασμὸς καὶ παραφροσύνη.*

Nec difficile est iis, qui non prorsus ignari sunt physices, cernere causas, cur intempestivas et immoderatas vigilias magni et sevi morbi sequantur. Quare unusquisque se adsuefaciat, ut ordini naturae obtemperet, amet tempestivam quietem, et eam tueri studeat. Nam ad coetera mala hoc quoque accedit propter immoderatas vigilias, ut paulatim somnus prorsus amittatur, debilitate ventriculi et cerebri. Sciamus igitur dulcissimos versiculos, qui ex Menandro citantur, et causarum cogitatione, ut physicos decet, nos confirmemus, ut naturae ordinem libenter tueamur:

ὕπνος πέφυκε σώματος σωτηρία.

Item:

ὕπνος δὲ πᾶσιν ἐστὶν ὑγεία βίου.

Dic Aristotelicam definitionem.

Somnus est quies principii sensuum, seu ut Aristoteles loquitur, *πρώτου αἰσθητικοῦ.* In hac descriptione si cerebrum intelligeretur esse *πρῶτον αἰσθητικὸν*, non dissideret autor a coeteris. Sed Aristoteles addit aliam enarrationem. Intelligit *πρῶτον αἰσθητικὸν*, Cor esse. Non fit autem somnus proprie impedito corde, aut cessante. Constat enim in somno spirationem cordis, multo fortiorem esse, propter revocati caloris copiam, quam in vigilantibus. Non igitur impeditum est cor, nec cessat in somno nativa ipsius actio.

Causa autem erroris Aristoteli fuit, quia putavit, cor esse immediatum principium motus et sensuum. Ideo cum in somno cessent motus localis et sensus, adfingit cor impeditum esse, nec animadvertit repugnantiam. Cor enim non cessare spiratio fortior testatur.

Praeterea nervi sunt propria instrumenta sensuum et motus localis. Nervos autem oriri a cerebro, testatur inspectio. Ideo cum cessant sensuum actiones, quaerenda est causa proxima in cerebro. Hinc adparet, cur ab Aristotele dissentiat Galenus. Nec de re manifesta prolixius disputabo, quanquam a nonnullis recentioribus quaesitae sunt praestigiae ad excusandum Aristotelem.

Illa quaestio addenda est, quare cum motus localis cesset, moveantur tamen in somno musculi thoracis in spiratione? Quia etsi alibi musculi serviunt voluntariis motibus, tamen musculi thoracis moventur mixto motu. Partim enim cientur voluntario motu, partim impelluntur a spiratione sicut urinae meatus aperiuntur non tantum voluntario motu, sed etiam interdum in nolentibus cedunt erumpenti urinae. In apoplexia desinit spiratio, quia laeso et corrupto principio nervorum, videlicet cerebro, simul extinguitur vis nervorum, qui directi sunt in musculos thoracis. Prorsus igitur desinit motus. At in somno principium nervorum suaviter recreatur, quare cum nervi sint incolumes, possunt musculi cieri a spiratione.

De ordine cibi et somni, cognitis causis somni, facile est ratioçinari, nec inanes suaviter dormire, nec immodico cibo oneratos. Sapiens antiquitas in omnibus rebus in tuendo ordine diligentior fuit. Extat igitur exemplum ordinis balnearum, cibi, et somni apud Homerum in ultimo libro Odysseae:

'Επεὶ λούσαιτο, φάγοι τε.
Εὐδέμεναι μαλακῶς, ἣ γὰρ δίκη ἐστὶ γερόντων.
Ut lavit sumpsitque cibum, dat membra sopori,
Mollibus in stratis, vacuus curaque metuque:
Corpora ceu prodest senio confecta foveri.

Balneae antecedant coenas. A coena exiguum sit intervallum ad somnum. Molli ambulatione cibus ex orificio ventriculi descendit, et orificium clauditur. Deinde quies gratissima est ventriculo, ac primum in dextro latere cubandum est, ne hiet os ventriculi. Fit igitur collecto calore in somno coctio, prohibetur cruditas, conservatur calor naturalis, gignitur sanguis suavior, sequitur et virium et coloris bonitas.

Moveat autem singulos consideratio harum causarum et effectuum, ut maiore cura ordinem divinitus institutum in natura tueantur, et tribuant somno covenientia tempora, nec extendant vigilias post coenam in multam noctem, quae valde labefaciunt vires humani corporis. Sequitur enim cruditas, dissipatur calor naturalis, languescit virtus ventriculi et epatis, gignitur sanguis impurus, repletur corpus viciosis humoribus, et fit *κακοχυμία*, turbantur spiritus, cerebrum valde debilitatur adsiduitate motus, et ipso spirituum aestu, ac impedita suavi nutritione. Nec existimetur leve scelus esse, propria corpora petulanter necare, et corrumpere cor et cerebrum, quae debent esse domicilia Dei, et actionum divinarum organa.

De somniis.

Addemus brevem admonitionem de somniis, quae quomodo fiant, longior disputatio est infra, ubi de sensibus interioribus dicitur.

Sunt autem alia physica, alia divina, alia diabolica. Nunc de physicis dicam, quorum alia sunt vulgaria et communissima omnibus, nihil significantia. Alia rariora sunt utcunque *μαντικὰ* seu praesagientia. Utraque autem sic fiunt.

Cogitatio interior fit, cum cerebrum feritur a spiritibus, et cerebrum, quod assidue movetur, suo quodam motu facit spirituum commixtiones, et compositione spirituum format imagines. Ut enim lingua sonos ex trachea acceptos format, et in eis facit articulatam vocem, ita cerebrum admirabili natura sua, format in spirituum compositione imagines.

Fiunt igitur et in somno concursu spirituum imagines, quarum multae sunt similes earum imaginum, quas vigilando formamus, quia ex memoria illi spiritus, quibus imagines priores impressimus, recurrunt. Inde hoc dictum est Claudiani:

Causidicis lites, aurigae somnia currus.

Multae imagines imitantur humores, quia spiritus accipiunt temperamenta ab humoribus. Ut, qui abundant vitioso phlegmate, somniant se natare. Ita Ephialtae fiunt in somno, cum crassus humor, seu in cerebro, seu in thorace, impedit motum thoracis, eaque compressio movet imaginationem, ut cogitet ab aliquo alio premi thoracem.

Alia rariora sunt *μαντικὰ*, quae tamen non sunt divina, sed sunt familiaria certis temperamentis, sicut alius suo temperamento magis musicus est, quam alius, aut agilior ad scandendum. Tales naturas nominat Aristoteles *εὐθυονείρους καὶ εὐστόχους*, quae saepius habent somnia significantia, quam aliae. Existimo autem recte dici causam esse temperamenti proprietatem, sicut et Astrologi existimant. Sed inepti sunt, qui praecepta de interpretationibus tradunt, cum alii alias habeant imagines.

Exempla vero in historiis multa leguntur magnorum ducum, ut Syllae, Luculli, et aliorum, qui in somniis multos eventus praeviderunt. Et Augusti medicus somniaverat in castris, diripi tabernaculum Augusti. Admonitus igitur Augustus, alio secessit. Nec fefellit eventus. Nam post pugnam fugato illo cornu, direptum est tabernaculum.

Cicero multa recitat, et ipse somniavit, Octavium principem reipublicae fore, priusquam puerum nosset.

Nec desunt usquam exempla talium somniorum. Ac multa recitare ex proximo bello possem.

Quanquam autem saepe talibus somniis respondent eventus, tamen multa etiam in hoc genere sunt aut ambigua et fallacia, aut prorsus ina-

nia, ut saepe experientia ostendit. Ac de his quoque recte dicitur a Tibullo:

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falsa timere iubent.

Non igitur tribuenda est fides his somniis, sed praecepto Dei obtemperandum est, quod prohibet adseverationes ex somniis, iis videlicet, quae non sunt divina, ut textus inquit in cap. 15. Deuteronomii. Et saepe ambiguitas decepit interpretes. Ut Darius somniaverat, se videre Macedonicum exercitum incedere ardentem per Asiam, ac venire Babylonem, ibique Alexandrum indutum veste Persica ire in templum, ac ibi statim evanescere. Arbitrabatur ergo Darius, Macedonico exercitui significari exitium per flammas, et Alexandrum indutum veste Persica venturum in servitutem. Sed flammae significabant celeritatem et victorias. Vestis significabat Alexandrum potiturum regno Persico. Sunt igitur fallaces coniecturae, ut aliae multae sunt ex signis.

Tertium genus divinum est, quod Deus mentibus inserit per sese. Talia sunt vaticinia Iacob, Ioseph, Danielis et similium, quae Deus de magnis rebus, de gubernatione Ecclesiae et de imperiis monstravit. His somniis adduntur testimonia divinitus, ut mentes sciant ea divinitus offerri. Sicut et somnio Nabugdonosor additum est illustre testimonium, quia cum rex imaginem ostensam oblitus esset, Danieli eam Deus rursus ostendit, ut se autorem esse testaretur. Haec divina somnia sunt vaticinia probata, de quibus saepe in sacris historiis dicitur, nec pertinent ad communem regulam, quae divinationes ex aliis somniis prohibet.

Quartum genus est diabolicum, ut cum diaboli offerunt imagines conviviorum et ludorum veneficis mulieribus, quas tamen compertum est, nusquam abiisse, sed dormientes gestu et clamore somnia saltationum significasse. Et huius generis fanatica exempla Ethnicorum, Manicheorum et Anabaptistarum recitari multa possent. Hic insidiae diaboli prudenter cavendae sunt. Et constanter repellendae sunt hae praestigiae. Sed nolo huic commemorationi diutius immorari.

De auctrice potentia.

Ut de nutritiva quaesivimus, quae sit ea potentia, quae habeat organa, quomodo fiat nutritio, ita deinceps de coeteris hunc ordinem sequemur.

Quid est augmentativa potentia?

Non differt haec reipsa a nutritiva, sed tempore et quantitate. Nam nutritiva in adolescentia, donec calor nativus fortis est, plus nutrimenti convertit in substantiam, quam amissum est. Ita crescunt omnia membra, fiuntque simul nutritio et augmentatio. Sunt igitur causae eaedem et eadem organa.

Quid est augmentatio?

Est talis nutritio, qua non solum idem corporis modus alitur, sed etiam accedit magnitudo certo tempore secundum omnes dimensiones, longitudinem, latitudinem et spissitudinem, ac pro proportione omnia membra augentur, quod fit usque ad iuventutis initium, videlicet usque ad annum quintum et vicesimum, aut circiter. Ac plurimum differt pinguefactio ab augmentatione. Nam pinguefactione non crescunt omnia membra, sed additur carni quaedam humiditas superflua, ex bono sanguine redundans. Non enim loquor de *κακοχυμία*, quae est humorum pravitas in toto corpore.

Dixi autem certi temporis augmentationem esse, quia natura omnibus animantibus constitutae sunt metae incrementi et decrementi. Cum igitur ordine naturae ventum est ad *ἀκμὴν*, nutritiva non plus nutrimenti convertit, quam amissum est, et paulatim post *ἀκμὴν* fit actio languidior, quod ut aliquo modo intelligi possit, vitae et caloris fontem, ut ita dicam, consideremus.

Quare post ἀκμὴν paulatim deficit natura animantium?

Ut in flamma lychni necesse est quandam humiditatem esse glutinantem flammae partes, sic in corpore animantis, est quoddam aëreum humidum, optimum, quod nominatur Radicale, fusum per totum corpus, propagatum a semine, glutinans omnes partes, in quo radicali humido immediate vehitur calor coelestis et vivificus. Hoc humido extincto calor etiam evanescit.

Depascitur autem humidum a calore, et vicissim nativus calor deficiente pabulo fit languidior, ut flamma attenuatur deficiente cera.

Quanquam autem alitur humidum radicale quotidiano nutrimento, tamen hoc quod in omnibus membris acquiritur in nutritione, est im-

purius. Ut in vino, dum vis est integra, facile in naturam convertit pauxillum aquae. Sed si paulatim plus aquae infundatur, fit vinum impurius.

Sic igitur et vita deficit, quia nec caloris vigor manet, nec pabuli puritas. Mutua igitur labefactatione utrumque extinguitur. Acquisitum humidum non est aequale radicali. Fit ergo et calor imbecillior deteriore pabulo. Et rursus calor languidus minus foeliciter convertit nutrimentum. Simul ergo labuntur, et humidum radicale, et nativus calor. Hinc intelligi potest, quare ἀκμὴ non sit perpetua, et cito accedat senectus.

Ideo Aristoteles definivit mortem esse extinctionem innati caloris, videlicet absumpto radicali humido. Extinguitur autem humidum radicale paulatim illa ipsa acquisiti nutrimenti impuritate. Et accelerant extinctionem causae externae et violentae multae, intemperantia, inedia, pravitas cibi et potus, defatigationes omnis generis. Hae causae eo considerandae sunt, ut in tuendis naturae nostrae viribus simus diligentiores, quod et Deus praecipit.

Quid est generativa potentia?

Est potentia in animantibus generans simile, ordinata ad speciei conservationem. Estque hic ordo considerandus. Nutritiva conservat individuum. Augmentativa provehit ad iustam magnitudinem. Generativa conservat speciem.

Etsi autem in tota natura ordo testimonium est, non extitisse mundum casu, tamen hoc indicium illustre est, quod perpetuo manent eaedem species, et quod in qualibet specie propagantur similia, nec fit specierum confusio, quod fieret, si casu et temere, sine opificis consilio omnia orirentur. Cumque hic ordo in natura institutus sit, ut species hoc modo conserventur propagatione similium, dictum est ab Aristotele: Naturalissimum opus est in viventibus, generare simile.

De organis generationis supra in anatomicis descriptionibus dictum est. Pauca autem hic de semine et formatione foetus addemus.

Semen animalis est utilis superfluitas ultimi alimenti sanguinei per totum corpus dispersi, post quartam digestionem decisa, quae attrahitur a vasis seminariis, et perficitur ac conservatur in testibus ad generationem. Sunt autem vasa seminaria certae venae, quarum picturae, ut ita dicam, supra in descriptione anatomica considerentur.

Quidam semen oriri tantum a cerebro putarunt, sed constat plurimum quidem a cerebro, sed totum ab omnibus membris derivari. Cum enim ex eo omnia membra formentur, consentaneum est, ipsum ab omnibus membris oriri. Nam similia similibus procreantur. Itaque Hippocrates inquit: *Ἔρχεται γόνος ἀπὸ παντὸς τοῦ σώματος, καὶ ἀπὸ μὲν τῶν ὑγιεινῶν ὑγιεινὸς, ἀπὸ δὲ τῶν νοσερῶν νοσερός.* Ut igitur similitudo, ita imbecillitas certorum membrorum in parentibus propagatur in prolem, ut cerebri, epatis, ventriculi, renum.

Quia autem semen utile alimentum est, et plenum copioso vitali spiritu, corpora valde debilitantur nimia profusione seminis. Nam et corpori alimentum detrahitur, et plurimum eiicitur spiritus.

Nunc breviter de formatione foetus dicam. Cum matrix excepit semen viri, iungitur virili semini muliebre semen. Hic magna controversia est. An mulier concurrat active ad procreationem foetus? Aristoteles non tribuit semen mulieri, sed dixit, materiam foetus esse sanguinem menstruum, et viri semen habere se active, ac verti in spiritum, et sua vi tanquam fabrum materiam illam disponere, ut inde foetus procreetur. Haec est summa sententiae Aristotelis.

Sed Galenum sequamur, qui adfirmat, iuncta semina viri et mulieris esse materiam foetus, etsi in his viri semen calidius et crassius est, mulieris vero semen humidius ac frigidius, et ob hanc causam velut nutrimentum esse virili semini, inquit.

Cum igitur matrix accepit iuncta semina, principio calor matricis, velut furni, leviter assando efficit panniculum, tanquam crustam circa semen, estque haec initio velut ovi species, quia membrana circundat semen intus bulliens, cum sit valde spirituosum. Ac fit panniculus ex exteriore seminum parte, ac praecipue ex muliebri, quod est humidius et magis extendi potest. Is panniculus Graece nominatur *χόριον*, Latinis secundae, vulgo secundina. Et non solum locus est reliquo semini, sed etiam habet alios usus. Desinunt enim in matricem innumera orificia venarum et arteriarum, et ut per ea sanguis menstruus influat, et ut foetui transmittatur nutrimentum.

Haec orificia similia sunt acetabulis polypi, eamque ob causam nominantur κοτυληδόνες, quarum cum sit apta figura ad amplectendum χόριον, adglutinatur undique panniculus ille matrici, nam et tota matrix appetit semen, idque foveri a tota matrice oportet.

Sunt autem in toto chorio fibrae multae, quae varie inter se contextae coëunt, et constituunt duas venas et duas arterias, et in medio meatum, qui nominatur οὐραχός. Hae venae et arteriae sunt velut radices foetus, insertae enim reliquo semini, constituunt umbilicum. Primis igitur sex diebus adornantur fibrae illae, et semen intus fervet.

Deinde cum sexto aut septimo die umbilicus fabricatus est, ut dixi, iunctis illis venis et arteriis, hic primum attrahitur sanguis et spiritus per venas et arterias illas, qui transmittatur ad semen, et misceatur semini, ut formentur principalia membra. Nam et in chorio fiunt foramina similia cotyledonibus, quibus adglutinatum est, per quae radiculae illae attrahunt sanguinem et spiritum.

Interea semen aestuans, tres ampullas quasi exiguas vesiculas facit, quae sunt loca epatis, cordis et cerebri. Trahit igitur vena ex umbilico porrecta, sanguinem crassiorem seu nutrimentalem, qui facile in semine coagulatur. Simul autem fit bifida vena, ac ramo alteri coagulum illud agnascitur. Haec est epatis formatio. Est enim epar simile coagulato sanguini.

Alteri autem ramo bifidae illius venae agnascuntur μεσεντέριον, ventriculus, splen, intestina.

Natis iam venarum radicibus in epate, colligitur velut truncus venarum in gibba parte epatis, et fit maxima venarum, cui nomen est vena cava, quae alios ramos sursum porrigit, ex quibus fiunt διάφραγμα et pars spinae dorsi supra diaphragma. Inferiores rami procreant reliquam partem spinae circa lumbos.

Arteriae vero ab umbilico in semen sparsae tendunt ad spinam dorsi, et paulatim ad locum cordis propagantur. Hae arteriae attrahunt calidissimum et subtilissimum sanguinem, ex quo in vesicula illa cordi destinata cor gignitur, quod est natura carnea, solida et spissa, quemadmodum convenit membro calidissimo.

Simul autem cordi vena cava sanguinem nutrientem advehit. Iamque aorta nascens spiritum evehit in universum aedificium, ut spiritu et vivifico calore tota formatio perficiatur.

Cum autem epar, et cor et coetera membra formentur ex sanguine, venae, arteriae, cartilagines, ossa, panniculi, πλευρὰ, ligamenta, ex crassiore seminis parte, simul pars subtilissima seminis, et plena optimi spiritus, quasi colata et expressa ex crassiore massa, sursum pellitur in ampullam tertiam, ut inde cerebrum formetur, et ex cerebro nervi. Quanquam autem huius mirandae aedificationis ratio non potest reddi, tamen ipsa machina humani corporis diligentissime aspicienda est, et considerandum, quae pars ex qua materia et ad quos usus condita sit. Quid mirabilius est quam cerebrum et nervos motus ac sensuum instrumenta, totumque illud domicilium cognitionis et sapientiae, maxime cognatum esse semini, et ex ea materia proxime oriri? Ut igitur cerebrum simile est coelesti naturae, quia lucis capax est, ita semen est quiddam cognatum coelesti naturae, quo ut homines singulari reverentia uterentur, Deus metas nobis circumdedit, ne temere effundatur, et ut certo sciamus, ordinem in ea re ab ipso sancitum esse, horribilibus poenis iudicium et iram suam declarat.

Tempora foetus varie discernuntur, ac masculi quidem citius absolvuntur quam foemellae, quia in masculis calor vehementior est, et in eodem genere alii citius, alii tardius maturescunt.

Primis sex diebus bulliente semine, fiunt ampullae, et velut quaedam ovi species existit. Haec nondum adpellatur foetus, sed γονὴ, id est, semen.

Deinde novem diebus attrahitur sanguis, ex quo paulatim epar et cor fiunt, ita ut post duodecim dies iam discerni possit delineatio epatis, cordis et cerebri. Iam igitur Foetus nominatur. Et graeca adpellatione ἔμβρυον, id est, pullulans seu germinans, ἔμβρυον, quasi ἔσω βρύον, id est, intus in utero germinans, a βρύω, quod est pullulo, germino, scaturio, πηγάζω, ἀναβλύζω.

Postea octodecim diebus membra coetera formantur et distinguuntur, seu ut venustissime inquit Hippocrates, ramos exerit foetus.

Hos dies si collegeris, invenies dies 45. Tunc enim formatis et distinctis membris, vivere iam foetus incipit, quia sentit. Ideoque aiunt, Animas inseri pueris circiter 45. diem, et tunc non solum ἔμβρυον, sed etiam infantem nominant. Nondum tamen propter imbecillitatem mo-

vetur. Sed Hippocrates regulam hanc tradit. Dies a conceptione ad formationem duplicati indicant diem motus. Postea triplicati dies motus, indicant diem edendi partus. Ut si foetus formatus est 45. die, movetur nonagesimo, et editur nono mense. Estque hoc tempus usitatissimum, praesertim in maribus, foemellae vero decimo mense eduntur. Et de sero partu inquit Hippocrates: *Ἐς ἰδέην ἡέλιοι ν., ἐς πρῶτον ἅλμα ϙ., ἐς τελειότητα τ.*

Sic autem editur infans, cum iam crevit, et ampliore nutrimento indiget, quam quantum ex cotyledonibus per umbilicum attrahit, movetur maiore impetu, adeo ut rumpat panniculos, et quasdam chorii venas. Quare matrix retinere foetum diutius non potest. Cumque iam aperitur matrix, sentit infans aërem ingredientem, quem captans movetur versus os matricis. Hoc modo rite partus editur, capite primum exeunte. Et plorans venit in hanc lucem, velut praesagiens calamitates huius vitae, in quam ingreditur. Plorat autem ideo, quia motus ille ac tractatio, non fit sine dolore, et offensione teneri corpusculi.

Editi sexto mense aut citius non vivunt. Nondum enim plane perfectus est foetus. Septimo mense editi vivere possunt. Tunc enim absolutus est foetus. Exempla Plinius recitat, et Homerus scribit, Eurystheum, qui late regnavit in Graecia, et Herculi labores iniunxit, editum esse septimo mense. Sic enim inquit Homerus lib. *τ'*: *ἡ δ' ἐκύει φίλον υἱόν, ὁ δ' ἕβδομος εἱστήκει μείς.* Et tamen quod mireris, octavo mense editi non solent vivere. Nam septimo mense, qui criticus est, foetus movetur ad exitum, cum natura eius valida est. Cum autem natura foetus imbecilla est, non potest edi, sed transfertur in aliam alui partem: tunc vero si octavo mense edatur, nec post criticum tempus prodest moveri materiam, et gemina migratio magis adfligit infantem, cum et septimo mense in aliam alui partem translatus est, et non multo post octavo mense editus.

Quod autem septimus mensis sit criticus, causa ad astra refertur, quia tunc Sol sit in signo, quod oppositum est signo conceptus.

Calor maior seminis, dicitur esse causa, cur masculi nascantur. Similitudinis causa, ut Galenus existimat, vis est maior paterni aut materni seminis. Sed in tanta varietate, et astrorum sua est vis. Nam boni positus siderum in formis venustatem, hilaritatem, et quasi lumen efficiunt. Infausti positus siderum insigniter deformant corpora.

De gemellis consentaneum est, etsi non sunt cellae in matrice humana, ut in belluinis, tamen cum discrimen sit inter latera, dextrum et sinistrum, semina distincta non continua, labi in diversa latera, vel uno conceptu, vel diversis, ut ferunt natos esse gemellos Iphiclum et Herculem. Cum enim Iphiclum concepisset Alcmena ex marito, postea dicitur Herculem ex Iove concepisse. Id nominant *ἐπικύησιν*, vulgo superfoetationem. Aristoteles multa recenset exempla in 7. de natura animalium. Ait adulteram quandam gemellos peperisse, quorum alter similis marito fuerit, alter moecho. Sed ut hoc modo gemelli concipi aut absolvi possint, non sit longum intervallum inter duos conceptus. Nam matrix occupata altero foetu, cum iam formari et crescere incipit, non concedit locum alteri. Sed haec omitto. Nam et Aristoteles inquit, superfoetationem hominum raram esse. Saepius uno conceptu gemelli nascuntur. De laterum vero discrimine verba sunt haec in quinto libro Aphorismorum: *ἔμβρυα τὰ μὲν ἄῤῥενα ἐν τοῖσι δεξιοῖσι, τὰ δὲ θήλεα ἐν τοῖς ἀριστεροῖσι μᾶλλον.*

De potentia sentiente.

Quid est potentia sentiens?

Est quae ad cognitionem singularium in corporibus animantium condita est. Etsi autem postea, cum de iudicio et ratiocinatione in mente dicetur, admonendi sunt iuniores, ut apud sese cogitent, quantum bonum sit cognitio, et ad quos usus homini attributa sit, tamen hic quoque de sensibus considerent, dignitatem eorum in homine eo maiorem esse, quia nuncii sunt mentis, sicut dicitur, a sensu oriri sequentes in mente actiones. Item nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu, quod etsi non congruit ad omnes noticias, tamen de plurimis vere dictum est.

Sunt autem sensuum ordines duo: Exterior, et interior.

Sensus exteriores sunt quinque: Visus, auditus, olfactus, gustus, tactus.

Quid est sensus Visus.

Est sensus percipiens oculis lucem et colorem, tanquam propria obiecta, et magnitudines,

figuras, numerum, motum et situm corporum tanquam communia obiecta.

Utilitatis magnitudo non potest satis declarari. Sed monendi sunt iuniores, ut horum mirabilium operum divinorum artem, bonitatem et usus aliquo modo considerent. Qualis esset vita, si perpetuae tenebrae essent, aut si lux non posset adprehendi? Condidit Deus lucem, et vult notam esse, et distinxit eam a tenebris. Ac naturam hominis talem condidit, ut adprehendere lucem, et discernere eam oculis possit. Nec quid sit haec pulcherrima res, lux videlicet, quae ostendit res coeteras, verbis exponi potest. Sed oculi eam agnoscunt, et a tenebris discernunt. Vult autem Deus hac corporali luce considerata, intelligi, et sese esse lucem quandam admirandam, ut homines sancti aliquando experiuntur.

Quod est organum?

Oculus et in oculo crystallinus humor, qui et sua natura lucet, et adferunt ei spiritum nervi optici. Hic spiritus vitam impertit oculis, estque velut flammula, naturam referens lucis coelestis, tribuens vim videndi. Hac flamma tanquam vita, in humorem crystallinum sparsa, fit hoc modo visio, quia crystallinus humor recipit illatas ab obiecto species, quae ibi imaginem efficiunt, ut illapsae in speculum, seu ut fit in sigilli impressione.

Quod est obiectum?

Propria obiecta sunt: Lux et Color. Nec dubium est, colorem esse qualitatem mixti corporis, ortam a commixtione lucidorum corporum cum obscuris. Haec descriptio utcunque intelligi potest, agnita lucis natura, quam oculis cernimus. Sed constituere lucis definitionem difficile est. Nos dicimus, qualitatem esse in corporibus coelestibus, et in igni, aëre et aqua ostendentem, et sese et alia corpora.

Narratio autem prophetica magis perspicua est, quae lucem nominat, ipsa corpora coelestia, quae sunt fons luminis corporum. Cum enim dicitur: Fiat lux, haud dubie significantur corpora coelestia, in quibus singulari consilio Deus hoc bonum sparsit, quod Lucem nominamus. Cum igitur de luce quaerimus, oculi coelum intueantur, nec quaerant alias definitiones.

De modo visionis.

Toties iam dicimus, non penitus perspici rerum naturam, sed utcunque foris aspici. Consideremus igitur eam quantum conceditur, et agnoscamus Deum opificem, qui haec miranda opera voluit esse testimonia de sua sapientia et potentia, voluit etiam esse commonefactiones de aliis arcanis actionibus. Ut in oculo fiunt imagines, velut in speculo, sic ipse nostris mentibus imprimit imagines de sese, velut speculo.

Etsi autem de modo visionis multae quaestiones agitantur, tamen nos, ut in re non pervestigabili, recitabimus sine longa disputatione opiniones non monstrosas, quas receperunt eruditi, qui haec diligentius consideraverunt.

Nonnulli existimarunt, visionem fieri radiis ex oculo emissis, et ferientibus seu comprehendentibus obiecta. Sed Aristoteles sapienter refragatur, quia in oculo, non extra oculum fieri visionem oportet. Iam si radii procurrentes non redirent, fieret visio extra oculum.

Deinde radii non sunt tam longi, ut Lunam aut Solem attingant. Quare et Aristoteles et Optici dicunt, in medio perspicuo ad oculum, qui et ipse lucidus est, ferri colorum species, quas ut aër, ita oculus lucidus recipit. Hac receptione fieri visionem dicunt.

Iam altera quaestio est: An a corporibus aliquod lumen spargatur, quod nominant speciem visibilem, ut cum in speculis redduntur imagines, existimamus ab obiectis lumen transmissum esse, quod cum reflectitur et coit, integram efficit imaginem.

Occam negat aliquid esse has species, et existimat, corpora adparere in lucida superficie, quia sic condita sit natura, ut in lucidis res cerni possint. Quod vero Optici nominant speciem, arbitratur eos loqui de lineis mathematicis, quibus obiecta occurrunt oculis, non quod reipsa colores gignant lumen seu radios.

Sed alia communis est sententia, spargi a luce et a colore lumen, ut a sole spargi radios manifestum est. Cum enim radii solis in obscuris locis per foramen inserti, ab altero pariete reflectuntur, coit lumen, quod ita condensatum conspicitur. Cernimus et refractos radios, qui sic vocantur, cum in medio densiore, ut in aqua, aut in vitro, lumen coit. Esse igitur aliquam a

luce propagatam et effusam qualitatem in aëre, consentaneum est.

Accedunt huc et hae coniecturae, quod manifestum est, in visione oculos adfici, et regula est: Excellens sensibile laedit sensum, ut experimur conspectu solis aut fulguris laedi oculos. Quomodo autem laederentur, nisi res aliqua attingeret ac feriret oculos?

Deinde, cur cava specula inversas imagines reddunt, ut stare in capite videantur, nisi quia species aliter reflectuntur ex cavis, quam ex planis aut convexis? Etsi autem fatemur, totam visionis rationem, ut alia multa, impervestigabilem esse, tamen hac communi opinione contenti simus, quae eo etiam nobis minus displicet, quia videtur ideo sic condita esse natura lucida, ut radios spargat, ut aliquo modo significatio seu commonefactio ostendatur de aeterno patre et filio, qui est *ἀπαύγασμα* aeterni patris.

Ad visionem autem necessarium est medium perspicuum, quod nominant *διαφανὲς*, inter obiectum et oculum. Nam obiectum sine medio perspicuo oculis admotum, non conspicitur. Sit igitur intervallum, quo a coloribus lumen spargi possit, et sit hoc intervallum perspicuum, videlicet aër aut aqua, quia sine luce externa, colorum lumen adeo debile est, ut neque conspici, neque discerni possit. Usitatum est, cum de visione dicitur, Medium nominare causam sine qua non. Seu ut Graeci loquuntur: *ὧν οὐκ ἄνευ.* Tales causae, cur ita nominentur, in physicis recitatum est.

Situs etiam in visione considerandus est. Quidquid videtur, secundum rectam lineam videtur. Ac pyramidis figura lineae in oculum incurrunt, cuius basis est in obiecto, conus vero in oculo, fitque pyramis paulatim minor, quo longius ab obiecto recedit, species etiam paulatim attenuantur. Ex his initiis, de situ, quando et qua varietate lineae perveniant ad oculum, doctrina optica extruitur.

Quanquam autem oculi duo sunt, tamen unum obiectum non videtur geminum, quia species ab utroque oculo coëunt in nervos opticos, qui iuncti sunt, ut concurrant ibi receptae species. Quare una res non videtur gemina, nisi cum species non iunguntur. Tunc enim una res adparet gemina, cum oculi distorti non similiter idem contuentur. Haec ratio extat in Problematis Aristotelis.

Quid est sensus Auditus?

Est sensus in auribus, percipiens sonos per aërem vel aquam.

Quod est obiectum?

Sonus. Est autem sonus qualitas orta ex aëris fractione, quae fit collisis duobus duris corporibus, latitudinem aliquam habentibus. Haec fractio perinde in aëre spargitur, ut lapillo in aquam coniecto videmus gyros ea agitatione proferri. Ut autem in angustis fontibus circuli illi cum cito in parietes impingunt, repulsi, geminant circulos, ita reddita fractio in locis tectis, cavernosis, aut laqueatis, aut densioribus sylvis, geminat sonos, quae geminatio nominatur Echo.

Quod est organum?

In foramine ossis petrosi sunt duo panniculi subtiles et solidi, orti a nervis auditivis. Alter panniculus continet et alligat ossiculum simile incudi. Supra vero hanc incudem aliud ossiculum est, simile malleo, quod ab altero panniculo sustinetur, sicut corda tympano intenditur. Cum hic malleus a sonis impulsus ferit incudem, excitantur ea percussione spiritus in nervis, et fit auditio, id est, perceptio soni pulsata incude, ut si chordae pulsatae sonos redderent.

Illa igitur machina incudis, mallei, cum panniculis, nervis et spiritibus, sunt organa immediata auditus. Coeterae partes aurium adiuvant praeparationem. Anfractus colligunt et continent sonos, ne subito irruentes in organum auditus, aut confundantur, aut laedant organum.

Quod est medium?

Medium est aër, qui est duplex. Exterior, in quo gyri perferuntur ad aures. Interior et cognatus, qui est in ipso foramine ossis petrosi, qui est mixtus spiritu auditivo, ut gyrationes illas accipiat, et feriat panniculos et malleos. Ac inde aurium tinnitus oritur, cum intus vapores aërem illum spiritu mixtum turbant.

Nec vero tantum in aëre fit auditio, sed etiam in aquis, ut constat pisces audire. Sed id medium obscurius est, et ad homines nihil admodum pertinet.

Quid est sensus Olfactus?

Est sensus in prioribus ventriculis cerebri, percipiens odores.

Quod est obiectum?

Odor, qui est qualitas in halitu exeunte ex mixtis, in quibus aërea humiditas seu plus, seu minus terreae naturae exuberanti, et coelesti aut igneo calore ustae, ac velut torrefactae permixta est, ut sentimus olere fumantia ligna, quae alioqui sunt sine odore.

Ideo sic Aristoteles confert inter se odores et sapores, ut dicat in odore dominari siccitatem, humiditatem vero in saporibus. Et in Problematum libro inquit: *Τὰ πυρούμενα πῶς τῶν ὑγρότητα ἐχόντων ὀλίγην, εὐώδη γίνεται.* Usta quae modicam habent humiditatem, fiunt fragrantia. Sed tamen prorsus arida, quae sunt, ut Aristoteles nominat *ἄχυμα*, non sunt odora, ut Lapides, tametsi in his et frigiditas et ariditas causae sunt, ne insint odores. Non enim gigni odor potest, nisi calor substantiam defecatam terreae et aëreae naturae, resolvat et expellat. Itaque fragrantia omnia, etiamsi sunt natura frigida, ut Rosae ac Violae, tamen odore ipso leviter calefaciunt.

Hinc ratiocinari possumus, quare in Oriente res nascuntur odoratiores, quia ea loca calidiora sunt.

Hinc et ratio sumenda est, quare dulcia minus sint odorata, quia sunt humidiora. Contra vero magis fragrantia sunt, in quibus aliquid inest acrimoniae. Sunt enim sicciora, et, ut ita dicam, usta seu torrefacta, ut Libanotis, cui nomen est vulgare Ros marinus, cuius odor cum sit gratissimus, lingua testatur saporem amarum esse. Utrumque indicio est, libanotida calidam esse, sicut et Nicander inquit: *ἢ σύγε καγχρυόεσσαν ἑλὼν περιθαλπέα ῥίζαν.*

Aut tu radicem calidae libanotidos ure
Foecunda in tereti quae gignit canchrye semen.

Ut igitur magna temperamentorum varietas est in herbis, floribus, radicibus, ita magna odorum varietas efficitur, et consideratio digna est studiosis.

Species autem duae praecipuae constituuntur. Bonus odor, qui, ut in saporibus dulcedo, plus refert aëreae naturae, et cum ex partibus suavibus et recte temperatis et magis calore coelesti coctis oriatur, cerebro gratus est.

Contrarius odor bono, nominatur foetor, qui ut stercus humanum ex partibus viciosis et male torrefactis exhalat, et sua natura venenum est cerebro. Hae duae species facile agnosci et discerni possunt. Altera nominatur *εὐῶδες*, altera *δυσῶδες*.

Adiiciuntur et duae differentiae, sumptae a saporibus, uc acris odor, qualis est Citrini, Allii, Cepae. Et acidus, qualis est Aceti.

Extant apud Plinium et aliae adpellationes, quas enarrare difficile est, ut acuti odoris et ignavi. Interdum graveolens est idem quod foetidum, *δυσῶδες*. Ut foetorem sub humeris nominat Plinius Graveolentiam alarum. Et Virgilius inquit: Aut ubi odor coeni gravis.

Apud Graecos aliud est *δυσῶδες*, aliud *βαρύοδμον*. Nam multa sunt *βαρύοδμα*, quae non sunt foetida, ut Aloë, folia Sambuci. Lilium, Artemisia dicuntur a Dioscoride *βαρύοδμα*, et a Plinio graveolentia, cum tamen non sint foetida. Imo Dioscorides ait, Polium esse *βαρύοδμον μετὰ πόσης εὐωδείας*. Et de Cunila seu Origano inquit Virgilius: Graviter spirantis copia Thymbrae. Non est autem ingratus odor origani, ut constat. Plerumque igitur *βαρύοδμον* significat non quod foetore, sed quod nimia, et, ut ita dicam, densiore fragrantia offendit. Haec breviter de paucis adpellationibus dixi, ut in lectione autorum diligentius consideretur earum significatio.

Aiunt autem hominibus hebetiorem esse olfactum, quam canibus et quibusdam aliis animantibus, quia cerebrum habent copiosius et humidius.

Quod est organum olfactus?

Verum organum olfactus sunt duae propagines a prioribus ventriculis cerebri descendentes ex ipsa cerebri substantia in os *ἠθμοειδὲς*, sparsae ad foramina, ut in descriptione anatomica dictum est, supra nares ossi frontis insertum esse os, quod multa exilia foramina habet, quae sunt meatus et aëris et odorum, quod antiquitas nominat vel *ἠθμοειδὲς*, id est, colatorio simile, vel *σπογγοειδὲς*, quia multa in eo foramina conspiciuntur, velut in spongia.

Cum igitur per haec foramina penetrarunt halitus, qui odores perferunt, arripiuntur et percipiuntur per illas cerebri propagines, et transmittuntur in priores ventriculos cerebri, quod bonis odoribus vult natura suaviter foveri. Nares vero ita serviunt huic beneficio, quia in eis colli-

guntur halitus, et via sunt collectis halitibus ad illa foramina.

De medio.

Ut odor exhalans a corporibus, spargi possit, medio opus est, per quod transmittatur ad organum. Nobis igitur medium est aer. Pisces per aquam odores percipiunt. Nam alii aliis escis capiuntur. Et polypum aiunt fugari a saxo, cui adhaeret, origano illito.

Quid est sensus Gustus?

Est sensus in lingua et palato percipiens sapores.

Quod est obiectum?

Sapor, qui est qualitas in succo, in quo humiditas vincit siccitatem terrestrem, calore utramque digerente. Dixi enim supra, in sapore dominari humiditatem. Quare Theophrastus sic definivit saporem: Sapor est partis siccae percolatio per humorem a calore facta.

Graeci cum obiectum gustus nominant, utuntur adpellatione *χυμὸς*, quam vocem promiscue usurpant pro sapore et pro humore. Aliud nomen est *χυλὸς*, liquor. Et Galenus inquit, veteres Graecos non *χυλὸν*, sed *χυμὸν* dixisse pro humore, sapore et liquore.

Saporum species aliter ab aliis numerantur, et Galenus inquit, difficulter eas discerni posse. Aristoteles et Theophrastus recensent octo differentias:

Dulcis,	*γλυκὺς.*
Pinguis,	*λιπαρὸς.*
Austerus,	*αὐστηρὸς.*
Acerbus,	*στρυφνὸς.*
Acris,	*δριμὺς.*
Amarus,	*πικρὸς.*
Acidus,	*ὀξὺς.*
Salsus,	*ἁλμυρὸς.*

Has adpellationes prodest notas esse, quia passim obviae sunt in descriptionibus plantarum et liquorum. Et consideratio harum differentiarum continet eruditas disputationes, qualibus temperamentis qui sapores gignantur. Acria calida sunt, ut Piper, Allium. Acerba frigida, ut fructus Glandium, Castaneae. Addam igitur breves descriptiones.

Dulcis sapor est, in quo exuberat aërea humiditas in iis, quae sunt temperate calida, et quem, cum naturae sanguinis nostri et carnis proxime congruat, lingua avide excipit, ac voluptate ac dilatatione adficitur, eo fruens non laeditur, non exulceratur ab eo, nec refugit eum, ut amara seu acria. Dulcia sunt Lac, Mel, Vinum. Ac regula nota sit, nutrimentum hominis oportere esse dulce, aut dulci permixtum. Nam dulcia ungunt, implent et restituunt erosas particulas. Sed interdum excellenter dulcia nocent, quia cum sint valde calida et aërea, cito in igneam naturam vertuntur, ut Mel et Saccarum celerrime vertuntur in rubram bilem. Quare avidius usi saccaro saepe periculose inflammantur. Ad haec dulces cibi intemperantius eduntur. Ideo propter humoris copiam sequuntur putrefactiones.

Pinguis sapor vicinus est dulci. Est enim in liquore dulci, in quo tamen aërea humiditas sparsa est in re minus tenuium partium, et calor debilior est, ut in Oleo, Butyro, Carne. Haec quoque si sint mediocria, prosunt in nutrimento. Sed nimis pinguia nocent, quia solent supernatare, et impedire coctionem, et oppilationes efficere. Vulgo hunc saporem nominant unctuosum.

Nec discerno a dulci suavem odorem, nisi gradibus. Cum enim dulcedo mediocris est, et recte temperata, fit suavis. Ut manus cum inseritur aquae mediocriter calidae, adficitur voluptate, ita mediocriter dulcia, quia sunt temperate calida, et cum sanguinis et carnis natura congruunt, efficiunt suavitates.

Sapores contrarii sunt dulci, pingui et suavi, amarus, acris, acidus, acerbus, austerus et salsus. Hi vere differunt, ut exempla et effectiones ostendunt, etiamsi imperiti non satis diiudicant has differentias. Genus sit commune omnium, dulci contrarios esse, et astrictionem efficere, quae alias magis, alias minus offendit seu exasperat linguam.

Amarus, *πικρὸς,* sapor est, qui detergit et mordet linguam, estque in natura terrestri crassa, in qua excedunt calor et siccitas, ut in Bile, Nitro, Marrubio, Absynthio.

Acris, *δριμὺς,* non solum mordet ac rodit linguam, sed etiam urit, penetrat, et valde dissolvit, ut ferrum ignitum. Estque in natura tenui, in qua excedunt caliditas et siccitas. Et acria superant calore res amaras. Sunt autem

acria, ut Piper, Zinziber, Allium, Cepa, granum Cnidium, id est, Kellersalz, Calx.

Acidus, ὀξὺς, acetosus est, qui mordendo constringit et refrigerat, ac citra calefactionem attenuat, dividit et vellicat. Estque in natura tenui, frigida et sicca, in qua dominatur frigiditas. Nam quae sunt tantum acida, sunt praecipue frigida, ut oxalis, quae vulgo Acetosa nominatur, quia haec pure hunc saporem habet. Est et species mali punici vere acida.

Alia quaedam sunt mixtae qualitatis, ut acetum, quod est subacre, quia etsi frigidum est, tamen retinet obscurum calorem, ut cinis ex vini corruptione. Inde fit subacre, sed tamen dominatur frigiditas. Cum enim exhalant aëreae partes, et reliquae manent terreae, dilutae aquosa tenui parte, fit acetum sua natura frigidum.

Cient autem acida appetentiam, quia humores viciosos in orificio collectos, dividunt et pellunt, et mordicatione non urente irritant ventriculum, ut Oxalis grata est in febribus, non solum quia pellit biliosos humores, sed etiam quia calorem biliosum mitigat.

Acerbus sapor στρυφνὸς est, qui contrahit linguam, et introrsum pellit, ideoque constipandi, densandi et astringendi vim habet. Estque in natura terrestri, crassa, frigida et sicca. Ideo enim acerbus sapor dicitur esse tardior, quam acidus, quia acidus est in natura tenuiore minus terrestri. Acerba sunt, ut, fructus glandium, pyra sylvestria, et in genere immatura poma, mala cydonia, ac magis immatura. Nam postquam maturuerunt, fit mixtus sapor ex acerbo et dulci, sicut nucum ex acerbo et pingui. Sunt στρυφνὰ et fructus poterii, qui vulgo ribes dicitur. Item castaneae, corna, et poma Cynosbati, Heinboten.

Quanquam autem recentior aetas mutavit appellationes, et pro acerbo dicit alias στυπτικὸν, alias ponticum, tamen quia confusio in nomenclaturis parit errores, revocandae sunt veteres adpellationes. Ideo graecas et latinas adscripsi, quibus intellectis, recentiores collatae etiam facile intelligi possunt. Στυπτικὸν a στύφω, id est, astringo, usitata Graecis vox est in genere, pro eo quod habet vim astringendi. Ponticum existimat Pontanus dictum esse a pungendo. Recentiores etiam discernunt stypticum et ponticum, non specie, sed gradibus. Ponticum dicunt esse valde στρυφνὸν, ut sunt pruna sylvestria, quae nos nominamus Slehen. De quibus Virgilius dixit: Spinos iam pruna ferentes. Vulgo alieno nomine adpellant Acacias. At stypticum aliquanto minus στρυφνὸν est, ut mala Cydonia. Sed singulae saporum species varios habent gradus, et mixturae sunt saporum, ut mora sunt στρυφνὰ, acida, et nonnihil dulcia.

Austerus, αὐστηρὸς, sapor est, qui asperitatem quandam in summa lingua efficit, et leviter desiccat, nec pellit intro, nec condensat, ut acerbus sapor. Est enim quaedam inter hos vicinitas, ut cum ὄμφακες sint acerbae, postea in eis aucto humore, sequitur austerus sapor. Est igitur austerus sapor in natura terrestri, crassa, frigida et sicca, sed plus habente caloris et humiditatis, quam habent acerba. Est autem inter vini sapores austerus. Et Galenus inquit, austera vina magis corroborare ventriculum, et minus officere cerebro. Iuvant enim ventriculum nativa siccitate, et aliquantulum astringunt, et minus calidos fumos exhalant, sed tamen de vino non crudo, non nimis aquoso ac tenui loquitur.

Salsus, ἁλμυρὸς, sapor est, qui linguam non contrahit, nec constipat, sed detergit et abluit disgregando et exiccando. Huiusmodi est salis natura, qui ideo putrefactiones impedit, quia desiccat et extenuat, ac erodit humiditates. Ideo mollem carnem indurat, et duram reddit molliorem, nam ut in molli absumit superfluam humiditatem, ita rursus duram erosione attenuat ac relaxat. Estque salsus sapor in natura terrestri, crassa, calida et sicca.

Has differentias recitavimus, quia et vocabula intelligi prodest, et studiosi Physices diversas qualitatum effectiones in his exemplis considerare possunt.

Quod est organum gustus?

Est pellicula expansa in lingua sub carne porosa seu spongiosa, quae est in linguae superficie. Eadem pellicula et in palato sparsa est, oriturque a nervis per palatum demissis ad linguae radicem, qui et gustum et tactum linguae ac palato suppeditant. Nam alii sunt nervi, qui motum linguae impertiunt.

Medium quo fit gustatio, est vel exterius, salivalis humiditas, vel interius, caro fungosa. Ideoque febri laborantibus omnia fiunt amara, quia redundat in lingua, saliva biliosa.

Quid est sensus Tactus?

Est sensus percipiens primas qualitates pellicula nervea expansa per carnem toto corpore, tanquam reti.

Quod est organum tactus?

Ut nervi coeteris sensibus vim sentiendi impertiunt, ita constat tactus organum esse pelliculam nerveam intextam carni, toto corpore, sub extrema cute, eaque pellicula comparet, quacunque carnis parte dissecta.

Oritur autem a nervis et cerebri et medullae spinalis, etsi tactum acriorem suppeditant nervi subtiliores, videlicet propagati a cerebro, ut qui ad capsulam cordis, item qui ad orificium ventriculi descendunt.

Medium vero per quod nervi seu pelliculae tactum percipiunt, est caro bene disposita, aut os cui nervus inseritur. Nam et dentes tactum percipiunt. Aristoteles paucis verbis in libello de sensu videtur collocare organum tactus in corde, fortassis eo, quod inde nervos oriri putat. Sed nos eam opinionem non amplectimur.

Quod est obiectum?

Qualitates primae: Caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, et aliae quaedam, quae has comitari solent: durum, molle, asperum, glabrum, grave, leve, densum, rarum.

Quot sunt obiecta communia?

Quinque nominantur obiecta communia, quia a pluribus sensibus percipiuntur: Magnitudo, figura, numerus, motus, quies. Hic volens omitto cavillationes, quae opponuntur de modo, quo percipiuntur haec communia obiecta. Ac satis est scire, talem esse naturam. Color est in corpore quod habet latitudinem. Cum igitur color oculis cernatur, necesse est et latitudinem conspici, quae est magnitudo. Ita calor est in corpore quod habet latitudinem. Cum igitur calor tactu percipitur in corpore longo et lato, necesse est simul ea spacia tangi et percipi.

De sensibus interioribus.

Quid est sensus interior?

Est potentia organica intra cranium ad cognitionem facta, antecellens actiones sensuum exteriorum. Nam si animantia tantum adprehenderent obiecta sine diiudicatione et sine compositione, seu qualicunque ratiocinatione, quantulum prodesset ille incursus obiectorum in externos sensus? Est ergo addita sensibus exterioribus alia superior facultas, magis miranda, quam simplex adprehensio sensuum exteriorum.

Quot sunt sensus interiores?

Actiones interiorum sensuum plures esse manifestum est, videlicet: diiudicationem obiectorum, memoriam, et compositionem seu ratiocinationem, ut Leo Romae in circo videns medicum, qui ipsi vulnerato spinam olim extraxerat, quia retinuerat in cerebro speciem eius, et memoriam beneficii, agnovit eum, et sua quadam compositione distinxit ab aliis, et quasi ratiocinans blanditus est ei, ut tunc solebat, cum beneficium accepit.

Iam igitur quaestio est, an haec actionum diversitas in uno loco seu organo fiat, et quomodo fiat?

Esse autem diversa organa adprehensionis et memoriae, inde manifestum est, quia experientia compertum est, amitti memoriam non amissa adprehensione. Ut Thucydides describens pestilentiam Atticam, narrat quosdam cum convaluissent, tamen fuisse adeo orbatos memoria, ut nec sese nec suos familiares nossent. Hi tamen cibum, potum, et similia agnoscebant et discernebant.

Illustre signum et hoc est diversitatis organorum, quod in medendo adplicantur remedia pro facultate memoriae ad posteriorum cerebri partem. Conturbata ratiocinatione medemur anteriori parti seu mediae. Distant igitur locis organa. His coniecturis non vanis contenti simus, et mirabilium in cerebro actionum et instrumentorum consideratione moveamur, ut de Deo opifice cogitemus, et ipsum cerebrum, quod lucis divinae domicilium est, maiore cura tueamur.

Etsi autem alii aliter numerant sensus interiores, tamen cum consensus sit de reipsa, non est opus litigare de modo enumerationis.

Nos Galenum sequimur, qui tres sensus interiores recenset: Sensum communem, cogitationem seu compositionem, et memoriam. Nomina apud Galenum haec sunt: *φανταστικὸν, διανοητικὸν* et *μνημονευτικὸν*. Hae adpellationes perspicue indicant discrimina.

Sensus communis apprehendit imagines oblatas a sensibus exterioribus, et discernit obiecta singulorum sensuum.

Deinde alia vis, componens et dividens, et aliud ex alio eliciens tanquam ratiocinatur, et iudicat.

Tertia retinet obiectorum memoriam, eaque recordatur.

Sunt autem organa haec. Anterior pars in geminis cavitatibus, seu ventriculis cerebri, est organum sensus communis. Postquam enim ut in speculis, ita in organis exteriorum sensuum fulgent imagines, spiritus vibrati induunt earum similitudinem, et transvehunt eas ad cerebrum. Ibi ut lingua format articulatam vocem, ita et cerebrum vibratum a spiritibus format suo quodam admirando motu quasi collocans spiritus, alia atque alia simulacra. Ut enim fiant actiones et imagines in cerebro, concurrere et spirituum vibrationem, et ipsius cerebri motum aliquem, consentaneum est. Non enim tantum feritur cerebrum a spiritibus, sed ipsius etiam aliquis motus est, tanquam collocans spiritus, componens et distribuens, sicut linguae motus diversi sunt, quasi collocantis in aëre diversas figuras articulatae vocis.

Ita condita est hominum natura divinitus, ut fieri cogitationes in nobis, et formari ac ordinari imagines sciamus. Quomodo fiant, non cernimus in hac caligine. Sed tamen hanc ipsam formationem imaginum non dubium est umbram esse significantem aliquid de Filio Dei, ut enim aliquo modo consideremus, cur Filius cogitatione genitus nominetur Imago aeterni Patris, etiam in nobis voluit Deus imagines fieri cogitatione.

Sunt autem officia primi sensus interioris, accipere omnium exteriorum sensuum obiecta, et ea discernere. Oculus pariter albedinem et nigredinem percipit. Sed sensus communis discernit.

Deinde proximus est sensus, cui tribuuntur compositio, seu aestimatio, seu qualiscunque ratiocinatio et iudicium. Aristoteles a priore non discernit. Sed ut dixi Galenum sequimur, et organum ei in medio cerebro attribuamus. Aiunt enim naturas hallucinatrices esse in ratiocinando et iudicando eas, quibus media cerebri pars languidior est, ut supra de Thersitae capite dictum est, de quo inquit Homerus: *φοξὸς ἔην κεφαλήν.*

Tertio loco numeratur memoria, cuius organum esse in postrema parte cerebri, multa signa sunt, sive ipsum cerebellum dicamus id organum esse, sive partem vicinam.

Est autem cerebellum siccius, et multos sinus habet, quare ad accipiendas imagines et retinendas magis accommodatum esse existimatur. Ut autem in cera *σφραγῖδες* imprimuntur, ita in organo memoriae a spiritibus imprimi simulacra cogitemus. Aliquam vero esse organorum distinctionem, consentaneum est, ut supra dixi, etiamsi intervallo non satis discerni possunt.

Illud autem saepe cogitemus, cum in nobis sit ratiocinatio, et humanam naturam aliunde ortam esse constet, sequi necessario, opificem huius naturae sapientem esse, quia impossibile est, a natura bruta oriri intelligentem. Restat igitur alia vita, in qua et opificem et has machinas melius intelligemus, ut postea copiosius dicetur.

Quid est potentia appetitiva?

Descripsi sensus ut potui. Nunc adiicienda est potentia adpetitiva, quae est facultas prosequens aut fugiens obiecta. Comes est cognitionis. Ac de bestiis facile intelligi potest, ideo eis inditam esse cognitionem, ut sensus monstrent vitae praesidia et contraria. In homine est sublimior cognitio, ut agnoscatur et celebretur Deus. Et servit huic cognitioni etiam adpetitio, ut homo diligat Deum, laetetur et acquiescat in eo. Sed postea de superiore illa cognitione et adpetitione dicam.

Initio autem vulgaris partitio tenenda est, de adpetitu, quam etiamsi nonnulli cavillantur, tamen usitatam esse eruditis videmus, et utilem esse discentibus non dubium est.

Triplex est adpetitus: Naturalis, sensitivus, et voluntarius.

De naturali adpetitione non sic loquimur, ut supra, ubi tantum inclinationem, non actionem aliquam significat, ut cum dicimus: Materia adpetit formam. Lapis naturaliter adpetit locum deorsum. Hic enim significat et naturalem inclinationem et actiones, quae tamen non oriuntur

a sensu, videlicet, attractionem, retentionem, expulsionem. Sic planta arescens adpetit rigationem. Exhaustae partes corporis adpetunt nutrimentum. Et ut magnes ferrum attrahit, ita membra lambunt venas, et venae attrahunt sanguinem. Rursus onerata vasa repletione immodica, adpetunt levationem. Hic adpetitus ad vegetativam potentiam pertinet, quae sic adpetit nutrimentum.

Sed haec vocabula, fames et sitis, significant non tantum adpetitionem cibi et potus, sed etiam sensum illius suctionis, hoc est, dolorem ex suctione ortum. Nos tamen non nimis subtiliter loquentes, transferimus famen et sitim ad adpetitiones naturales, ut has adpetitiones ab adfectibus discernamus, qui sequuntur cognitionem, et aliquo modo regi possunt imperio rationis.

Adpetitus sensitivus est, qui comitatur sensum, et tantum competit animantibus. Hic duplex est: aut fit per contactum, aut sine contactu.

Adpetitiones, quae fiunt per contactum, sunt duae, delectatio et dolor, tactum seu aliorum quorundam sensuum actionem comitantes.

Est igitur delectatio, in nervis aut pellicula nervea, perceptio obiecti convenientis, non laedens nec lacerans nervos, sed a natura ordinata ad eorum conservationem, ut faucibus arefactis in siti gratia est rigatio, quae fit boni potus perceptione, qua nervi recreantur. In frigore pedibus nimium frigefactis, gratus est calor recreans nervos.

Dolor vero est nervorum seu pelliculae nerveae laesio aut laceratio, quae fit ab obiecto non conveniente. Ut cum ignis urit partem corporis. Est autem ut tactus, ita delectationis et doloris organum pellicula nervea intexta corpori, fitque dolor acrior, cum ipsi nervi proxime laeduntur, ut fit in spasmis, aut in cruciatibus, qui fiunt, cum calculi distendunt venas et nervos.

Ut autem sensus per sese agunt naturaliter. Oculus incolumis apertus obiectum oblatum iusto intervallo, non potest non videre: ita in nervis naturaliter fit delectatio aut dolor. Nec causa est alia quaerenda, sed sciendum est, ad haec officia nervos conditos esse, ut sint instrumenta sensus et motus, et adficiantur delectatione et dolore.

Hac naturae proprietate considerata, satis perspicuum fit, non omnes dolores aut delectationes oriri a cogitatione, aut tolli cogitatione posse, ut Stoici fingunt, quorum errores de adfectibus postea refutabimus.

Sunt igitur alii quidam gradus adpetitionum, qui non fiunt per contactum, sed sequuntur cogitationem, et proprie sunt in corde, ac nominantur Adfectus. Hos discerni oportet ab aliis gradibus, qui sunt in ventriculo, aut in nervis in reliquo corpore, videlicet a delectatione et a dolore.

Est et diligentia digna eruditis, considerare subiecta seu loca, in quibus proprie et vere sunt singula genera. Nec decipiantur poëtarum aut Platonis sermonibus, qui amorem in epate collocarunt, ut allegoriam de Tityo interpretamur, cuius cum epar dicant lacerari a vulturibus, propterea quod amaverit Latonam, aiunt significari, in epate sedem esse amoris, ut Lucretius inquit libro tertio:

Sed Tityus nobis hic est, in amore iacentem,
Quem volucres lacerant.

Et Theocritus in Adonide inquit de osculo:

Τοσοῦτόν με φίλασον, ὅσον ζώει τὸ φίλαμα.
Ἄχρις ἀπὸ ψυχῆς ἐμὸν στόμα, κ᾽ εἰς ἐμὸν ἧπαρ.
Πνεῦμα τεὸν ῥεύσει, τὸ δὲ σεῦ γλυκὺ φίλτρον ἀμέλξω.
Tantisper da suaviolum, dum basia vivunt,
Ex animaque tua dum spiritus in mea labra
Influit, inque iecur, mulgenti dulcia philtra.

Sed haec poëtica relinquamus, ac veritatem consideremus.

Sunt autem adfectus qui proprie sic nominantur, motus cordis noticiam sequentes, prosequentes aut fugientes obiecta, qui cum aut iuvent naturam, aut destruant, semper comitantur extremi motus, aut laesa natura dolor ac destructio, aut suaviter mota, delectatio seu laeticia acquiescens in obiecto.

Ac ordo naturae considerandus est, motibus cordis antecedere cognitionem, ut dicitur:

Quod latet ignotum est, ignoti nulla cupido.

Item:

Ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν.

Ut autem in Deo ipso est sapientia discernens recta et non recta, et deinde voluntas, volens recta, et sua quadam laeticia acquiescens in rectis, et nolens contraria, et vera indignatione repellens ac destruens: ita vitam hominum ordinavit, ut sint leges seu noticiae recta praecipientes, prohibentes contraria, deinde vero sint magistratus, qui recta facientes protegant, et repellant ac tollant contraria facientes. Ideo autem haec ita ordinata sunt, ut agnoscamus et esse Deum, et sa-

pientem, iustum, iudicem et vindicem esse, et ut sciamus, nos imaginem Dei esse, et eum imitari debere.

Ad hanc considerationem Dei et politicae gubernationis deducendi sunt homines, cum causas utcunque considerare student, quare adfectus in nobis conditi sint. Non agnoscitur Deus a coelo, a terra, a plantis et pecudibus, etiamsi ei obediunt. Sed angelos et homines ita condidit, ut velit se ab eis agnosci. Fecit igitur eos naturas intelligentes, et attribuit normas iudicii certas noticias. Sicut magistratui leges tradit. Nec vero legum utilitas esset, nisi magistratus protegeret recta facientes, et contraria facientes tolleret. Ita vult Deus in ipso homine esse adfectus tanquam executores noticiarum, vult laetari corda, cum noticiis recta praecipientibus obtemperamus. Voluit ita vivere et conservari hanc naturam laetantem agnitione Dei, et acquiescentem in Deo. Rursus etiam vult in cordibus nostris vindices esse ingentes motus, qui coherceant nos, et puniant facta contra legem. Vult esse flammas irae et doloris, quae destruant naturam, postquam non congruit ad sapientiam et normam divinam. Ita Cain, Saul, Iudas et similes destruuntur ira et dolore post scelera. Ut igitur noticiarum seu legem executores in nobis essent, adfectuum ignes nobis insiti sunt.

Huius causae consideratio utilis est, et deducit nos ad archetypum, et postea multa monet, de ordine adfectuum, quem conditor instituit, et de confusione ordinis, quae postea sequuta est. Ac studiosi diligenter haec initia de causis adfectuum, et de collatione ad Deum, et ad imperia considerent. Nunc addo partitionem.

Adfectuum alii naturam iuvant, alii destruunt.

Iuvantes naturam, ut laeticia, spes, amor, oriuntur a noticia monstrante quiddam boni, sive sit toti homini bonum, sive parti, et sive erret noticia, sive recte iudicet. Ut laetatur Augustus audita fama victoriae etiam falsa.

Adfectus autem destruentes naturam, ut, tristicia, metus, ira, odium, oriuntur a noticia monstrante quiddam mali, sive sit toti homini malum, sive parti, et sive erret noticia, sive recte iudicet. Ut, Solon moestus est audita fama de morte filii, quanquam falsa. Noticiae enim antecedunt adfectibus, ut dictum est, et obiecta monstrant. Quid autem nominetur Bonum, quid Malum, infra dicemus, et alibi in Ethicis recitatur. Nunc utcunque specierum vocabula declarabimus.

Laeticia est motus, quo cor acquiescit in bono praesenti, et est dilatatio, qua cor velut accipit intra sese, et amplectitur obiectum, ut amans laetatur amplectens puellam, eamque velut adiungere cordi, et intra cor accipere conatur. Nec verbis descriptionem illustriorem tradere possum, sed sensu discernitur laeticia a moesticia. Et discrimen esse Deus voluit, ut antea dixi, ut aliis rebus iuvari naturam, aliis puniri et destrui sciremus.

Ac de laeticia consideretur causa. Voluit Deus laeticia dilatari cor, ut primum et ante omnia Deum ipsum acciperet. Est autem Deus vitae et quietis, non destructionis autor. Ideo laeticia hoc modo condita est, etiamsi nunc quidem in hac naturae depravatione turbatus est adfectuum ordo.

Contrarii adfectus, qui destruunt naturam, sunt notiores, ut tristicia, timor, ira et similes.

Est igitur tristicia motus cordis, quo percussum cor obiecto ingrato, constringitur, premitur, tremit et languefit cum acri sensu doloris. Ac nisi desinat tristicia, tandem cor torrefactum extinguitur. Hic cruciatus nobis inditus est, ut et metus futuri mali nos coherceat, et tristicia propter praeteritum malum sit vindex et poena scelerum, et testis iudicii Dei.

Unde autem est in laeticiae suavitas, et in tristicia cruciatus?

Hi motus grati et ingrati primum oriuntur ab ipsa cordis substantia, quod ita conditum est, ut sit fons et sedes adfectuum, et suis quibusdam villis dilatatur et constringitur. Et, si licet uti hac similitudine, his villis, quasi manibus attrahit ac depellit obiecta.

Praeterea sensus fit acrior, quia subtiles nervi a cerebro deducti sunt in corpus cordis, qui addunt delectationem laeticiae, et acerrimos dolores tristiciae. Augetur dolor et vicinarum partium constrictione.

Ideo autem hi praecipui et acerrimi motus sunt attributi cordi, qui sunt aut vitae conservatio, aut destructio, quia in corde initium est vitae, et fortassis cor sedes et domicilium est animae.

Spes est motus, quo cor futurum bonum appetit, seque ad illud accipiendum, ut ita dicam,

aperit ac praeparat. Estque similis motus laeticiae, quae quidem et spei permixta est.

Timor est motus, quo cor constringitur, tanquam fugiens futurum malum. Estque similis motus tristiciae, quae et timori permixta est.

Amor est motus, quo cor appetit aliquod seu vere bonum, seu quod videtur bonum, idque quasi attrahere gestit, ut eo potiatur et fruatur. Vicinus adfectus est spei, sed ardentior. Ideo describitur quasi attrahens obiectum, incitato corde tanquam ad fruendum ingens bonum.

Ira est mixtus adfectus ex tristicia et cupiditate ulciscendi. Est enim motus, quo cor offensionem aliquam aversatur, et simul conatur depellere, aut poena adficere autorem, seu causam offensionis. Ita cum duplex sit obiectum, sunt duo motus, fugere offensionem, et persequi ingenti impetu autorem. Quare non ut in metu aut tristicia sanguis ad cor intro refugit, sed effunditur. Cor enim velut ex castris suis erumpere conatur, et sanguinem ac spiritus, tanquam milites emittit ad propulsandum obiectum. Hoc tanto motu incalescit cor, et inflammat spiritus et sanguinem. Turbantur actiones omnium membrorum, propter motum sanguinis et spirituum confusionem, sed praecipue cerebrum offenditur, quod inflammato et agitato sanguine et ardentibus spiritibus, ipsum quoque incalescit, et concutitur motu sanguinis, spirituum et nervorum, qui ad cor propagati sunt. Ideo vehementem iram comitantur phreneses, ut in Aiace, et interdum apoplexiae.

Ad hanc descriptionem congruunt sententiae plurimae scriptorum, ut Virgilii:

Ignescunt irae, et duris dolor ossibus ardet.

Significanter enim describit inflammationem sanguinis et spirituum, ortam ab ingenti motu cordis. Ira incensa ardent sanguis et spiritus, tremefaciunt totum corpus, ac ipsa etiam ossa. Sanderbeco aiunt concipienti flammas indignationum ante praelium, labra scissa esse, et erupisse multum sanguinis. Et versus apud Suidam recitatur: *Σφύζεις Ἀχιλλεῦ, καὶ μεθύσκῃ τὰς φρένας*, quia in ira bulliente sanguine in toto thorace intumescit et pulsatur diaphragma, ut fiunt turbidi motus, ut in ebriis.

Odium est inveterata ira, hoc est, habitus ex ira ortus, quo cor aversatur aliquid, tanquam malum, idque depellere gestit, et sunt contrarii adfectus amori, ira et odium.

Pudor est vicinus irae. Est enim motus, quo sibi ipsi quispiam conscius irascitur propter admissam turpitudinem, ac sese punit, et simul veretur aliorum iudicia. Dixi autem supra, ideo diversos adfectus, suaves et molestos nobis insitos esse, ut molesti sint vindices scelerum, ac poenae faciant conspectius discrimen inter recte facta et secus facta. Quamobrem et recte dictum est ab Euripide: Impudentiam morbum esse maximum hominum, *ἀναίδεια μεγίστη νόσων ἐν ἀνθρώποις*. Ideo enim pudor attributus est naturae hominum, ut et frenum sit hominibus, ne turpia faciant, et sit vindex postea, si fecerint.

Verecundia est habitus metuentis turpitudinem, et indignantis, admissa turpitudine.

Misericordia est tristicia propter alienas miserias orta.

Invidentia est tristicia propter alterius foelicitatem orta.

Zelus est mixtus adfectus ex amore et ira, cum videlicet amans aliquid, irascitur illi, a quo laeditur res amata. Ut Helias zelo interficit Pseudoprophetas, videlicet, amans Deum vehementer indignatus est hostibus Dei: sic iustus gubernator debet ardere zelo, hoc est, amore iusticiae, et indignatione adversus improbos. Similis adfectus est zelotypia, cum amans coniugem irascitur alienanti.

Ἐπιχαιρεκακία contrarius adfectus est zelo, mixtus ex odio et gaudio. Est enim odium virtutis, et laetari calamitate bonorum, et successibus sceleratorum, ut diaboli proprie sunt *ἐπιχαιρέκακοι*, qui laetantur calamitatibus Ecclesiae, et saeviciam in imbecilliorem naturam hominum exercent, nulla spe utilitatis suae, tantum odio Dei. Et imitantur diabolos multi, ut Semei laetatur exilio Davidis, et venenatissimis sarcasmis calamitatem ei exprobrat.

Recensui aliquot nomina adfectuum, ut considerari discrimina et causae utcunque possint.

Sunt autem causae, obiecta et cor, sed cognitio obiectorum, ut supra dixi, motum cordis antecedit.

Ergo cum apprehendimus obiectum, et iudicamus bonum aut malum esse, spiritus moti in agnitione, feriunt cor, quod quasi ictum et pulsatum, cietur, et aut expetit obiectum, aut fugit. Talis est enim copulatio virium naturae, ut motus cordis respondeant cognitioni, ut rebus cognitis

vel acquiescat homo, vel poenam et destructionem sentiat.

Ac dixi supra, ipsam cordis substantiam adfectuum fontem esse. Multum igitur refert, quale sit temperamentum cordis. Calidius et siccius, celerius et vehementius incenditur ira.

Sciendum et hoc est, alios humores cieri aliis adfectibus. Ut ira, quia fit inflammto corde, ciet ardentissimum humorem, scilicet rubram bilem, quae effusa, reliquum sanguinem inficit, qui alioqui tam a spiritibus irati cordis accensus est. Ut Virgilius lib. 8. inquit, loquens de irato Hercule:

Hic vero Alcidae furiis exarserat atro
Felle dolor.

Fel nominat atrum, quia ut adfectus ipsi, ira et moesticia inter sese miscentur, ita utrinque exaestuant humores, ex felle, rubra bilis, et ex splene, atra bilis. Nam in tristicia cor fugiens, attrahit ex splene lentum humorem melancholicum, qui effusus, cum sub costis in sinistro latere confluit, facit oppilationes, et adfert periculosos morbos hypochondrios. Nosse autem causas et organa adfectuum, et motus humorum in singulis generibus, conducit eo, ut maiore cura et ipsi adfectus regantur, et partes corporis concussae foveantur.

Addenda est etiam doctrina valde utilis et vere philosophica, de regendis adfectibus, quae eo diligentius consideranda est, quia vox divina in illa vetustissima concione ad Cain inquit: Sub te sit adpetitus tuus, et tu domineris eius.

Indidit Deus radios suae sapientiae mentibus humanis, ut discernamus recta et turpia, et cogitemus, qualis sit Deus, videlicet sapiens, verax, bonus, beneficus, castus, liber, iudex et vindex, et sciamus velle eum, ut creaturae rationales cum ipso congruant. Et quanquam nunc in hac depravatione hominum, libertas valde impedita est, tamen voluit Deus aliquam libertatem reliquam esse, et ut intelligi possit, ipsum esse agens liberum, et ut frenum iniici membris, et reprimi adfectus possint.

Ut autem haec gubernatio magis fiat perspicua, intueamur imperia, nam haec imitari naturae humanae ordinem debent.

Gubernatio in imperiis duplex est. Altera nominatur δεσποτικὴ, altera πολιτικὴ.

Facilius autem intelligitur δεσποτικὴ, id est, herilis, cum videlicet coacti obediunt inferiores, ut cum homo inquietus impeditur carcere, ne tumultuetur.

Altera, quae nominatur πολιτικὴ, est, cum suadendo flectuntur animi civium, ut volentes obtemperent, quia videlicet bono aliquo aut metu mali moventur, ut legi non repugnent, ut, cives Attici volentes obtemperant Thrasybulo ferenti legem, ne exules repeterent sua patrimonia, ex quibus iniuste eiecti erant. Etsi enim multi ex praecipuis civibus magnis damnis adficiebantur, tamen quia facultatum repetitio motura erat nova bella, pacis publicae causa malebant suo carere. Hoc bono moti, legem volentes accipiebant.

Ita in homine duplex est gubernatio, altera δεσποτικὴ, qua mens et voluntas cogunt locomotivam, ut externa membra vel reprimantur, vel incitentur, ut in ardentissima siti possunt tamen mens et voluntas imperare manibus, ne poculum attingant. Sic sunt conditi nervi, ut mentis et voluntatis imperio cieantur. Ita per locomotivam velut carcere membra externa coherceri possunt, etiamsi adfectus in corde repugnent. Imo et adpetitiones cibi et potus hoc modo frenantur. Nec obscuritas est huius et libertatis et gubernationis, quae quidem custos est totius externae disciplinae. Et docendi sunt homines, ut hunc gradum intelligere discant et exerceant, quia Deus severissime praecipit, ut hoc modo externa membra frenentur.

Ita Achilles, etsi ardet ira, tamen retractus a Pallade, id est, ratione commonefactus, imperat manibus, ne stringant gladium.

Secunda gubernatio in homine est ea, quae nominatur πολιτικὴ, cum non tantum externa membra per locomotivam cohercentur, sed ipsum cor congruit cum recta ratione, et honesta voluntate, motum persuasione. Ut cum filius Thesei Hippolytus abstinet a noverca Phaedra. Consentaneum est enim, eum corde abhorruisse ab ea, cogitantem incestam consuetudinem non esse leve scelus, et puniri divinitus atrocibus poenis. Cumque talis consonantia est recti iudicii, voluntatis, cordis et externorum membrorum, ea actio iuste nominatur virtus. Sed rara est in hac hominum infirmitate. Et sicubi est talis virtus, ut in Scipione, non est sine singulari motu divino, sicut honeste dictum est a Cicerone: Nulla excellens virtus est sine adflatu divino.

Ecclesia habet illustriora et plura exempla, ut Ioseph fugientis illecebras dominae. Item Da-

nielis retinentis animi constantiam et celsitudinem inter leones, et martyrum in similibus exemplis confessionis. Nam ideo colligit Deus Ecclesiam, ut sanatis morbis nostris, et restituta vita aeterna, communicet nobis sese, suam lucem, sapientiam, et virtutes suas in omni aeternitate. Et huius lucis et harum virtutum initia in hac vita accendit in nobis, ipse habitans in pectoribus nostris. Et quidem praecipit, ut petamus nos ab ipso gubernari, ut vera virtus, seu haec gubernatio, quae est consonantia Dei, mentis nostrae, voluntatis, cordis et externorum membrorum restituatur. De hac repressione adfectuum praecipue loquitur concio in Genesi: Sub te sit adpetitio tua, et tu domineris eius. Haec doctrina alibi copiosius exponitur. Sed cum de adfectibus hoc loco diceretur, aliquid etiam de diversis modis, quibus frenantur, dicendum fuit.

Nunc addam breves et perspicuas refutationes Stoicorum. Nam et hac commonefactione iunioribus opus est, praesertim in Ecclesia, ne putent, congruere stoica dogmata cum Evangelio, sicut multi somniarunt.

Qui sunt errores Stoicorum de adfectibus?

Praecipui errores Stoicorum de adfectibus tres sunt.

Primus. Quod adfirmant adfectus esse opiniones.

Secundus. Quod aiunt omnes suo genere viciosos esse.

Tertius. Quod aiunt omnes ex natura hominum tollendos esse.

Primum, Adfectus non esse opiniones, manifesta demonstratio est. Quae subiectis differunt, diversae res sunt. Opinio est in cerebro, adfectus in corde. Ut amor, ira, odium et similes motus, quos supra in corde collocavimus. Sunt igitur res diversae.

Si qui vero somniarunt, famem et sitim esse opiniones, prorsus fatui fuerunt, cum manifestum sit, famem et sitim fieri suctione venarum, ut supra diximus. Et divinitus hae adpetitiones in omnibus animantibus ordinatae sunt, ut quaerant cibum, et certo modo alantur.

Praeterea dolores sentiri in laceratione nervorum manifestum est, quia sic sunt conditi nervi, ut sint instrumenta sensus et motus, et bene sit eis, cum percipiunt motiones convenientes, et crucientur ac destruantur in laceratione.

Haec omnia certo consilio sic ordinata sunt a conditore. Dolor igitur ubique in nervis fit, cum obiecto contrario tanguntur. Non est igitur opinio in mente aut cerebro. Quare non ideo Posidonius stoicus in morbo articulorum non dolebat, quia repugnans clamabat: O dolor nihil agis. Fatebatur enim, se cruciatus sentire.

Postremo et hoc argumentum ostendit, adfectus non esse opiniones, quia quidam adfectus seu inclinationes natura insunt animantibus sine deliberatione, ut *στοργαὶ φυσικαὶ* in parentibus erga sobolem. Explodenda sunt igitur Stoicorum deliramenta in hac quaestione.

Sed obiiciunt Stoici hoc argumentum. Cicero expulsus ex patria valde dolet. Aristides, Camillus non dolent. Est igitur dolor opinio.

Perspicua et vera responsio est. Non sequitur inde, dolorem esse opinionem, quia in alia parte humani corporis dolor est, in alia parte opinio. Sed hoc sequitur, obiecta seu causas doloris differre. Alias cor veris obiectis movetur, alias falsis. Solon putans filium mortuum esse, dolet, quia obiectum triste ostenditur, etiamsi falso propositum est. Cicero iudicat, magnum malum esse carere splendore, in quo vixit antea. Sed Aristides et Camillus iudicant serviendum esse patriae, non fucosi splendoris causa, sed donec possunt propter populi utilitatem. Ut si quis in navi remos agitet, cum vero removentur, id intervallum seu quietem, non esse rem malam iudicant. Non sunt igitur tristes, quia obiectum, quod sibi proponunt, non est res mala, scilicet vacatio illa et quies, ut si a remis liberati essent. Sicut Aeschines in exilio dicebat, se gaudere, liberatum se esse a gubernatione, velut a rabiosa cane. Ex his exemplis alia multa iudicari possunt. Ac ridicule Stoici argumentantur. Etiam si aliquando falsis opinionibus movetur dolor, tamen non semper id fit. Sed saepe verae causae monstrantur, ut cum nimis veris causis dolet David, cogitans veram Dei iram adversus lapsum, et cernens poenas, furorem filii, caedes civium, incestas contaminationes coniugum, et alia seditionis mala.

Nunc de altera quaestione dicam. An sint omnes adfectus suo genere viciosi, ut Stoici finxerunt, et multi infatuati stoicis deliramentis similia dicunt.

Respondeo.

Nequaquam omnes adfectus suo genere viciosi sunt. Et ut sit illustre discrimen, legem Dei, quae est sapientia Dei et regula omnium actionum et motuum, intueamur. Boni adfectus sunt suo genere, qui congruunt ad legem Dei, ut diligere Deum, timere Deum, diligere natos, parentes, coniugem, fratres, bene meritos, adfici misericordia in calamitate iustorum, irasci sceleribus, laetari virtute, dolore propter nostra et aliena scelera, laetari iustorum foelicitate. Contrarii vero adfectus mali sunt, qui pugnant cum lege Dei, ut, irasci Deo, odisse parentes, natos, coniugem, magistratus, amare coniugem alterius iniusto incendio, alienas facultates appetere, uri gloria honestorum, et eis invidere, sicut Saul uritur gloria Davidis. Laetari in calamitate iustorum, sicut Semei laetatur in calamitate Davidis. Hoc discrimine constituto, intelligi potest, qui adfectus suo genere sint boni, qui viciosi.

Teneantur autem haec argumenta ad refutandos Stoicos.

Primum maxime illustre. Lex divina praecipit res optimas. In lege divina praecipiuntur multi adfectus, dilectio Dei, coniugum, natorum, parentum, et aliorum hominum. Laetari rebus honestis, et dolere propter propria et aliena delicta, et tristes casus suorum. Irasci sceleratis, ut in Psalm. 68. scriptum est: Zelus domus tuae comedit me. Et Psalm. 138.: Perfecto odio odi inimicos tuos. Ac nequaquam dubium est, tales motus in Elia, Eliseo, et similes verissime accendi Spiritu sancto. Certissimum est igitur, nequaquam omnes adfectus suo genere viciosos motus esse.

Nec difficile esset hanc sententiam splendide illustrari recitatis testimoniis de aeterno Patre. Hic est filius meus dilectus, quo delector. Item commemoratione de filio Dei, qui laetatur, dolet, irascitur. Et de Spiritu sancto, qui est tanquam flamma divinorum motuum, et accendit motus similes in sanctis, ut expresse dicitur in cap. 5. ad Galatas: Fructus spiritus sunt dilectio, gaudium, fides. Et in vita aeterna, cum Deus erit omnia in omnibus, certe pectora hominum erunt plena dilectione Dei et laeticia. Haec verissima argumenta si considerabunt studiosi, simul de voluntate Dei multa pie cogitabunt, et magis abhorrebunt a stoicis deliramentis.

Praeterea nihil a Deo conditum in natura hominum, suo genere malum est. Ut autem lumen in oculis a Deo conditum est, ita cordi insitae sunt *στοργαὶ* divinitus, et quidem ideo insitae sunt, ut sint commonefactrices de dilectione Dei erga filium et erga nos. Non sunt igitur suo genere viciosae.

Sed obiiciet aliquis. Cum alii adfectus boni sint, alii mali, cur de tota natura humana dicitur capite octavo ad Romanos: Adfectus carnis inimicitia est adversus Deum.

Hic monendi sunt iuniores, ut discernant per se viciosa, et per accidens viciosa. Per se viciosi sunt adfectus, qui pugnant cum lege Dei, ut, adpetere alterius coniugem. Viciosa per accidens sunt motus conditi a Deo, ut, amor coniugis, aut sobolis, quia enim aut sunt in non renatis, et prorsus non reguntur fide, dilectione Dei et timore Dei, denique non reguntur ipso Spiritu sancto, et fiunt viciosi, quia non reguntur ordine: aut in renatis in hac imbecillitate aliquid contagii retinent.

Coeterum de dicto Pauli suo loco copiosior explicatio quaeratur. Praecipue enim loquitur Paulus de adfectibus erga Deum in non renatis, qui aut furores Epicureos habent, aut academicas dubitationes, aut cum sentiunt iram Dei, ut Saul, Iudas, et alii oppressi talibus terroribus, horribili fremitu et indignatione fugiunt Deum. Est igitur hoc dictum Pauli tristissima concio, et de summis adfectibus loquitur, qui aliorum inferiorum ordinem turbant. Hac brevi admonitione hic contenti simus.

Addo et de nomine concupiscentiae admonitionem, quod cum in Ecclesia saepe usurpetur de *ἀταξία*, in adpetitionibus, aliqui inepti intelligunt, omnes adpetitiones sine discrimine damnari. Sciamus igitur naturam hominum ita conditam esse a Deo, ut habitura fuerit adpetitiones ordinatas, si mansisset integra, famem, cibum, laeticiam, amorem, dolores, metum, et alios adfectus, qui tamen non evagati essent extra metas divinitus constitutas.

Nomen igitur concupiscentiae cum in Ecclesia de re mala usurpatur, intelligendum est de *ἀταξία*, in omnibus adpetitionibus, et adfectibus superiorum et inferiorum virium. De hac *ἀταξία* loquitur Iacobus, cum ait: Concupiscentia concipiens parit peccatum.

9 *

Haec omnia in doctrina Ecclesiae copiose explicantur, qua cognita Philosophorum disputationes melius iudicari possunt, qui cum viderent in natura oportere adpetitiones esse, et scirent regendas esse veris noticiis, quae sunt in mentibus radii divinae lucis, mirabantur, quae causa esset, cur ita vagentur adfectus, ceu feroces equi excusso rectore. Hinc igitur illa dicta sunt. Versus Cratetis:

Πρωτίστη δὲ κακῶν πάντων ἐπιθυμίη ἐστί.

Et Lini versus:

Ἡ ἐπιθυμίη ἡνίοχει μάργοισι χαλινοῖς.

Cum igitur nescirent, unde sit haec ordinis perturbatio in homine, Stoici disputabant, omnes adfectus suo genere viciosos et tollendos esse. Aristotelici vero negabant, ullos esse viciosos sua natura, sed attributos esse hominibus a providentia, velut calcaria, ut extimulent nos ad quaerenda vitae praesidia et ad alias bonas actiones. Frenandos tamen esse iudicio rationis eatenus, ne membra externa vehementius impulsa, faciant contra honestas leges. Possunt autem et haec Aristotelica, et aliorum Philosophorum dicta iudicari, cognita doctrina Ecclesiae.

Hinc etiam sumatur forma et evidens refutatio tertii erroris Stoicorum, videlicet, de tollendis ex natura adfectibus. Cum et condiderit Deus in natura hominum adfectus, et in lege sua praecipiat, et postea restituat bonos motus in cordibus nostris Spiritu suo sancto, cumque aeterna iusticia et vita sit dilectio Dei, et laeticia in Deo acquiescens, manifestum est, non omnes adfectus ex natura tollendos esse. In Elisabeth ac Maria sunt *στοργαὶ* erga filios, quae et placent Deo, et sunt puriores, quam in aliis matronis, quia reguntur fide et dilectione, et ipsis flammis Spiritus sancti. Nec ero prolixior in re manifesta, sed haec recitavi, ut cum multa legantur, etiam apud scriptores ecclesiasticos inepte scripta de *ἀπαθείᾳ*, ne iuniores probent illas *κακοζηλίας* amore novitatis. Sed consideratis fontibus iudicent quid sentiendum sit.

Unde in scholas translata sunt haec nomina, potentia concupiscens, et potentia irascens, seu ut inepte dicunt, irascibilis?

Cum in variis disputationibus fiat mentio doctrinae de adpetitionibus, utile est gradus nosse, quos supra recensui, et videre, quibus adpellationibus vetustas usa sit. Plato saepe repetit hanc suam partitionem. Ait tres esse gradus in homine: *ἐπιθυμητικὸν*, *θυμικὸν*, et *ἡγεμονικὸν*. Ac singulis suam sedem attribuit. *Ἐπιθυμητικὸν* dicit pertinere ad epar, quia id membrum dominatur inter ea, quae proprie ad praeparandum nutrimentum condita sunt. Significat igitur, se nominare *ἐπιθυμητικὸν*, facultatem seu adpetitum naturalem, ad quem fames, sitis, adpetitio generationis pertinent. Sed saepe improprie loquitur. Addit amorem et avariciam huic parti, cum hi adfectus vere sint in corde, et nequaquam in epate. Etsi enim naturalis adpetitio generationis est proprie in membris conditis ad generationem, tamen alius motus est amor, seu honestus, seu inhonestus.

Θυμικὸν seu *θυμοειδὲς* collocat Plato in corde, adfectus videlicet eos, qui non pertinent ad nutritionem, sed ad defensionem. Sumpserunt igitur scholae vocabnla potentiae concupiscentis et potentiae irascentis ex hac partitione Platonis.

Tertius gradus est *ἡγεμονικὸν*, quod complectitur mentem et voluntatem, seu partem cognoscentem, et partem eligentem cognita, et imperantem locomotivae, de qua mox dicam.

Apud Aristotelem genus est facultatis adpetitivae, *ὀρεκτικὸν*. Id partitur in haec tria: *ἐπιθυμίας*, *θυμὸν*, et *βούλησιν*. Nec explicat vocabula, nec sedes discernit. Sed concinne possunt explicari, si quis accommodet ad nostras partitiones supra recitatas. Ac in tertio libro de Anima expresse discernit adpetitum sensitivum, et adpetitum intellectivum, ac nominat utrumque *ὄρεξιν*. Sed alteri proprium nomen tribuit, *ἐπιθυμίαν*. Alteri tribuit proprium nomen, *βούλησιν*. Haec breviter monuisse de his adpellationibus Platonis et Aristotelis satis sit.

De potentia locomotiva.

Quid est potentia locomotiva?

Est potentia, quae quamcunque partem corporis externam, ciente imaginatione, ut in pecudibus, aut ratione, ut in hominibus, ex alio loco in alium transfert.

Organa sunt nervi, musculi et chordae, hoc ordine. Primum noticia iudicat, quo sint movenda membra, ut in siti cervus memor fluminis imaginatur, quaerendum esse flumen. Cum haec

noticia formatur, simul cerebrum vibrat et ciet nervos, nervi spiritum transvehunt ad musculos. Musculi vibrati moventur suae carnis natura, et suis quibusdam fibris, et se dilatant et contrahunt. Hac dilatatione et contractione τένων trahitur, quo tracto, membra externa moventur. Est igitur immediatum organum voluntarii motus iuncturarum, chorda seu τένων. Sed mediatum organum musculus. Et musculus vibratur spiritu allato in nervis. Nervi impelluntur ab ipso cerebro, quod dilatatur aut contrahitur. Cerebrum autem feritur noticia. Nec ulteriores causae quaerendae sunt. Sed hoc modo naturam animantium consilio opificis ordinatam esse sciamus, et hac facultate voluntarii motus recte utamur.

Iam hic ex physicis nota sit differentia motus naturalis et motus voluntarii. Motus naturalis est, qui non inchoatur nec cessat iuxta imaginationem animalis, sed obiecto praesente, si natura non est impedita, non potest non ciere hos motus. Ut ignis urit materiam idoneam admotam, trahit magnes ferrum sua quadam vi, sine noticia: ita ventriculus attrahit cibum, vi caloris et ope villorum. Naturaliter et cor gignit et transmittit spiritus, seu tardius, seu crebrius. Inde et pulsus est motus naturalis.

Sed motus voluntarius est, qui iuxta imaginationem seu delectum inchoatur, et cessat incitatis nervis, musculis et chordis in iis animantibus, in quibus est varia membrorum agitatio, videlicet progressio, volatus, gyratio, natatio. Nec iam loquimur de vermibus et conchis, in quibus tantum dilatatio et constrictio est, utcunque promovens corpora, quae etiamsi fit nervulis, tamen in his non cernuntur distinctae machinae, ut in aliis animantibus.

Tertius motus est mixtus ex voluntario et naturali, ut urina partim sponte emittitur, partim suo motu labitur.

De potentia rationali seu Mente.

Etsi penetrari acie humanae mentis rerum natura non potest, tamen vult Deus eam ab hominibus aspici, ut in ea consideremus testimonia de ipso, quae ostendunt et esse Deum, et qualis sit. Ac ordo in tota reliqua natura, praeter mentem hominis, ostendit, hunc mundum non extitisse casu, sed conditorem esse artificem sapientem, qui mirando consilio positus corporum, coeli, terrae, aëris et aquae, et motus coelestes, et rerum nascentium vires distribuit.

Sicut autem homo conditus est, ut in eo luceat noticia Dei, et ut ei Deus communicet suam sapientiam et bonitatem, ita mentem humanam voluit evidentissimum de ipso testimonium esse. Cui et insita est lux, qua esse Deum agnoscimus, et insitae sunt noticiae, discernentes honesta et turpia. Et ut hoc discrimen sit illustre et firmum, additus est vindex in nobis. Sequuntur immutabili ordine horrendi cruciatus, damnantes scelera, ac reum prorsus delentes. Hoc discrimen ostendit, qualis sit Deus, et quod sit iudex et vindex. Impossibile est noticias numerorum et alias, et discrimen honestorum ac turpium, ortas esse a bruta natura, aut casu sic nasci. Est igitur mens architectatrix sapiens. Et intelligimus numeros, et discrimen honestorum et turpium in mentibus humanis immutabiliter lucere, et experimur tanquam vindice Deo naturam hominis destrui, cum hunc ordinem violat. Talis est igitur Deus, ut hunc ordinem velit, et hae noticiae radii sunt sapientiae divinae.

Esset autem haec lux in nobis multo clarior, si natura hominum non languefacta esset, sed tamen adhuc reliquae sunt scintillae tantae, ut, de numeris nulla est dubitatio. Iudicium etiam de sceleribus post delicta tam tenaciter manet, ut homines rei extinguantur conscientiae doloribus.

Cum igitur in hac parte hominis tam illustria sint de Deo testimonia, cumque praecipue discernat homines a bestiis, et sit vitae rectrix, diligenter consideranda est, quantum fieri potest. Et fontes omnium artium sunt in hac potentia. Quare eius cognitio ad multarum rerum diiudicationem necessaria est.

Etsi autem hoc speculum Dei non potest ita monstrari, ut specula nostrorum corporum manufacta ex vitro et plumbo, tamen actiones ostendunt, esse in nobis talem potentiam, quae et qualis sit, in illa aeterna luce cernemus. Nunc actiones consideremus, et distinguamus, quae nos a bestiis discernunt, et quae sunt testimonia de Deo, et vitam regunt, et gignunt omnes honestas artes.

Diximus autem antea de potentiis, quae nominantur organicae, id est, quae non exercent suas vires, nisi per organa corporea, quae quia monstrari possunt etiam in bestiis, doctrina de eis minus obscura est. At in homine esse aliam

superiorem potentiam, eo constat, quia actiones habemus, quas bestiae non imitari possunt. Homo numerat, intelligit non tantum singularia, sed etiam universalia, habet noticias innatas, ratiocinatur longe alia ex aliis, extruit artes, iudicat ratiocinationes suas, et deprehendit ac mutat errata, habet actus reflexos, ut vocant, discernit honesta et turpia, deliberat longa ratiocinatione. Haec non sunt communia nobis cum bestiis, sicut actiones sensuum, videre, audire, in quibus superant nos etiam bestiae, ut acie oculorum aquilae, odoratu vultures.

Est igitur propria homini potentia rationalis, ut nominant, quae est summa vis humanae animae. Et hanc potentiam usitate nominant inorganicam. Etsi enim in hac vita sensus interiores ei serviunt et obiecta offerunt, tamen cum anima discedens a corpore suam quandam habeat actionem, et suos motus, dicitur inorganica.

Duae sunt potentiae in hac summa parte, ut sic dicam: Intellectus et voluntas. Retineo enim usitatas adpellationes et distributiones. Augustinus, ut monstret imaginem Dei in anima, tres vires nominat: Memoriam, intellectum et voluntatem. Sed de imagine Dei postea dicam. Etsi autem postea magis perspicuum erit, quare necesse sit discerni intellectum et voluntatem, seu potentiam cognoscentem et appetentem, tamen nunc quoque in vestibulo, iuniores de utilitate huius discriminis admonendi sunt. Aliud esse noticias, aliud serias appetitiones sciri necesse est, ut in Pompeio noticia est Iulii. Et haec manet eadem ante bellum et in bello. Sed prius benevolentia erat in voluntate, postea accenditur odium. Sunt igitur res diversae noticia et adfectus, et sedes aliae utcunque constituendae sunt, quae quidem in organis coniunctis animae sic ostenduntur. Cum potentia cognoscente copulati sunt sensus interiores. At cum potentia serio volente copulatio cordis est. Noticia igitur Iulii est in cerebro. Sed benevolentia et odium sunt in corde.

Huius discriminis consideratio illustrat et Pauli dictum in primo capite Epistolae ad Romanos, ubi inquit, homines veritatem in iniusticia captivam detinere. Obscura oratio est ignaris huius doctrinae, de discrimine potentiarum. Nominat autem veritatem noticias veras de Deo et de lege. Hi radii sapientiae Dei lucent in potentia cognoscente, ut in Pompeio noticia est Iulii. Sed nec in voluntate, nec in corde sunt motus et flammae congruentes cum lege Dei. Haec ut aliquo modo intelligi possint, necesse est aspici hominis naturam et vires dissimiles.

Hinc et argumentorum solutio sumitur.

Naturalia maxime possibilia sunt huic naturae, cuius sunt propria.

Lex maxime secundum naturam est.

Est igitur possibilis.

Primum ad maiorem respondendum est, naturalia possibilia esse naturae integrae, non depravatae.

Deinde cum rursus obiicitur, adhuc nobiscum nasci legis noticias, etiam in hac depravata natura. Hic potentiarum discrimen intuendum est. In potentia cognoscente noticia legis nobiscum nascitur, sicut numerorum intellectus. At in voluntate et corde contumacia est.

Iam hic magnitudo humanae infirmitatis deploranda est, cum tantum dissidium esse duarum summarum virium et cognatarum cernimus. Deinde et consilium Dei considerandum est, cur noticiam legis in nobis reliquam esse voluerit, et qualis sit in voluntate libertas. Noticia manet, ut sit de Deo testimonium, et ut arguat peccatum. Praeterea ut sit rectrix externae disciplinae. Nam hic gradus libertatis manet. Imperare ratio locomotivae potest, quae externas actiones ciet. Manet etiam in corde vindex scelerum, horribilis dolor, qui post delictum, sequitur potentiae cognoscentis iudicium. Vult enim Deus et discrimen honestorum et turpium conspici, et destrui naturam lege, quasi iudicis aeterni sententia oppressam. Harum maximarum rerum doctrina multo fit illustrior, ordine consideratis potentiis, et singularum actionibus. Et cum in hac materia aspici partes hominis necesse sit, valde utilis est haec collatio physices ad doctrinam Ecclesiae.

Addo et alterius argumenti explicationem.

Naturalia sunt immutabilia.

Leges divinae, quae sunt in decalogo omnibus propositae, sunt mutatae, ut, contra primam tabulam horrendis furoribus multa numina conficta sunt, et contra secundam tabulam permissae pactiones de adulteriis apud Lacedaemonios, et apud multas gentes homicidia gladiatorum permissa sunt.

Ergo leges illae divinae non sunt naturales.

Responsio. Nego minorem. Leges enim illae non sunt mutatae, quod ad partem cogno-

scentem attinet. Ut enim noticia numerorum semper lucet in mentibus humanis, ita manet vera noticia, unicum verum Deum invocandum esse: Non fingendos esse multos deos: Non interficiendum esse hominem innocentem per ludum: Non adprobandas esse vagas libidines. Etsi autem in hac caligine humana minus clare fulget haec lux in mentibus humanis, tamen non prorsus extingui potest. Ideo viri sapientes, ut Xenophon, Aritoteles, Cicero, turbam deorum improbarunt.

Sed hic agnoscamus et deploremus infirmitatem nostram, quod etiam contra iudicium in potentia cognoscente, ruunt voluntas et cor in tetra scelera, ut inquit Medea. Video meliora proboque, deteriora sequor.

Voluntas in Romanis gladiatorum caedes recepit, contra iudicium mentis. Potest enim voluntas repugnare recto iudicio.

Accedit huc etiam, quod diaboli et corda impellunt, et mentibus inserunt furores, ut etiam caligo in parte cognoscente iudicium obruat, sicut alioqui multi fiunt furiosi, et furoribus incitati saeviunt in sese et in suos, ut Hercules interficit coniugem et filios. Et in historia Xanthiorum mater suspendit se de tecto, gerens suspensum filium de collo suo, et tenens facem, qua aedes inflammabat. Et in hac ripa Albis, ante bellum Saxonicum, mater in puerperio furens duos infantes ex ipsa natos interfecit. Aliquanto ante Basileae maritus gravidam coniugem gladio transfodit, postea sese de fastigio aedium praecipitem deiecit.

Nec propter talia facta lux naturalis in his ipsis, ac multo minus in aliis sanis extincta est. Sed diaboli violenter impellunt desertam a Deo naturam. Ac talia exempla commonefaciunt nos, ut petamus a filio Dei gubernationem, qui venit, ut destruat opera diaboli, ne lux iudicii obscuretur in nobis, et ne corda impellantur, ut ruant contra voluntatem Dei. Quare et in quotidiana precatione dicimus: Ne inducas nos in tentationem. Et Dominus inquit: Orate, ne intretis in tentationem.

Horum et similium argumentorum explicatio de rebus gravissimis, ostendit utilitatem huius doctrinae. Ac multa sequentur alia, quae etiam aliquid lucis adferent ad intelligendam Ecclesiae doctrinam. Ut cum dicitur Filius Dei *λόγος*, esse imago aeterni Patris, et cum discrimen inter *λόγον καὶ πνεῦμα* utcunque ostenditur, prodest nosse potentiarum discrimen. Redeo igitur ad praecepta.

Quid est intellectus?

Est potentia cognoscens, recordans, iudicans et ratiocinans singularia et universalia, habens insitas quasdam noticias nobiscum nascentes, seu principia magnarum artium, habens et actum reflexum, quo suas actiones cernit et iudicat, et errata emendare potest.

Haec definitio ostendit discrimen inter sensus et intellectum, et inter brutorum et hominum cognitiones.

Sunt autem differentiae tres.

Prima. Sensus tantum versatur circa singularia, nec adprehendit, nec componit universalia.

Secunda. Sensus nullas habet innatas noticias, ut pecudes non possunt numerare.

Tertia. Nulli sensus, nulla bruta habent actus reflexos. Apes extruunt mira opera, sed hanc ipsam architectonicen non iudicant.

Quae sunt actiones intellectus?

His verbis usitate numerantur tres actiones: Simplicium apprehensio, compositio et divisio, ac discursus. Si cui hae adpellationes videntur obscurae, numeret hoc modo:

Simplicium cognitio.
Numeratio.
Compositio et divisio.
Ratiocinatio.
Memoria, et
Iudicium, quo et iuxta communes normas, quae adpellantur *κριτήρια*, agnoscuntur verae propositiones, et consequentiae recte cohaerentes, et falsae propositiones et non cohaerentia membra reiiciuntur. Nam hos gradus addi necesse est.

Quod etiam vulgo discernuntur sensus et intellectus his verbis: Sensus est singularium, Intellectus universalium. Id dictum nequaquam exclusive intelligendum est, quasi intellectus tantum sit universalium. Quanquam autem sensus tantum singularia obiecta arripit, tamen intellectus cernit, componit, dividit et iudicat utraque, singularia et universalia. Huius nostrae sententiae perspicua confirmatio sumi potest ex numeratione, quae propriissima est huius summae potentiae intelligentis, non sensus, progreditur

autem numeratio ab unitate et singulari ad multa. Est et condita mens humana ad agnitionem unius Dei, ut lex divina inquit: Diligas dominum Deum tuum. Item diligas proximum. Necesse est igitur haec singularia mente cerni posse. Reiiciantur ergo insulsae et fatuae interpretationes eorum, qui finxerunt, intellectum tantum esse universalium.

Quod est obiectum intellectus?

Ens quam late patet, hoc est, Deus et tota rerum universitas est obiectum intellectus, ad cuius agnitionem conditi sumus. Ut manifeste testatur lex divina: Diligas dominum Deum tuum etc. Et fuit haec lux ante naturae humanae depravationem illustrior, postea caligo secuta est, quare Deum et spirituales naturas et corporum substantiam minus intelligimus, sed utcunque eas a posteriori ratiocinando agnoscimus obscure et tenuiter.

Quanquam igitur non eodem modo cernimus omnia, tamen recte dicitur. Ens quam late patet, obiectum esse intellectus, id est, Deum et totam rerum universitatem, quia ad haec omnia aspicienda conditi sumus.

Etsi autem non omnis cognitio in mente humana a sensu oritur, ut numeri et multa principia, tamen ideo conditi sunt sensus, ut rerum, quae foris sunt, simulachra ad intellectum transmittant, et sint nuncii mentis et testes experientiae, imo etiam ut excitent intellectum ad aspectionem rerum, quae extra eum sunt, ut hos quoque intuens, componat, dividat, quaerat universalia, iudicet, aspiciat κριτήρια, et emendet errata.

De hoc externo obiecto excitante intellectum in hac nostra infirmitate recte dicitur, obiectum esse, res omnes quae sensibus percipiuntur. Inde enim procedit intellectus sua vi ad alia, ut ex signis proceditur ad causas, ex accidentibus ad substantiarum agnitionem qualemcunque. Hac mediocri declaratione contenti simus in hac quaestione involuta multis labyrinthis.

Estne verum dictum, noticias aliquas nobiscum nasci?

Vetus contentio est inter Aristotelicos et Platonicos, an sint aliquae in mentibus noticiae nobiscum natae? Sed simplicius et rectius est retinere hanc sententiam, esse aliquas noticias in mente humana, quae nobiscum natae sunt, ut numeros, ordinis et proportionum agnitionem, intellectum consequentiae in syllogismo. Item principia geometrica, physica et moralia.

Hanc sententiam etiam propter Paulum amplector, qui expresse inquit, legem scriptam esse in cordibus hominum, ubi de noticia loquitur. Ut igitur lumen est in oculis, quo fit visio: ita in mentibus lux quaedam est, qua numeramus, agnoscimus principia artium, discernimus honesta et turpia. Hanc lucem esse noticias divinitus sparsas in mentibus nostris, recte dicitur, quae qualis lux sit, tunc cernemus, cum archetypum Deum intuebimur. Interea procul considerantes, tamen sciamus has aeternas noticias illustria de Deo et de providentia testimonia esse, mirando consilio Dei in homines sparsa. Manifestum est enim, non casu durare in toto genere humano hanc aeternam et immotam sapientiam, numeros, et discrimen honestorum et turpium.

Etiam si Deus impressit multa vestigia universo mundi opificio, quae vult esse commonefactiones, quae ostendant, hunc mundum non extitisse casu, sed esse mentem sapientem, bonam, iustam, veracem, castam et liberam, architectatricem: tamen illa ratiocinatio fieri non posset, nisi prius fulgerent in mentibus nostris multae noticiae, distinctio unitatis et multitudinis, distinctio naturae sapientis et bonae, a bruta et mala natura, et aliae multae. Imo aliquam etiam Dei noticiam inter has fulgere in nobis oportet, ut ad eam accommodari signa possint.

Sed haec prolixius disputare nolo, ac potius oro ipsum Deum conditorem, ut postquam accessit caligo in nobis propter peccatum, rursus accendat ipse noticias a se donatas, ut fiant illustriores et firmiores.

Nec turbemur vulgari dicto: Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Id enim nisi dextre intelligeretur, valde absurdum esset. Nam universales noticiae et diiudicatio non prius fuerunt in sensu.

Sed fatendum est, sensuum actione et singularibus obiectis moveri et excitari intellectum, ut procedat ad ratiocinanda universalia, et ad iudicandum.

Quid est noticia?

Noticia alias significat actionem, alias habitum, hoc est, durabile quoddam lumen, ut sic dicam, in mente, quo utimur cum volumus, ut ars est lumen durabile. Sed loquamur de actione. Noticia est mentis actio, qua rem adspicit, quasi formans imaginem rei, quam cogitat. Nec aliud sunt imagines illae seu ideae, nisi actus intelligendi. Nec huius admirandae actionis alia potest tradi illustrior descriptio, quam quod sit formatio imaginis.

Saepe autem iam dictum est, copulatum esse intellectum cum sensibus interioribus. Postquam sensus exterior accepit species sensibiles, ut oculi leonis et cervi, transmittunt eas ad sensus interiores. Ibi cerebri motu et spiritibus formantur cogitationes, quae sunt imagines rerum, quae cogitantur seu aspiciuntur. Eodem modo et mente pingimus imagines, ut unusquisque cogitans suos parentes, in ea ipsa actione format eorum imagines. Architectus cogitans domum, pingit imaginem eius, et de ea iudicat. Tantum propemodum dici potest, cum quaerimus, quid sit noticia. Mirando autem consilio Deus noticias voluit esse imagines, quia in nobis umbras esse voluit significantes aliquid de ipso. Aeternus pater sese intuens gignit filium cogitando, qui est imago aeterni patris. Sed de his significationibus infra rursus dicemus.

Nunc usitatas adpellationes recitabo. Noticia intuitiva dicitur, cum cognitio rei praesentis simul per sensum et mentem accipitur, quare tantum est singularium, ut cum oculi et mens simul aspiciunt picturam in pariete. Et quia hic gradus noticiarum maxime illustris est, vetustas dixit noticias intuitivas similes esse definitionum. Ut definitio magis perspicua absynthii dari non potest, quam cum oculis cernis colorem et figuram, et gustas lingua saporem.

Abstractiva noticia nominatur, qua absentia cogitamus, ut cogitamus absentes amicos. Nam memoria in cerebro est tanquam cella, in quam velut sigilla imaginum, quas formavit cogitatio, impressa sunt, quas aspicit mens quoties vult. Est et sua memoria in rationali anima inorganica. Sunt autem abstractivae noticiae universalium, et ratiocinationum, et aliorum quae non immediate sensu accipiuntur.

Iam haec consideratio ad dialecticos pertinet, ubi a priori, ubi a posteriori, ubi a causis, ubi ab effectibus aut signis ratiocinatio progrediatur.

Alia divisio intellectus.

Ut vocabula quaedam usitata interpretemur, adiicienda est et alia divisio, qua discernunt intellectum speculativum et practicum. Sciendum est autem, hac divisione non significari diversas potentias, sed unicam potentiam intelligentem circa diversa obiecta versantem, alias circa speculabilia, alias circa deliberationes de actionibus, ut iidem oculi cernunt colorem et figuram. Poterant et plures tales differentiae obiectorum addi, ut mechanicus intellectus in architecto. Haec breviter adscripsi, ut iuniores varietatem adpellationum considerent, et eas recte interpretentur.

Varie usurpatum est et vocabulum Rationis. Interdum significat utramque partem, intellectum gubernantem et voluntatem obtemperantem, ac frenantem contrarios impetus. Ita Platonici coniunctas duas potentias, intellectum recte iudicantem, et voluntatem obtemperantem nominant ἡγεμονικὸν. Aristoteli plaerumque λόγος significat noticiam gubernantem, ut cum ait in primo libro Ethicorum: Ratio hortatur ad optima, id est, naturalis noticia, quae est radius divinae sapientiae insitus menti humanae. Interdum non potentiam, sed argumentum significat. Ut, sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. De hac diversitate longae descriptiones a multis traduntur, quae tamen facile diiudicari potest, si quis sit admonitus, varios esse usus vocabuli.

Conscientia est totum argumentum seu iudicium in mente seu potentia cognoscente, quo recte facta adprobamus, et delicta improbamus, quod iudicium ordine divinitus sancito, sequitur in recte factis tranquillitas cordis, et in delictis dolor cordis, puniens et destruens reum delicti.

Condita est enim hominum natura a Deo, ut et conformis esset Deo, et viveret, non ut dolore extingueretur. Quare si esset conformis Deo, et corda congruerent cum recto iudicio, laetarentur benefaciendo ante factum et post factum.

Nunc vero in hac pravitate cor ante delictum ardet suis flammis pugnantibus cum recto iudicio, nec formidat scelus. Quia vero iusticiae Dei est, destruere naturam non obedientem, ideo sanxit hunc ordinem, ut dolor tanquam carnifex post

factum puniat et destruat reos. Etsi autem hic dolor in malis aliquantisper hebes est, tamen tandem fit sevus et extinguit eos, quia lex est iudicium Dei. Et accedit ad naturalem dolorem, perterrefactio, qua Deus ipse ceu fulmine opprimit fontes, ut in Psalmo dicitur: In ira tua turbabis eos, imple facies eorum ignominia. Item: Sicut leo, contrivit omnia ossa mea. Ita sciendum est, causas doloris plures esse, scilicet alias naturae ordinem, alias Deum etiam immediate effundentem iram suam, ut in Iuda et similibus. Haec de causis dolorum in conscientia considerare utile est.

Usitatum est apud Theologos nomen *συντήρησις*, quo intelligunt noticiam legis, quae nobiscum nascitur, quam ideo nominant *συντήρησιν*, quia semper in homine etiam scelerato servet admonitionem ostendentem, quid rectum sit, et quod sit iudicium Dei. Et aliqui sic discernunt haec vocabula, dicunt in syllogismo practico conscientiam ponere minorem et conclusionem, maiorem vero esse *συντήρησιν*, ut Saul quanquam sceleratus, tamen ita ratiocinatur. Deus horribiliter irascitur homicidis, qui homines innocentes interficiunt, et vicissim tales homicidas rapit ad poenas. Ego sacerdotes innocentes multos interfeci. Deus igitur mihi irascitur, et me puniet. In tali syllogismo maiorem nominant *συντήρησιν*, conscientiam vero minorem et conclusionem. Paulus totum syllogismum nominat conscientiam. Hanc brevem admonitionem de his adpellationibus inserui, de quibus alii multas peregrinas quaestiones movent, quae his initiis cognitis facile iudicari possunt.

De intellectu agente et patiente.

Etsi magnae sunt contentiones de intellectu agente et patiente, tamen si sumimus ab actionibus discrimen, simplex et perspicua est haec explicatio.

Oculi incolumes plurimorum intuentes aliquid, pariter id vident. At mentes etiam cum idem quaerunt, tamen non pariter inveniunt. Inventa pariter intelligere possunt, cum declarantur, ut rationem adparandi pulveris tormentarii, et iaculandi globos invenire nemo potuit, praeter autorem: Inventam intelligunt et probant alii artifices.

Discernit igitur Aristoteles duo officia intellectus, sunt enim plura officia intellectus, quam oculorum, qui tantum accipiunt obiecta singularia, nihil ratiocinantur. At intellectus cum accepit obiecta, componit, dividit, ratiocinatur, iudicat. In hac ratiocinatione aliud ex alio invenit. Hic inventor intellectus, et tanquam poëta dicitur agens, seu rectius faciens.

Alterum officium est postea inventa intelligere, agnoscere, et tanquam dictata accipere. Ab hoc officio nominatur intellectus patiens. Vidit Aristoteles in omni vita, in artibus, in consiliis publicis et privatis, in stratagematibus, in poëtica, in eloquentia, alios aliis perspicaciores esse, et inventione plus valere: Alios inventa intelligere, et suis cogitationibus anteferre, ut Themistocles suadens, ut cives relicta urbe naves ingrediantur, plus valet intellectu faciente, quam alii, sed coeteri intelligunt consilium et adprobant.

Hannibal interclusus a Fabio mira arte patefecit sibi exitum. Boum cornibus alligavit sarmenta incensa, ut exercitui Romano errorem obiicerent. Id non venisset cuilibet in mentem, etiamsi inventum coeteri intelligunt et probant.

Cum Alexandro in aditu Asiae nunciaretur, sudasse Orphei statuam, idque videretur quibusdam triste omen, Alexander contra inquit, placere sibi omen, facturum se magnum laborem poëtis. Huius dicti urbanitatem intelligebant coeteri, qui tamen etiam diu quaerentes non invenissent.

Cum autem ingens decus sit in omni vita, recta inventio seu consilii, seu doctrinae, et maximas res gubernet, merito amplissimis laudibus Aristoteles hunc inventorem intellectum ornat.

Ut lumen oculos adiuvat, ita ait intellectum patientem ab inventore adiuvari. Necesse est enim nos aut invenire ipsos consilia, aut aliorum inventis, tanquam dictatis uti.

Hunc ait abstrahere a phantasmatibus. Id est, hic celeriter obiecta confert, signa quaerit, ex signis causas aut effectus, collationes, allusiones, et inde eligit quod est aptissimum. Ut cum Demades inquit: Mortuo Alexandro, exercitum eius similem fore Cyclopi effosso oculo, celerrimam collationem fecit magni exercitus amisso duce, ad magnum corpus Cyclopis, amisso oculo.

Praeterea inquit Aristoteles, hunc inventorem intellectum velut artem esse, alterum ut materiam, quam format et expolit artifex, ut praeceptor format ac erudit discipulum.

Addit etiam esse separabilem, non mixtum, non obnoxium laesioni seu ἀπαθῆ, quae aliqui interpretantur de immortalitate. Nec ego repugno. Et malim de immortalitate intelligi, praesertim cum alibi dicat Aristoteles: Mens extrinsecus accedit. Haec enim verba eius sunt in secundo de generatione: Λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον. Inclinat enim eo, ut mentem existimet coelestem quandam facem esse, quae lucem cerebro praebeat, sed qualis sit, quo avolet, non explicat in his libris, quos habemus.

Quaecunque autem fuit Aristotelis sententia de faciente intellectu et patiente, certe actiones recte distinximus, invenire, et accipere dictata. Harum actionum cum perspicua sint discrimina, contentus sum hac populari enarratione, quae intelligi potest, et deducit lectorem ad considerationem dissimilium in intellectu actionum. Longe perspicacior est intellectus inventor in Archimede, quam in alio vulgari architecto.

Vidi aliorum enarrationes, quae existimantur esse subtiliores, sed somnia sunt inania, nec intelligi possunt.

Etsi autem Averrois divinatio deridetur, et fortassis ab Aristotele aliena est, tamen si dextre intelligitur, non est absurda. Cum enim ait, facientem intellectum esse ipsum Deum cientem excellentiores motus in hominibus, vere dicit, excellentes et salutares cogitationes a Deo ipso monstrari et regi, ut Salomon inquit, ut oculus videat, et auris audiat, Deus facit utrumque. Et vere inquit Cicero: Nulla excellens virtus sine adflatu divino est. Scipionem flectebat Deus ad consilium traiiciendi in Africam, etiamsi dissentiebant Fabius et alii senes.

Quae sunt causae certitudinis doctrinarum?

Deus vult aliquas esse certas noticias, quae et monstrent ipsum, et sint normae gubernationis in vita hominum, ut vult Deus certo sciri, unam esse divinam essentiam conditricem rerum, sapientem, veracem, liberrimam, beneficam, iustam, castam, iudicem hominum, punientem scelera. Vult nequaquam recipi epicureas opiniones, vult nequaquam fingi turbam deorum, vult deinde has noticias firmissimas esse, quae regunt vitam. Non occidas innocentem, Non sis mendax in dicendo testimonio, in pactis, Non rapias alterius coniugem aut facultates. Vult firmas esse noticias numerorum, ut intelligamus unum esse Deum, non innumerabiles, et ut in tota vita discernamus unum, et multa et ordinem considerare possimus. Vult in physicis certo intelligi discrimina caloris, frigoris, humoris, siccitatis, gravium corporum et levium, quia vita hominum conservari non potest, nisi haec discernantur. Omitto plura exempla, ac tantum obtestor discentes propter gloriam Dei, qui veritatem et amat, et nobis praecipit, ut veras sententias discant, et agnitam veritatem constanter amplectantur, et deinde iuxta voluntatem Dei, transferant eam ad usum, ut cum certum sit corpora humana non posse sine cibo, potu, somno retinere vitam, his rebus iusto modo utaris, et agnoscas ordinem divinitus ita institutum, et quia dat haec bona, celebres eum grata mente et praedicatione. Ita cum noticiae certae sint: Non occides, non moechaberis, agnosce hunc ordinem divinitus sancitum et obtempera, non quaeras Pyrrhonio more cavillationes ad conturbandas certas noticias.

Copiose autem in dialecticis dicitur de normis certitudinis, quas Graeci nominant κριτήρια. Hic tantum obiter iuniores commonefacio, ut magis considerent, qualis sit naturalis lux in intellectu, et quae sit iudicii regula, et unde sit adsensionis firmitas.

Sunt igitur normae certitudinis iuxta philosophiam tres: Experientia universalis, noticiae principiorum, et intellectus ordinis in syllogismo.

Experientia universalis est, cum de iis quae sensu percipiuntur, omnes sani eodem modo iudicant, ut ignem esse calidum, foeminam parere. In vita animantium, sensum et motum esse. Mortem destructionem esse animantium. Ostendit autem universalis experientia noticiam esse certam, quia si oppositum in usu velis experiri, sequitur naturae destructio, ut, si quis negans ignem urere, manum inserat flammis, sentiet certe eam absumi. Fatendum est igitur naturam sic conditam esse, et tale esse opus Dei. Nec alia demonstratio longior quaerenda est. Et dissentire ab universali experientia, est ipsi Deo bellum inferre, et negare hunc ordinem a Deo sancitum esse, ut si quis neget foeminam parere, et conetur sculpere vivos homines.

Principia sunt noticiae nobiscum nascentes, quae sunt semina singularum artium divinitus insita nobis, ut inde artes extruantur, quarum usus

in vita necessarius est, ut noticia numerorum, ordinis, proportionum, et multarum propositionum. Quodlibet est, aut non est. Totum est maius qualibet sua parte. Deus est mens aeterna, sapiens, verax, iusta, casta, benefica, conditrix mundi, servans rerum ordinem, et puniens scelera. Mens humana ad hanc similitudinem condita est. Sit igitur homo verax, iustus, beneficus, castus. Huic normae obtemperare est recte facere. Discedere ab hac norma, est facere Deo displicentia et turpia. Et discedens accersit sibi poenas. Plura de principiis dicuntur in dialecticis.

Tertium *κριτήριον* est: Intellectus ordinis in syllogismo, recte coagmentatis membris, ut latius in dialecticis dicitur. In doctrina stoica nominantur *κριτήρια* his tribus vocabulis: *αἴσθησις*, *πρόληψις* et *γνῶσις*. Nec dubium est intelligi experientiam, cum nominant *αἴσθησιν*. Et principia cum nominant *πρόληψιν*. Erit igitur *γνῶσις* iudicium, id est, intellectus ordinis seu consequentiae, seu connexionis.

In Ecclesia habemus et quartam normam certitudinis, videlicet, patefactionem divinam, illustribus et non fallentibus testimoniis factam, quae extat in libris propheticis et apostolicis. Etsi autem facilius et firmius adsentitur mens humana iis, quae luce naturali cernit, tamen simili constantia omnes creaturas rationales adsentiri oportebat sententiis a Deo patefactis, etiamsi luce naturali non videmus esse veras et firmas. Ut sine dubitatione adseveramus, bis 4 esse 8: ita statuendum est, Deum excitaturum esse homines mortuos, et Ecclesiam ornaturum aeterna gloria, et impios abiecturum in aeternas poenas. Sed multi audacissime repugnant divinis oraculis, ut Epicurei et alii. Pars tamen aliqua generis humani adsentitur, testimoniis miraculorum mota, in qua voce Evangelii Spiritus sanctus hanc lucem accendit, et flectit mentem ad adsentiendum, et mens obtemperat Spiritui sancto, amplectitur vocem Evangelii, et repugnat dubitationi. Et haec adsensio quae amplectitur sententias a Deo patefactas, dicitur Fides, quae quidem in aliis firmior est. Nec leve beneficium Dei esse ducamus, quod ex illa sua arcana sede prodiit, et se nobis patefecit, et ea patefactione testatus est, sibi vere genus humanum curae esse. Sit igitur patefactio illa praecipuum vitae lumen, et gubernet omnes actiones et omnia consilia. Et in quotidiana invocatione cogitemus testimonia patefactionum, ut fides accendatur, et grati bonitatem Dei agnoscamur et celebremus.

Hic etiam valde prodest considerare discrimen. Quaedam voce Dei tradita sunt, quae etiam natura nota sunt, ut praecepta Decalogi. Sed voluit Deus accedere vocem suam, ut ostenderet illas ipsas noticias naturales a sese mentibus nostris inditas esse, et legem novo testimonio sanciret. Grata est autem bonae menti confirmatio veritatis, ubi intelligit ad naturalem noticiam accessisse divinam vocem. Ratio deprehendit terram stare immotam, et solem moveri. Sed cum idem divinitus traditum esse audimus, firmius adsentimur.

Sunt autem aliae quaedam sententiae divinitus traditae, quae antea prorsus ignotae fuerant omnibus creaturis, ut vox Evangelii de Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, de reconciliatione, de praemiis et poenis aeternis. Qui credit in Filium, habet vitam aeternam. Qui autem non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet adversus eum. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Credito tibi ipsi certo remitti peccata propter Filium Dei, crede propter Filium Dei tuos gemitus, tuas preces a Deo recipi. Haec firma adsensione amplectenda sunt. Et adsensionis causa sit autoritas divina, qua hae sententiae nobis traditae sunt et confirmatae illustribus testimoniis, ut resuscitatione mortuorum, et aliis. Mens igitur cogitans, cur hae sententiae immotae sint, intueatur autorem Deum, qui se sic agnosci et invocari vult, sicut se patefecit. Nec vult nos humana audacia ludere opinionibus de se, ut luserunt Ethnici, aut Philosophi.

Haec breviter recitavi de causis certitudinis doctrinarum, quia haec consideratio et modum intellectionis illustrat, et ostendit, unde sit firmitas noticiarum. Necessaria est autem in tota vita hominum haec diligentia, discernendi noticias certas ab incertis, saepe enim accersunt homines sibi et aliis magnas calamitates, cum adsentiuntur falsis aut incertis, quae putant esse vera et firma. Ut, Antonius ex causis non sufficientibus ratiocinatur, se posse toto imperio potiri, quia sit peritior imperator, quam Octavius, et habeat exercitus maiores. Non sequitur autem necessaria consequentia, futurum esse victorem eum, qui est peritior, et habet maiores exercitus, quia multa impedimenta etiam cauto duci obiici possunt. Et

Deus est praecipua causa, gubernans eventus. Tales errores in vita multi sunt, etiam sapientum, et saepe magnarum calamitatum causae sunt. Haec admonitio in multis dictis proponitur. Ut *μάταιοι μάταια λογίζονται διὰ ἐπιθυμίας.* Et Theognis inquit: *πολλάκι τὴν γνώμην ἐξαπατῶς ἰδέαι.* Quantum igitur fieri potest certa quaeramus, ac praecipue in consiliis vitae sequamur normam divinam, et mentes et eventus a Deo regi petamus, sicut saepe praecipit Deus, ut Deuter. sexto: Facito praecepta Domini Dei tui, ut bene sit tibi.

De Voluntate.

Initio iuniores monendi sunt de usu vocabuli. Vetus latina lingua voluntatem non intelligit potentiam, sed actionem, seu ipsum velle, ut, cum dico: In invido est voluntas nocendi, id est: Invidus vult nocere. Sic dicitur: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas, id est, ipsum velle. Sed in hoc Aristotelico sermone, voluntatem nominamus potentiam seu, ut ita dicam, partem, animae intellectivae appetentem, quae potentia superior est adpetitu sensuum. Res ipsa enim ostendit, gradus esse appetitionum, ut sitiens in febribus, appetitu sensuum valde appetit potum. Sed voluntas superior potentia ostenso periculo, decernit non esse bibendum. Ita Scipio decernit, praestandam esse continentiam adducta captiva nobili, cuius erat excellens forma.

Sit igitur haec definitio. Voluntas est potentia adpetens suprema, et libere agens monstrato obiecto ab intellectu.

Actiones eius sunt: velle ac nolle. Et medium inter haec est suspendere actionem. Vult autem bona, quae aut sunt aut videntur talia. Fugit mala, quae aut sunt aut videntur talia, ut postea de obiecto plus dicam.

Nec sine gravi causa discernuntur gradus actionum in voluntate, quanquam adpellationes obscurae sunt, et ignotae veteribus. Aliae actiones nominantur elicitae, aliae imperatae. Elicitae sunt, quibus voluntas per sese, nec simulans, nec aliis imperans aliquid expetit aut aversatur, ut Scipio vere et ex animo vult patriam tranquillam esse, ideo non rixatur cum tribunis. Avarus vere et ex animo expetit pecuniam. Hae actiones nominari seriae possent, et tunc sunt seriae, cum congruunt voluntas et cor.

Aliae actiones nominantur imperatae, cum videlicet voluntas aut sibi ipsi, aut inferioribus viribus imperat, etsi ut supra dixi, imperium dissimile est. Locomotivae imperat *δεσποτικῶς*, ut cum cohibet manus, ne potum admoveant ori, quanquam magna sitis est. Sic enim inenarrabili arte nervi, qui sunt instrumenta motus, conditi sunt, ut cieantur voluntatis imperio, et obtemperare possint, nisi sint laesi. Sic Achilles, etsi ardet ira, tamen a Pallade monitus, imperat manibns, ne gladio feriant Agamemnonem, imperat et pedibus, ac discedit ab illo, cuius stulta oratione inflammabatur. Hic modus gubernationis et libertatis non est obscurus, quem quidem, ut postea dicam, Deus in hominibus vult esse reliquum, etiamsi natura languefacta est.

Longe aliter imperat voluntas cordi, videlicet *πολιτικῶς*, cum rationem probabilem ab intellectu accepit, qua cor utcunque impellit, ut minus repugnet, seu ut incendium adfectus extingui sinat. Ut cum David in specu Saulem tuto interficere posset, et aliquod esset cordis incendium, tamen quia movebatur hoc argumento: Malum exemplum fore, si regem in populo Dei interficeret, etiam ira in corde leniebatur.

Mutatis obiectis corda alios motus induere manifestum est, quia aliis spiritibus feriuntur, et quia cor animae sedes est, ut supra disputavimus. Amat Medea Iasonem, donec se quoque amari iudicat, odit Iasonem cum se sperni videt, ducta alia coniuge. De hac obiectorum varietate postea dicam.

Praeterea simulationes omnes sunt actiones imperatae, ut in falsa poenitentia sunt ficticii dolores, cum adulter impius simulat poenitentiam.

Quod est obiectum voluntatis?

Ut obiectum intellectus esset ens quam late patet, Deus et rerum universitas, si hominis natura integra esset: ita voluntatis idem esset obiectum, et inter appetenda et amanda summum esset Deus, ut testatur lex divina: Diligas Deum ex toto corde. Ideo condidit Deus creaturas rationales, ut essent aliae naturae, quibus suam sapientiam et bonitatem communicaret, quia bonum est *κοινωνικὸν*. Itaque sicut Sol lucem et calorem in hoc aëre spargit, ita Deus in mentes nostras sparsisset *λόγον* et Spiritum sanctum. Ac *λόγος* monstrasset patrem, et multiplici sapientia mentes illustrasset, voluntates autem et

corda copulasset Spiritus sanctus aeterno patri, mutuo amore, laeticia et motibus congruentibus cum natura Dei. Talis fuisset sapientia et vita hominis, congruens cum sapientia et vita Dei. Et haec bona amissa in lapsu, per Evangelium restituuntur, ut postea dicam. Ac rursus erit Deus omnia in omnibus beatis, ut infra de imagine dicam. Fuisset igitur amor ordinatus. Ante omnia maximum incendium amoris fuisset erga Deum, deinde res bonas coeteras amassemus eo ordine, quem monstrat divina sapientia, virtutes, vitam, vitae commoda propter Deum expetivissemus et agnovisset homo, se in usu legitimo harum rerum Deo servire, et Deum conditorem celebrasset.

Ac nunc cum similes sumus illi viatori vulnerato et spoliato, et in mente tenebrae sunt, id est, multae tristes dubitationes de Deo, et non est in cordibus amor Dei, voluntas alia obiecta quaerit, non Deum, ac horum ordo etiam conturbatur. Summum bonum esse voluptates corporis, non Epicurus tantum, sed maxima multitudo hominum existimat. Alii modestiores dicunt virtutem melius quiddam esse. Nec hi tamen virtutem propter Deum adpetendam esse docent. Ita amissa luce mentis, et extincto amore Dei in voluntate, Philosophi a veritate aberrant, ut alibi copiosius dicitur.

Ut autem consideremus, qualis nunc sit natura hominum, et quae sint discrimina Philosophiae et Evangelii, recitabimus et quae nunc sint obiecta, et ad quae nos retrahat filius Dei.

Primum autem perspicue reiicio et improbo stultam opinionem recentium quorundam, qui negant, bonum esse obiectum voluntatis in adpetendo, et contendunt, voluntatem vere et sine simulatione velle posse malum nulla ratione boni. Ac multae sunt verae causae, propter quas hoc somnium reiiciendum est, quas brevitatis causa non recito, tantum oro iuniores, ut monstrosam illam opinionem detestentur. Etsi enim est aliqua voluntatis libertas, tamen sic ordinata est, ut velit bonum. Hoc si quis non admittit, evertet totam rationem finium, nec magis causa erit, cur voluntas acquiescat in Deo, quam in tauro Phalaridis. Item, si voluntas non esset ordinata ad adpetendum bonum, non esset causa, cur magis adpetere virtutem deberet, quam vicia. Sed omitto confutationem, et breviter constituo obiectum movens voluntatem in hac infirmitate, et in iis, qui non gubernantur luce Evangelii et a Spiritu sancto.

His igitur ut Catoni aut Ciceroni obiectum est voluntatis in adpetendo, bonum finitum, quatenus ratio aut sensus decernit, id esse bonum humanae naturae aut societati. Rursus in fugiendo, malum contrarium illi bono, obiectum erit. Hinc iudicari potest, quousque humanae adpetitiones sine Spiritu sancto progrediantur.

Sunt autem huius boni species. Honestum civile, bona utilia, vita et vitae commoda. Item iucundum, ut voluptates, quas aut sensus, aut ratio expetit. Intra hanc bonorum regionem versantur adpetitiones. Ut, doctrinam expetimus, est enim quaedam mentis perfectio et lux, et cum in hoc tam pulcrum theatrum ad contemplationem coeli, stellarum, terrae, plantarum, animantium, collocati simus, et sint in nobis semina scientiarum, natura ipsa incitamur ad considerationem tantae varietatis et pulcritudinis rerum. Expetunt aliqui virtutem, etiamsi fructu carendum est, ut Scipio, Fabius. Expetimus gloriam, est enim res pulcra, praestantia virtutis, et hanc tribui nobis volumus seu vere seu falso, sunt enim homines natura superbi, id est, sui amantes, et sese magni fieri cupientes. Deinde expetimus vitam, vitae commoda et voluptates. Ultra haec non progreditur Cato. Non amat Deum, quia etiamsi statuit esse Deum, tamen dubitat, utrum curet, exaudiat et adiuvet nos, somniat ociosum esse, nec bonum esse generi humano, certe in aerumnis non amat, quas si non existimat a materia tantum oriri casu, sed poenas esse iudicat scelerum, certe Deum punientem non amat. Hinc multae sunt in poëtis dubitationes de providentia, et reprehensiones Dei, ut illud apud Virgilium. Famamque fovemus inanem. Ac ut in mente sunt tenebrae, ita multo magis voluntas a Deo aversa est, et sicut navis in Syrtibus agitata diversis ventis, varie iactatur, ita voluntas vagabunda sine ordine ad alia atque obiecta ruit. Ideo Paulus inquit: Qui secundum carnem sunt, carnalia sapiunt, videlicet quae recensui. Cato amat virtutem, sed non propter Deum, nec statuit se curae esse Deo, nec diligit Deum. Hic gradus observandus est, ut discrimen Philosophiae et Evangelii fiat illustrius. Possent autem haec multo copiosius exponi, sed hanc brevem commonefactionem huic commentario magis congruere iudico.

Iam igitur a scholis philosophicis discedentes, sciamus nobis ad lucem Evangelii vocatis, obiectum esse voluntatis, bonum infinitum et coetera bona suo ordine adpetenda. Vocamur enim ad instaurationem naturae, et proponitur nobis filius Dei Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis et resuscitatus, qui adfirmat, Deum non esse ociosum, sed vere et horribiliter irasci peccatis, recipere autem in gratiam confugientes ad filium, et exaudire eos, ac liberare. Hanc Evangelii vocem cum audimus, et fide amplectimur, ipse filius Dei, λόγος aterni patris accendit lucem in mentibus nostris, et Spiritu suo sancto corda inflammat, ut in Deo acquiescant et laetentur, diligant eum, et obedire ei incipiant, petant se ab ipso regi, et rursus fiant templum Dei. Nec sumus Stoici, dicimus etiam res conditas a Deo bonas esse, vitam, cibum, potum, coniugium, politicam societatem, sed ordine haec expetenda esse, et nequaquam anteponenda Dei voluntati. Babylas senex Episcopus Antiochenus amat vitam, coniugem, filios. Et iam octogesimum annum egressus erat, ne quis iuvenili audacia eum sibi periculum attraxisse existimet. Et tamen confessionem Evangelii antefert suae et filiorum vitae. Stant grandaevi parentes, nec tantum spectatores sunt necis filiorum, sed etiam confirmant eos in agone. Deinde tribus adolescentibus filiis interfectis in conspectu parentum senex pater trucidatur. Mater superstes mariti et filiorum corpora collocat in sepulcra. Talia exempla nobis obiectorum gradus ostendunt.

Sed unde oritur tanta morum atque actionum confusio? David rapit alterius coniugem, quanquam videt et intelligit facti turpitudinem. Hoc ita fit, dissimilia obiecta cordi et voluntati offeruntur. Ratio monstrat voluntati turpitudinem. Sed cor incensum amore, qui ut est violentus, rapit secum voluntatem, ne recto iudicio obtemperet. Nam voluntas etsi aliquo modo libera est, et certe posset locomotivae imperare, ne attingeret alienam, tameu, ut fomes, facile accipit cordis incendia. Nunc igitur qualis sit libertas, dicendum est.

De libero arbitrio.

In dialecticis vocabula necessitatis, contingentiae, et libertatis declarantur. Inde sumantur enarrationes horum vocabulorum, quas profecto scire necesse est. Nunc tantum hoc dicam, libertatem in divina voluntate, et in creaturis rationalibus, angelis et hominibus, esse facultatem voluntatis, quae possit agere, ac non agere, aut sic, aut aliter agere. Sunt autem discrimina magna in Deo, beatis, et hominibus in hac vita, quae alibi copiosius explicantur. Est igitur dissimilis modus agendi, quam agit ignis, qui necessario calefacit admota corpora, nec potest suspendere actionem, nec potest aliter agere.

Primum autem constituendum est certissimum esse, Deum etsi bonus est immutabiliter, tamen esse agens liberrimum, et omnia quae condidit, et quae agit extra se, liberrima voluntate condidisse, et agere, iuxta dictum Psalmi: Omnia quaecunque voluit, fecit. Ac procul explodantur impii furores Stoicorum, qui fingunt, Deum alligatum esse ad causas secundas, nec posse aliter agere, quam sicut cient causae secundae, et necessario eum velle et agere bona et mala, honesta et turpia. Horresco referens, sed interdum haec commemorari necesse est, ut adolescentes moniti fugiant et execrentur haec diabolica mendacia, quae sunt contumeliosa in Deum, et perniciosa moribus, sed alibi haec copiosius tractantur.

Iam constituta propositione, quod Deus sit agens liberum, sciamus eum et angelos et homines in creatione ornasse his tribus bonis, quae sunt in ipso optima, sapientia videlicet, noticia suae legis, iusticia, et libertate voluntatis.

Alius autem modus agendi conditus est in Sole, in igne, in aqua, et coeteris rebus, semper uno modo agentibus. Hoc discrimen vult Deus conspici, vult intelligi, sese esse agens liberum, vult et nostras actiones consilio regi. Disputatur ergo, an sit aliqua voluntatis in homine libertas, et qualis sit. Est autem non difficilis explicatio amantibus veritatem, non disputationum praestigias, ac diligentia necessaria est piis, considerare discrimen stoicarum opinionum, et doctrinae ecclesiasticae, in quam stoica deliramenta Manichaei et Valla impie transfuderunt.

Sciendum est igitur, dupliciter detrahi libertatem humanae voluntati. Aut enim in universum tollitur contingentia omnium eventuum, non tantum humanorum, sed etiam aliorum, ut Stoici defendebant fatalem necessitatem. Aut non defenditur illa stoica necessitas, sed tantum monstratur infirmitas humanarum virium, quae

etiamsi utcunque externas honestas actiones efficere possunt, tamen non possunt integram obedientiam legi Dei praestare, nec possunt tollere peccatum et mortem. Cum igitur duae quaestiones sint, altera de stoica necessitate, altera de infirmitate virium humanarum, brevissime de priore respondeo.

Certissimum est, Deum nec velle, nec adprobare, nec efficere, nec adiuvare peccatum. Sed vero et horribiliter irasci eum peccato, ut Psalmus inquit: Deus non volens impietatem tu es. Et Ioh. 3. dicitur, diabolum mendacii patrem esse, et ex proprio loqui mendacium. Cum igitur Deus nec velit, nec adprobet, nec efficiat peccata, manifestum est ea non oriri a voluntate Dei, sed a voluntatibus diabolorum et hominum, qui cum boni conditi essent, suis voluntatibus quae erant liberae, se sponte a Deo averterunt. Est autem libertas fons et causa contingentiae.

Nec praevisio necessitatem adfert, nec cogit voluntates diaboli et hominum, ut scelera faciant. Etsi igitur praevidet Deus Saulis scelera, tamen ea nec vult, nec adprobat, nec efficit, nec adiuvat. Sed permittit, ac metas constituit, quousque permissurus sit. Ita in scholis dicunt, Deum determinare contingentia. Praevidet grassaturum esse Pharaonem in Israëlitas, et constituit metam quousque hunc furorem toleraturns sit, sicut hanc ipsam determinationem prophetae multis venustis figuris significant, ut regi Assyrio dicitur: Ponam chamum in ore tuo, et reducam te, etc. Haec breviter recitavi, tantum ut moneantur iuniores, ut diabolica mendacia, quae de necessitate fingunt Stoici, fugiant et constanter execrentur, quae, ut antea dixi, et adversus Deum contumeliosa sunt, et nocent moribus. Multi enim fiunt magis feri, cum cogitant ut servulus Zenonis, se fatali necessitate peccare, et ut in Tragoedia dicitur: Fati ista culpa est. Nemo fit fato nocens. Longe rectius dictum est illua Euripideum, quod Plutarchus citat: *Εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσὶν θεοί.*

Nunc de ecclesiastica responsione dicam, quae de infirmitate virium nostrarum loquitur. Hic primum manifestum est, homines non posse integram obedientiam legi Dei praestare, nec posse tollere peccatum et mortem. De his tantis rebus concionatur Paulus, cum queritur naturam hominum captivam esse peccati. Interea tamen aliqua est libertas reliqua, quia Deus vult adhuc utcunque intelligi discrimen inter agens liberum, et agentia sine consilio et sine libertate, ac vult sciri, sese esse agens liberrimum, non alligatum causis secundis. Vult etiam, nos aliqua nostra vigilantia et labore actiones externas regere.

Est ergo haec vera regula. Certissimum est in hac infirma natura hominum, etiam in non renatis, adhuc reliquam esse libertatem regendae locomotivae, id est, frenandi externa membra, ne faciant externa facta pugnantia cum lege Dei. Ac de imperatis actionibus magis perspicua est libertas. Ut, Scipio imperat membris, ne alterius sponsam attingant. Et in Scipionis voluntate est etiam motus, quo aliquo modo vult illud honestum propter ipsum decus virtutis. Illud velle est actio elicita, ut nominant, serio volens civile honestum. Sed actiones elicitae sunt obscuriores. Ideo de imperatis loquamur, quae sunt externa paedagogia, et harum esse aliquam libertatem ostendit manifesta experientia.

Praeterea Paulus expresse nominat Iusticiam carnis, quae est viribus naturalibus facere externa opera, congruentia cum lege Dei. Talem iusticiam cum adfirmet esse posse in non renatis, manifestum est, libertatem aliquam esse voluntatis regentem externa membra. Item: Deus attribuit generi humano Magistratus et leges, ut externa membra frenentur, sicut inquit Paulus: Si vis non timere potestatem, bonum facito. Haec tota gubernatio, et ipsa legum vox prorsus inutilis esset, si externa membra frenari non possent. Fatendum est igitur, aliquam esse libertatem. Idque scire homines utile est, ut cum sciunt Deum praecipere hanc gubernationem externorum membrorum, ut eam aliquo modo in nostra potestate esse, et violationem disciplinae horrendis poenis et in hac mortali vita puniri, et post hanc vitam, nisi fiat conversio ad Deum, serio conentur externa membra frenare, et non ruant ut furiosi, aut ut beluae, quo coeci adfectus impellunt. Sed sint memores huius vetustissimae concionis dictae ad Cain: Sub te sit adpetitus tuus, et tu domineris ipsius.

Etsi autem haec disciplina non meretur remissionem peccatorum, nee est iusticia Evangelii, tamen sunt magnae causae quatuor, cur praestanda est. Quarum prima est, quia Deus eam praecipit. Debent autem obedientiam Deo omnes creaturae rationales.

Secunda causa est, ut vitentur poenae, quia ordine divinitus sancito, atrocia delicta certo comitantur atroces poenae, et in hac vita mortali, et post hanc vitam, nisi fiat conversio ad Deum, iuxta hoc dictum: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Item: Vae qui spolias, quia spoliaberis. Et Ecclesiastes in octavo capite inquit: Non bene erit impio, nec longi erunt dies eius etc.

Hoc iudicium Dei et quotidiana exempla ostendunt, quae et extra Ecclesiam homines non cyclopicos moverunt, ut faterentur, esse Deum mentem iustam et vindicem scelerum. Hinc dicta multa sunt. Ut Pindarus ait, Ixionem in rota clamitare: Discite insticiam moniti, et non spernere divos. Item Homerus:

Οὐ γὰρ σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσι.

Item:

Τεῦχων ὥς ἑτέρῳ τι, ἑῷ κακὸν ἤπατι τεύχει.

Item:

Οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει.

Tertia causa est, ut paci communi serviamus, quia non tantum nobis nascimur. Sed vult Deus nos communi societati prodesse, et eam fovere, iuxta haec dicta de dulcissima aequalitate: Diligas proximum, sicut te ipsum. Item: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Quarta causa est, quia haec externa modestia est paedagogia in Christum, id est, Spiritus sanctus non est efficax in his, qui perseverant in sceleribus contra conscientiam, quia in iuramento divino comprehenditur conversio. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Has causas familiarissime notas esse, et saepe cogitari utile est, quae quidem et copiosius alibi declarantur. Cum autem haec gubernatio externarum actionum sit aliquo modo in nostra potestate, vult Deus nos non ignavos et segnes esse, sed sua lege et metu poenarum, tanquam vinculis acriter cohercere membra. Et quidem haec diligentia in renatis, et filium Dei vera fide agnoscentibus, placet Deo. Haec sunt perspicua et plana, ac prosunt moribus et pietati recte intellecta.

Caeterum haec ipsa libertas seu facultas voluntatis humanae saepe vincitur his duabus rebus, scilicet infirmitate naturae nostrae, et diaboli insidiis. Ideo multi homines ruunt in manifesta scelera. Renati igitur cum et de his causis, et de auxilio doceantur in Evangelio, veris gemitibus petant, se gubernari Spiritu sancto, ut Dominus inquit: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Nunc de alio genere actionum interiorum dicam, quae Deum intuentur. Voluntas humana non renata luce Evangelii et Spiritu sancto, non potest efficere verum timorem Dei, firmam adsensionem, fiduciam ac dilectionem Dei, veram patientiam et constantiam in magnis periculis, et similes spirituales motus, multo minus potest praestare perfectam obedientiam legi Dei. Testimonia nota sunt. Nam Paulus inquit: Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei. Et Dominus inquit: Sine me nihil potestis facere.

Cum Ioseph repugnaret voluntati coniugis heri sui, ac regeretur timore Dei ac fide, concurrebant hae causae, verbum Dei, filius Dei illustrans mentem et dans Spiritum sanctum, Spiritus sanctus movens voluntatem et cor. Et ipsa voluntas Ioseph. Inchoandum est enim ab externo verbo Dei, mens cogitabat mandata Dei, promissiones et poenas. In hac ipsa cogitatione intuens promissionem auxilii et mediatoris petit se regi. Hic ipse filius Dei, *λόγος καὶ εἰκὼν* aeterni patris, sua luce mentem illustrat, ut Ioseph agnoscat aeternum patrem, et sciat, se ei curae esse et fore, et simul Spiritu sancto movet voluntatem et cor Ioseph, ut velit Deo obedire, et auget timorem Dei, et voluntas adiuta adsentitur Spiritui sancto, cohercet externa membra, non admittit illecebras. In hoc certamine sentit voluntatem non esse ociosam. Non igitur tollit libertatem voluntatis Spiritus sanctus, sed emendat et flectit ad Deum, iuxta dictum: *ὁ δὲ ἕλκων, τὸν βουλόμενον ἕλκει.* Poterat voluntas in Ioseph excutere Spiritum sanctum, sed adiuta revocat se et obsequitur Spiritui sancto. Haec de causis spiritualium actionum tenere prodest, ut fidei exercitia discamus. Mens cogitet mandata Dei et Evangelium, ac fide petat auxilium a mediatore, qui venit, ut destruat opera diaboli. Cum fide erigimur filius Dei vere adest et accendit voluntatem et cor Spiritu sancto. Ita voluntas adiuta repugnat viciis, et cohercet externa membra, ne ruant contra rectum iudicium. Ac scimus nos non nostris viribus vincere, sed auxilio domini nostri Iesu Christi.

Ex hac distinctione, quam recitavi, potest utcunque intelligi, qualis adhuc sit libertas vo-

luntatis, quae habet, ut dixi, suas metas, nec ita amplificanda est, ut obruatur doctrina de beneficiis filii Dei, et de promissione Spiritus sancti, item de nostra infirmitate. Horribiliter enim haec hominum natura languefacta est. In mente caligo est de Deo, et magnum chaos dubitationum. Voluntas aversa est a Deo, non timet Deum, non ardet fiducia et dilectione Dei, negligit aut tristi fremitu fugit eum. Corda varie errantibus adfectibus aliis atque aliis incenduntur, et voluntatem secum rapiunt. Haec ingentia mala homines feri et ebrii voluptatibus leviter curant. Sed Deus de magnitudine eorum nos commonefacit, mole poenarum. Nam propter ea genus humanum subiectum est morti et horrendis calamitatibus. Expavescant igitur animi cogitatione nostrae miseriae, sed rursus etiam agnoscant beneficia filii Dei, qui et delet peccatum ac mortem, et ut in hac vita colligi Ecclesia possit, etiam aerumnas huius vitae mitigat, sicut inquit Deus in concione Hoseae: Non faciam furorem irae meae, quia Deus ego sum. Quasi dicat: Reprimam iram, quia natura hominum sustinere eam non potest. Volo autem superstitem esse in hac vita Ecclesiam meam. Et filius Dei perpetuus sacerdos stat in sancto sanctorum deprecans pro nobis, ut serventur Ecclesiae reliquiae. Quare te fili Dei domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis et resuscitate, oro, ut nos doceas, et apud aeternum patrem pro nobis intercedas, et nos Spiritu tuo sancto gubernes, colligas tibi Ecclesiam inter nos, sanes vulnera nostra, ct poenas immensa bonitate tua lenias, cum testatus sis adsumpta natura humana, te verissime diligere genus humanum. Et cum precatus sis in agone tuo, ut dilectio, qua te aeternus pater diligit, in nobis sit, videlicet, ut nos quoque ingenti amore et paterna στοργῇ complectatur et servet.

Ubi autem et quibus adpellationibus describant Prophetae et Apostoli vicia naturae humanae discendum est in Epistola Pauli, scripta ad Romanos. Sed quia ibi quoque legitur nomen Concupiscentiae, et eius vocabuli magnus usus est in Ecclesia, addam brevem explicationem, quia Monachi insulse enarrarunt.

De vocabulo Concupiscentiae.

Deus condidit in homine potentias adpetentes, quae si natura hominum integra mansisset, tantum ordinatos motus habuissent, et fuisset dulcissima harmonia potentiarum inter se congruentium. Ut regula est unica et aeterna lex Dei in mente, ita non aberrassent ab ea motus voluntatis et cordis, seu adpetitiones sensuum. Imo Deus pariter et lucem in mente per filium, et Spiritu suo sancto motus suae sapientiae et iusticiae congruentes sparsisset in corde.

Fuisset igitur adpetitiones, fames, sitis, delectatio in visu, auditu, gustu, olfactu, tactu, dolor in offessione aliqua nervorum. Deinde in corde, et voluntate, amor Dei, στοργαὶ erga sobolem, parentes, coniugem, cognatos, benevolentia erga omnes homines, odia adversus diabolos, laeticia acquiescens in Deo, spes vitae aeternae. Et hae adpetitiones et hi adfectus omnes fuissent ordinati, congruentes ad legem mentis, imo etiam accensi ab ipso Spiritu sancto, qui suas flammas miscuisset spiritibus natis in corde et in cerebro.

Sed haec suavissima harmonia turbata est lapsu primorum parentum. Nunc sunt quidem adpetitiones et adfectus, sed vagantur et longe aberrant a lege Dei, et in non renatis non sunt accensi a Spiritu sancto. Ut vagatur amor in Davide, etsi habet alias coniuges, forma, ingeniis, virtute praestantes, tamen cor incenditur amore alienae coniugis. Quare cum concupiscentia accusatur, non ita cogitandum est, naturam hominum integram, futuram fuisse sine adpetitionibus et sine adfectibus, et ut ita dicam, saxeam, aut ferream. Sed eo nunc accusari concupiscentiam, quia adpetitiones et adfectus vagantur sine ordine. Ecclesiastici scriptores cum vituperant concupiscentiam, plerumque addunt nomen, malae concupiscentiae. Sed circumstantiae ostendunt, ubi dicatur de viciosa concupiscentia, ut Rom. 7. et alibi. In talibus locis intelligamus non ipsam naturam, qualis condita est, sed ἀταξίαν, in omnibus viribus hominum, pugnantem videlicet cum lege Dei.

Agrestis etiam imaginatio est, cum accusatur concupiscentia, tantum intelligere adpetitiones, cibi, potus, libidinum, ambitionum. Longe maiora mala Paulus hac adpellatione complectitur, videlicet caliginem et dubitationes de Deo in mente, aversionem voluntatis et cordis a Deo, varie errantia incendia adfectuum in corde. Denique totum hoc malum, quod tristissimis verbis

a Paulo nominatur Inimicitia adversus Deum, cum inquit: Sensus carnis inimicitia est adversus Deum.

Ac discernantur substantia creata a Deo, et ἀταξία, quae postea accessit, et est operis divini depravatio. Ex hac distinctione sumenda est explicatio argumenti, quod Iulianus Augustino obiecit:

Peccatum non gignit hominem.
Concupiscentia gignit hominem.
Non est igitur peccatum.

Ridicula et puerilis cavillatio est. Et tamen illos homines ingeniosos exercuit. Maior verissima est, quia peccatum est horribilis destructio, non est quiddam gignens hominem. Minor igitur plane neganda est. Nam concupiscentia, quae est ἀταξία et depravatio substantiae conditae, nequaquam gignit, sed substantia creata a Deo gignit, quatenus reliquum est opus Dei, non prorsus extinctum, ut hebetes oculi vident, non quatenus sunt imbecilles, sed quatenus oculi natura reliqua est. In languido ventriculo fit concoctio cibi, non quatenus ventriculus est frigefactus, sed quatenus est in eo reliquus calor nativus. Ac multa similia argumenta ex hoc exemplo iudicari possunt, quae dialectici explicant in fallacia Accidentis. Ut:

Omnes adfectus in hac imbecilli natura sunt viciosi.
Amor filii in Abraham est adfectus.
Igitur est viciosus.

Fallacia est accidentis. Στοργὴ a Deo condita est suo genere bona, et imago amoris in Deo erga filium et erga nos. Sed in nobis ad naturale bonum accedit ἀταξία, quae tamen in renatis aliquo modo corrigitur. Non igitur abiicienda est στοργὴ, sed ordine regenda, scilicet, amore Dei.

Hanc brevem commonefactionem addidi, quia ostendit viam similes cavillationes fanaticorum et superstitiosorum hominum explicandi.

De accidentibus mentis et voluntatis.

Necesse est considerare discrimen potentiae cognoscentis, et potentiae adpetentis, et noticiarum ac adpetitionum, ut saepe dictum est, sciendum est igitur, in potentia cognoscente haec tria esse: Noticias naturales, actiones, et habitus. Ac uno communi nomine haec tria adpellantur Noticiae, vel naturales, vel subitae, vel habituales. Sunt autem gradus actionum, ut supra dixi: Simplicium agnitio, connexio, divisio, ratiocinatio, adsensus, reiectio. Admirandi motus sunt, et describi non satis possunt, non enim cernuntur oculis, sed similitudine quadam, quales sint existimetur. Ut architectus apud se imaginem et ideam aedificii pingit, ita mens cogitans aliquid, format imagines, quae sunt ipsi actus intelligendi. Harum cogitationum memoria, et crebra recordatio ac repetitio nominatur habitus, aut gignit habitum, id est, lumen quoddam in mente, quo reguntur actiones.

Sunt igitur in potentia cognoscente hi habitus: Scientia. Ars. Prudentia. Fides. Opinio.

Scientia est noticia, in qua demonstratio cogit nos adsentiri dicto.

Opinio est noticia, in qua probabili ratione movemur, ut magis in unam partem inclinemus, quam in aliam, et tamen suspensa sit adsensio seu adseveratio. Ut, opinio est, futuros esse imbres cum in piscibus ad Iovem, Venerem, et Mercurium accessit Luna. Est enim probabilis ratio ex harum stellarum naturis sumpta. Sed interdum hae propiores causae impediuntur aliis praecedentibus causis potentioribus. Ideo asseveratio suspenditur. Opinio est, Atticum fore constantem et perpetuum amicum Ciceronis. Est enim probabilis ratio, quia uterque est honestus et sapiens, et tuentur amicitiam virtutis causa. Sed tamen adseveratio suspenditur, quia animi hominum sunt mutabiles. Ideo inquit poëta: Omnia vertuntur certe vertuntur amores. Et Plato inquit: φύσει εὐμετάβολον ζῶον, ὁ φίλος.

Fides est noticia, qua adsentimur dicto sine dubitatione, victi testimoniis vel autoritate. Ut, credimus consentientibus testimoniis historicorum, Octavium Augustum Romae post Iulium Caesarem gubernasse Romanum imperium. In prophetico et apostolico sermone fides significat non solum adsentiri historiis, sed etiam promissionibus divinis. Et huic adsensioni respondent in voluntate fiducia et laeticia, qua acquiescit voluntas in Deo, re bona oblata in promissione, ut acquievit animus Gedeonis, cum ei promissa esset victoria. Ideo in descriptione fidei sic dicitur: Fides est expectatio rerum sperandarum, id est, fiducia quae nititur promissione.

Caetera vocabula habituum declarantur in sexto Ethicorum et in dialecticis. Haec enim

eo tantum recito, ut iuniores discernant potentiam cognoscentem et potentiam adpetentem, et diversa utriusque accidentia.

De noticiis naturalibus etiam sciant has a Deo insitas esse mentibus humanis, ut sint testimonia de ipso, et sint rectrices vitae, et semina artium, quae sunt vitae necessariae. Ita ab animae agnitione sunt initia artium. Sunt autem aliae noticiae naturales *θεωρητικαὶ*, quae gubernant cognitionem, unde oriuntur Arithmetica, Geometria, et pleraeque aliae doctrinae. Aliae sunt *πρακτικαὶ*, quae gubernant actiones, unde leges de moribus et de gubernatione civili oriuntur, ut de principiis copiosius dicitur in Dialecticis.

In voluntate seu potentia adpetente sunt haec quatuor: Inclinationes innatae, actiones, habitus et adfectus. Sunt autem dissimiles inclinationes innatae, plurimae sunt viciosae in hac misera natura, ut aversio a Deo, amor nostri inordinatus etc. Aliquae sunt suo genere bonae, ut *στοργαὶ, καὶ ἀρεταὶ φυσικαὶ*, quae sunt semina virtutum civilium, ut in Aristide, Scipione inclinatio ad iusticiam civilem et ad beneficentiam. Actiones propriae voluntatis sunt velle, nolle, suspendere actionem, imperare potentiae locomotivae.

Frequentes actiones similes pariunt habitus, id est, firmos impetus, quibus constantius eadem adpetit aut fugit voluntas. Hi habitus nominantur virtutes, aut vicia. Horum descriptiones, partitiones et discrimina sumantur ex doctrina de Moribus, quae ex agnitione animae tanquam ex fonte oritur, quod considerare utile est. Hic enim monstratis animae partibus, ostenduntur actionum causae. Mens iudicans et voluntas eligens, ac imperans potentiae locomotivae. Et in mente lucent immotae noticiae, quae sunt normae actionum, discernentes recta et non recta. Et ordo divinitus sancitus est, ut ad has normas, quee sunt radii sapientiae divinae in nobis, congruant actiones.

Adfectus *ἤθη* et *πάθη* aut sunt actiones, sed cum aliquo dolore coniunctae, vel cum aliqua laeticia, ut irasci est nolle offensionem, et dolere propter laesionem, et velle depellere laedentem. Haec sunt in voluntate. In seriis autem motibus copulantur cor et voluntas. Nam cor proprie organum est adfectuum, quod cum velut ictum seu verberatum est ab insuavi obiecto, contrahitur et dolore adficitur propter laesionem, et fugit rem insuavem. In hoc dolore fit torrefactio cordis et incenduntur spiritus. Et quia in ira simul est conatus depellendi obiecti, exaestuant spiritus et effunduntur in exteriora membra, ut quasi arment ea ad depulsionem.

Timere est in voluntate nolle venturum malum cum dolore aliquo. In corde vero ictus, ut ita dicam, quo cor contrahitur, fugiens obiectum, qua in contractione cor adficitur dolore, quia sic natura condita est. Vult enim Deus vitam esse laeticiam, poenas vero vult esse dolorem et mortem.

Sed adfectus durabiles sunt similes habituum, sed ita, ut sint admixti dolores et laeticiae, quia universalis definitio adfectuum haec est.

Adfectus est motus cordis aut voluntatis, sequens cognitionem, prosequens aut fugiens obiecta, quae cum aut laedant naturam aut delectent, semper comitantur extremi motus, dolor laesa natura, vel suavitas seu laeticia fovens naturam. Et sunt hi motus in corde, constrictio aut laxatio, et in dolore simul fit torrefactio cordis et spirituum, et spiritus gignuntur languidius. Sunt igitur modici, atri, amari, et similes piceis fumis. In laeticia autem fit laxatio, et velut acceptio et attractio grati obiecti, ut cum lingua gratum saporem accipit, fit quaedam dilatatio. Et quia laeticia est vita cordis, gignuntur spiritus copiosius, et sunt dulces et lucidi.

Amor in voluntate est velle obiectum, quod est aut videtur bonum, cum quadam laeticia. Et cum non est simulatio, cor aliquo modo congruit, alias magis, alias minus. Est igitur amor in corde laxatio, qua cor velut accipit et attrahit obiectum, adpetit enim coniunctionem cum obiecto, ut quasi unum ex duobus fiat, ut dicitur: *σώματα μὲν δύο, ψυχὴ δὲ μία.* Et quia concurrunt illa vehemens attractio et laeticia, cor et spiritus incenduntur. Ita simul amor est incendium cordis. Oritur autem plerunque a similitudine seu naturarum congruentia, sicut in tota natura facile iunguntur similia, calidae res cito calorem advenientem accipiunt, ut sulphur citius accipit flammam, quam lapis. Et Cicero venustissime dixit: Nihil rapacius est similium, quam natura. Ita facile accipit cor similia seu cognata. Hinc illud est *ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον.*

Odium in voluntate est nolle obiectum, quod est aut videtur malum cum dolore aliquo, aut etiam cupiditate depulsionis, quia est conti-

nuata ira. Et cum non est simulatio, cor aliquo modo congruit, alias magis, alias minus. Est igitur odium in corde contractio et fuga obiecti. Et quia accedit dolor, fit torrefactio cordis et spirituum. Ita et odium est incendium cordis et spirituum, alias magis, alias minus durabile, sed hoc incendio non adpetitur coniunctio obiecti, sed depulsio.

Haec exempla utcunque ostendunt, et ubi collocandi sint adfectus, et quales motus, et qualia incendia sint cordis et spirituum.

De imagine Dei in homine.

Sunt et in Sole quaedam de Deo significationes. Nam et Deus est lucida essentia, quanquam spiritus est. Et ut in sole sunt substantia, lux et calor, ita significari videntur aeternus Pater, filius et Spiritus sanctus. Sed sol non novit Deum, nec illam qualemcunque similitudinem intelligit. Voluit autem Deus agnosci se ab humana natura, et talem esse imaginem Dei hominem, quae similitudinem cerneret et intelligeret. Summa enim similitudo est, sapientiae et iusticiae congruentia, quae non potest esse nisi in natura intelligente. Et quia bonum est *κοινωνικὸν*, vult Deus haec sua summa bona homini communicare.

Indidit igitur menti humanae noticias, quae monstrant et esse Deum, et qualis sit. Nam similitudo vel dissimilitudo non posset iudicari, si prorsus nesciremus qualis sit Deus. Et primus gradus similitudinis est, habere potentiam intelligentem et congruentem sapientiam.

Fuit autem ante peccatum talis imago, ut potentiae omnes congruerent cum Deo. In intellectu fulsit firma Dei noticia, voluntas et cor congruebant cum Deo, id est, habebant rectitudinem et iusticiam congruentem cum Deo, et libertas voluntatis non erat impedita. Et in hac sua imagine Deus habitabat, daturus vitam sine morte, et laeticiam perpetuam, si homo non excussisset Deum rectorem. Sic loquitur Paulus de imagine, cum inquit ad Ephesios: Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iusticia et sanctitate vera. Ita vetustas loquitur de imagine, ut nominet Imaginem, non tantum potentias animae, ut Augustinus, sed tales potentias, in quibus luceat Dei noticia, et quae congruant cum Deo, et sint domicilium Dei. Augustinus hoc modo accommodat potentias. In homine haec tria praecipua sunt: Mens gignens cogitationem, Cogitatio quae est imago rei cogitatae, et Voluntas, in qua sunt laeticia et amor. His potentiis aliquo modo discrimina personarum significari inquit. Patrem aeternum significat mens gignens cogitationem, imago formata cogitatione in nobis significat filium, voluntas Spiritum sanctum. Nam pater aeternus intuens se, et cogitans gignit verbum, quod est imago aeterni patris, quae est filius Dei, qui dicitur et *λόγος* et *εἰκὼν* aeterni patris. Spiritus sanctus est substantialis amor et laeticia procedens ab aeterno patre et filio. Id congruit ad voluntatem et ad spiritus in corde, qui sunt flammae et instrumenta motuum.

Etsi autem verum est, etiam has potentias ideo sic conditas esse, ut multa nos doceant de Deo, et nunc quoque etsi natura humana languefacta est, multa perspicua testimonia de Deo et de providentia, sumi ab anima et a noticia legis insita nobis, et a conscientiae terroribus possunt, tamen anima sine luce Dei est corrupta imago.

Iam hic utrumque consideretur. Amor Dei erga nos et nostra calamitas secuta peccatum. Non casu ex atomis confluxit haec hominum natura. Sunt enim manifesta testimonia de Deo, radii sapientiae Dei in nobis adhuc lucentes noticiae de Deo, et immotum discrimen honestorum et turpium. Quantus autem amor est in Deo erga genus humanum, quod transfudit in nos in fabricatione ea bona, quae in ipso sunt optima, scilicet, naturam capacem sapientiae et iusticiae, deinde radios suae sapientiae, et iusticiam cum eo congruentem, libertatem electionis, vitam et laeticiam perpetuam. Et haec bona ita nobis attribuit, ut ipse simul voluerit in nobis habitare, augere sapientiam, et suis motibus nos regere. Quid potest cogitari maius?

Nunc vero quam dissimiles sumus huic primae fabricationi? Mens plena est caliginis et dubitationum de Deo. In voluntate et corde sunt multiplices flammae errantium cupiditatum, et pugnantium cum Deo, iniusti amores et iniusta odia. His flammis incitantur alii ad confusiones libidinum, alii ad caedes, alii ad alia scelera. Imo diaboli insiliunt in impiorum pectora, et impellunt multos ut faciant horrendas dissipationes in genere humano, ac vastationes infinitas. Haec tanta mala aspiciamus, et veris gemitibus deploremus. Rursus autem patefactiones Dei intuea-

mur, qui postquam in tantas miserias incidimus, tamen immensa bonitate nobis opem tulit, filio pro nobis deprecante. Hic igitur filius aeterni patris, Dominus noster Iesus Christus nobis donatus est, ut fieret victima pro nobis, et placaret iram aeterni patris, et sit sacerdos perpetuus, colligens Ecclesiam voce Evangelii, in qua decretum de reconciliatione patefecit, quod et ipse cum sit λόγος aeterni patris, in mentibus nostris effatur, et ostendit nobis patrem placatum, ac Spiritum sanctum effundit in corda nostra, ut vero amore et laeticia cum aeterno patre et ipso copulemur. Ita restituitur in nobis vita et iusticia aeterna, et renovatur imago Dei verbo lucente in mente, ut agnitio Dei sit clarior et firmior, et Spiritu sancto accendente motus congruentes cum Deo in voluntate et corde. Sicut Paulus inquit ad Corinthios: Nos retecta facie fulgorem Domini intuentes, velut in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu. Id est, in vera conversione agnito filio consolante nos, et ostendente misericordiam aeterni patris, agnoscimus iam praesentiam Dei, non manemus in dubitatione, an Deus nos curet, sed magis magisque ad verbi, id est, filii lucem transformamur, Spiritu sancto confirmante assensionem, seu fidem in cordibus nostris, et accendente motus congruentes verbo. Et ut est ordo cognitionis et voluntatis in nobis, ita λόγος ostendit reconciliationem patris, et Spiritus sanctus accendit laeticiam, ut invocare Deum possimus, confirmat assensionem, et accendit alios motus, ipsi congruentes. Ita Athanasius inquit, renovari imaginem ut filio similis fiat, et in quocunque Spiritus sanctus est, in eo est per verbum. Haec in quotidiana invocatione discenda sunt, et consideranda testimonia Dei nobis exhibita, et celebranda est vera gratitudine ipsius bonitas. Nomino igitur imaginem Dei potentias animae, sed lucente in eis Deo. Eritque tum demum perfecta imago, cum in coelesti Ecclesia erit Deus omnia in omnibus.

Omitto rixam utra potentia praecellat, cognoscens, an voluntas. Pariter enim regere caeteras vires debent. Et quamvis voluntas est praestantior, quia velut rex eligit deliberata aut reiicit, tamen non habet tyrannicum imperium, sed recto iudicio obtemperare debet. Suntque reipsa una substantia, intellectus et voluntas. Sed genera actionum diversa sunt. Noticia Clodii manet in Cicerone eadem. Sed alias amat, alias odit eum.

De immortalitate animae humanae.

Illustre testimonium est de vita perpetua secutura post hanc mortalem vitam, quod filius Dei dominus noster Iesus Christus crucifixus et mortuus, postea revixit. Et ne spectrum existimaretur, familiaritate quadraginta dierum ostendit Apostolis et aliis multis, se vere revixisse, et rursus vere copulatam esse animam suo corpori, in quo antea vixerat. Ac ut pluribus exemplis fides confirmaretur, simul et aliis multis, qui mortui fuerant, vita in corporibus reddita est. Et consentaneum est, praecipue primos parentes, Adam, Hevam, Seth, Nohe, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, et multos similes fuisse comites illius triumphi Christi, ac saepe Hevam et alias matronas assidentes apud Mariam et sororem eius narrasse sui temporis certamina, et mirandas liberationes.

Intueamur igitur Christum in hac Apostolorum consuetudine, postquam ex morte revixit, dulcissime cum eis colloquentem, et testimonia de sua vita ostendentem, ac multa docentem. Et adiungamus ad hoc exemplum doctrinam, in qua planissime adfirmat ipse, redditurum se esse vitam in corporibus omnibus hominibus post mortem, et eos, qui in hac mortali vita ad Deum conversi fuerunt, in omni aeternitate deinceps in coelesti Ecclesia ita victuros esse, ut Deum coram intueantur et fruantur eius sapientia, iusticia et laeticia, et vicissim eum grati celebrent.

Sed eius Ecclesiae coelestis nemo civis erit, nisi prius in hac mortali vita civis fuerit huius Ecclesiae, in qua sonat vox Evangelii, et conversus fuerit ad Deum, antequam ex hac vita discederet. Tunc enim tradet filius Dei regnum patri, id est, adducet ad aeternum patrem omnes conversos, ostendet eis aeternum patrem, quia collectio Ecclesiae in hac vita fit per filium mediatorem, qui conservat ministerium Evangelii, et cum voce Evangelii effundit in corda credentium Spiritum sanctum, et simul interea est sacerdos et deprecator assiduus pro Ecclesia. Postea vero post resurrectionem non tantum per vocem Evangelii agnoscemus Deum, sed coram intuebimur eum, cum erit omnia in omnibus. De hac

dissimilitudine regni filii et regni patris loquitur Paulus. Tunc vero revocatis ex morte omnibus ad iudicium abiicientur in horrendos et aeternos cruciatus omnes diaboli et omnes homines, qui non conversi sunt prius ad Deum.

Haec doctrina patefacta a Deo certis testimoniis propria est Ecclesiae, et semper inde usque a primis patribus in Ecclesia sonat, ut concio Henoch recitatur in Epistola Iudae: *Ἰδοὺ ἦλθε κύριος ἐν ἁγίαις μυριάσιν αὐτοῦ, ποιῆσαι κρίσιν κατὰ πάντων, καὶ ἐξελέγξαι πάντας τοὺς ἀσεβεῖς, περὶ πάντων τῶν ἔργων ἀσεβείας αὐτῶν.* Et ostendit Deus testimonia venturae vitae, cum spectantibus aliis vivi in coelum translati sunt Henoch et Elias. Ac in Prophetarum concionibus subinde repetita est haec doctrina, et clarissime voce filii Dei proposita, et ipsius testimonio, cum revixit, confirmata est. Hanc igitur doctrinam teneamus et firma adsensione amplectamur, et tota vita nostra intueatur illud verum iudicium, quod post mortem subituri sumus omnes, et adsentiamur voci Evangelii, et in vera conversione ad Deum confugiamus ad filium Dei, ac petamus, ut corda nostra accendat Spiritu suo sancto, ut ad illud iudicium initia iusticiae aeternae adferamus. Nam ut antea dictum est, prorsus necessarium est in hac mortali vita conversionem ad Deum fieri, sicut scriptum est: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur.

Sed alia quaestio est: An humana anima sit spiritus separabilis a corpore, et superstes cum discessit a corpore, qui intelligat, et adficiatur laeticia aut dolore. Id confirmant haec dicta. Matthei 10. Christus diserte inquit: Corpus occidunt, animam vero occidere non possunt. Ad latronem inquit: Hodie eris mecum in paradiso. Si exhalans anima dissiparetur, certe non esset una cum Christo. Est igitur spiritus superstes. Et cum sit spiritus, non est ociosus. Ac paradisus significat non Epimenideum somnum, sed vitam beatam, in qua sparsit Deus in mentes novam lucem, et habitat in pectoribus, ut sint iusta et plena laeticiae, videlicet congruentia cum ipso. Et hanc dulcissimam vocem singuli ad nos pertinere statuamus. Hunc enim doctorem prope pendentem in cruce filius Dei nobis proponit, qui cum Apostoli consternati conticuissent, unus incipit fungi apostolico munere et concionatur de sublimi. Nec enim id spectaculum *ἄσημον* esse putemus. Duo ibi latrones adiuncti sunt filio Dei, qui significant, totum genus humanum reum esse mortis propter peccata. Cumque filius Dei morte sua placaverit aeternum patrem, pars generis humani contemnit hoc beneficium, ac insuper filium Dei odit, ac furenter contumeliis adficit. Intueantur ergo hoc spectaculum tyranni, hostes Evangelii, et eorum satellites, et se ipsos in hac furca pendere iam cogitent, cui adfixus est latro, qui maledicit filio Dei. Sed pars est hominum, qui beneficium filii Dei accipiunt. Ac hi quidem agnoscunt, se poenam meritos esse, ut alter latro, sed tamen confugiunt ad filium Dei. Per hunc sciunt se liberari a peccato et a morte, ut hic latro petit liberationem a peccato et ab aeterna morte, agnoscit hunc, a quo petit opem, quanquam morientem, tamen non prorsus extingui, sed ita vivere, ut etiam reddat aliis vitam aeternam. Audit igitur concionem de futura vita: Hodie mecum eris in paradiso. Hac voce intelligit deleri sua peccata, et sibi donari vitam perpetuam. Et quanquam hic pendet laceratus et semivivus, tamen filio Dei veros honores et gratos cultos cultus tribuit. Cum conticuisset tota Ecclesia, cum Apostoli dilapsi essent, hic concionatur hunc socium supplicii regnaturum esse, et redditurum esse hominibus vitam perpetuam. Invocat eum tanquam Dominum, per quem placatus sit Deus, et vitae instauratorem. Addit et alium cultum maxime necessarium in Ecclesia, defendit gloriam filii Dei adversus maledicum latronem.

Admonet igitur pios haec imago de multis rebus. Nam et pii omnes se ipsos in hac furca pendere existiment. Propter peccata sumus coniecti in mortem et varias calamitates. Nec liberari aliter possumus, nisi per hunc filium Dei. Hunc fide invocemus, doceamus alios de eius beneficiis, propugnemus eius gloriam adversus maledicos. Hos cultus quamvis semivivi ac lacerati praestemus, ut singulis et ipse dicat: Hodie mecum eris in paradiso. Tantae res cum in illo colloquio agantur et significentur, infigamus hoc dictum animis, et autoritatem eius gravissimam esse ducamus, quod quidem satis perspicue testatur, animam hominis esse spiritum separabilem ac superstitem. Non enim una conversari posset, si anima tantum esset *κρᾶσις*, aut halitus dissipatus.

Apud Lucam recitatur historia de Lasaro in sinu Abrahae, in qua etsi figurate nominantur

sitis, digiti, lingua, tamen summa narrationis haud dubie historica est.

Et Petrus inquit, Christi mortui spiritum concionatum esse spiritibus in carcere. Ergo sentit animas esse spiritus superstites. Expresse etiam scriptum est, Christum cum Moise collocutum esse, cum tamen narratio in Deuteronomio dicat, Moisen mortuum et sepultum esse. Et Paulus inquit: Cupio dissolvi et esse cum Christo. Et Dominus refutans Zadduceos inquit: Deus est Deus vivorum. Cum igitur sit Deus Abrahae, vivere eum adfirmat, quod quomodo velit aliquis simpliciter interpretari, non video, nisi fateatur animam esse spiritum separabilem et superstitem. Haec simpliciora sunt et piis mentibus utilia.

Philosophi nihil dixerunt de restitutione corporum, quam vox divina planissime patefecit. Sed si qui existimant, post mortem aliam vitam secuturam esse, cogitant, tantum animas superstites esse, quod ut consentaneum videatur, aiunt eas oriri a coelesti natura, non ex elementis. Et Plato, excellentes et heroicas animas non nimium pollutas contagio corporum, arbitratur tanquam puriores sursum evolare, caeteras ignavas, et voluptatibus corporum contaminatas humi vagari circa sepulcra, et has iudicat esse spectra, quae saepe cernuntur.

Ac scriptores ethnici expresse aiunt, se eo moveri, ut existiment animas hominum post mortem superstites esse, quia certissimum est, multa spectra passim vagari, et saepe audiri ac conspici, saepe etiam colloqui cum hominibus. Nec tantum ex libris exempla sumantur. Vidi ipse quaedam, et novi multos homines dignos fide, qui adfirmabant, se non tantum vidisse spectra, sed etiam diu cum eis collocutos esse. Existimabat autem vetustas pleraque hominum animas esse. Plutarchus etiam oraculum citat, quod respondit Coraci Naxio: *Οὐχ ὅσιον ἐστὶ τῆς ψυχῆς καταγνῶναι θάνατον.*

Recitantur autem haec tria argumenta a Platone, Xenophonte et Cicerone.

Primum: Natura non orta ab elementis non corrumpitur.

Anima non est orta ab elementis.

Non igitur extinguitur propter corporis interitum.

Minorem sic confirmat. Impossibile est in natura elementari oriri noticias et quidem universales, et de rebus non corporeis, de Deo, de numeris, de ordine, de discrimine honestorum et turpium. Has autem noticias tenent animae hominum etiam non accepta doctrina. Ergo necesse est eas, non ab elementari, sed ab alia praestantiore et perpetua natura oriri. Hoc argumentum, ait Plato, videri posse sufficientem demonstrationem, nisi gloriari odiosum esset: *Καὶ εἰ μὴ ἐπαχθές ἐστιν εἰπεῖν, πάνυ ἱκανῶς ἀποδεδεῖχθαι.* Quoquo modo autem de hac confirmatione Platonica sentiet aliquis, tamen hoc manifestum est, illas insitas noticias non fallax testimonium esse, quod animae non casu ortae sint, sed magna arte ab aeterna mente architectatrice conditae sint. Ideo et noticia conditoris lucet in nobis. Et non frustra insitum est discrimen honestorum et turpium, et vindex dolor in conscientia sceleris. Erunt igitur post hanc vitam in cruciatibus scelerati, praesertim si in hac vita non sint puniti. Haec certe ex illis naturalibus noticiis vere ratiocinari possumus.

Secundum argumentum est: Videmus in hac vita multos honestos homines iniuste a latronibus et tyrannis interfici, et saepe in hac vita latrones et tyrannos non puniri. Cum igitur sit providentia, necesse est, sequi aliam vitam, in qua bene sit bonis, et mali suppliciis adficiantur. Impossibile est enim optimam generis humani partem tantum ad exitium esse conditam.

Hoc argumentum fit multo illustrius et firmius consideratis exemplis in Ecclesia. Impossibile est negligi a Deo hos, quos antea illustribus testimoniis ostendit sibi curae esse, ut Christum, Baptistam, Paulum Deo placere manifesta testimonia ostendunt. At hi interficiuntur. Necesse est igitur sequi aliud iudicium, in quo discernentur boni a malis. Et quidem hae ipsae neces sanctorum sunt testimonia de futuro iudicio. Cum Abel interficitur, hoc horrendo spectaculo Deus et commonefacit parentes, haec corpora propter commune peccatum mori oportere. Et tamen antea distinxerat iustum Abel ab iniusto Cain, et intelligebant parentes non frustra fieri hanc distinctionem, sed esse et fore aliquam Dei Ecclesiam, in qua serpentis caput conterendum esset, id est, in qua abolito peccato etiam vita restituenda esset. Discebant igitur in hoc ipso spectaculo, secuturam esse aliam vitam et iudicium.

Erat et antea dictum ad Cain: Si male feceris, peccatum tuum quiescet, donec revelabitur, q. d. Etiamsi aliquandiu poenae differentur, et multi securi furenter cumulabunt scelera, nec metuent Deum, tamen sciant, tandem iudicium secuturum esse, in quo horribiliter patefiet ira Dei adversus scelera. Id nominat revelari peccata. Hae conciones ab illis primis patribus Adam, Seth, Henoch et aliis luculenter enarratae sunt, et in exemplo Abel et similibus recitata tota doctrina de Ecclesia, quae sit, qualis sit, cur subiecta sit cruci, quale iudicium secuturum sit, et quomodo expectanda sit restitutio vitae. Ac nos quoque adsensionem de secutura vita confirmemus consideratione necis sanctorum, quae est illustre testimonium ostendens secuturam esse aliam vitam, in qua discernet Deus Baptistam et Herodem, Paulum et Neronem, etc. Haec consideratio in bonis mentibus valde confirmat veram sententiam. Saepe ego ipse intuens magnas calamitates piorum hominum, hac cogitatione erigor, nequaquam consentaneum esse, tantum eos ad has miserias conditos esse.

Tertium argumentum Cyri est apud Xenophontem sumptum a magnis cruciatibus conscientiae in sceleratis. Post scelera sequitur ingens dolor, etiam in audacissimis, qui excutere eum conantur. Vincit tamen quaedam vis arcana, quae punit sceleratos. Est igitur numen, quod discernet iustos et iniustos. Nequaquam enim haec casu fieri possunt. Deinque impossibile est casu in mentibus hominum esse et manere discrimen honestorum et turpium. Id frustra sanxisset Deus, nisi poenae scelerum sequerentur. Multi autem in hac vita non puniuntur, secuturae sunt igitur poenae post hanc vitam. Haec argumenta cogitare prodest, sed tamen sciamus, patefactiones divinas intuendas esse. Has amplectamur, et adsensionem in mentibus nostris divinitus confirmari petamus.

Longum esset autem recensere philosophorum imaginationes. Stoici dixerunt, animas discedentes a corpore quia sint igneae naturae, diutius quidem superstites esse, et aliquot seculis in hoc aere volitare, sed tamen tandem ceu fumos dissipari. Aristotelem existimo ut alios plurimos, eruditos et modestos homines magis hoc sensisse: animas hominum non prorsus extingui post corporum interitum, etiamsi multae dubitationes ceu venti hanc eius cogitationem turbarunt. In tertio libro de Anima sic de intellectu agente loquitur, ut existimari possit, maluisse eum hoc sentire, illum praestantiorem igniculum in anima hominis non extingui cum corporibus. Et alibi discernit mentem ab anima vegetativa et sentiente, inquiens: *Περὶ δὲ τοῦ νοῦ οὐδέπω φανερὸν, ἀλλ' ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι, καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται, χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ.*

Sed philosophorum dubitationes relinquamus, et caliginem animarum nostrarum, quae peccatum secuta est, deploremus, et maiore cura vocem divinam de voluntate Dei, de beneficiis domini nostri Iesu Christi, et de restitutione vitae perpetuae concionantem audiamus, et ipsum filium Dei oremus, ut adsensionem in mentibus nostris confirmet.

Oro igitur te fili Dei domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis et resuscitate, qui es viva et integra imago aeterni patris, et dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, renova imaginem tuam in nobis tua luce, doce et guberna nos Spiritu tuo sancto, ut aeternum patrem tuum, te, et Spiritum sanctum vere invocemus et celebremus, ac semper in his regionibus Ecclesiam aeternam tibi colligito, et serva ac regito coetus docentium et discentium doctrinam Ecclesiae necessariam, et protege hospitia Ecclesiarum propter tuam gloriam. Tibi nota est ingens infirmitas nostra, et eo massam generis humani perpetuo et immutabili foedere tibi copulasti, ne totum genus humanum funditus periret. Nos igitur miseros et imbecilles, sed pendentes de tuis humeris, clementer gesta et servato. Amen.

Δόξα τῷ θεῷ.

III.

INITIA DOCTRINAE PHYSICAE.

(*Epistolam nuncupatoriam* dedimus in Epist. Vol. VII. p. 472.)

LIBER PRIMUS PHYSICES.

Quid est physica doctrina?

Est quae seriem, qualitates, et motus omnium corporum et specierum in natura, et causas generationum, corruptionum et aliorum motuum in elementis et aliis corporibus, quae ex elementorum commixtione oriuntur, inquirit et patefacit, quantum in hac caligine humanae mentis conceditur, quod eo additur, quia si penitus perspici natura posset, tum vero Physica cognitio esset ingens, immensa et divina quaedam sapientia, et mirabiliter adficerentur animi admiratione totius naturae. Iuvaret enim primum nosse ordinem coelestium corporum et elementorum, et in hoc domicilio collocatum hominem, qui solus inter species corporeas, est natura rationalis. Deinde considerata distinctione specierum scire iuvaret, cur hae species semper maneant. An homo cum antecellat caeteris, tantum sit ad hanc aerumnosam et evanescentem vitam conditus, hoc est, sit ne frustra conditus, quae sit mentis natura, quae partium corporis praecipuarum, cerebri, cordis, nervorum, quae cum sint res fragiles, et videantur sordidae, tamen actiones et motus habent mirandos.

Deinde considerata hominis natura, suspicere in coelum iuvaret, et considerare, quae sit cognatio coelestium corporum cum inferioribus, ac praesertim cum homine. Non est enim verisimile haec pulcherrima corpora in coelo, frustra condita esse, praesertim cum et maneant eadem, et leges habeant motuum magno consilio ordinatas. Haec quid sint, et quam vim habeant, penitus scire magnum quiddam esset.

Deinde et hoc videre eximia esset sapientia, unde sint tam variae vices in imperiis, et regionum differentiae.

Postremo peragrata universa natura corporali, discernere ab ea divinam architectatricem omnium rerum, et hanc coram contueri, et in ea causas legere, cur ita sint condita, ordinata, et septa certis legibus omnia, cum non sit consentaneum homines tantum ad ingentes miserias huius vitae nasci, an alius portus restet diuturnus, aut aeternus, et qualis sit illa aeternitas.

Haec mente, oculis ac manibus, ut ita dicam, comprehensa tenere, magna et excellens sapientia et perfecta physica esset.

Hanc perfectionem, quia humanae mentes non possunt assequi, ideo cum vehementia ingenia ingressa in considerationem naturae, non possent eam penetrare, sed ruere se in densissimas tenebras sentirent, magnas confuiones opinionum pepererunt. Empedocles dixit nihil certo cerni. Democritus ait veritatem penitus abstrusam esse. Recens Academia certitudinem sensuum et iudiciorum mentis in universum sustulit.

Alii magis furentes adseverarunt omnia casu esse orta, et temere ferri et occidere, nec magis hominem quam rosam ad perpetuitatem esse conditum, casu tristia et leta omnibus accidere, ut ferunt materiae vices, aut aliqui coeci hominum impetus, puos et ipsos a materia excitari imaginantur. Periclem virum sapientem tabe consumptum esse, quia dolor animi, propter publicas et domesticas calamitates, cor arefactum et languefactum extinxit. Ciceronem vero coeco impetu furiosi hominis Antonii interfectum esse,

ita casu utrunque periisse, sine aliquo Dei consilio, et post mortem nihil restare, sicut antequam nati erant, nihil fuerunt Pericles et Cicero. Inanes igitur et ipsis, et aliis, omnes eorum fuisse contentiones, perinde ut si gramina a curruum rotis conterantur. Hinc illud dictum est Sileni, ut scribit Aristoteles: Optimum est homini non nasci, aut quam celerrime aboleri. Et versus illi Epicurei:

Omnia sunt risus, sunt pulvis, et omnia sunt nil.
Coecus enim et praeceps omnia casus agit.

Has falsas opiniones, et contumeliosas adversus Deum, et pestes vitae humanae et morum execrari debemus. Quanquam enim agnoscenda et deploranda est humanae mentis imbecillitas, quae tanquam foris aspiciens naturam, ut si quis foris domum aliquam contempletur, valde multa ignorat, et pervestigare, ac comprehendere omnia non potest, tamen aliqua perspicit, et certo comprehensa tenet. Vult enim Deus aliquas esse certas, firmas et immotas noticias vitae rectrices, sicut et Paulus ad Rom. ait, Deum monstrasse hominibus hanc noticiam, quod sit Deus aeterna mens, architectatrix et conditrix totius opificii mundi, sapiens, bona, iusta, casta flagitans iusta, et puniens iniusta, monstrasse, et has noticias, quae discernunt honesta et turpia. Hae noticiae complectuntur alias multas physicas, et numerorum et figurarum noticias.

Nequaquam igitur certitudo in universum tollenda est, sed quaerendum, quae noticiae sint certae et firmae, quas sint incertae, seu non comprehensae. Socrates igitur verecundius dixit, homines aut nihil, aut pauca scire, quae tamen ipsa necessaria sunt vitae, et vult Deus ea inquiri, aspici, considerari, et ad usum in vita transferri. Obtemperemus igitur et voluntati Dei, et ordini naturae, in qua ideo certae aliquae et firmae noticiae restant, ut aspiciantur, et naturam intueamur, et quaeramus veram et utilem doctrinam.

Sitque haec vera definitio physices, quam initio recensui, videlicet: Physica doctrina est, quae seriem, qualitates, et motus omnium corporum et specierum in natura, et causas generationum et corruptionum, et aliorum motuum in elementis et aliis corporibus, quae ex elementorum commixtione oriuntur, inquirit et patefacit, quantum in hac caligine humanae mentis conceditur. De certitudine vero et de utilitate, et methodo seu ordine doctrinae, postea dicam. Prius enim monendus est Lector, alios in inquisitione naturae plura, alios pauciora complexos esse.

Quae doctrina usitate nuncupatur Physica?

Fuisse duas quasi scholas Physicorum in Graecia, manifestum est. Thales enim et Anaxagoras disserentes de natura rerum, non solum propinquas causas a materia, videlicet ab elementis et mixtis corporibus ortas considerabant, sed longius progressi ab hac instabili materia, adiunxerunt doctrinam de motibus et effectibus celestibus, et ostenderunt materiae vices et mutationes, aliquo modo regi a celestibus causis. Fuit enim quaerenda natura aliqua stabilior, quae quasi metas circundaret materiae inferiori, quae perpetuos et varie errantes fluxus habet, et adsidua qualitatum certamina, unde existunt alterationes et multiplices confusiones materiae, corruptiones et generationes.

Hinc instabilitati quasi sine fine ruenti metas utcunque circundederunt celestes causas. Quod ut facerent, movebantur multiplici experientia. Aër et cetera corpora calefiunt aestate, cum Solis radii rectius feriunt nostras regiones. Hyeme frigidior est aër, discedente Sole. Et magnos, diuturnos et perniciosos aestus animadvertebant extitisse, quoties in siccis signis, ut in Leone, aut Ariete, congressae sunt siccae stellae, Saturnus et Mars.

Econtra humiditates auctas esse, largos fuisse imbres, exundationes magnas, et diluvia, cum in signis humidis, Cancro aut Piscibus, congressi sunt Saturnus, Iuppiter et Venus, ut meminimus anni 1524. coniunctionem auxisse humiditates. Et eclipsin Solis in Ariete, et coniunctionem ♄ et ♂ in Libra mense Iunio ingentes et inusitatos aestus attulisse anno M.D.XL.

Similes aestus fuerunt anno M.D.XVII. cum praecessissent duae eclipses Lunae, altera in Aquario, et Iovis et Martis, et Solis coniunctio in Leone. Et arbitror vetustissimam hanc fuisse sapientiam, insignes materiae inferioris mutationes multas, referre ad siderum positus, qua in re alii plura, alii pauciora scrutati sunt.

Alii autem fuerunt Physici, ut Empedocles et Democritus, vel his omnibus longe praestantior Hippocrates, qui relictis causis celestibus inferiorem materiam et eius qualitates aspexerunt, et

sagaciter animadverterunt qualitatum pugnas, et mutationes inde ortas, ut Empedocli satis esset dicere de Cometis, materiam esse viscosos et lentos halitus, motu seu agitatione in aëre coactos, ac tandem inflammatos, effectus vero esse siccitates ac ventos, quia fumi sparguntur in aërem, qui dissipati, ventos excitant, et quia sunt sicci, aërem late urunt, et aliquantisper siccitatem efficiunt, ut saepe vidimus.

Sed Thales non tantum has proximas causas aspiceret, verum longius quaereret efficientes. Cur enim non singulis annis adparent Cometae, si sola materiae agitatio sufficiens causa est? Deinde quae causae sunt, cur haec tanta moles halituum in aëre alias consistit, alias movetur, et quidem diversis motibus? quae causae trahunt aut impellunt eam? Postremo, et effectus longinquiores vestigaret, cur Cometae non solum siccitates, sed pestilentias et magnos gentium motus et mutationes imperiorum significent, ut Cometam, qui arsit initio belli Peloponnesiaci dies quinque et septuaginta, primum horrenda pestilentia secuta est, deinde et multarum urbium tristissima excidia.

Aliquas igitur in stellarum positu causas quaereret, ut dicunt eclipsin Solis, et coniunctionem Saturni, Martis et Mercurii attrahere, et veneno conspergere molem halituum ac incendere. Ex quibus causis et venturum Cometen anno 1532. praedixit Apianus.

Quanquam autem adiunctio doctrinae de motibus et effectibus celestibus ad hanc considerationem inferioris materiae, utilis est, ut infra suo loco dicetur, et collatio artium utrique lumen adfert, tamen quia utraque ars magna est, et latissime patet, usitatum nunc est physicen vocare hanc doctrinam, quae causas mutationum in mixtis propinquas, quae oriuntur ab huius materiae inferioris motu et qualitatibus, patefacit, ut medicus in curanda pleuritide, materiae motum et qualitatem in aegro corpore considerat, intelligit adfluere sanguinem ad locum adfectum. Ideo venam incidit, ut sanguinem avertat, et ut aliquid crassorum halituum exaestuet, et dat pharmaca lenientia, disgregantia, nec adhibet calefacientia, ne inflammationem augeat. Haec tota consideratio circa propinquas causas versatur. Hanc vocari nunc usitate physicen sciendum est. Loquor autem non de Democriti atomis, sed de vera doctrina, qualis est Aristotelica sumpta ex Hippocratis fontibus.

Nec tamen prorsus relinquit Aristoteles alteram partem, scilicet, considerationem motuum coelestium, sicut nec Hippocrates. Nam Aristoteles videt materiam non ordiri generationes, sine aliqua agente seu efficiente causa, quae tum cieat, tum vero cohibeat, ne in infinitum dissipetur. Taxat igitur in secundo de generatione et corruptione Democritum, propter hoc ipsum erratum, quod mutationum omnium causas tantum ad materiam, seu atomorum concursum refert, neglecta prorsus efficiente causa. Et adfirmat cieri inferiorem materiam a motu coelesti, et quidem causam perpetuitatis generationum esse motum Solis et Lunae, et aliarum errantium stellarum in Zodiaco. Hoc modo, etsi particularium mutationum inferiorum causas non monstrat in astris, tamen universale efficiens generationum et motuum materiae, adfirmat esse motum coelestem.

Ac utile est meminisse quaedam eius dicta de hac re, quae etsi suo loco enarrabimus copiosius, ubi de vi astrorum et de astrologicis significationibus dicemus, tamen hic testimonia insignia recitabimus, nequis existimet Aristotelem finxisse materiam ruentem in infinitum, sine ullo efficiente, sicut finxit Democritus.

Meminerint ergo studiosi haec dicta. In fine secundi libri de generatione et corruptione sic inquit: Non igitur primus motus coeli, id est, diurnus, sed motus in obliquo circulo causa est perpetuitatis generationum et corruptionum. Quia enim perpetuus est, non cessant et inferiores motus, sed quia geminus est, ac propter obliquitatem accedunt ac recedunt stellae, vices fiunt et in inferioribus: accessu fiunt generationes: discessu corruptiones.

Breve et generale dictum est, sed tamen Lectori attento, multas res magnas significat, ut alibi dicendum erit.

In primo libro de Meteoris inquit: Necessario continuus est hic inferior mundus superioribus motibus, ut omnes vires eius a superioribus regantur. Nam quae res principium est motus, ea res causa est etiam aliis motus ipsorum.

Prudentissime ratiocinatur ex ordine motuum. Cum constet primum esse motum coeli, consentaneum est eum causam esse motus in re-

liquis corporibus, sicut in animantibus, cum in corde sit initium vitae, cor est causa motus in caeteris membris, eisque motum et vitam suppeditat. Itaque coelestia corpora, cum ibi motus oriuntur, simul cient inferiora corpora, eisque motum suppeditant, ut res declarat aërem et aquam cieri, et varias qualitates recipere a coelo.

In secundo de Coelo inquit, stellas motu et lumine efficaces esse in haec inferiora. Verba eius haec sunt: *θερμότης ἀπ' αὐτῶν καὶ τὸ φῶς γίγνεται.* Calor a stellis, et lumen existit in aëre.

In secundo Physicorum inquit: Homo et sol generant hominem, ubi copulat necessaria connexione proximam causam et universalem, ut infra de necessaria causarum naturalium connexione dicemus. Haec testimonia indicant, Aristotelem complecti coeli motum, tanquam universalem causam, impellentem materiam inferiorem. Nec multo longius progreditur, sed astrologi quaerunt particulares effectiones, alii plures, alii pauciores, videlicet, quam varias qualitates efficiant alii atque alii siderum motus. Hanc doctrinam de particularibus effectionibus siderum omittit haec Aristotelica physica, contenta hac generali praemonitione, quod astra sint universale efficiens, ciens et temperans materiam motu et lumine.

Nunc priusquam de utilitate et fine huius doctrinae dicam, prius refutandi sunt furores eorum, qui quia vident non penitus perspici rerum naturam, et multas partes ignorari, totam doctrinam aspernati sunt, et omnibus partibus certitudinem calumniose detraxerunt, ut si quis totam doctrinam de plantis, fruticibus et eorum fructibus reiiciat, nec velit uti notis et salubribus medicamentis, non vino, non saccharo, non cichorio, quia aliquas plantas ignoramus, ut fortasse Ebenum, quod tamen nunc Guaiacum esse putant.

Estne certitudo aliqua doctrinae physicae?

Vult Deus artes aliquas vitae rectrices, imo ipsum quoque aliquo modo monstrantes, certas et firmas esse, ut dixit Plato, gratam Dei famam in artibus sparsam esse, quae si prorsus incertae essent, et nihil firmi continerent, nec Deum monstrarent, nec vitae leges essent. Tenenda est igitur haec vera sententia, esse aliquam certam et firmam doctrinam physicen, videlicet, de multis rebus in natura, utilem ac necessariam vitae hominum, etiamsi in hac imbecillitate humanae mentis, alia multa, quae non sunt pervestigata.

Sunt autem *κριτήρια* tria, id est, regulae iudicii, quae certitudinem ostendunt, scilicet principia, universalis experientia, et intellectus consequentiae, ut Dialectici monent haec esse *κριτήρια* certitudinis in omnibus artibus. Et has normas ideo dicunt Philosophi non fallere, quia manifestum est, dato opposito, sequi naturae destructionem, ignis calefacit. Hanc siquis negans se in ignem coniiciet, sequetur naturae destructio.

Sint igitur in conspectu hae normae, et videamus, quae conclusiones ex eis extruantur.

Est enim et ipse ordo consequentiae in syllogismo natura notus, sicut principia. Sunt igitur et conclusiones certae et firmae, quae bona consequentia ex principiis et experientia extruuntur.

Experientia manifeste ostendit, in corporibus inferioribus diversas esse qualitates et diversos motus. In igni est calor, in terra et aqua frigiditas, et hae qualitates inter se pugnant. Coelum movetur circulari motu, elementa vero, motu recto, levia sursum, gravia deorsum. Ad has experientias adiungit physicus principia, ut cum vult ostendere hunc mundum, quanquam magnitudo oculis comprehendi non potest, tamen finitum quiddam esse, orditur ab hoc principio, nullum corpus infinitum movetur circulariter. Manifestum est autem coelum circumagi exiguo tempore, horis videlicet 24. Non est igitur infinitum. Maior ex principiis sumitur. Distantia infinita non potest finito tempore percurri. Et ubi diameter in infinitum currit, non potest fieri conversio ad idem punctum. Vera est igitur et firma conclusio, coelum non esse corpus infinitum.

Haec sententia, cum ad aspectionem naturae utilis est, quia gratum est quasi mente illam ingentem magnitudinem comprehendere et circumscribere, tum vero prodest deinde ad metienda spacia regionum coeli et terrae, ut ubi sit domicilium nostrum, et in qua parte mundi res gestae sint, quas legimus aut audimus, sciatur.

Quanquam autem non omnes naturae partes pervestigatas tenemus, tamen experientia confirmat, ingentem multitudinem esse certarum propositionum, quarum cognitio utilis est. Ac ut discedam a coelestibus corporibus, de quibus multi concedunt, ideo maiorem certitudinem esse

quia non sunt obnoxia generationi et corruptioni, sicut mixta, dicam de generatione. Certum est, non confundi species, non gigni bovem ex arbore, sed quaelibet natura aliquid suae speciei propagare solet. Deinde certum esse numerorum ordinem, et eorum progressiones et proportiones manifestum est, praeterea in nutritione constat, naturam et res nutrientes certas, et modum requirere. Postremo in curatione, multa certa esse, manifestum est. Si corpori inflammato febribus, insuper vinum dederis, magis accendes. Haec causa comparet. Et principia vera traduntur, similia augeri accessione similium, et contrariis contraria curanda esse.

Saepe etiam cum causae non perspiciuntur, tamen eventus manifesti sunt, ut non videmus, cur Paeonia prosit adversus Comitialem, at effectus tamen notus est, ac compertum est, eam arcere comitialem morbum. Talia multa sunt. Galenus narrat casu accidisse, ut cum bibissent aliqui vinum, in quo echidnae necatae erant, liberati sint elephantiasi, seu lepra. Eius eventus exempla, cum aliquot comperta essent, postea id remedium pro certo receptum est.

Corpora mundi ita divinitus in natura ordinata sunt, ut cohaereant, ne qua sit vacuitas. Hic ordo ut servetur, grave sursum ascendit, aut consistit nulla re inferius sustentante, ut aqua in vasculis perforatis obstructo superne orificio.

Fatendum est igitur multa esse certa, etiamsi non omnes naturae partes pervestigatae sunt.

Ac nos confirmati testimoniis coelestis doctrinae constantius de certitudine pronunciare possumus. Scimus Deum esse autorem naturae, et tradidisse multas ordinationes, quas vult nobis certas esse, ut generationis, nutritionis, numerorum, vitae, mortis, et multorum motuum corporis, quibus detrahere certitudinem, est Deum contumelia adficere.

Et qualis furor esset dicere non esse certum, an homo edens, bibens, loquens, et omnia officia hominis vivi faciens, vivat, aut an Pompeii truncus praeciso capite iacens in litore, sit mortuus.

Explodatur ergo illa Pyrrhoniorum et similium dubitatio, et opponantur cum regulae certitudinis, quas dixi, principia et universalis experientia, tum vero etiam testimonium doctrinae coelestis et voluntas Dei.

Nec illa Platonis cavillatione moveamur, apud quem Socrates inquit, se quoque ardentem cupiditate aspiciendae naturae avide didicisse physica iuniorem, sed ex his hoc se adsecutum esse, ut quae antea sciebat, ac certissima esse iudicabat, postea velut effugientia e manibus, animadverterit esse incerta.

Hoc Socratis dictum non transferatur ad omnia. Nec in universum tollatur certitudo. Etsi enim saepe accidit, ut homines tum docti, tum indocti adsentiantur incertis, eaque amplectantur tanquam certa, de quibus postea error deprehenditur, tamen interim non sunt omnia incerta.

Et in eo loco Socrates satis graviter ostendit quid velit. Ait se quaesivisse non tantum propinquas causas, sed primam et praecipuam, cum legisset Anaxagoram, qui dixerat totum hoc mundi et naturae opificium ab aeterna mente architectatrice sic distributum et conditum esse. Verba enim Anaxagorae haec sunt: *νοῦς ἐστιν ὁ διακοσμῶν τε καὶ πάντων αἴτιος.* Hanc causam quia non potuerit propius aspicere et contueri, non potuisse acquiescere animum suum queritur. Interim non negat de secundis causis multas esse certas propositiones.

Sed verum est aviditatem humanae mentis quaerere primam causam, imo haec ingens naturae varietas, ideo proposita est oculis, ut naturae opificem Deum quaeramus. Et tunc cum ipsum coram cernemus, naturam rerum integre intelligemus, Interea ea teneamus, quae nobis certis testimoniis de sua natura et voluntate Deus tradidit, quorum cognitio et ipsa multum lucis addet plerisque disputationibus physicis.

Multi sunt multorum errores, Aristoteles nervos oriri a corde putabat, quos a cerebro oriri alii deprehenderunt.

Plato inquit, tres humores, bilem rubram, bilem atram et phlegma, non conducere ad nutritionem, sed corruptelas esse sanguinis. At alii diligentius discernunt utiles humores quatuor a vitiosis.

Ita passim multa sunt multorum errata, neque quidquam homini usitatius est in hac imbecillitate, quam labi, decipi, hallucinari. Manet tamen interea multarum propositionum certitudo divinitus confirmata. Vult Deus aliud esse vitam, aliud mortem, vult discrimen certum esse

specierum, vult generationis et nutritionis modos a se ordinatos non violari, vult numerorum ordinem immutabilem esse, vult manere immotum discrimen honestorum et turpium, quod est imago divinae mentis. Et ut illa mens aeterna sui similis et immutabilis est, sic numeri et noticiae honestorum ab illo fonte ortae sunt immotae.

Haec de certitudine initio monendi sunt studiosi, ne furoribus illorum adplaudant, qui petulantia ingeniorum prorsus sustulerunt certitudinem. Et sunt aliqui, ut Thucydides vocat, servi absurdarum opinionum, ac fastidientes usitata, qui propter naturae perversitatem delectantur monstrosis opinionibus. Hoc vicium absit ab iis, qui veritatis querendae causa, et ut Deum agnoscant, studia doctrinarum colunt.

Hoc principium physicum sit immotum. Quodlibet est, aut non est. Sit immota noticia Deus est. Sint et immotae noticiae. Res a Deo conditae sunt aliquid. Gradus rerum a Deo ordinati sunt aliquid, vita est quiddam melius morte, sunt aliquae viventium actiones ordinatae et certae, quibus manentibus manet vita. Haec experientia tanquam ordinatio Dei iudicetur esse certa, nam Deus non frustra res condidit.

Nec longius quaeramus demonstrationes, cur ignis urat, sed contenti simus experientia, quam ducamus esse certam, et propter hanc rationem, quia dato opposito sequitur naturae destructio, et quia res ostendit talem esse Dei opificis ordinationem.

De fine et utilitate physices.

Quis est finis et usus physices?

Tota natura rerum velut theatrum est humani ingenii, quod Deus vult aspici, ideo indidit hominum mentibus cupiditatem considerandarum rerum, et voluptatem, quae agnitionem comitatur. Hae causae invitant sana ingenia ad considerationem naturae, etiamsi utilitas nulla sequeretur. Ut visio delectat, etiamsi utilitas nulla sequeretur, ita et mens sua natura ducitur ad aspiciendas res. Sint igitur hae causae huius studii, quia maxime secundum naturam est considerare naturam, et consideratio per sese adfert dulcissimas voluptates, etiamsi aliae utilitates non sequerentur.

Sed accedant aliae causae, ideo Deus has flammas indidit menti, incitantes ad inquisitionem naturae, ut haec doctrina primum sit iter ad agnitionem Dei, deinde ut monstret vitae praesidia.

Quae igitur praesidia vitae adferat, consideremus:

Ex hac doctrina extruitur ars medica, quia hic discernuntur elementa, qualitates, qualitatum actiones, cognatio, dissidia, causae alterationum in elementis et mixtis, naturae dissimiles humorum in corpore humano, temperamenta seu crases, et his congruentes spiritus, inclinationes et adfectus in hominibus.

Haec aliquantulum et vel obiter aspicere in nobis multum conducit, et ad valetudinem tuendam, et ad mores regendos. Multi saevi morbi initio philosophica diligentia facile depelli possunt, qui confirmati deinde non fere vincuntur remediis. Sicut eruditissime ait Celsus, multos magnos morbos curari quiete et abstinentia, quarum rerum causas et moderationem haec physica doctrina ostendit.

Deinde causarum distributiones in omnibus artibus, et in universa vita maximum usum habent. Necesse est scire discrimina causarum naturalium, voluntariarum, totalium, partialium, necessario concurrentium, principalium, minus principalium, denique longa est huius partis doctrina, qua minime omnium in Ecclesia carere possumus, ubi saepe de multis et variis actionum humanarum causis dicendum est. Qualis causa sit Deus, an adsit suo opificio et hominum sustentationi, ut Stoici horribili amentia finxerunt, tanquam agens non libere, sed necessario. Quae causae concurrant, cum Scipio abstinet ab alterius sponsa. Quae causae concurrant, cum Ioseph abstinet a coniuge domini.

Deinde necesse est in explicatione doctrinae Christianae nosse partes hominis, discrimen potentiarum cognoscentium et appetentium, et earum actionum, in qua parte sint noticiae, ubi sint adfectus seu ὁρμαὶ, quale sit dissidium inter haec.

Denique etsi inter physicam et doctrinam Evangelii, et promissionem a Deo patefactam, ac longe positam supra captum humanum, ingens discrimen est, nec genera doctrinarum confundenda sunt: tamen multa sunt in doctrina Eccle-

siae, quae sine physicis explicari non possunt, sicut et primi et summi doctores in Ecclesia, patres et prophetae in hac doctrina de natura rerum eruditissimi fuerunt.

Postremo grata nobis ideo esse debet, quia erudita physica confirmat honestas opiniones in bonis mentibus de Deo et de providentia, ideoque Epicureos prorsus sustulisse providentiam adparet, quia veram et eruditam physicam aspernati sunt, et furenter finxerunt confusionem atomorum.

Sunt et sua Stoicis deliramenta, qui Deum alligant causis secundis, ac fingunt nec naturalia agentia, nec voluntates aliter posse agere, quam ut agunt, et sic cieri utraque a prima causa. Plurimum autem ad utriusque sectae furores refutandos conducit recte in physicis institutum esse.

Ac primum hic deploranda est humanae mentis coecitas, quod cum praecipue condita sit ad agnitionem Dei, et Deus ordinem et multa alia de se testimonia in tota rerum natura proposuerit, tamen multorum mentes excuti sibi prorsus assensionem de providentia sinunt. Ac de Stoicis postea prolixe dicam, nunc breviter tantum admonebo auditorem, ut cogitet, quam inerudite philosophati sint Epicurei, qui duas causas praecipuas ex universae naturae conservatione tollunt, efficientem et finalem, ac tantum materiam retinent, scilicet atomos. Hos imaginantur casu concurrere, cum alioqui nulla materia sine aliquo efficiente moveatur.

Nec de formali causa recte dicere possunt, cum negent firmam esse specierum distinctionem, nec certo hominem ex homine, bovem ex bove nasci.

Causam vero omnium pulcherrimam, finalem, quae singulas res ad certos usus ordinat, omnino delent, cum negent esse Deum seu mentem architectatricem. Non ad aliud opus praestantius cogitant nasci hominem, quam asinum aut porcum.

Haec omnia pugnant aperte cum physicorum doctrina de causis, ut suo loco iterum dicetur, qua recte et erudite percepta, confirmatur in bonis mentibus assensio statuens esse Deum, mentem architectatricem et conservatricem rerum, et quidem liberrimam, non vinctam Stoicorum fato, qui sicut apud Homerum, Dii suspensi catena finguntur, Deum velut in carcerem includunt, et prestantissimae naturae intelligenti detrahunt libertatem, quae est proprietas praecipua intelligentis, iudicantis et deligentis naturae.

Deinde cum sapientissima, optima et iustissima natura tantum velit congruentia ordini lucenti in sua mente, bona et iusta, Stoici horribili audacia et furore fingunt necessario illam mentem architectatricem velle scelera Phalaridis, Neronis, et similia.

Hi prodigiosi furores adeo abhorrent a sanis iudiciis eorum, qui recte didicerunt physica, ut Plato etiam in secundo libro de Repub. dixerit: Pugnandum est omnibus modis nequis in civitate, quam volumus recte gubernari, Deum autorem, seu causam esse malorum, dicere vel audire ausit, seu iuvenis, seu senex, sive in carmine, sive in soluta oratione recitetur, quia nec pium est ita dicere, nec utile nobis, neque ipsum dictum secum consentit.

Sed et de hac tota re, et de gravissima Platonis sententia infra copiosius in refutatione Stoici fati dicendum erit, in qua magis etiam rerum ipsarum explicatio utilitatem physices ostendet.

Cumque plurimum in tota vita et in moribus referat, habere ita domitas, et quasi cicuratas mentes, ut metas verarum opinionum intelligant, ament, et magna constantia tueantur, nec furenter adplaudant absurdis opinionibus, valde prodest in physicis recte erudiri, in quibus principia et fontes artium et legum monstrantur, et mentes adsuefiunt, ut se intra veras metas et κριτήρια, de quibus supra diximus, coherceant.

Fugienda et execranda est petulantia conturbatrix vitae et artium, ut Democritus mundos innumerabiles et subinde alios ex atomis extruit.

Epicurus solem negat esse unum aliquod perpetuum corpus, sua natura lucidum, sed ait quotidie vapores recens ex terra natos, inflammari, et circumactos speciem illam exhibere, quam Solem vocamus.

Archelaus audacissime docuit honesta et turpia non differre natura, sed tantum opinionibus.

Stoici adfectus omnes contenderunt esse opiniones.

Talem audaciam fingendi monstrosas opiniones execremur, quae et vitae perniciosa est, et a Deo damnata, qui dixit: Non dicas falsum testimonium. Adsuefacit autem mentes physica

doctrina, cum recte et sobrie traditur, ad prospiciendas et observandas metas in iudicandis multis opinionibus. Haec adsuefactio moderationem et alias magnas virtutes alit.

Quod est subiectum physices?

Semper artibus vel ambitio, vel petulantia, vel stulticia ingeniorum multas inanes cavillationes miscuit. Ita et de subiectis, cum in aliis artibus tum vero in physica multae rixae leguntur, quas non recenseo. Tantum monendus est lector de vocabulo. Subiectum significat materiam, seu caput negocii, de quo principaliter in aliquo scripto dicitur, ut Aeneas est subiectum poëmatis Virgiliani.

Vulgo autem dicunt duplex esse subiectum, simplex et complexum. Simplex vocant, cum velut titulo una voce significatur, de qua re praecipue agatur. Tale subiectum in physicis est Corpus naturale. Et propria passio eius est Mobile. Hoc est, de corpore naturali quaeruntur causae, ex quibus oriuntur, et quaeruntur causae motuum et mutationum in eo.

Sed complexum subiectum vocant propositionem principalem operis, prorsus ut rhetores statum nominant in oratione.

Dicimus igitur in physicis subiectum complexum esse hoc, corpus naturale habet suas proprietates, quas inquiri necesse est, motum, locum, tempus, alterationes.

Hac brevi admonitione de subiecto contenti simus, in qua volens omitto ineruditas et longas multorum rixas, quae non continent res utiles discenti. Sed satis est auditores commonefieri, de hac scholarum consuetudine, qua primum de subiecto quaeritur, quod eo fit, ut initio significetur, qua de re dicturi simus, et sciat auditor aliquomodo, quid expectandum sit, ut cum in oratione status seu principalis propositio constituitur. Fateor, inquit Cicero, Clodium a Milone interfectum esse. Sed defendo iure interfectum esse, et propterea Milonem absolvi peto. Haec propositio subiectum est Milonianae orationis.

Quae est methodus in hac doctrina?

Aristoteles in exordio suae physices non sine causa hoc ipsum quaerit, unde sit physica doctrina, quae sit eius methodus, ex quibus fundamentis certis extruatur, quis sit ordo. Nisi enim haec ostendi possunt, dubitatur de certitudine. Dixi autem supra tria esse κριτήρια artium, principia et experientiam universalem, et intellectum consequentiae. His normis uti nos in physicis, postea cernetur in ipsa doctrinae serie.

Aristoteles generaliter respondet, duas esse vias doctrinarum, alias procedi a causis ad effectus, seu ab iis quae natura priora sunt ad consequentia, ut prius dicit geometer de triangulis, postea de quadrangulis.

Alias proceditur ab effectibus et signis ad causas, seu ab iis quae natura posteriora sunt ad praecedentia, ut medicus ex signis, rigore, calore, motu arteriae, iudicat corpus laborare febri. Ut autem medica ars magna ex parte, ex experientia extruitur, et ad hanc principia quaedam conferenda sunt, ut cum comperit corpus laborare febri, remedia adhibet, alia quae humorem biliosum expellunt, alia quae prohibent incendia humorum et epatis, simul autem principia consulit, remota causa, removetur effectus, contraria contrariis curantur.

Ita doctrina physica magna ex parte extructa est ex experientia, in qua plerunque ducimur ab effectibus et signis ad causas. Ut quia videmus perpetuo moveri Solem certissima lege, adfirmamus Solem non esse accensum vaporem terra editum. Nam hi vapores e terra exhalantes varie sparguntur in aëre.

Etsi igitur interdum et via illa, quae ducit a priore utimur, tamen haec a posteriore procedens frequentior est. Videt physicus alia corpora aliis simpliciora et durabiliora esse, discernit igitur coelum, quod est perpetuum, ab elementis, quae sunt obnoxia variis mutationibus, discernit elementa inter sese, cum inveniat, tantum duo corpora minus mixta sursum ferri, ignem et aërem, duo deorsum, aquam et terram.

Deinde cum omnium qualitates inveniat in animantibus et in plantis, animadvertit ex elementis oriri haec mixta, et qualitatum diversas actiones esse. Calor agit, congregat cognata, pellit, dividit aliena, pascitur humore. Frigiditas astringit, congregans cognata et aliena. Humiditas replet, fluit et liquefacit, siccitas terminat. Humida mixta destituta calore putrescunt. Calida mixta destituta humore exhalant. Calidum et siccum dissipat, calidum et humidum aëreum exigua siccitate terrestri terminatum glutinat, et fit viscosum quiddam, quod vocant γλισχρὸν.

Harum variarum actionum observatio magna est sapientia. Et hinc iudicari corporum alterationes multae, et multarum effectionum causae deprehendi possunt, ut in pulvere tormentario subiectum est carbo tiliae, qui est crassior pars, sustinens duo contraria, quae quasi huic alvo inseruntur, scilicet Sulphur et Nitrum. Aiunt enim, tiliam omnium arborum calidissimam esse: deinde sulphur natura viscosa, aërea et terrestris, facilime inflammatur, et concipit ignem. Nitrum vero et natura sua acriter pellit, et hic eo pellit acrius, quia pugnant inter se ignis et nitrum. Hoc exemplum eo recensui, quia ostendit qualitates habere miram varietatem effectionum, et ex animadversione harum effectionum, multa iudicari in corporibus. Monet etiam a posteriore iter esse, in hac inspectione et consideratione naturarum, ad priora. Nam inventor pulveris tormentarii deprehendit hanc tantam vim pellendi esse in his rebus iunctis, cum vidit exemplum, seu experimentum aliquod. Deinde vero effectus multa monet de causis, videlicet de qualitatum natura. Cumque semper respondent experimenta, non potest incerta, aut fallax dici haec cognitio. Quare teneamus, quod verissimum est, esse multarum rerum, in natura veram et certam cognitionem, etiamsi non omnia pervestigari possunt. Haec cum supra dicta sint de certitudine, nunc sum brevior, etsi tantum ideo de modo procedendi disseritur, ut certitudo quaeratur.

Quae est series partium doctrinae physicae, seu qui sunt praecipui loci?

Notum est, Aristotelem initio dicere de materia elementorum. Sed nos ordiemur a prima causa efficiente, et a corporibus coelestibus, ut Plato in Timaeo, ut studiosi initio ordinem rerum praecipuarum in natura considerent. Et magna pars est eruditionis, intueri res, ordine distributas, et mediocriter considerare, quae in singulis partibus doctrina vitae utilis proponatur. Sint igitur hi loci praecipui:

De Deo.
De providentia.
De contingentia.
De mundo.
An mundus sit finitus, aut infinitus.
Quae sit figura mundi.
Sintne plures mundi.
De corporibus simplicibus.
De coelo.
De stellis, et earum motibus et viribus.
De elementis.
De principiis interioribus corporum naturalium.
De materia.
De forma.
De privatione.
De causis.
Partitiones variae causarum.
Quid sit causa vere sic dicta.
Quid causa, sine qua non, quam Graeci vocarunt *ὤν οὐκ ἄνευ*.
Quae sint causae per se.
Quae accidentales.
Quae sint integrae.
Quae partiales.
Quae propinquae.
Quae remotae.
Quae sint universales.
Quae particulares.
Quae sint principales.
Quae minus principales.
Quae instrumentales.
Quae sint naturales.
Quae voluntariae.
Quae *προκαταρκτικαὶ*.
Quae *προηγούμεναι*.
Quid sit natura.
Quid ars.
De fortuna et casu.
De fato.
De motu et speciebus motus quatuor.
De tempore, de loco, de vacuo.
De corporibus mixtis.
De primis qualitatibus, et earum inter se pugnantia.
De causis generationis et corruptionis.
De imperfecte mixtis.
De *μετεώροις*.
De tribus regionibus aëris.
De vaporibus et halitibus, eorumque causis.
De ignibus variis in aëre natis.
De causis fulminum, tonitrui, fulguris, et similium.
De cometis.
De iride.
De halone.
De ventis.

De causis pluviae.
De metallis.
De perfecte mixtis.
De partibus hominis.
De gradibus seu speciebus animae.
De vegetativa.
De sensitiva.
De appetitiva.
De locomotiva.
De intellectiva.
De discrimine potentiae cognoscentis et appetitus.
De intellectu et voluntate.
Περὶ λόγου καὶ ὁρμῆς.
De adfectibus.
De libertate voluntatis humanae.
De causis virtutum et viciorum.
De fine hominis.

Ita iam physica dimittit studiosum, tum ad medicorum doctrinam, tum ad ethicen. Nam medici plura de membris et partibus humani corporis, de qualitatum varietate et effectibus, de mutationibus corporum disputant. Deinde morborum causas ostendunt, addunt et remedia, inquirunt plantas, animantia, metalla, gemmas.

Ethice vero postquam a physicis gradus animae, et diversas actiones, noticias, *στοργὰς*, diversos adfectus sumpsit, hinc doctrinam extruit de fine hominis, de legibus naturae, quae regunt omnes actiones. Itaque si magnifacimus ethicen, et dulcissimam naturae cognitionem, quam medici complexi sunt, necesse est haec exordia, quae in physicis traduntur, cognoscere.

Ideo autem capita huius doctrinae praecipua recensui, ut studiosi sciant, quid in hoc opere expectandum sit, et propositis titulis, tanquam in tabella summus rerum facilius meminisse queant.

Aristoteles a materia exorsus est, et quaestiones de Deo, de Coelo, de Stellis, differt in posteriores libros. Nec nulla causa est, cur prius haec proxima corpora subiecta sensui, et mutationum causas in his corporibus aspici voluerit. Sed nos a Deo ordiri maluimus, ut a prima causa, ad ceteras deinde progrederemur. Cumque in omnibus honestis rebus suscipiendis, auxilium Dei petendum sit, maxime in hac naturae consideratione, mentes nostras a Deo aeterno patre, Domini nostri Iesu Christi, architecto universae naturae gubernari petamus.

De Deo.

Cum consideramus, quousque progredi humana ratio possit, inquirens Deum, magis intelligemus, cur praeter hanc naturalem noticiam, Deus tanquam ex arcana sede prodiens, tradiderit nobis et suam quandam doctrinam de sua essentia et voluntate, ac patefecerit se illustribus et certis testimoniis, quae nos quidem in Ecclesia instituti, nosse, meminisse, et semper in conspectu habere debemus, ut non solum confirment nos de providentia, sed etiam doceant nos de promissione divina, cur et quomodo recipiamur et exaudiamur.

Cum autem Deus immensa bonitate tradiderit peculiarem doctrinam, de sua essentia et voluntate, et praeceperit, ut eam universum genus humanum audiat, cognoscat et amplectatur, praecipue ex illis fontibus haurienda est doctrina de Deo. Sed tamen prodest conferre doctrinam physicam, ad revelatam divinitus, et collatio utrique generi aliquid lucis addit, et declarat sententiam Pauli, quae extat in primo capite ad Romanos, cum ait, gentes veritatem Dei tenuisse captivam in iniusticia, et potentiam Dei conspici intellectam ex opificio mundi.

Ut autem in doctrina Ecclesiae, necesse est saepe commonefieri homines de discrimine Legis et Evangelii, ita hic praemoneo auditores, physicam de Deo noticiam, esse Legis noticiam, non Evangelii. Haec suo loco copiosius declarantur. Hic vero dignitas universi opificii mundi, ac praecipue hominis conspicitur. Tota natura condita est, ut dicat testimonium de Deo, ac praecipue genus humanum. Fulget in mente humana noticia, quae adfirmat non solum esse unum Deum, opificem totius mundi et ordinis, in tota natura, sed etiam docet qualis sit, scilicet sapiens, beneficus, iustus, aequalia aequalibus tribuens, verax, amans castitatis, postulans ut ad hanc suam voluntatem nostra obedientia congruat, et puniens horribilibus poenis hunc ordinem atrociter violantes, sicut universa historia humani generis testatur, quae manifeste ostendit homicidas omnes tandem rapi ad supplicia, periuros etiam, et pollutos incestis libidinibus et adulteriis, tandem fatalibus poenis divino quodam ordine opprimi.

Hanc doctrinam de Deo mens humana circumferens, tanquam liber est et speculum monstrans Deum. Sed illud dolendum est, hoc ipsum speculum squalidius factum esse, postquam na-

tura hominum amisit primam rectitudinem, et nunc magna est in hominibus contumacia, adversus illam ipsam noticiam, quae debebat esse vitae rectrix. Imo dubitationes multae conturbant veram noticiam.

Quia enim saepe bonis male est, ut Palamedes, Socrates, Parmenio, Seneca, a sceleratis interficiuntur, homines ignorantes veros fontes calamitatum humanarum dubitant, de providentia, et noticiam de Deo, nobiscum nascentem, et habentem firma testimonia ex demonstrationibus, obruunt, dissentientes ab ipsa mentis luce. Hinc sunt epicurei furores, qui adfirmant omnia casu fieri, et nihil regi consilio Dei. Academici dubitant, et cum Simoniden Hiero Siculus interrogasset, quid sit Deus, et Simonides tribui sibi spacium ad cogitandum petiisset, tandem post aliquot dies respondit, se quo diutius cogitet, eo minus posse invenire, quid esse Deum dicat.

Etsi autem obscura est noticia physica, quae nobiscum nascitur, tamen definitionem aliquam Deus nobis notam esse voluit, ut Paulus ipse inquit, cum ait de naturali noticia: Deus eis manifestavit. Tenenda est igitur physica aliqua definitio, congruens naturali iudicio rationis et demonstrationibus. Talis est haec Platonica: Deus est mens aeterna, causa boni in natura. Hanc definitionem sciamus physicam esse, quae etsi multa complectitur, adfirmat enim, Deum non esse corpus, sed mentem aeternam, immensae potentiae, sapientiae, bonitatis, veracem, iustam, et conditricem bonarum rerum, tamen tenuior est, quam definitio Ecclesiae necessaria, in qua Deus patefecit tres Personas, et arcanam voluntatem de colligenda Ecclesia aeterna, et de remissione peccatorum.

Teneatur ergo definitio in Ecclesia illustrior, sumpta ex admirandis testimoniis, quibus se Deus immensa bonitate nobis patefecit. Deus est essentia spiritualis, intelligens, aeterna, verax, bona, iusta, misericors, casta, liberrima, immensae potentiae et sapientiae, Pater aeternus, qui Filium imaginem suam ab aeterno genuit, et Filius imago Patris coaeterna, et Spiritus sanctus, procedens a Patre et Filio, sicut est patefacta divinitas certo verbo, quod Pater aeternus cum Filio et Spiritu sancto condiderit et servet coelum et terram, et omnes creaturas, et in genere humano condito ad imaginem suam et certam obedientiam elegerit sibi Ecclesiam, ut ab ea haec una et vera divinitas patefacta certis testimoniis, et per verbum traditum Prophetis et Apostolis agnoscatur, invocetur et colatur, iuxta verbum illud divinitus traditum, et in vita aeterna coram conspiciatur et celebretur. Huius definitionis explicationem hic praetereo, pertinet enim non ad haec elementa physices, sed ad Ecclesiae doctrinam. Recensui autem breviter, ut collatio definitionum studiosos admoneat physicam definitionem mutilam esse, et ut ante dixi, doctrinam de Deo in Ecclesia quaerendam esse.

Etsi autem ad confirmandas mentes, ut certo statuant esse Deum mentem aeternam, conditricem rerum, iudicem humanorum factorum, et Vindicem scelerum, maxime conducunt illustria et manifesta testimonia, quibus se Deus patefecit, ut eductio ex Aegypto, resuscitatio mortuorum, et alia quaedam miracula, quae nulla creatura imitari potest: tamen ad hanc communem de providentia sententiam confirmandam multum prodest, etiam semper in conspectu habere demonstrationes, ex natura sumptas, quae ideo diligentius colligendae sunt, ut conspici possit Epicureos cum ipsa voce naturae pugnare, cum negant esse Deum, et Deo curae esse res humanas. Sit igitur haec prima ratio, sumpta ab ordine in natura, id est, ab effectibus monstrantibus opificem.

Impossibile est ordinem perpetuum, in natura casu ortum esse, et casu manere, aut tantum a materia ortum esse. Praecipuae autem partes in natura ordinatae sunt, et manet ordo perpetuus, motuum coelestium, specierum, ita ut ex homine homo, ex bove bos nascatur, foecunditatis terrae, perennitatis fluminum, naturalium noticiarum in mentibus humanis. Ergo natura non extitit casu, sed a mente aliqua orta est, quae ordinem intelligit.

Secunda, a natura mentis humanae. Bruta res non est causa naturae intelligentis. Mentes hominum habent aliquam causam, quia homo incipit esse, et aliunde oritur. Ergo necesse est aliquam intelligentem naturam, causam esse mentis humanae. Necesse est igitur esse Deum.

Tertia, a discrimine honestorum et turpium, et aliis noticiis naturalibus, ordinis et numerorum. Impossibile est discrimen honestorum et turpium in mente, casu aut a materia ortum esse. Item, noticias ordinis et numerorum fortuitas

esse. Ergo necesse est, aliquam aeternam mentem, architectatricem esse. Et hae duae rationes omnium maxime sunt illustres. Estque dignum consideratione, quod humana mens, et illa lux menti insita, praecipuum de Deo testimonium est in natura. Et quidem inter noticias naturales haec quoque est, quod sit Deus, sicut Paulus expresse adfirmat, inquiens: Deus ipsis manifestavit, id est, voluit Deus agnosci se a genere humano. Ideo noticiam hanc humanae menti indidit, quod sit Deus. Et simul exuscitat, ut quaerat demonstrationes et testimonia ex effectibus.

Quarta, noticiae naturales sunt verae. Esse Deum naturaliter omnes fatentur. Haec igitur noticia vera est, illustrior autem esset haec minor, si non esset iam caligo in hac naturae depravatione. Sed omnia argumenta coniungenda sunt, quod cum fit, ea quae sunt illustriora et nervosiora, caeteris aliquid lucis et virium addunt.

Quinta, apud Xenophontem sumitur ratio a pavoribus conscientiae. Constat homicidas, et alios, perpetratis magnis sceleribus, horribiles animorum cruciatus sustinere, etiamsi nulla humana iudicia metuant. Est igitur aliqua mens, quae hoc iudicium in animis ordinavit, quae probat recte facta, et improbat secus facta.

Sexta, a politica societate. Politica societas non est concursus hominum fortuitus, sed certo ordine et iure consociata multitudo. Nec posset humana ope tantum retineri, sed experientia testatur aliquo numine ad poenam rapi eos, qui violant hunc ordinem, ut homicidas, incestos, et tyrannos. Ergo est aliqua mens aeterna, quae dedit hominibus intellectum ordinis, ut politicam societatem colant. Item quae sua ope servat et defendit.

Septima est erudita, sumpta a serie causarum efficientium. Non est processus in infinitum, in causis efficientibus. Ergo necesse est in una prima causa resistere. Hanc rationem physici dilucide explicant. Nam si esset progressus in infinitum, nullus esset ordo causarum, et nullae causae necessario cohaererent.

Octava, a causis finalibus. Omnes res in natura destinatae sunt ad certas utilitates. Hanc distributionem finium, impossibile est, aut extitisse casu, aut casu manere, sed necesse est, consilio architecti factam esse. Etsi autem exempla ex magna parte rerum in natura sumi possunt, tamen in praesentia tantum monebo, ut hominis opificium nobis proponamus, in quo singulae partes ad certas functiones mira arte conditae sunt.

Nona, a futurorum eventuum significationibus. Certo monstrantur futuri eventus, non modo per prodigia, quae gentes movebant, quorum alia alias causas habebant, sed multo magis per vaticinia in Ecclesia, ut Balaam, Esaias, Ieremias, Daniel, vere praedixerunt mutationes et successiones regnorum. Necesse est igitur, aliquam mentem esse praevidentem eas mutationes, et praemonstrantem.

Haec argumenta saepe cogitare prodest, confirmant enim honestam sententiam in bonis mentibus statuentem et esse Deum, et non ociosum esse, sed curare humanum genus. Etsi enim in Ecclesia multo illustriora testimouia proposita sunt, in quibus se Deus evidenter patefecit, tamen et harum philosophicarum demonstrationum consideratio utilis est, quae et bonos confirmat, et simul ostendit imbecillitatem humanae mentis. In aliis quaestionibus, ut in arithmetica aut geometrica convicti demonstratione firmissime adsentimur. In hac quaestione de Deo, etiamsi videmus demonstrationes veras et firmas esse, tamen languida est assensio. Deploranda est autem haec imbecillitas et corrigenda, ut postea de providentia dicam.

Etsi autem multi sunt et fuerunt, qui cyclopico furore ausi sunt adfirmare nihil esse Deum, et nullam esse providentiam, tamen philosophi saniores, Plato, Aristoteles et aliqui vetustiores, moti demonstrationibus, quas recensui, adfirmarunt, esse Deum mentem aeternam, architectatricem, ut supra dictum est, et quidem ratio deduxit eos in hanc veram sententiam. Unam quandam esse aeternam intelligentem essentiam, immensae potentiae Deum, nec plures esse Deos. Cum enim physicus inveniat causas esse ordinatas, necesse est unam primam infinitae potentiae esse. Nam si plures essent primae, nullus ordo esset causarum. Et diversa infinita pariter prima inter se pugnarent. Ideo Aristoteles adfirmans unum esse Deum, immensae potentiae, versiculum recitat Homericum:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοιρανὸς ἔστω.

Multos imperitare malum est, rex unicus esto.

De providentia.

Iam ut magis consideretur, quousque humanae mentes, sua naturali luce progredi possint, imo ut miseria etiam deploretur, quod contra naturalem noticiam a Deo insitam mentibus, Cyclopes et Epicurei furenter tollant providentiam, quaedam adiicienda sunt. Usitatum est vocare providentiam, et cognitionem, qua Deus omnia cernit et prospicit, et gubernationem, qua naturam universam servat, id est, ordinem motuum, vices temporum, foecunditatem terrae et animantium, et curat et servat genus humanum, custodit politicam societatem, imperia, iudicia, insticiam, punit atrocia scelera pugnantia cum lege naturae, in qua voluntatem suam nobis ostendit, et tandem iniuste oppressos liberat. Haec est quaedam de Deo legis noticia, quae adfirmat Deum non esse ociosum, sed paterna στοργῇ genus humanum fovere, punire atrocia scelera, et liberare innocentes. Haec non semper eodem modo fieri cernuntur. Interdum enim cum totae gentes delentur morbis, diluviis, incendiis, aut bellorum cladibus, pereunt simul boni et mali, saepe crudelissimi tyranni impune grassantur in bonos, et boni videntur deserti a Deo ac proiecti, ut Dionysii superioris, Syllae, Tiberii exitus fuerunt incruenti, cum tamen multos iniuste interfecissent.

Cum autem iusticiae ordo sit, ut bonis bene sit, et malis male, quia id non semper fieri in hac vita cernitur, Epicurei Deum furenter a gubernatione removerunt, et adfirmarunt, totam naturam rerum casu ferri, nec aliam causam esse bonorum et malorum eventuum humanorum, nisi aut materiam, aut voluntatem hominum, aut casum.

Priusquam autem recenseo argumenta, quae confirmant providentiam, recitabo quid veteres responderint de hac inaequalitate iudicii, quod Dionysio parcitur, non parcitur Cambysi optimi patris filio. Isocrates inquit, regulam non everti paucis et raris exemplis, ut fieri potest, ut aliqui aestivi dies sint gelidiores hibernis. Interim regula tamen non deletur aestatem calidiorem esse hyeme. Fit autem plurimum, ut atrocia scelera comitentur in hac vita atroces poenae. Huic igitur regulae adsentiendum est, nec propter pauca exempla impunitas speranda est. Haec Isocratica responsio sapienter cogitata est, et digna memoria. Altera responsio est, hanc ipsam dissimilitudinem signum esse immortalitatis, in qua iustum discrimen restet bonorum et malorum. Non est enim consentaneum, optimam partem generis humani ad perniciem conditam esse. Ideo cum saepe tyranni iniustam crudelitatem in bonos exerceant, restare videtur alius portus, in quo boni acquiescant. Haec concinne dicuntur, sed superior responsio evidentius refutat Epicureos, quia experientia testis est, regulariter et plerumque atrocia scelera, poenas comitari, etiamsi aliqua rara exempla inveniuntur, non congruentia ad hanc regulam. Itaque haec ipsa experientia, testimonium est providentiae. Curat Deus genus humanum, quia plerumque rapit ad supplicia, turbantes atroci scelere ordinem vitae.

Ita vult nos sentire vox divina, cum dicit: Quicumque gladium acceperint, gladio peribunt. Rideat licet Epicurus, tamen vera est haec sententia, quam quidem etiam illi, qui ignorabant coelestem doctrinam, saepe tradunt, sive quia saniores moti experientia perpetua eam adprobarunt, sive quia a primis parentibus accepta est, qui vocem divinam audiverunt. Hinc sunt haec vere dicta:

Aspiciunt oculis superi mortalia iustis.

Item: Ad generum Cereris, sine caede et sanguine pauci.
Descendunt reges, et sicca morte tyranni.

Recitavi autem supra argumenta, quae demonstrant esse Deum. Horum pleraque etiam testimonia sunt de providentia, et ostendunt Deo curae esse humana.

Primum ordo motuum et vices temporum utilitati animantium serviunt, ut vices dierum et noctium, discrimina temporum arationis et messis. Imo si diligentius aspiceremus coelum, magis iudicaremus utilitati rerum nascentium prospectum esse, quia cum opus est imbribus, Hyades, Pleiades, Orion, oriuntur aut occidunt. Econtra cum opus est siccitate, Sol accedit ad Leonem et Sirium, qui augent siccitatem et aestum, convenientem messi. Et magnam vim in mutandis tempestatibus habent tot curricula Lunae, quae uno anno conficiuntur.

Cum autem manifestum sit haec ordinata esse propter hominum utilitatem, fateamur vitam hominum Deo curae esse. Xenophon hoc argumentum recitans, inquit, Deum esse φιλόζωον, id est, amantem animantium, quia instituerit tem-

porum distributionem, convenientem rebus nascentibus, quae necessariae sunt ad tuendam vitam animantium.

Secundum, Ipsae mentes hominum intelligunt Deum postulare obedientiam, iuxta discrimen honestorum et turpium. Curat igitur nos, quia vult nos certo ordine vivere. Frustra autem instituisset hunc ordinem, nisi poenae comitarentur violationem eius ordinis.

Tertium, Regulariter sequuntur atrocia delicta, atroces poenae, videlicet periuria, caedes iniustas, incestas libidines, ut omnium temporum historiae ostendunt, imo admiranda signa interfectorum corporibus divinitus addita sunt, quae monstrant autores caedis. Nam corpora mortua stillant cruorem, cum ad ea accedit autor caedis.

Quartum, Heroici motus, quibus imperia et artes restituuntur, manifestum testimonium sunt praesentiae Dei inter homines, consulentis utilitati hominum. Sunt enim heroici motus, excellentes et fausti impetus, qui superant vires communes humanae naturae, ut Alexander iuvenis consilio vincit sapientissimos senes, et in dimicando est foelix. Cedunt ipsi praelianti exercitus non cessuri aliis. Haec cum manifestum sit gubernari divinitus, fatendum est homines Deo curae esse. Ideo dixit Cicero: Nullum magnum virum sine adflatu divino fuisse.

Quintum, Significationes rerum futurarum, ut praedictiones de mutatione regnorum, et prodigia ostendunt nos Deo curae esse. Denunciant enim impendentes mutationes, et ut sciamus eas fieri divinitus, et ut moniti, consilio aliqua mala leniamus.

Recensui argumenta, quorum alia magis, alia minus illustria sunt, sed tamen quaedam ita firma sunt, ut labefactari non possint. Nos vero ex doctrina Ecclesiae adiungamus testimonia certissima. Nam sine his assensio humana admodum languida est.

Aristoteles Ethicorum decimo ait, esse providentiam, etsi timide adfirmat. Si inquit: curae sunt Deo res humanae, ut videtur et consentaneum, est maxime ei curae sunt homines iusticia, et aliis virtutibus praediti.

Stoici videri volebant acerrimi propugnatores providentiae. Sed hi vincula iniiciunt Deo, quae providentiam magna ex parte inutilem faciunt. Alligant enim Deum ad causas secundas, et fingunt eum aliter agere, aut movere non posse, nisi sicut cient causae secundae. Inde extruunt Deum pariter causam esse bonarum et malarum rerum et actionum. Hi furores damnandi et execrandi sunt. Qualis enim erit invocatio, si mens existimet Deum non posse impedire causas secundas? Ideoque Stoici dicebant Deo sacrificari, non ut opitularetur, sed ut nos pro aliquibus fatalibus bonis gratiam redderemus: *οὐχ ἕνεκα χρείας, ἀλλ' ἀντίδοσιν τινα ποιούμενοι*, ut narrat Lucianus in dialogo, cui titulus est: Iupiter refutatus. At vero Ecclesia Deum invocat propter utramque causam, et ut nobis opem ferat, etiam cum deserimur a causis secundis, et ut in gratiarum actione testificemur Deum esse agens liberrimum, et vere exaudire, ac iuvare Ecclesiam invocantem.

De contingentia.

Magna est dissimilitudo rerum et motuum in hac tota mundi machina. Non est animadversum, aliquam coeli partem, mutatam esse, et motus coelestes servant perpetuas leges. At haec inferiora corpora nascentia et occidentia multis mutationibus obnoxia sunt. Ex hac dissimilitudine extiterunt diversae opiniones. Epicurus dixit, omnia coelestia et mixta casu oriri, durare aliquantisper, et rursus extingui. Econtra Stoici stabilitatem coelestium corporum et motuum considerantes, dixerunt omnia necessario nata esse, et nasci, et non solum ea quae a materia oriuntur, necessario nasci aut fieri, sed etiam necessario fieri actiones voluntatis humanae bonas et malas, et necessariam esse connexionem voluntatis humanae cum materia. Et hanc connexionem causarum vocant Fatum. Et suum errorem confirmant, partim physicis argumentis, partim dialecticis. Physicum sumitur a connexione causarum.

Secundae causae non possunt agere sine prima.

Secundae, videlicet coelestes et materiales, necessario agunt.

Ergo et prima necessario agit.

Item, Omnes secundae necessario connexae sunt cum prima.

Ergo inter sese necessario connexae sunt. Quare et voluntas necessario connexa est cum materia, nec potest alios motus excitare voluntas Antonii, quam ut voluntatem cient inclinationes a materia ortae.

Dialecticum argumentum, hoc est: Omnis propositio vera aut falsa est. Ergo si propositio de futuro, Paris rapiet Helenam, vera est, impossibile est eam esse falsam. Impossibile est igitur non rapi Helenam.

Haec etsi a Stoicis spinose disputata sunt, tamen facile refutari possunt, prius autem definitiones trademus. Libertas est facultas agendi, aut suspendendi actionem, aut aliter agendi.

Necessitas est aut absoluta, aut physica, aut necessitas consequentiae.

Necessitas absoluta est, cuius contradictorium simpliciter est impossibile. Sic necessariae sunt hae propositiones: Deus est, Deus est intelligens, iustus, bonus, libere agens.

Necessitas physica est modus agendi ordinatus in causis naturalibus, quo modo non interrupto, a Deo, non possunt illae causae aliter agere, ut Solis cursus dicitur necessarius, quia mutari non potest, nisi divinitus. Ita ignis admota materia elementari, aut mixta, non potest non urere, sed in babylonica fornace Israëlitae divinitus servantur. Etsi autem philosophi dicunt coelum absoluta necessitate moveri et primam causam necessario hanc rerum machinam, et hunc ordinem corporum mundi, seu fudisse, seu fabricasse: tamen Ecclesia Dei adfirmat Deum esse agens liberrimum et libere, non necessario condidisse omnes creaturas, ut Plal. 113. inquit: Deus autem noster in coelo, omnia quaecunque voluit, fecit, volentem, id est, libere adfirmat eum omnia condidisse et agere.

Item, nisi liberum agens esset, nec angeli, nec homines essent libera agentia. Indita est autem libertas angelis et hominibus in conditione, quod ex eo manifestum est, quia sua libertate defecerunt a Deo, non volente aut cogente Deo, sicut clare dicit Psalmus: Non Deus volens iniquitatem tu es.

Certissimum est igitur, Deum esse agens liberrimum, non alligatum causis secundis, ut Stoici fingebant. Haec libertas voluntatis divinae primus fons est contingentiae. Est autem Contingens, quod non necessario existit, cum vero ponitur, nihil accidit impossibile.

Quanquam igitur iuxta Ecclesiae doctrinam, coelum libere et contingenter movetur, tamen cum nos in philosophia dicimus necessario moveri coelum, intelligimus hanc necessitatem physicam, loquimur enim de ordine iam instituto. Haec initio monendus est lector, ut sciat postea, cum nominabimus Necessitatem, ut saepe eius mentio facienda est, intelligi hunc institutum ordinem.

Tertio, vocatur necessitas consequentiae, cum propter praecedentes causas certo sequitur effectus, etiamsi initium, et quae sequuntur sua natura, contingentia sunt, aut cum propter dialecticam connexionem, certo sequitur aliquid, quod tamen sua natura contingens est, ut cor vulneratum est Aiaci. Necesse est igitur eum extingui. Pompeius fugit ex acie, impossibile est igitur eum non fugisse. Haec valent necessitate consequentiae. Talia sunt et quae decreto divino eveniunt. Deus decrevit mortuos revocare in vitam, igitur necesse est eos reviviscere, scilicet, necessitate consequentiae. Et tamen hic discernenda sunt, ea quae pendent a voluntate divina, ut bona, quorum Deus causa est, et econtra alia quae non pendent a voluntate divina, ut peccata, ut postea dicam.

Postquam has distinctiones de necessitate recitavi, quae gradus ostendunt, et monstrant, quae simpliciter necessaria sint, et deinde quid sit physica necessitas, nunc de contingentia loquor, quam in elementorum et mixtorum motibus et voluntatis humanae actionibus ponunt philosophi saniores. Et facile intelligi poterit, ubi congruat Ecclesiae doctrina.

Duae sunt secundum philosophiam causae contingentiae. Altera propria est multorum motuum in elementis et mixtis, videlicet: Materiae natura magna varietate vagantis et fluentis, ut contingens est pluere Lipsiae, et non pluere Noribergae, quia nubes varie agitantur sine certa et stabili lege. Sic contingens est infici contagio aërem et animantia in Attica, et non infici in Thessalia, ut Hippocratem ferunt pestilentiam depulisse a Thessalia incensis sylvis, cum venti spirarent versus infectas regiones, ac contagium arcerent purgato aëre. Materia enim levi momento, alias alio impellitur. Ideo et Aristoteles casum posuit inter causas per accidens, eamque confert in fluxus materiae vagos et instabiles.

Et ad hunc fontem multa referunt physici, ut dua poma concrescunt, quia forte concurrit materia, sic interdum aliqua monstra fortuitas causas habent. Et physici multis prodigiis rationem significationis detrahunt, quaesitis in materia causis, ut cum in villa Periclis aries natus

esset unico cornu ex media fronte prominente, idque vates prodigium esse dicerent, ridens Anaxagoras dixit cerebri ventriculos confusos unum cornu edidisse, ac secto capite causam monstravit. Nec negandum est multa esse ἄσημα, ubi materia casu, ita concurrens speciem inusitatam efficit. Sed non propterea omnia sunt ἄσημα, ut infra dicemus.

Altera causa contingentiae, quae propria est actionum humanarum, est libertas voluntatis humanae, quae est facultas sic indita hominum naturae ut possint velle obiectum, quod ostendit pars cognoscens, aut reiicere, aut suspendere voluntatis electionem. Haec libertas fons est contingentiae humanarum actionum, ac multa in vita gubernat.

Esse autem hanc libertatem et contingentiam primum experientia ostendit. Videmus voluntatem differre a lapidibus. Lapides ad unum motum deorsum inclinati sunt, at voluntas velle potest oblatam pecuniam, aut reiicere, aut suspendere electionem. Deinde legum et doctrinae utilitas nulla esset, si quaelibet voluntas tantum necessario suos quosdam impetus haberet, nec ipsa se ad leges flectere posset.

In Ecclesia autem firmissima ratio traditur. Certissimum est et utraque manu, vel potius toto pectore tenendum est, Deum non esse causam peccati, nec velle, nec adprobare peccatum, nec impellere, nec cogere voluntates ad peccandum. Sicut scriptum est Psalmo 5.: Non Deus volens impietatem tu es. Iam si nulla esset libertas voluntatis humanae, et nulla humanarum actionum contingentia, voluntates peccassent et peccarent, quia sic impelleret aut cogeret Deus, aut certe quia Deus vellet peccatum. Haec cum nequaquam admittenda sint, sine ulla dubitatione, aliqua est libertas voluntatis, et contingentia aliqua humanarum actionum.

Vere irascitur Deus peccato, quare stoici furores execrandi sunt, qui finxerunt Deum omnes eventus ordinasse, nec aliter movere ipsum, aut moveri quidquam posse, quam ut sunt ordinati motus. Hunc ordinem cum velit, velle etiam malorum scelera. Haec deliramenta fugiamus.

Vult Deus congruentia suae voluntati, et liberrime decernit, ut fiant bona, liberrimeque adiuvat, ut Cyrum adiuvat in occupando imperio. Econtra non vult Astyagis aut Neronis scelera. Sed voluntates hominum per sese, et propria libertate discedunt a regula divina, et volunt ac eligunt pugnantia cum lege Dei, et aliquo modo possent sibi imperare, ne facerent externa flagitia. Nec necesse est Astyagen praebere Harpago filium mandendum, nec necesse est Neronem se parricidiis et teterrimis libidinibus polluere.

Honeste et vere dictum est ab Euripide: εἰ μὲν θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν οὐκ εἰσιν θεοί. Si quid dii turpe faciunt, non sunt dii. Nos vero in Ecclesia teneamus testimonia divinitus tradita, quae adfirmant Deum non esse causam peccatorum, hoc est, nec velle, nec adprobare peccata, nec impellere voluntates ad peccandum. Hac sententia constituta, libertatem aliquam poni voluntatum, et deinde actionum, quae a voluntatibus hominum oriuntur, id est, contingentiam perspicuum est.

Postquam autem recensui, quae sint simpliciter Necessaria, deinde quae sit physica necessitas, ac postrema, quae sint Contingentia, et quis sit fons contingentiae, nunc argumenta stoica diluam, quorum primum et speciosissimum hoc est.

Secundae causae non possunt agere sine prima.

Secundae, videlicet coelestes et materiales, necessario agunt.

Ergo et prima necessario agit.

Respondeo ad maiorem:

Secundae non possunt agere sine prima, scilicet conservante posteriores, seu vim posteriorum, quam conservat, qualis est condita, servat vim ignis, ut est conditus, scilicet, ut agat naturaliter. At vim voluntatis humanae servat, ut agat libere. Praeterea etsi verum est, secundas non posse agere sine prima, tamen prima non est alligata secundis, nec oportet modum agendi similem esse primae causae et secundarum, ut aliter agit artifex, aliter materia quam adhibet. Medicus libere agit, remedium vero naturaliter. Sic adest Deus omnibus secundis causis liberrime, non ut stoicus deus, sed ut agens liberum: agit quatenus vult, et quantum vult, liberrime. Ideo et exempla extant in Ecclesia, quae ostendunt naturam rerum voluntati Dei parere. Ut Mare rubrum interruptum est, aquae constiterunt, Sol etiam regressus est.

Haec est vera et firma solutio huius argumenti, quae propter invocationem Dei necessaria est. Nam iuxta stoicam imaginationem irrita est

invocatio, cum videlicet mens cogitat, quid petis, cum aliud evenire non possit, quam quod ferunt causae secundae, et quidquid ferunt causae secundae, id omnino eventurum sit. Si sinent causae secundae, convalesces, si non sinent, non convalesces. Haec est non solum Stoicorum imaginatio, sed etiam plurimorum hominum, ut animadvertere multi possunt, sua pectora ipsi introspicientes. Sed ab hoc errore abducendae sunt mentes, et invocationis doctrina illustranda et propugnanda est. Adest Deus secundis causis, non ut stoicus deus, sed ut agens liberrimum, multa gubernat in voluntatibus hominum suo motu, ut accendit et adiuvat impetum Davidis, ut congrediatur cum Goliath. Ita quotidie multos salutares motus exuscitat in multis, materia eos motus non ciente. Multae sunt etiam multorum liberationes in morbis, in praeliis, et aliis periculis, quae non oriuntur a causis secundis. Hanc sententiam multa dicta, quae de invocatione concionantur, nobis inculcant, videlicet: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te. Item: Illi in curribus et in equis, nos autem nomen domini Dei nostri invocabimus.

Secundum argumentum hoc est:

Omnes secundae causae necessario connexae sunt cum prima.

Ergo inter sese necessario connexae sunt.

Respondeo: Primum ad antecedens, Omnes secundae necessario connexae sunt cum prima, scilicet, servante dissimilem vim in aliis. In igni servat vim naturaliter agendi, in voluntatibus servat vim libere agendi, hoc est, eligendi obiecta monstrata a ratione, aut reiiciendi ea, aut suspendendae actionis.

Hic autem omitto disputationem de libertatis gradibus. Maior fuit libertas, cum hominis natura fuit integra, nunc languidior est, sed tamen aliquam esse perspicuum est, quia nunc quoque retinenda est haec sententia, Deum non esse causam peccatorum, ut scelerum Neronis et aliorum.

Deinde neganda est consequentia. Non enim necesse est voluntates glutinatas esse cum materia, etiamsi et ipsae voluntates et materia copulatae sunt cum prima causa, ut ante dictum est, Medicum libere agere, et remedium naturaliter. Et tamen utrunque agens servatur a prima causa. Iuncti duo equi, etiamsi ab uno auriga reguntur, tamen inter sese non sunt necessario copulati, ut suo loco de multiplici causarum copulatione dicemus. Ac regula tenenda est contraria Stoicis, voluntatem hominis posse non obtemperare obiectis et inclinationi. Etiamsi Pausanias dux ad Plateas movetur forma captivae mulieris Coae, et temperamento inclinatur ad voluptates, tamen non necesse est voluntatem his illecebris obtemperare. Sed re ipsa potest refragari, sicut tunc a captiva Coa abstinuit, postea vero a Byzantia non abstinuit. Experientia igitur testis est, voluntates hominum posse refragari obiectis et inclinationi.

Tertium argumentum, quod est dialecticum, facilius diluitur.

Impossibile est duas contradictorias simul esse veras, aut simul falsas esse.

Haec est vera: Paris rapiet Helenam.

Ergo impossibile est eam esse falsam. Impossibile est igitur non rapi Helenam.

Respondeo ad maiorem: Veritas ita competit propositioni, sicut ipsum esse, rei competit. Nam veritas est proprietas, quae comitatur esse. Si res est necessario, erit et propositio necessaria, ut Deus est intelligens. At cum res contingenter evenit, etiam propositio dicitur contingens, ut Cyrus iubet non interfici Croesum. Ita et cum res nondum est, nondum asseverari potest de hac comitante proprietate, scilicet de veritate. Ideo Aristoteles recte dixit de iudicio humano, propositiones de futuro contingenti, non determinate veras aut falsas esse. Sic enim inquit in libro *περὶ ἑρμηνείας: οἱ λόγοι ἀληθεῖς ὥσπερ τὰ πράγματα.* Cum autem dicitur: Impossibile est duas contradictorias simul veras esse, hinc tantum dialecticae consequentiae necessitas extruitur.

Nunc igitur de minore respondeo: Paris rapiet Helenam, haec iudicio humano, ante factum nondum determinate est vera. Deinde etiam siquis acute contendat esse veram, tamen tantum contingenter vera est, non necessario. Sicut de praesenti dici potest, omne quod est, quando est, necesse est esse. Ut Iulius vincit Pompeium. Et impossibile est, duas contradictorias simul veras esse. Igitur haec necessaria est Iulius, vincit Pompeium. Facilis est explicatio. Dico contingenter veram esse, Iulius vincit Pompeium. Deinde quia duae contradictoriae non possunt simul verae esse, sequitur propter consequentiam dialecticam, hanc esse necessariam necessitate conse-

quentiae, quod non pugnat cum ipsius eventus contingentia.

His fundamentis cognitis, facile est eluctari ex labyrinthis stoicis, et similibus. Et sententia, quam recensui, recte et dextre intellecta, congruit cum doctrina Ecclesiae, et cum recto iudicio rationis, et veteri philosophia. Quaedam autem de imbecillitate virium humanarum copiosius dicuntur in doctrina Ecclesiae, de quibus infra de anima dicendum est. Et nunc non tantum de actionibus humanis, sed etiam de contingentia aliorum multorum eventuum dicimus.

Haec satis sit initio breviter recitasse de Deo, et de libertate divina, ut stoica vincula tollamus, quae et commenticia sunt, et impediunt invocationem. Cum enim in physicis necesse sit dici de prima causa efficiente, priusquam de materia loqueremur, fuit aliquid de Deo dicendum, qui et architectus et servator et universi opificii mundi, et vera ac utilia bonis mentibus diximus. Sed copiosior doctrina de Deo sumenda est, non ex Philosophorum literis, sed ex libris, in quibus patefecit Deus essentiam et voluntatem suam, inde usque ab initio in Ecclesia, per Prophetas, Christum et Apostolos, et bonae mentes considerent, quo usque humana cognitio progrediatur, et quia intelligent magnam esse caliginem humanae mentis, agnoscant ingens et inenarrabile Dei beneficium esse, quod certis et illustribus testimoniis se patefecit, et grati hoc tantum beneficium amplectantur, et quidem statuant non frustra Deum prodiisse ex arcana sede sua, sed ideo se patefecisse, ut testaretur se vere adfici cura generis humani.

Quid est mundus?

Ut Latini Mundum ab ornatu, ita Graeci *κόσμον* appellant, propterea quod miranda est pulchritudo coelestium et terrestrium corporum, et humanae naturae, propter quam hoc tantum et tam ornatum domicilium conditum est, et distributio ac collocatio singularum partium summa arte facta est. Magis autem conspici potest, quid sit mundus, cum maximae partes ordine considerantur, coelum, sydera, elementa, plantae, animantia, hominum natura, artes, et omnium virtutum intellectus, ac Dei agnitio, sed tamen usitatam definitionem recitabo, quae est in libro de Mundo, qui inter Aristotelicos ponitur, etsi ab alio multo recentiore scriptus esse adparet: Mundus est compages coelestium et inferiorum corporum arte distributorum, continens animantia et alias naturas, quae in singulis partibus procreantur, aut existunt. Haec est vetus definitio, cui vere addi potest, conditum esse hoc tantum et tam mirandum opus a Deo, ut sit domicilium humanae naturae, in qua Deus innotescere et conspici voluit, ac saepe cogitanda est bonitas Dei, et erga genus humanum, ingens amor, quod vere nostra causa tantus labor institutus est. Et quanquam interdum necesse est Stoicorum dicta reprehendi, tamen hoc dictum probandum est, quod ait, omnia in natura rerum propter homines nasci, homines autem natos esse propter Deum, videlicet, ut innotescat et celebretur Deus.

Estne mundus finitus, an infinitus?

De mundo omnium prima quaestio est: An sit finitus aut infinitus, quia primum omnium quaerimus, an hoc domicilium, in quo sumus, comprehendi mente possit, et ubi, ac in qua parte mundi simus. Esse mundum oculi testantur, et tota vita nostra: postea vero quaerunt nostrae mentes, quorum corporum compages sit, et an sit moles finita. Hoc statim initio in physicis quaerendum est. Nam si mundus infinitus esset, confusio sequeretur rerum et artium infinita. Sapientissime igitur quaesitum est in huius doctrinae vestibulo, an mundus sit finitus. Hic autem considerent studiosi, hoc ipsum physices initium, oriri a Geometria. Iudicium enim de figuris geometricum est. Haec igitur manifesta demonstratio, convincit oculos et mentes omnium sanorum, ut fateri cogantur mundum finitum esse.

Nullum corpus circulariter motum, est infinitum.

Coelum circulariter movetur, ut manifestum est ex motu stellarum circa polum, et ex Solis et stellarum fixarum adsidua conversione.

Non est igitur infinitum.

Maior probatur. Si enim infinitum esset, necesse esset lineas a centro ductas, in infinitum distare. Iam si distantia linearum infinita esset, circumferri coelum non posset. Hoc illustre argumentum a motu sumptum est.

Additur alterum a figura. Manifestum est coelum esse sphaericae figurae. Est igitur finitum. Nam figuram necesse est finitam esse, cum sit su-

perficies, habens finem et terminum. Haec prima exordia physices, etsi levia videntur, tamen quia iam quasi metas mundo constituunt, grata sunt studiosae menti, quae non vult sine fine vagari, sed quaerit quasi domicilium certum, et considerat partium spacia et intervalla, ut quid in qua coeli, in qua aëris, in qua terrae regione fiat, animadverti possit. Neque enim certa Solis via nota et comprehensa esset, si Sol vagaretur sine ullis metis, ut in mole infinita, nec terrae magnitudo, positus, et regionum intervalla distingui possent, nisi Solis curriculum et stellarum loca certa et comprehensa essent.

Nunc vero quam gratum est, nosse huius nostrae sedis, videlicet, terrae locum et angustias. Totus enim ambitus terrae, ut suo loco ostendemus, tantum est Germanicorum milliarium, quinquies mille et quadringentorum. Haec ipsa parvitas indicat hanc aeternam sedem, consilio architecti, ad finitum aliquem numerum hominum conditum esse. Deinde corporum amplitudo et ordo, quae huic mediae sedi circundata sunt, indicant universum mundum non casu natum esse, sed magna arte et consilio opificis extructum esse.

Quae est figura mundi?

Sphaerica seu rotunda, quod his argumentis ostenditur.

Primum ab oculorum testimonio ducitur, qui certe duces ad doctrinam de rebus coelestibus fuerunt. Videmus quasdam stellas semper adparentes angusto ambitu, semper aequaliter distantes, et tarde moveri in fastigio coeli in orbem.

Deinde videmus alias stellas infra superiores etiam in orbem circumagi, sed ampliore ambitu, quam superiores, et quasi velociore motu. Necesse est igitur centrum illius summi ambitus stellarum, polum esse, et cum circa hunc polum volvi et revolvi coelum videamus, utrunque sequitur, coelum et moveri circulari motu, et esse figurae sphaericae. Hunc coeli contuitum citant Ptolemeus et Alfraganus cum de figura coeli disserunt.

Secundum argumentum adfine est superiori. Cum stellarum semper adparentium circumvolutio polum, seu axem coeli ostendat, deinde congruit motus stellarum, quae oriuntur et occidunt. Has enim ab ortu ad occasum ferri cernimus eadem magnitudine, et emergentes paulatim, ut in sphaera, attolli, et occidentes rursus descendere sub terram, ac rursus iisdem lineis oriri et occidere. Haec non possunt fieri, nisi in corpore sphaerico. Necesse est igitur coelum esse sphaericae figurae.

Tertium argumentum est eorum, qui proprie physici dicuntur, hoc est, materiam considerantes. Non admittendum est vacuum, ut postea ostendetur. Miro enim ordine corpora mundi ita connexa et copulata sunt, ne divulsa dilabantur. Si autem coelum haberet superficiem planam, triangulam, aut quadratam, aut aliquam eius generis, necesse esset in motu seu conversione coeli vacuum accidere. Est igitur figurae sphaericae.

Quis est motus mundi?

De partibus ordine dicetur. Nunc de coelo dicendum est: Coelum moveri motu circulari, quod iisdem argumentis confirmatur, quae iam recitata sunt de figura. Nam corpori sphaericae figurae convenit motus circularis. Et oculi sunt testes, coelum circumagi viginti quatuor horis.

Sed hic aliqui vel amore novitatis, vel ut ostentarent ingenia, disputarunt moveri terram, et contendunt nec octavam sphaeram, nec Solem moveri, cum quidem caeteris coelestibus orbibus motum tribuant, Terram etiam inter sidera collocant. Nec recens hi ludi conficti sunt. Extat adhuc liber Archimedis de numeratione arenae, in quo narrat, Aristarchum Samium hoc paradoxum tradidisse, Solem stare immotum, et terram circumferri circa Solem.

Etsi autem artifices acuti multa exercendorum ingeniorum causa quaerunt, tamen adseverare palam absurdas sententias, non est honestum, et nocet exemplo. Bonae mentis est veritatem a Deo monstratam reverenter amplecti, et in ea acquiescere, et Deo gratias agere, aliquam accendenti lucem, et servanti in hominum mentibus, ac deinde considerare, quis ad Deum aditus sit per eam lucem, et quomodo vita regenda et iuvanda sit agnitione veritatis.

Quanquam autem rident aliqui physicum testimonia divina citantem, tamen nos honestum esse censemus philosophiam conferre ad coelestia dicta, et in tanta caligine humanae mentis autoritatem divinam consulere, ubicumque possumus.

Psalmus clarissime adfirmat, moveri Solem. Soli posuit tabernaculum in ipsis, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultat ut gigas ad currendam viam suam. Ab extremo coelorum egressus eius, et revolutio eius ad extremum eorum. Hoc testimonio perspicuo de Sole contenti simus.

De terra alius Psalmus inquit: Qui fundavit terram super stabilitatem suam, non movebitur in aeternum et semper. Et Ecclesiastes in primo capite inquit: Terra autem in aeternum stat, oritur Sol et occidit, et ad locum suum tendens ibi oritur. Et inter miracula recensetur, quod Deus Solem voluit consistere, Item, regredi. His divinis testimoniis confirmati, veritatem amplectamur, nec praestigiis eorum, qui decus ingenii esse putant, conturbare artes, abduci nos ab ea finamus.

Et quamvis cluduntur physica argumenta, quae ostendunt terram non moveri, tamen aliqua in promptu teneamus, quae moderate iudicantibus, et veritatem amantibus satisfaciunt.

Primum: In circuli circumvolutione constat manere immotum centrum. Sed terra est in mundi medio, ac velut centrum mundi. Est igitur immota.

Hoc argumentum et Macrobius ex Cicerone recitat. Multae sunt autem confirmationes minoris sumptae ab apparentiis, videlicet a stellarum conspectu, ab aequinoctiis, incrementis et decrementis dierum et noctium, et ab eclipsibus.

Nam si terra non est in medio universi, obtinebit necessario horum situum aliquem.

Primus: Aut est collocata extra axem mundi, sic tamen, ut aequaliter distet ab utroque polo, hoc est, ut sit in plana superficie aequinoctialis.

Secundus: Aut est quidem sita in axe mundi, sed extra superficiem planam aequatoris, hoc est, alteri polorum propior est.

Tertius: Aut neque in axe mundi sita est, neque in plano aequatoris.

In primo situ haec sequerentur absurda, pro diversa terrae collocatione in aliis atque aliis locis plani aequatoris.

Primum: In sphaera recta nunquam fieret aequinoctium, quia horizon nunquam secaret terram in duo aequalia.

Secundum: In obliqua sphaera alicubi nullum esset aequinoctium, alicubi esset quidem aequinoctium, sed non in medio parallelo, inter duo tropica, id est, non esset in aequinoctiali, sed in alio minore parallelo circulo propiore alterutri tropico puncto.

Tertium: Tempus ab ortu ad meridiem, non esset aequale tempori a meridie ad occasum Solis.

Quartum: Magnitudines ac intervalla siderum in oriente et occidente non viderentur aequalia.

In secundo situ haec sequerentur absurda, si terra in axe quidem, sed non in medio posita esset.

Primum: In omni climate planum horizontis secaret coelum in duas inaequales partes, exceptis locis habentibus sphaeram rectam. Ergo et zodiacus divideretur in duos inaequales arcus, et sic alicubi plus, alicubi minus sex signis de zodiaco conspiceretur supra horizontem, quod est contra omnem experientiam.

Secundum: Umbrae aequinoctiales orientis et occidentis Solis non congruerent ita ut in una recta linea ἐπ' εὐθείας fierent. Nec umbra orientis Solis die solsticiali rectam lineam constitueret cum umbra Solis occidentis die brumali, et econtra.

In tertio situ, videlicet, si neque in axe mundi sita esset, neque in plano aequatoris, sequerentur eadem absurda, quae in prioribus duobus enumerata sunt. Postremo generaliter, ubicumque ponatur terra extra medium, confunderetur ratio aequalis incrementi et decrementi, dierum et noctium. Nec semper fierent eclipses lunae, etiam cum ex diametro opposita esset Soli, quia terra non sita in medio mundi, non obiiceret suam umbram Lunae.

Haec octo absurda convincunt terram non posse alio in loco, nisi in medio universi sitam esse.

Confirmata hac hypothesi, quod terra sit in medio mundi, primum hoc sequitur, eam ut centrum quiescere. Deinde hinc sumuntur distinctiones motuum. Nam circularis motus est circumvolutio circa centrum. At rectus motus est secundum rectam lineam ferri a centro, seu medio, aut ad centrum seu medium. Hae distinctiones non essent, si nullum centrum seu medium constitutum esset. Hinc igitur plura argumenta sumuntur.

Unius corporis simplicis tantum est unus motus.

Terra est corpus simplex.

Ergo non competit ei, nisi unicus motus. Competit autem partibus terrae motus rectus deorsum, videlicet ad medium, quo delatae quiescunt. Ergo non competit terrae motus circularis.

Secundum: Omne grave tendit deorsum ad medium, et necessario quiesceret tunc, ubi ventum esset ad verum centri locum, quia centrum oportet esse immotum. Ergo cum delapsae partes terrae ad eam partem, quae verum centrum est, necessario in eius superficie quiescant, sequitur molem universam quiescere.

Tertium: Eadem est natura partium et totius. Omnes partes terrae et omnia mixta, in quibus dominatur terra, feruntur deorsum, ad superficiem terrae, et in ea quiescunt. Ergo universa terra quiescit.

Quartum: Coniectura physica est. Celerrimus motus impedit collectionem, quae omnibus nascentibus necessaria est. Terra autem est velut alvus multarum rerum nascentium. Iam si quotidie tanta celeritate circumferretur, quantam esse oporteret, si moveretur, nihil fovere posset, sed dissiparet partes in ea conditas. Amplectenda igitur et tuenda est sententia, quae adfirmat terram, et in medio mundi esse, et quiescere.

Sciendum autem hoc quoque, quod propter parvitatem collata ad coelum, habet se velut punctum, hoc est, non habet notabilem magnitudinem, ut multa illustria testimonia indicant, quia horizon dividit coelum ubique in duo aequalia. Et cernuntur eodem tempore aequaliter distare stellae, in quacunque parte terrae. Et gnomones ac armillarum centra in quocunque loco terrae ponantur, tantundem valent, quantum si in ipso terrae centro propriissime dicto collocarentur. Et umbrae aequinoctiales orientis et occidentis Solis constituunt unam rectam lineam, perinde ac si iacerentur in plano per centrum terrae transeunte.

Hic etiam monendus est lector, unum globum conspici, et esse terram et aquam coniunctas. Et quanquam multi discernunt inter centrum magnitudinis et gravitatis, tamen unum revera centrum est, ut recens inventa terra ostendit, non ita circumfundi totam terram Oceano, ut veteres suspicati sunt. Nec vera est imaginatio, aquae globum decies maiorem esse, quam terrae, quia putentur ex uno pugillo terrae fieri decem pugilli aquae. Nam sphaerae habent se in tripla ratione suarum dimetientium.

Quomodo confirmari potest unum esse mundum, et non plures?

Etiam haec quaestio commonefacit nos de vanitate et petulantia humanorum ingeniorum, quae ludens finxit plures esse mundos, ac alii alio modo ea in re luserunt. Apud Aelianum narratur fabula capti Sileni a Marsya, dicentis alium esse mundum, in quo homines duplo vincant proceros in nostro mundo natos.

Praeterea Empedocles et Democritus dixerunt subinde alios mundos nasci, nec Democritus certas metas constituit, sed concursu atomorum somniat alibi alios mundos eodem tempore existere. Ab his portentosis opinionibus abhorrere auribus atque animis sana ingenia decet.

Etsi autem propero ad doctrinam physicae propriam, tamen prius quasi extruere domicilium oportet, ac ubi sint corpora, de quorum principiis, et causis generationum et corruptionum dicitur, considerandum est. Prius igitur de mundi unitate, et de coelestium corporum serie, quaerendum est. Sunt autem haec argumenta tradita.

Primum: Si plures essent mundi, aut essent concentrici, aut dissiti diversis centris. Si essent concentrici, terra unius moveretur ad terram alterius, et fieret confusio omnium partium. Si essent dissiti diversis centris, inter duos mundos existeret vacuum. Haec absurda cum sequantur, si quis fingat plures esse mundos, consentaneum est, unicum tantum esse mundum.

Secundum: Si plures essent mundi, terra unius moveretur sursum, et alterius deorsum, sic et ceterorum elementorum confusio existeret, et nulla differentia sumi a centris posset, motus sursum et deorsum.

Sed nobis in Ecclesia, et facilius et necessarium est asseverare, unicum esse mundum, quia coelestis doctrina hunc mundum, in quo se Deus patefecit, in quo suam doctrinam hominibus tradidit, et in quo filium humano generi misit, conditum esse a Deo adfirmat. Et deinde addit expresse, Deum cessasse et non condidisse aliam molem, aut alia animantia. Necesse est igitur tantum hunc unicum esse mundum, nec esse alios plures mundos. Ideoque hic unicus mundus vocatur Dei sedes, ut in Psalmo dicitur: Dominus

in coelo paravit sedem suam. Sciamus Deum nobiscum, tanquam civem huius mundi esse, huius mundi custodem et servatorem esse, huius coeli motus regere, et moderari significationes, hanc terram foecundare, et nos vere curare, non fingamus eum abesse in alio mundo, et alios homines curare.

Adiungatur ergo ad superius argumentum de unitate mundi, et haec confirmatio, quae valde firma est. Unus est filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, qui cum in hunc mundum prodiisset, tantum semel mortuus est, et resuscitatus. Nec alibi se ostendit, nec alibi mortuus aut resuscitatus est. Non igitur imaginandum est, plures esse mundos, quia nec imaginandum est, saepius Christum mortuum et resuscitatum esse, nec cogitandum est, in ullo alio mundo sine agnitione filii Dei, hominibus restitui vitam aeternam. Etsi autem haec argumenta non sunt physica, tamen nobis consideranda sunt, ne si fingantur plures mundi, somnientur etiam aliae religiones, et alia hominum natura.

An sit aeternus mundus, an vero ceperit, et an sit corruptibilis.

Necessaria diligentia est in omnibus doctrinis, videre, quae certo adseverari possint, quae non possint, et de quibus rebus humana ratio certam et immotam doctrinam habeat, de quibus vero arcanis positis extra conspectum hominum, erudiat nos vox coelestis. Neutrum humana ratio invenire per sese potest, videlicet, fuisse mundum inde usque ab infinita aeternitate, aut conditum esse recens ante annos 5507. Tot enim anni numerantur retro ad initium traditum in Moise ab hoc anno, qui est a natali Christi 1545. Haec cum ratione inveniri non possint, contenti simus ea doctrina, quam Deus certis et illustribus testimoniis tradidit, quae adfirmat, nihil esse aeternum, nisi Deum patrem, filium et Spiritum sanctum, ac tribuit certum initium mundo, quem ait conditum esse a Deo, et ab hac conditione certam seriem annorum tradidit.

Etsi autem valde turbatur humana ratio retro cogitans, nec Deum in illa infinita aeternitate retro ociosum fuisse disputat. Et cum videt non mutari leges motuum coelestium, somniat hanc molem semper fuisse, et semper ita circumactam esse, et effecisse varias vices generationum et corruptionum in inferioribus, denique multa sunt, quae vehementer offendunt rationem, si tam recens initium mundi constituatur, tamen frenanda est humana curiositas, et continendae sunt mentes intra metas, quas Deus nobis circundedit. Plato ludens in Atlantico, fingit ante novem millia annorum, alias fuisse Athenas, et longe praestantiores cives, quae dicit ad deridendam suae aetatis ignaviam. Herodotus non vult videri ludere, sed ait ab Aegyptiis decem millia annorum, et amplius recenseri, et observatum esse in hoc tanto spacio annorum bis mutata esse loca ortuum et occasuum Solis, ita ut Sol ortus sit bis, ubi nunc occidit, et bis descenderit, ubi nunc oritur.

Sed haec somnia omittamus, et quanquam brevitas temporum mundi physicis ridicula videtur, tamen doctrinam divinitus patefactam amplectamur, nec ab ea avelli nos sinamus, seu ludis Platonis, seu temere ficta antiquitate Aegyptiorum, aut Chaldeorum, aut aliorum.

Aristoteles recitat argumenta, quibus movetur, ut magis existimet mundum aeternum esse, hoc est, sine initio, et sine fine. Ea argumenta diluemus infra, et ostendemus, non esse demonstrationes. Adsentiamur autem doctrinae a Deo traditae, quae ait hunc mundum conditum esse, et inde usque ab initio annos numerat, et deinceps adfirmat mundum sine fine mansurum esse domicilium angelorum et hominum, qui partim beati consuetudine Dei fruentur, partim damnati sustinebunt aeternos cruciatus. Haec sententia extra iudicium humanae rationis posita est. Sed Deus illustribus testimoniis, eductione populi Israël per Mare rubrum, resuscitatione mortuorum, represso Solis cursu, confirmavit suam doctrinam. Non igitur repugnemus, nec audaciam ingeniorum laudemus, quae talibus testimoniis refragantur, cum quidem demonstrationes opponere non possint.

Coniectura vero non spernenda haec est, quae significat et initium aliquod fuisse, et senectam esse generis humani, quod videlicet ante quatuor millia annorum fuerunt homines longaevi, qui annos nongentos et circiter vixerunt, deinde natura secuta est multo imbecillior. Erit igitur insignis mutatio universi generis humani.

Et si longiora spacia mundi retro fuissent, non esset adeo ignotus motus apogeorum et fixarum stellarum. Nam in tam longa aeternitate insignis diversitas deprehensa esset.

Nec historia certa extat ulla, quae sit vetustior, quam libri Moisi, qui gentium origines indicant. Et nomina Graecae gentis testantur eam ortam esse a filiis Iaphet. Nam Ion, a quo Graeci orti sunt, fuit filius Iaphet. Et quam recentes sint res Graecae, inde aestimari potest, quod diluvium Nohae mille annis, et paulo amplius antecedit bellum Troianum, quod incurrit in tempora Samuelis, quae in historia Ebraica admodum recentia sunt. Etsi haec coniecturae physicos non movent, nos tamen intueamur testimonia coelestis doctrinae, resuscitationem mortuorum et alia, ut ante dixi.

Divisio corporum simplicium.

Postquam quasi sedem animantium constituimus, videlicet terram, quam diximus esse centrum immotum, et monstravimus certum domicilium, scilicet unum mundum, et finitum, nunc in hoc domicilio corpora praecipua, scilicet simplicia recitabimus. Sunt autem simplicia corpora, alia orbes coelestes et stellae, alia, elementa.

Estne coelum ex materia elementari?

Aristoteles negat coeli aut stellarum substantiam esse ex materia elementari, quia elementorum materia admittit alterationes qualitatum, quae sunt causae generationum et corruptionum. Adparet autem coelum non admittere tales alterationes, quia nulla pars corrumpitur. Igitur non est ex materia elementari. Haec recitasse satis sit, ut quid usitate dicatur, rudiores discant. Caeterum esse suam quandam materiam coeli necesse est, sive ea vocetur aetherea, ut nominarunt veteres, sive aliter, adfinem autem esse naturae aëreae consentaneum est. Ether autem dicitur ab *αἴθω*, id est, flagro, et splendeo, unde coelum dicitur aethereum quia res est lucida. Ideoque in Genesi de primo die dicitur: Facta est lux, id est, tota illa coelestis et lucida moles.

Quot sunt sphaerae coelestes?

Physici plerunque inchoant suam doctrinam a materia elementari. Et ad hanc nos properamus. Nam doctrina de orbibus, et motibus coelestibus, et efficacia luminis, ex aliis libris petenda est. Sunt enim factae doctrinarum divisiones, quia in uno volumine omnes integre tradi non possunt. Sed tamen, quia absurdum est dicere de materia elementari, quae assiduis mutationibus obnoxia est, nisi praemoneatur saltem auditor de causis universalibus efficientibus, de Deo, et de motibus, quae causae sunt conservatrices materiae inferioris, et eam aliquomodo gubernant. Semper enim vituperamus Epicurum, qui de materia et atomis suis disserit, omissis universalibus causis efficientibus, finalibus, et somniat propterea totam rerum naturam casu volui, et innumerabiles mundos, subinde nasci et interire. Haec deliramenta a Democrito orta sunt, cuius exemplum secuti deinceps multi, physicas disputationes a materia inchoarunt. Pauca igitur de sphaeris et motibus coelestibus dicemus.

Oculi nobis octo sphaeras monstrant. Et tot numerant Plato, Aristoteles, et alii veteres, scilicet, infimam Lunae, proximam Mercurii, tertiam Veneris, quartam Solis, quintam Martis, sextam Iovis, septimam Saturni, octavam stellarum fixarum. His addidit recentior aetas duas, nonam et decimam, quae vocatur primum, seu ultimum mobile. Compertum est enim, octavae sphaerae plures esse motus. At secundum naturam, uni corpori simplici, tantum unus motus per se convenit, potest autem pluribus et diversis motibus per accidens cieri. Ordine igitur de motibus dicemus.

Decima sphaera est, quae movetur unico motu, ab oriente in occidentem, super polos mundi et aequinoctialem, et spacio horarum 24 ab eodem puncto in idem revolvitur, et secum omnes inferiores sphaeras coelestes rapit eadem gyratione, ut oculi testantur quotidie octavam sphaeram, in qua conspiciuntur stellae fixae, deinde et Solis, Lunae, ac aliarum errantium stellarum orbes circumagi. Videmus enim stellas ab oriente in occidentem vehi, et deinde circumactas in altero hemisphaerio, nobis rursus certissima lege oriri.

Nona sphaera duos motus habet, unum decimae, de quo iam dictum est, alterum proprium ab occasu ad ortum, super eclipticam lineam et polos zodiaci, contra motum primi mobilis. Hic ideo ponitur, ut in octava sphaera excusetur progressio stellarum fixarum. Etsi enim stellae fixae semper inter sese aequaliter distant, et in zodiaco et extra zodiacum, tamen compertum est, ipsas stellas in orbe suo secundum signorum successionem ab occasu in ortum progredi, quae progres-

sio, cum tarda sit, diu non animadversa est. Centum enim annis fit progressio uno gradu, ut Timocharis, qui vixit Alexandri tempore et aliquamdiu post ipsum, deprehendit Pleiades abfuisse a puncto verni aequinoctii *εἰς τὰ ἑπόμενα,* id est, secundum successionem signorum gradibus fere triginta.

Deinde anno duodecimo Domiciani, Agrippa comperit Pleiadas abesse ab aequinoctii puncto, gradibus fere triginta quatuor. Fuerunt ergo in quarto gradu Tauri. Sunt autem inter Alexandri mortem et Domicianum anni quadringenti. Convenit igitur ratio, quod fere quatuor gradus processerant. Non enim nunc praecisionem quaerimus.

Nostro tempore Pleiades sunt in 22. gradu Tauri. Annis igitur mille quadringentis inde usque a Domiciani tempore progressae sunt gradus octodecim. Itaque necesse est octavae sphaerae plures motus tribui. Habet igitur octava sphaera, quae cernitur, et toto agmine stellarum non errantium ornata et variata est, tres motus.

Primum diurnum, quo in die naturali semel tota super polis mundi ab oriente in occidentem circumagitur.

Secundum vero tardum, quo tanquam a nono orbe trahitur ab occidente in orientem, quem alterum motum dixi animadversum esse ex stellarum fixarum progressione.

Hoc motu et Apogaea visibilia, quae in hac octava sphaera collocantur, mutari et longius proferri constat, ut cum Ptolemei tempore Apogaeon Solis fuerit in sexto gradu Geminorum, nunc est in secundo gradu Cancri.

Tribuitur et alius quidam tertius motus huic octavae sphaerae, propter has causas.

Primum animadversum est, progressionem fixarum stellarum non esse aequalem, sed alias velociorem, alias tardiorem.

Secundo: Quaedam stellae, quae fuerunt vicinae aequinoctiali, recesserunt longius versus Boream, et econtra. Ut multa exempla recitantur a Ptolemeo, sed illustre est de stella in extrema cauda Cynosurae, quae vocatur Stella polaris. Haec Hipparchi tempore distabat a polo aequatoris circiter gradus 12. Hodie tantum quatuor gradibus inde distat. Quare propter propinquitatem stella polaris dicitur.

Tertio: Anticipant nunc aequinoctia et solsticia, ita ut intersectio verna, quae est vera et fixa in decimo orbe, non sit nec maneat in prima stella Arietis octavae sphaerae. Ut cum Metonis Attici tempore, qui mortem Alexandri praecessit annis 108 prima stella Arietis fuerit in ipsa intersectione verna, postea Hipparchi tempore, eadem prima stella Arietis conspecta est post intersectionem vernam quatuor gradibus, Ptolemei tempore sex gradibus, nostro tempore, iuxta Werneri considerationem, gradibus 26 et minutis 54.

Quarto: Variatur et maxima declinatio Solis, hoc est, distantia puncti solsticialis ab aequinoctiali. Nam cum Ptolemei tempore declinatio maxima Solis fuerit graduum 23, minu. 51 et secundorum 20, nunc est graduum 23, minutorum 28 et secundorum 30.

Haec differentia etsi rudibus non magna videtur, tamen revera insignes umbrarum differentias facit, mutat ascensiones signorum et quantitatem diei. Variatur et distantia poli mundi a polo Zodiaci octavae sphaerae. Cumque puncta aequinoctiorum varient, difficilius est praecisam quantitatem anni reperire.

Propter has causas tertius quidam motus nondum omnino pervestigatus, octavae sphaerae tribuitur, ut haec irregularia excusentur, quod videlicet progressio fixarum stellarum, alias est tardior, alias celerior, quod alias versus orientem, alias versus occidentem, alias versus meridiem, alias versus arcton provehi videntur.

Et propter hanc tantam varietatem hic motus vocatur accessus et recessus, vocatur et trepidatio.

Et ut aliqua quasi machinae inspectio oculis proponatur, hic motus dicitur fieri super parvis circulis capitum Arietis et Librae nonae sphaerae, quam machinae fabricationem inspiciant studiosi in Theoricis.

Hic satis est breviter initia huius doctrinae attingere, ne coelum prorsus ociose praetereamus, sed aliquomodo suspicientes, de causis conservantibus materiam inferiorem cogitemus, praesertim cum in hoc octavo orbe Zodiacum nobis Deus pinxerit, cuius partium et stellarum diversitas causa est maximae diversitatis effectionum in tota inferiore natura, ut postea dicam.

De tempore vero, seu periodo motuum octavae sphaerae, hoc loco monere satis sit, quod aggregatum ex motu nonae et octavae, quod ad

progressionem fixarum stellarum attinet, singulis centum annis fere gradum conficit, alias tamen hic ipse motus tardior, alias celerior est.

De altero vero, tum in austrum, tum in septentrionem hoc loco discant rudiores, accessum et recessum tardiorem esse, ita ut animadversum sit declinationem maximam Solis paulatim a Ptolemei tempore diminutam esse.

Cum autem octava sphaera mirando consilio Dei propter terrae, aëris et animantium salutem ornata sit, aspiciantur etiam stellae fixae, et discantur nomina et positus aliquarum, quae sunt insignes. Nec putemus haec tam pulchra corpora frustra condita esse, praesertim cum experientia manifeste ostendat dissimiles etiam fixarum stellarum vires esse. Sirii ortum omnis antiquitas observavit, et iudicavit noxios aestus efficere, sicut Homerus quoque testatur Iliados 22.:

Quem senior Priamus, primus conspexit in armis
Fulgentem veluti Sidus, quod Sole relicto,
Anteit autumnum, nocturnosque eminet inter
Ignes atque suo vincit splendore tenebras.
Formosique tenet nomen Canis Orionis.
Qui febrim et morbos miseris mortalibus adfert.

Hyadum ortus et occasus turbidi sunt et pluvias fundunt. Unde et nomen eis factum est ab ὕειν, id est pluere, etsi figura quoque primae literae adpellationi occasionem praebuisse dicitur. Et Virgilius nominat pluvias hyadas. Et Plinius adpellat Sidus vehemens, terra marique turbidum.

Et manifestum est alias stellas humiditatum, alias siccitatum causas esse, ut humiditates adiuvant Hyades, Pleiades, Presepe, cum ad eas Luna accessit, nisi aliae potentiores causae, ut Planetarum positus in siccis locis, impediant.

Nec vero anni metae intelligi possunt, nisi Zodiaci positum consideremus, de quo postea dicam. Necesse est igitur et stellas non errantes aspici. Quare rudiores sciant numerari imagines octo et quadraginta. Duodecim signa Zodiaci.

Deinde sunt in parte arctoa: Ursa minor, Ursa maior, Draco, Cepheus, Bootes, Corona borealis, Engonasi, Lyra, Avis seu Gallina, Cassiopea, Perseus, Heniochus, Ophiuchus, Serpens Ophiuchi, Sagitta, Aquila, Delphinus, Equi sectio, Pegasus, Andromeda, Triangulus.

In parte australi seu meridiana: Cetus infestus Andromedae, Orion, Eridanus, Lepus, Canis maior, Procyon, Argo, Hydra, Crater, Corvus, Centaurus, bestia quam Centaurus gerit, seu Lupus, Ara seu thuribulum, Corona Austrina, Piscis Austrinus, seu magnus, qui Venerem cum fugeret Typhonem excepisse dicitur.

His adpellationibus, si Zodiaci duodecim signa annumerabis, erunt, ut dictum est, imagines octo et quadraginta, quibus vetustas nomina attribuit, et ut regiones coeli discerni, et aliqua insignia sidera agnosci possent.

Definitio autem stellae traditur tenuior, quam pro dignitate et varietate horum admirandorum corporum, videlicet, stellam esse densiorem partem sui orbis. Hanc usitatam definitionem recenseo, propter scholarum consuetudinem, etsi pleniorem, et propius monstrantem essentiam et varietatem stellarum omnes requirimus. Nam illud etiam nondum explicatum est, quae sit orbium natura, nisi quantum oculis iudicamus, molem quandam lucidam esse. Sed unde tanta diversitas est magnitudinum et qualitatum? Aliae caloris, aliae frigoris, aliae siccitatum, aliae humiditatum causae sunt. Haec in definitione praetermittuntur.

Illud etiam breviter adiicio, stellas nec rationales naturas esse, nec animalia, quia corpora non sunt organica, nec habent alios motus, nisi naturales, una et perpetua lege recurrentes, quae argumenta etsi levia sunt, tamen firmiora in contrariam partem adferri non possunt. Ceterum nobis in Ecclesia certo statuendum est, stellas non esse rationales, seu intelligentes naturas, quia Deus vult intelligentes naturas non interire. Stellae vero sunt periturae in conflagratione mundi. Non sunt igitur naturae intelligentes, sed globi lucidi, quos consentaneum est, non progredi ut animantia progrediuntur, sed vehi motu orbium, quod et Aristoteles probabilius esse iudicavit, quia videtur absurdum esse, si scindi coelum dicatur, ut aqua innatantibus piscibus. Tale siquid fieret in coelo, cum eo non pertingat aër, videretur concedendum esse vacuum.

Sed has quaestiones relinquam, de viribus autem, seu effectionibus stellarum in inferiore materia infra dicendum erit, in ea parte, ubi doctrina de causis tradenda erit. Ibi enim necesse est quaestionem de Fato explicari, quod inter causas alii aliter numerant.

Et cum de Zodiaco in Sole dicemus, res convincet, ut concedendum sit, diversas esse effectio-

nes stellarum. Venustissime autem scripsit Manilius, pene ut in Repub. gradus sunt hominum, alii sunt Patricii, alii Equites, alii Plebeii, ita stellas alias aliis potentia antecedere. Versus hi sunt:

Utque per ingentem Populus describitur urbem,
Praecipuumque patres retinent, et proximum Equester
Ordo locum, post quem succedunt agmina plebis.
In qua vulgus iners, magna et sine nomine turba est.
Sic natura gradus stellarum condidit, ut sint
Et procerum similes aliquae, primasque sequatur,
Languidior tenui splendens fulgore caterva.
Sidera nam paribus si certent omnia flammis,
Ipse suos ignes aether tolerare nequiret,
Totus et accensu mundus flagraret Olympo.

De orbibus errantium Stellarum.

Sub eo orbe, cui non errantium stellarum multitudo infixa est, sunt septem orbes, quorum singuli unam vehunt ex stellis, quae vocantur errantes, seu Planetae. Quanquam enim leges motuum certissimae sunt, et mirando consilio Dei ordinatae, tamen sic adpellantur, quia singulae stellae in his septem orbibus diversos motus habent, congrediuntur et rursus discedunt ex congressibus aliae aliis longius. Ac ceterae stellae sex non solum in longitudinem, sed etiam in latitudinem a Sole discedunt. Vocantur ergo errantes, propter diversitatem et varietatem motuum, idque de nomine dixisse satis est.

De ordine orbium discrepat Plato a Ptolemeo et communi sententia. Ima est omnium sententia Luna, quia et Solis conspectum nobis adimit, et diversitatem aspectus cognitu manifestiorem habet. Supra Lunam proxime collocat Plato Solem, deinde supra Solem proxime collocat Venerem, supra hanc Mercurium, deinde Martem, Iovem, Saturnum. Et quidam adfingunt rationem, quia si Venus et Mercurius essent infra Solem, adimerent etiam nobis conspectum Solis, sicut Luna, quoties in coniunctione interponerentur inter Solem et nostrum visum. Sed haec imaginatio facile refutatur. Nam Luna est corpus densius, et opacum ea parte, quae non obversa est Soli. Adimit igitur conspectum Solis. Iam si Venus et Mercurius non sunt talia opaca corpora, ut non esse opaca consentaneum est, non tegunt Solem. Et multae aliae aspectuum varietates possunt esse causae, cur non fiant per hos eclipses.

Ptolemeus ait vetustiorem esse ordinem, et magis physicum, qui Solem in medio collocat. Utque consentaneum est supra Solem esse Saturnum, Iovem et Martem, quia longiori tempore suum cursum conficiunt, et longius a Sole discedunt, ita infra Solem esse reliquos consentaneum est, quorum spacia ad cursum conficiendum, aut aequalia sunt solari, aut breviora.

Regiomontanus et hanc rationem addit. Non consentaneum est, spacium inter Solem et Lunam sine stellis esse, cum sit maius quam spacium inter Lunam et terram. Nam Lunae distantia a centro mundi continet semidiametrum terrae 64 vicibus. Minima vero Solis distantia a centro mundi continet semidiametrum terrae 1070 vicibus. Intervallum igitur duorum luminum continet diametrum terrae 1006 vicibus. Hoc tantum spacium sine stellis esse non est consentaneum.

Sequamur igitur vetustissimam et communem sententiam, quae medium locum Soli tribuit, sitque hic ordo: Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna.

Adiiciemus autem pauca de singulorum natura et motu, sed ordiemur a luminibus. Sol enim maxime ostendit nobis metas Zodiaci, et quasi dux est Planetarum.

De Sole.

Sol est lucidissimum in coelo corpus, quod motu diurno discrimina efficit diei et noctis, et proprio motu, quo Zodiacum semel peragrat, annum efficit. Naturam eius esse calefacere, et languidius desiccare constat. Estque calor non ut Martis exiciosus, sed fovens omnia nascentia et viventia, ut quotannis in foecundanda terra, in giguendis et maturandis frugibus cernimus. Ideoque dictum est a Ptolemeo, Solem esse fontem vitalis potentiae, Lunam vero fontem esse potentiae naturalis, quod in rebus nascentibus ex terra magis conspicitur, ibi humorem ali a Luna videmus, Solis autem lumine calefacta semina, efficaciam concipere rapiendi alimenti ex terra, et gignendi fruges. Ita in animantium et hominum corporibus humores magis alit Luna. Sol iuvat motum et sensum.

Sunt autem Solis motus duo. Alter diurnus, quo primum mobile quotidie secum orbem Solis

ab ortu in occasum rapit, et totum circum terram circumagit.

Sed ut hic motus sit salutaris naturis viventibus, necesse fuit addi alium motum, qui vices efficeret aestatis et hyemis, ut terra possit fruges gignere, quique dierum spacia variaret. Nam si nullus alius motus Solis esset, praeter hunc, quo a primo mobili quotidie circumvolvitur, Sol uno loco manens, eam semitam perpetuo aestu ureret, et ceterae regiones gelu duratae, nihil gignerent. Adiunctus est ergo alter proprius motus, quasi temperator primae illius et rapidissimae gyrationis.

Fit autem hic alter motus orbe Solis contra primum leniter nitente ab occasu versus orientem, sub certo circulo, qui vocatur Zodiacus, qui cum mira arte obliquus factus sit, ut semper sex signa supra terram, sex infra esse possint, poli eius distant a mundi polis hoc quidem tempore gradibus 23, minutis 28, secundis 30.

Sub hoc circulo Zodiaco, et ceteri Planetae ab occasu in ortum, ut de singulis dicetur, vehuntur, mirando consilio Dei opificis, qui his contrariis motibus, sed altero rapidissimo, altero lento, placido, leniter repugnante, naturam rerum gubernat et temperat, quod spectaculum multi sapientes intuentes, exempla inde transtulerunt ad imperia, in quibus cum magni ac fatales impetus regum, aut populorum, magnas conversiones faciant, placide occurrens sapientum moderatio multa mitigat. Estque hac collatione usus Plutarchus in vita Phocionis, ut ruente Repub. Iudaica multa adversationibus et consiliis Ieremiae mitigata sunt. Ac propemodum imperiorum impetus conferri possunt ad primum motum, Ecclesiae contra nitentis gubernatio ad secundum. Et quia hi diversi motus in lineis, seu axibus et polis diversis fiunt, Plato dixit, mundum figura literae χ copulatum et coagmentatum esse.

Ut autem qualis sit hic proprius Solis motus, aliquomodo comprehendi possit, doctissimi homines Geometrae, quasi fabricantes automata, plures orbes quasi domiciliis singulorum Planetarum incluserunt, ut erudite motuum ratio reddi possit. Et quidem Archimedes dicitur *αὐτόματα* motuum coelestium, videlicet, integros orbes fabricasse, et oculis hos motus subiecisse. Totam igitur sphaeram, in qua Sol vehitur, cum motu diurno rapiatur a primo mobili, concentricam esse mundo necesse est. Sed ut ratio reddi possit diversitatis motuum Solis, quia Sol in Zodiaco non conficit utranque medietatem aequali numero dierum, Geometrae quasi sculpunt in tota sphaera Solis tres partiales orbes, quorum primum et tertium ita fabricant, ut concinne locus sit medio, qui vehit corpus Solis, et est eccentricus, hoc est, recedens a centro mundi.

Hic vero perversitas et petulantia Averrois, et multorum aliorum detestanda est, qui hanc doctrinam magna arte extructam derident, propterea quod non possit adfirmari in coelo re ipsa tales ubique machinas esse. Hac calumnia non deterreri se sinant studiosi, quo minus cognoscant motus, quorum leges ut aliquomodo ostendi possent, haec erudite tradita sunt, etiamsi non necesse est talem in coelo sculpturam esse orbium.

Haec duo videntur commodius ostendi per eccentricos, quam aliter, videlicet, quod Sol, Luna et alii Planetae non semper simili velocitate, aut tarditate moventur, item, quod diametri corporum Solis et Lunae, alias maiores, alias minores cernuntur, unde sequitur alias eos propiores esse terrae, alias longius ab ea recedere, quod non fieret, si concentrici essent.


Desinat igitur Averrois conturbare constitutam artem, aut ostendat leges motuum concinniores, ex quibus computatio institui vera possit. Et eius argumenta, cum sint prorsus *βάναυσα*, recitari nihil opus est, quia ne Geometrae quidem tales volunt sculpturas esse in coelo, sed erudite causas motuum ostendunt. Nunc ad Solem redeo.

Deprehensum est ab aequinoctio verno, usque ad autumnale, cum Sol peragrat signa aestiva, dies esse 187. Sed ab aequinoctio autumnali ad vernum, cum Sol peragrat signa hiberna, dies esse, 178 ¼. Differentia est ergo dierum octo et trium quartarum unius diei. Iam si Solis deferens esset concentricus, et aequinoctia secarent omnes orbes in duo aequalia, non esset diversitas. Ut igitur ratio diversitatis ostendatur, hic eccentricus fabricatus est, ac tribuitur motus regularis Soli proprius ab occasu ad ortum in hoc eccentrico quotidie minutorum 59, secundorum 8, tertiorum 19, quartorum 37.

Id ex divisione anni sumitur. Nam cum annus sit circuitus Solis a puncto aequinoctii verni, ad idem punctum, qui continet dies 365, horas 5, minuta 49, secunda 16. Si hic numerus dividetur aequaliter in gradus 360, tantum respondebit

diurno motui proprio Solis singulis diebus, quantum diximus.

Etsi igitur motus proprius Solis in suo deferente aequalis est, consentaneum est enim corpus simplex regulariter moveri, tamen relatus ad Zodiacum inaequalia spacia Zodiaci quotidie peragrat, quod ut ostendi possit, eccentricus orbis Solem deferens supra centrum mundi attollitur. Iam qua parte eccentricus propior est Zodiaco, maius spacium eccentrici uni signo Zodiaci respondet. Ut si plures circulos pingas in uno extremo circulo, propior extremo maior est, quam tertius aut quartus. Maioribus autem spaciis plus temporis competet, cum peragrator in sua orbita vehitur aequaliter. Econtra vero, ubi Sol propior est centro mundi, ibi minus spacium in eccentrico respondet uni signo Zodiaci. Angustiora vero citius peragrantur. Haec rudibus crasse pingi possunt.



Si duas lineas ex uno centro educas, quo longius duces, eo magis distabunt. Longius autem Sol recedit a centro mundi, quando vehitur in signis aestivis, propior vero est centro mundi, cum est in signis hibernis. Ideo veteres dixerunt tardiorem esse motum Solis in signis aestivis, quia ibi maiora spacia peragranda sunt. In hibernis vero signis motum Solis esse velociorem, quia ibi minora spacia peragrantur.

Haec crassissima imaginatio nobis hic in physicis sufficiat. Hoc enim agimus, ut rudiores hac consideratione, et quasi pictura utcunque excitati, postea avidius appetant doctrinae fontes, et subtiliores demonstrationes, quae in Theoricis, ac deinde in Ptolemaeo traduntur.

Saepe autem docti homines exempla ab his diversis motibus sumunt, quae intelligi aliquo modo sine his initiis non possunt, ut Plutarchus inquit, principes Solem imitari debere, qui cum in loco boreali ad summum fastigium ascendit, tardissime movetur, ut securitatem contatio efficiat. Ita vult, principes in summo fastigio et maximis successibus modestiores et contantiores esse, ne elati fortunae favore, et sibi praefidentes, obtemperent pravis adfectibus, aut incauti ruant, et moveant res non necessarias, et sibi et imperiis tetras conversiones accersant, ut fecerunt Pompeius, Antonius. Verba Plutarchi haec sunt: *μιμουμένου τὸν ἥλιον τοῦ ἄρχοντος, ὃς ὅταν ὕψωμα, λάβῃ μέγιστον, ἐξαρθεὶς ἐν τοῖς βορείοις ἐλάχισα κινεῖται, τῷ σχολαιοτέρῳ τὸν δρόμον εἰς ἀσφαλὲς καθιστάμενος.* Inaequalitas autem qualis sit, postea in tabulis cognoscitur, ubi adparet circa fastigium, Solem motu proprio peragrare minuta 57. At in opposito loco gradum integrum, et insuper minutum unum, et aliquot secunda.

Qui motus efficiant dies, et qui motus metiatur annum.

Dicat autem aliquis, quid prodest aspicere hos circulos, lineas, centrorum puncta, circumgirationem Solis, quam haec aspectio utilitatem habet?

Respondeo. Haec est utilitas, ut discamus inde causas, quorum motuum ordine dies efficiantur, qua in re non tam iuvat bonam mentem nosse causam diei, quam quod tam artificiose copulavit Deus duos motus. Primum illum ab ortu in occasum, et alterum proprium Solis, quia horum copulatio efficit dierum discrimina.

Ut autem metae teneantur, necesse est nosse pueriles descriptiones circulorum, quae in libello sphaerico traduntur. Proprium iter Solis est linea media Zodiaci, quae vocatur Ecliptica, ex hac nunquam Sol digreditur, ut caeteri Planetae. Ideo cum Solis iter certissimum sit, et Sol tanquam dux sit reliquorum Planetarum, cognito eius itinere, facilius conspici deinde potest, quomodo ante, aut post eum, aut in lateribus incedant reliqui stipatores.

Et cum res ostendat Solem proprio motu non super polis mundi incedere, consideretur, qualis sit circulus Zodiacus, ubi sint eius poli, et quanta sit a polis mundi distantia. Et quoniam necesse est intervalla Zodiaci discerni, quia in aliis punctis Zodiaci fiunt aequinoctia, in aliis solsticia, picturae circuli aequinoctialis, tropicorum, et alio-

rum in globis aspiciantur, et mente pingantur in coelo, ut iter et loca Solis notari possint.

Nunc de die primum dicatur. Dies alii dicuntur naturales, alii artificiales. Dies naturalis est tempus revolutionis Solis, per motum primi mobilis, ab horizonte, aut meridiano, donec Sol ad eundem locum horizontis, aut meridiani redit. Et hoc est tempus, quo revolvitur totus aequinoctialis, et ultra hoc aliquantula portio aequinoctialis, quanta respondet arcui Eclipticae, quem interim Sol peragravit. Ita copulationem duorum motuum in descriptione diei naturalis considera. Interea enim dum Sol ab ortu versus occasum rapitur a primo mobili, ipse tamen proprio motu vehitur ab occasu versus ortum. Cum igitur aliquantulum Sol regressus sit, dies non est tantum circumactio aequinoctialis ab eo puncto, quo aequinoctialis cepit eam gyrationem, ad idem punctum, sed addi necesse est spacium, quod interea Sol regrediens confecit, ut sit dies tempus revolutionis Solis.

Ita enim conditus est Sol, ut moveatur, propter res nascentes et animantium vitam. Et si maneret eodem loco, semper eadem sidera orirentur et occiderent, nec essent discrimina dierum artificialium. Si vero progrederetur motu proprio, attenuaretur subinde dies naturalis. Et nisi aliqua motuum esset adversatio, nimis magna esset agitatio aëris ab ortu versus occasum. Haec autem adversatio motuum temperat universam hanc rerum naturam.

Cum autem quindecim graduum aequinoctialis circuli ascensio unam horam constituat, et hic numerus in toto aequinoctiali vicies quater inveniatur, integra revolutio aequinoctialis necessario continebit 24 horas semper et ubique aequales.

Sed his 24 horis aliquantulum spacii accedit, quia Sol interea discessit a puncto, in quo fuit cum aequinoctialis cepisset circumagi. Id autem spacium alias maius est, alias minus. Quare dies naturales, et sunt et dicuntur inaequales, etiamsi differentia non percipitur sensu. Est enim circiter minuta quatuor.

Duae sunt autem praecipuae causae inaequalitatis dierum naturalium. Prior est motus Solis irregularis, ut vocatur. Etsi enim regularis est in suo eccentrico, tamen dicitur tardior in aestivo semicirculo, ut supra dictum est, ac minor portio aequinoctialis respondet aestivo motui, maior vero portio aequinoctialis respondet hiberno motui, ut circa Apogaeum diurni motus arcus in Ecliptica est fere tantum 57 minutorum, quibus in aequinoctiali ascensione recta, respondent 1 gradus, 2 minuta, 42 secunda. Econtra circa perigaeum arcus diurni motus Solis in Ecliptica est minutorum amplius sexaginta, quibus in aequinoctiali respondet 1 gradus, 7 min. cum besse. Vides igitur differentiam esse 5 fere minutorum. Et ex hac ratione sequitur dies naturales aestate minores esse, quam hyeme.

Altera causa inaequalitatis dierum est obliquitas Zodiaci. Nam etiamsi Sol aequaliter moveretur in Zodiaco, tamen quia Zodiaci partes non aequaliter ascendunt, variari tempora necesse esset, ut in doctrina de ascensione signorum dicitur, quam hic recensere nimis longum esset.

Dies artificialis est tempus, quo Sol circumvehitur supra horizontem nostrum, ab ortu in occasum. Et ut sint horum dierum artificialium discrimina, hic quoque duo motus copulantur. Nam vectatio ab ortu ad occasum, fit a primo mobili, sed quod Sol alias ad verticem nostrum propius accedit, alias recedit, alias efficit longius curriculum supra nostrum horizontem, alias brevius, denique quod facit vices aestatis et hyemis, fit propter motum proprium Solis, quo Zodiacum peragrat.

Conspiciuntur autem discrimina dierum artificialium in sphaera declivi, magnis et insignibus intervallis, ut dies solsticii aestivi in nostro climate est horarum 16, minutorum 30. Dies brumae horarum 7, minutorum 30. Horum insignium discriminum causa est obliquitas horizontis. Etsi enim semper supra terram sunt sex signa, et semper sunt sex signa infra terram, tamen cum Sol ad verticem nostrum accedit, medietas illa Zodiaci, in qua tunc Sol incedit, altius attollitur. Quo fit, ut Sol diutius tunc supra horizontem feratur, fiantque dies artificiales longiores noctibus.

Et quoniam hoc iter Solis in Zodiaco meta est anni, etiam hic anni descriptio addenda est. Annus est tempus, quo Sol semel totum Zodiacum peragrat, quod fit diebus 365, horis 5, minutis 49, secundis 16.

Et quoniam Luna interim in hoc spacio Zodiacum duodecies peragrat, prima vetustas haud dubie hac doctrina a primis patribus accepta, lunares menses accommodavit ad annum, ita ut an-

num constituerent esse duodecim lunares menses, et praeterea adderent dies undecim, quas vocant Epactas, quia tot dies adhuc addendi erant, ut tempus congrueret ad tempus peragrati Zodiaci a Sole.

Ac primae vetustati initium anni fuisse proximum mensem aequinoctio verno manifestum est ex libro Moisi secundo, ubi dicitur de pascate: Mensis iste vobis principium mensium, primus erit inter menses anni, servaruntque hoc initium Iudaei et Aegyptii. Deinde ut solent homines cum seiungunt se a vicinis in religione aut imperiis, etiam dissimiles ritus instituunt. Asia inchoavit annum ab aequinoctio autumnali. Inde hodie in commentariis Iudaicis duo leguntur anni initia, etsi Iudaei quid dicant, non intelligunt, nec attendunt, unde sit hoc recentius initium ab aequinoctio autumnali. Deinde rursus aliud initium Graeci constituerunt a solsticio aestivo. Postremo aliud Numa, videlicet a solsticio hiberno.

Haec varietas et dissimilitudo consideranda est, ut historiae rectius intelligantur, etsi variandi cupiditas non videtur causas bonas habuisse. Nec dubium est primam consuetudinem inchoantem annum a verno aequinoctio, maxime naturae consentaneam fuisse. Sed tamen donec annus inchoabatur a mense lunari, non erat certus dies initii anni, nec lunares menses duodecim explent annum.

Ideo Solis iter per sese considerandum est, definiemusque annum, tempus esse, quo Sol a verni aequinoctii puncto egressus, Zodiaco peragrato, in idem punctum redit. Et ubi fiat vernum aequinoctium a certae stellae distantia sumatur. Ut Metonis tempore, qui fuit initio belli Peloponnesiaci intersectio verna erat in ipsa prima stella Arietis. Nunc anticipat, estque prima stella Arietis post vernam intersectionem gradibus 27, min. 34. Sit ergo nobis illa intersectio, ita certo constituta, initium et meta anni.

Quod vero Plutarchus in vita Numae ait diversitatem tantam annorum fuisse, ut aliqui barbari tres menses nuncuparint annum, Arcades quatuor menses, Acarnanes sex menses, imo Aegyptios mensem quoque vocasse annum, has fabulas magna ex parte vanitate scriptorum confictas esse non dubium est, etsi fieri potest, ut homines barbari, qui sine certis sedibus vagati sunt, et doctrinam maiorum amiserant, etiam primam anni rationem neglexerint. Sed nos non barbarorum et indoctorum confusiones, sed doctrinam primorum patrum quaeramus, per quos doctrina de Deo et artes honestae propagatae sunt. Historia Nohe manifeste ostendit, menses duodecim unius anni spacium fuisse. Et cum Nohe integrum annum commoratus sit in arca, erudite mensibus duodecim lunaribus adduntur reliqui dies, qui vocantur Epactae.

Ingressus est Nohe in arcam mense secundo, die septimo decimo, deinde nominatim fit mentio septimi mensis, ac postea decimi, et post hunc dierum quadraginta et amplius. Deinde iterum primus mensis nominatur. Egreditur autem ex arca rursus mense secundo, die vicesimo septimo. Interea igitur exacti sunt menses duodecim, et accedunt dies decem, ut manifestum est conferenti tempora ingressus et exitus. Cunque undecimo die ex arca egressus sit Nohe, vides addi Epactas, et compleri anni solaris spacium. Haec scripta sunt, ut extet testimonium de anno, quod opponendum est petulantiae istorum, qui rident annorum numeros in sacris literis traditos, et quantum fuerit unius anni spacium, sciri posse negant.

Cum autem menses lunares duodecim non prorsus expleant annum solarem, ut tamen anni initium aliquomodo ad certum tempus revocaretur, necesse fuit intercalationem excogitari. Colligebant ergo Romani Epactas, et secundo quoque anno intercalarem mensem dierum viginti duorum Februario inserebant. Sic scribit Plutarchus in Numa.

Nec Livianam rationem nunc recenseo, quae obscurior est, et alibi explicanda, ac adparet saepe correctiones annuae computationis institutas esse, et mutatas intercalationes, sicut apud Graecos accidisse videtur.

Herodotus narrat tertio quoque anno intercalarem mensem insertum esse apud Graecos. Macrobius aliam vetustiorem intercalationem recitat.

Omissis autem veterum formis usitatam hoc tempore consideremus, quae videtur esse expeditissima. Est autem a Iulio Caesare consilio Mathematici Sosigenis instituta, et postea ab Augusto, cum in bellis civilibus neglecta esset, rursus emendata et instaurata, videlicet ita, ut constituto certo initio anni, et duodecim mensibus civilibus, annus communis contineret dies 365. Et quoniam Sol nondum tot diebus peragravit totum Zodiacum, sed restant addendae horae quinque

et aliquot minuta, quarto quoque anno dies Februario inseritur, quem vocamus intercalarem.

Etsi autem haec ratio minus perturbatam habet intercalationem, quam vetustae, tamen hic etiam temporis longitudo correctionem postulavit.

Dies insertus aliquantulum superat spacium, quod fuerat addendum quatuor annis. Et loca aequinoctiorum et solsticiorum propter morum octavae sphaerae mutantur. Ideo paulatim anticipat ingressus Solis in Arietem, ut cum Augusti tempore dies aequinoctii fuerit dies vicesimus quintus Martii, nobis est dies undecimus.

Haec de anni metis breviter hoc loco recensui. Erudite autem divisus est Zodiacus in signa duodecim, ut numero mensium anni responderent. Et in quorum signorum initiis, fiant aequinoctia et solsticia, ostendit doctrina usitata de circulis, quam hic omittimus. Tantum hoc quod physicum est, hic recitabo, videlicet naturas signorum.

Iudicantur naturae eorum ex trigonis et ex Planetarum familiaritate.

Igneus trigonus est, Aries, Leo et Sagittarius. Haec in genere calida sunt et sicca, rubram bilem augentia, sed iuxta Planetarum naturas haec mitigantur. Est autem Aries naturae Martiae, Leo solaris, Sagittarius Iovi familiaris.

Terreus trigonus est, Taurus, Virgo, Capricornus. Haec in genere frigida sunt et sicca et melancholica, sed iuxta Planetarum naturas haec mitigantur, et Tauro Venus praeest, Virgini Mercurius, Capricorno Saturnus.

Aëreus trigonus est, Gemini, Libra, Aquarius. Haec in genere calida et humida sunt et sanguinea. Sed iuxta Planetarum naturas haec mitigantur. Geminis Mercurius praeest, Librae Venus, Aquario Saturnus.

Aqueus trigonus est, Cancer, Scorpius, Pisces. Haec in genere frigida sunt et humida et phlegmatica. Sed iuxta Planetarum naturas haec mitigantur. Cancro praeest Luna, Scorpio Mars, Piscibus Iuppiter.

Augent et languefaciunt et aliae Planetarum familiaritates, signorum proprias qualitates, sed illam longiorem doctrinam hic omitto. Haec vero recitavi, ut aliquomodo consideretur Dei sapientia, qui in ordinando cursu Solis, ita loca distinxit qualitatibus, ut rebus nascentibus essent accommodatae, quod magis etiam intelligitur, cum coniunctiones et oppositiones Solis et Lunae singulis mensibus considerantur, et cum stellarum fixarum ortus et occasus ad mensium discrimina conferuntur.

Post Aquarium frigidum et flatuosum, et post Pisces, sequitur Aries desiccans terram, ac praeparans arationi.

Sequitur Taurus sationi idoneus, in quo etiam accessus Solis ad Pleiadas et Hyadas imbres ciet. Deinde Gemini calidi fovent. Cancer rursus humectat, Leo urens maturitatem efficit. Virgo aestum mitigat, Libra rursus humidior praeparat terram novae sementi, ut terra foecunda complectatur semen, et ceu foetum foveat. Scorpius humectat sata, Sagittarius temperat frigus et humiditates, ut genita semina edi possint, deinde claudit terram Capricornus, ut inchoati foetus in terra plus a matre virium accipiant tota deinde hyeme, donec iterum laxata terra in vere, maiore vi seges extrudatur.

Hic ordo considerandus est, ut Deum opificem agnoscamus, nec esse inania haec signorum discrimina, certissime comperiet, siquis coniunctiones et oppositiones Solis et Lunae, Planetarum positus, et fixarum stellarum ortus et occasus intuebitur.

Posteaquam de eccentrico orbe vehente Solem, et motu Solis metiente annum pauca diximus, adiicienda est brevis admonitio de orbibus duobus reliquis, quos in toto domicilio Solis fabricant artifices.

Primus circundans eccentricum, est mundo concentricus, et ut sit concinnitas, ut supra dixi, fabricandus fuit tertius orbis.

Necesse est autem aliquod punctum in margine eccentrici, longissime a centro terrae distare, aliud autem oppositum propius esse centro terrae.

Punctum igitur, quod longissime distat, Apogeum vocant veteres. Recentes augem. Inde hi duo orbes nominantur augem deferentes.

Oppositum vero punctum, quod propius accedit ad centrum terrae, vocant *περίγειον*.

Haec puncta Ptolemeus existimavit fixa esse, cum Apogeum suo tempore deprehenderet esse in eodem loco Eclipticae, quo fuerat tempore Hipparchi, hoc est, in sexto gradu Geminorum, et abesse 24 gradibus a puncto solsticiali. Ideo non tribuit Soli alios orbes mobiles praeter eccentricum.

Sed quia posterior aetas comperit punctum apogei non uno loco consistere, sed progredi εἰς τὰ ἑπόμενα tardissimo motu, sic ut centum fere annis, unum gradum procedat. Hos duos orbes etiam octavae sphaerae motu trahi animadversum est, qui tamen eccentrico circundati efficiunt, ut totum Solis domicilium concentricum a primo mobili circumagi possit.

Ac nostra recens aetas comperit apogeum processisse usque in secundum gradum Cancri, Copernicus ostendit id transiisse 6 gradus, 24 minuta Cancri.

Ex his observationibus constat et peculiarem motum esse orbium duorum, de quibus nunc dicimus, et diversas lineas esse, lineam Apogei, et lineam indicantem solsticium. Nam linea solsticium indicans, educta ex centro mundi ad principium Cancri primi mobilis quodam modo fixa est, et ostendit altitudinem maximam Solis, quam habet respectu verticalis puncti, qui est polus horizontis, non quam acquirit Sol elevatus a centro terrae.

Longe igitur aliud est, Solem in suo eccentrico circulo altissimum esse, et in horizonte nostro in meridie altissimum conspici, hoc est, proxime ad verticem nostrum accedere. Nam haec altitudo solsticialis in meridinano circulo primi mobilis considerata, Solem nobis propiorem facit. Hoc est, quia propius ad verticem nostrum accedit, rectiores in horizontem nostrum radios spargit, qui reflexu fortius densati, efficacius calefaciunt.

Haec altitudo certarum partium terrae est, non universae. Nam dum nostro vertici Sol propior est, videtur australibus remotior.

Illa vero altitudo in eccentrico Solis corpus ab universa terra longe removet atque attollit, non ab una aliqua eius parte, ac vires eius immodicas futuras, non nihil debilitat. Quare et corpus Solis minus videtur in apogeo, quam in perigeo.

Intervallum autem, quod est inter centrum mundi, et centrum eccentrici, vocatur ἐκκεντρότης, quam deprehenderunt Hipparchus et Ptolemaeus respondere semidiametris terrae 48 cum $^2/_5$. Constat autem semidiametrum terrae continere milliaria 860 fere. Quare Sol in apogeo distat altius a terra, quam in perigeo, milliaribus germanicis 41624.

Non igitur exiguum intervallum est, quo Sol in aestate altius attollitur supra terram, quam circa brumam, cum se demittit et radios ex obliquo spargit, ut lumen quidem terrae impertiat, ac eam foveat, sed languidius calefaciat.

Haec ἐκκεντρότης minor nunc est, quam fuit Hipparchi et Ptolemaei tempore. Nunc enim respondet semidiametris terrae triginta sex, et 48 minutis. Igitur fere quarta pars decessit altitudini Solis in margine eccentrici, quae res profecto admiratione digna est. Dubitari enim potest, utrum propter senectam mundi, quasi delabatur Sol factus languidior, paulatim ruente natura rerum, an vero in hac senecta terrae tanquam effoetae opus sit viciniore positu Solis eam foventis. Nam hoc tempore Sol tam solsticialis quam brumalis propior est terris, quam fuit Ptolemaei tempore, milliaribus germanicis novem millibus, nongentis septuaginta sex. Hoc est, fere sexies Sol terrae propior est, quam quanta est totius terrae profunditas.

Nec miremur hanc nostram inferiorem naturam hominum et terrarum magnas habere mutationes, cum etiam in illa superiore firma et durabili natura, quasi rectrice fati, tam evidens sit mutatio.

De Luna.

Luna infimum in coelo lumen est, quod totum Zodiacum peragrat diebus 27, horis 7, minutis 43, secundis 7.

Estque mirabili consilio ita conditum Lunae corpus, ut cum sit crassius, quia vicinius est elementis, aëri, aquae et terrae, luceat non suo, sed alieno lumine, videlicet perfusum a Sole, ea parte, qua Soli obversum est. Ac tantum ea pars lucere cernitur, quae simul et Soli obversa est, et in nostros oculos incurrit. Ideo conspiciuntur incrementa et decrementa lucis in Luna.

Haec mirabili consilio Dei opificis, ita ordinata cernimus. Et respondent aliquae in natura inferiore, in aëre, aquis, terra, plantis et animantibus effectiones, ac humorum incrementa et decrementa insignia, ut has vices ad excitandos, alendos, minuendos humores institutas esse consentaneum sit, ut postea exempla recitabimus. Prius enim de ipso Lunae corpore dicendum est.

Res ostendit non transmitti radios per corpus Lunae. Nam in coniunctione, cum pars obversa Soli, haud dubie lumine perfusa sit, tamen pars oculis nostris obversa non lucet.

Traditum est igitur corpus Lunae una parte esse rarius, ac Diaphanon, ac velut Spongiam accipere lucem Solis, et radios quasi haustos intra se recipere. Altera vero parte densius et opacum, quod non possit haurire et transmittere radios.

Alii paulo secus narrant universum corpus partim rarum, partim densum esse, eamque dicunt causam esse macularum in Lunae facie, ut ita nominem, ac radios haurire, qua parte obversum est Soli, sed tamen transmittere non posse.

Attemperata est autem corporis lunaris natura ad effectionem. Cum Sol calefaciat et Luna humectet, idque faciat aliena luce, prius in corpore Lunae crassiore aliter temperari radios et lucem Solis necesse est, ut vim humectatricem, seu rigatricem accipiat. Nam hae effectiones proprie tribuuntur Lunae, humectare, et quasi flaccida reddere corpora, et paululum calefacere.

Etsi autem evidentior esse Solis utilitas existimatur, quia facit insignes vices temporum, aestatis et hyemis, et calore suo fovet et foecundat terram, plantas et animantia, tamen sciamus non minorem esse Lunae utilitatem, quia humores alit et regit. Nam et plantarum et animantium vita, oritur a calidi et humidi commixtione, et fovetur utriusque temperamento.

Ureret enim Sol adsiduo incendio terram, et exhauriret universum humorem, nisi Luna tam saepe in anno percurrens Zodiacum, humores instauraret, ut manifeste videmus turbari tempestates in coniunctionibus et oppositionibus, praesertim in signis humidis.

Estque hac in re oeconomica et diligentia Dei opificis digna consideratione, quod ita permutatae sunt oppositiones, ut Luna in aestate plena, teneat signa hiberna frigidiora et humidiora, ac rursus in hyeme plena, teneat signa aestiva, quam ob causam traditum est, in aestate plena Luna minui aestum, in hyeme vero plena Luna gelu mitius reddi.

Denique plurimae cernuntur humorum manifestae mutationes pro varietate cursus Lunae.

Aristoteles scribit, natos infantes, cum Luna in coniunctione latet, propter inopiam humoris, seu potius propter humoris depravationem, quia a Luna minus adiuvatur, imbecilliores esse, quod manifesta experientia adeo comprobat, ut etiam mulierculis notum sit, non esse vivaces foetus, qui in interlunio in lucem exeunt. Et cum vivunt, nec corporibus, nec ingenioribus viribus valent, qua in re hoc multo magis admirandum est, congruere tempora conceptus, et edendi foetus. Nam Lunae interlunio editi, etiam in interlunio concepti sunt. Ideoque interluniis, quia dira sunt, et inimica conceptui, Deus a consuetudine foeminarum mares arcet menstruis fluxibus.

Has esse Dei ordinationes in natura ostendit experientia, quas Deus non vult contemni, et contemptum manifesta nascentium imbecillitas comitatur.

Haec de natura Lunae breviter praefati, nunc de motu eius et mensibus dicemus. Sequar usitatam doctrinam a Ptolemaeo traditam, quam hactenus plurimi secuti sunt, etsi enim recens Copernici fabricatio orbium Lunae admodum concinna est, tamen nos haec recensemus, ut aliquomodo studiosos invitemus ad communem doctrinam in scholis receptam, qua in re iterum commonefaciendus est auditor, ut fabricationem tot orbium et epicycli sciat a Geometris excogitatam esse, ut motuum leges et tempora utcunque ostendi possint, non quod tales sint machinae in coelo, etsi aliquos esse orbes, consentaneum est. Et sagacitas artificum laudanda est, qui illius admirandi operis imaginem aliquam quasi sculpserunt.

Usitate igitur dicitur domicilii Lunae orbes esse quatuor et epicyclum. Ideo autem haec fabricatio plus habet machinarum, quam domicilium Solis, quia Solis motus unicus et simplex est, Lunae varius. Nunc procul a terra abest, in apogeo, nunc propior terrae in perigeo, nunc in ipso apogeo altior, nunc inferior. Et eodem loco alias velocior est, alias tardior. Nunc in ipsa Ecliptica vehitur, nunc procul ad latitudines egreditur.

Qualescunque autem machinae sunt in coelo his motibus congruentes, Geometrae, ad ostendendum varietatem, hos quatuor orbes fabricarunt.

Extremus est concentricus mundo, quem vocant deferentem caput et caudam Draconis. Ptolemaeus magis perspicue nominat Nodum ascendentem et descendentem, ut vertit Trapezontius, seu potius attollentem et devehentem, *ἀναβιβάζοντα* et *καταβιβάζοντα*.

Cur autem hic orbis positus sit, non obscura ratio est, quia cum Luna evagetur in latitudines ab Ecliptica, et ad eam redeat, necesse fuit ma-

chinam fabricari, qua digrediatur et regrediatur, cuius doctrinae usus in eclipsibus conspicitur.

Ac nominum ratio inde facile intelligi potest: ἀναβιβάζων dicitur, cum Luna ab Ecliptica digrediens, ad nostrum verticem accedit. Econtra καταβιβάζων dicitur, cum Luna ab Ecliptica discedens a nostro vertice removetur.

Secundus orbis est deferens apogeum, ut de Sole supra dictum est. Hic ideo ponitur, quia manifestum est Lunam in omni coniunctione et oppositione media, esse in apogeo, ac longius sublatam esse a terra, quam in quadraturis mediis. Ut igitur distantiae et propinquitatis ratio reddatur, eccentricus ponitur, quae tamen in Luna conspectior est, quia terrae multo propior est, quam in Sole.

Tertius igitur orbis est ipse eccentricus simpliciter, cui affixus est epicyclus, vehens Lunae corpus.

Quartus orbis est intra eccentricum, ut deferat perigeum, et efficiat concinnitatem caeterorum circumeuntium centrum mundi.

Praeter hos quatuor orbes est, ut dixi, epicyclus affixus tertio orbi simpliciter eccentrico.

Sciant autem iuniores, vocari epicyclum talem orbem, cuius centrum non solum distat a mundi centro, sed ne quidem circumit mundi centrum, ut faciunt orbes, qui alioqui vocantur eccentrici, sed adfixus est, velut in apside, aut cantho rotae. Magna tamen diametros epicycli cogitanda est, videlicet quinquies continens terrae diametrum.

Ideo autem additur eccentrico, quia Luna etiam cum est in apogeo eccentrici, tamen alias remotior a terra, alias propior conspicitur. Propior cum est in imo epicyclo. Remotior cum est in summo epicyclo.

Est et in ipso apogeo alias tardior, alias velocior. Tardior, cum est in suprema parte epicycli, ubi duo contrarii motus concurrentes tarditatem efficiunt; quia eccentricus movetur secundum successionem signorum, epicyclus contra in superiori parte. Econtra velocior est in ima parte epicycli, ubi duo motus congruentes efficiunt celeritatem, quia et eccentricus et epicyclus ibi secundum successionem signorum movetur.

Quod autem Luna in apogeo, alias remotior sit a terra, alias propior, etiam ipsae eclipses ostendunt. Luna enim diutius in umbra moratur in ima parte epicycli, quam in superiore, quanquam tunc movetur velocius; sed quia umbra maior est, longior fit mora. Spaciosior enim umbra est in ima parte epicycli, ut ex ratione figurae umbra, quae est κωνοειδής facile intelligi potest. Hae causae movent artifices, ut epicyclum eccentrico addant.

Postquam autem utcunque fabricationem orbium recitavi, nunc de motibus breviter dicendum est.

Diversi motus sunt orbium, ut tarditatis et velocitatis ratio reddi possit. Sed aggregatum ex diversarum sphaerarum motibus, quod vocatur medius motus Lunae, est 13 graduum, 10 minutorum, 35 secundorum.

Etsi autem hic numerus ita recitatur, aequaliter facta distributione in singulos dies, tamen sciendum est, verorum motuum discrimina esse. Interdum novae et plenae Lunae velocitas gradus quatuordecim superat, tarditas interdum gradus duodecim et aliquanto amplius peragrat. Dimidiatae vero velocitas interdum quindecim gradus superat, tarditas vero peragrat aliquanto plus quam gradus undecim. Haec varietas miro consilio Dei opificis instituta est, ut rapiditas vices habeat.

Hactenus vero tantum de motu secundum longitudinem dixi. Est et alter motus in latitudinem, cum evagatur ab Ecliptica. Nam si Luna non discederet ab Ecliptica, singulis mensibus essent binae eclipses. Sic autem ordinata est rerum natura, ut sint rariores eclipses, tanquam prodigia. Consentaneum est enim detrimento adfici naturam inferiorem, cum luminis vivifici fulgor intercipitur.

Dixi igitur antea orbem extremum esse, qui vehit nodum ἀναβιβάζοντα et καταβιβάζοντα, qui Lunam paulatim ab Ecliptica avehit, et ad eam revehit. Est autem trium minutorum motus diurnus, completurque periodus huius motus annis octodecim, diebus ducentis viginti sex, horis septem.

De Mensibus.

Cum autem Lunae curricula, coniunctiones cum Sole, discessus, incrementa, decrementa et reditus ad Solem, conficiant spacia mensium lunarium, quorum collatio ad Solis iter, initio humano generi monstravit anni mensuram, pauca hic de mensibus addenda sunt.

Omitto autem menses solares et civiles, et tantum de lunaribus dicam. Ideo enim discrimen tenendum est, quia scriptores alias de aliis mensibus loquuntur.

Triplex igitur est lunaris mensis *περιοδικός*, dicitur vulgo mensis peragrationis, estque intervallum, quo Luna ad illud punctum signiferi redit, unde digressa est in proxima coniunctione. Hic circuitus est dierum 27, horarum 7, minutorum 43, secundorum 7.

Συνοδικός, consecutionis seu coniunctionalis, est intervallum, quo Luna non solum ad idem punctum redit, unde discesserat, sed ad ipsum Solem, qui interea longius progressus, recessit a loco proximae coniunctionis, sed Luna eum adsequitur a fine mensis periodici, spacio aliquanto maiore quam bidui. Est autem mensis synodicus medius, dierum 29, horarum 12, minutorum 44, secundorum 3.

Mensis illuminationis est intervallum a primo conspectu nascentis Lunae usque ad ultimum diem evanescentis, quod vulgo dicunt esse dierum 28, quod tamen non est perpetuum, quia Luna alias tardius, alias citius se nobis ostendit. Interdum altero die post coniunctionem, interdum tertio, interdum quarto die prodit. Et causae huius varietatis hae sunt. Sole iter faciente ab initio Capricorni ad finem Geminorum, Luna septentrionalibus climatibus citius adparet, propter zodiaci et horizontis obliquitatem et illorum signorum rectum descensum.

Sed hoc ipsum variatur propter alias duas causas varie concurrentes, citius prodit in latitudine septentrionali, quam meridiana, citius item prodit quando est velox motu, quam quando est tarda.

Est autem motus diurnus Lunae novae aut plenae circa perigeon epicycli graduum 14, minutorum 24. At circa apogeon epicycli graduum 12, minutorum 8. Haec tarditas diutius potest occultare Lunam.

Hic etiam causae quaeruntur diversitatis apparentiarum et figurarum.

Etsi semper dimidius globus Lunae a Sole illuminatur, tamen non semper tota pars illuminata conspicitur, sed ea tantum, quae nostris oculis obversa est. Nam in ipsa coniunctione non intercurrit noster visus, seu oculi radius inter Solem et Lunam. Tunc igitur non conspicitur pars illuminata. Sed paulatim cum Luna a Sole discessit, intercurrit noster visus inter Solem et Lunae partem obversam Soli, et quo longius progreditur Luna, eo maiorem partem illuminati spacii apprehendit noster oculus. Hinc diversitas est apparentiarum.

Videtur autem corniculata, quia Luna est corpus sphaericum, fit igitur convexum luminis, arcus. Et quia noster oculus ex obliquo aspicit lineam, quae dividit illuminatam partem ab opaca, videtur haec linea recedere ad convexam propter globosi corporis figuram. Fit igitur species primum corniculata.

Deinde vero post primam quartam, quia recta aspicimus lineam, quae dividit illuminatam partem ab opaca, videtur quasi secari corpus Lunae. Ideo tunc non corniculata, sed *διχότομος* conspicitur.

Cumque pars obversa Soli illuminetur, vertit arcus cornua a Sole versus orientem, cum Luna a coniunctione recedit. Econtra vero simili ratione cornua ad occasum vertit accedens ad coniunctionem.

De Eclipsibus.

Multarum rerum admiratione et manifesta utilitate motae sunt humanae mentes, ut coelum diligentius aspicerent, et de mente architectatrice, et gubernatrice naturae hominum cogitarent. Iucundum fuit videre figuram et ordinem corporum, et deinde certas motuum leges, et conspicitur utilitas. Nam ad accipienda et fovenda semina, et maturandas fruges, conducunt hyemis et aestatis vices. Praeterea utile est humanae vitae tenere annorum metas et seriem.

Sed inter alia miracula coeli multum etiam conspectu eclipsium homines moti sunt. Cur, cum aliis stellis non accidat talis caligo, tantum haec praecipua lumina obscurantur? Cur tam tetram et horribilem ferruginem terris ostendunt? Nocent ne terris, rebus nascentibus et animantibus hi defectus siderum, quia interea luce, quae calorem et humorem in inferioribus fovet, carent, an vero timidae naturae frustra haec spectacula metuunt?

Hae quaestiones curam investigationis, quomodo et quando fiant eclipses, et quid vel efficiant, vel significent, excitarunt.

Etsi autem nunc de effectibus seu significationibus non dicam, tamen omnium aetatum exempla testantur, magnas mutationes rerum, ae-

stus, diluvia, pestilentias, bella et magnas clades statim post luminum defectus accidisse, ut illa mala pene denunciari viderentur a coelo.

Nec laudanda est Periclis et similium audacia, qui disputarunt, quia certis motuum legibus fierent luminum obscurationes, ideo nihil eas mali denunciare, sicut aiunt Periclem ingressum in navim, cum repente terribilis eclipsis Solis primo anno belli Peloponnesiaci conspecta esset, Navarcho voluisse pavorem eximere. Nam huius oculos pallio velavit, ac postea amoto pallio interrogavit, nunquid ipsi aut aliis aliquid mali accidisset propterea, quod exiguo tempore oculi impediti essent, ne longius prospicerent? Ita inquit, nec Soli nec nobis nocet, hic intercursus Lunae, qui paulisper nobis Solis conspectum adimit.

Sed Pericles ipse satis tristes poenas dedit contemptae divinae admonitionis. Nam et bellum exitiale toti Graeciae movit, et mox secuta est pestilentia adeo saeva, ut brachia, capita, pedes, aegrotantibus a reliquo corpore putrefacta deciderint.

Mirando autem consilio Deus umbram ordinavit, quae quasi monstratrix fuit multarum partium in hac doctrina.

Primum enim manifesta et non subtilissima indicatio magnitudinis corporum, Solis et terrae, et multorum motuum Solis et Lunae, sumitur ex umbra.

Est autem umbra privatio lucis impeditae opposito corpore opaco, quod radium incidentem certissimis lineis et certo spacio arcet, tantaque certitudo est, ut manifestum sit, non casu, sed divinitus arte institutum esse hunc ordinem. Amplissima autem doctrina est opticorum de umbris, ex qua pauca recitabimus. Terram esse minorem Sole, manifestum est ex umbrarum doctrina. Fit enim umbra κωνοειδής, quandocunque lucidum corpus maius opaco, minori oppositum est, quia copia lucis circumfusae paulatim attenuatur, porrecta fere usque ad orbem Veneris. Ac nisi Sol multo maior esset, quam terra, et tam procul distaret, non essent pares umbrae eodem tempore in oriente et occidente. Et paulatim pro proportione ante meridiem, et post meridiem crescunt et decrescunt, ita ut umbra semper sit aequalis corpori ubicunque et quandocunque Solis altitudo est graduum 45, sicut ut Venetiis in aequinoctio umbra aequalis est gnomoni, quia eo loco elevatio est graduum 45. Tunc enim Sol est in medio quadrantis, qui est inter horizontem et punctum verticale, suntque aequales anguli, quos facit radius incidens cum plano horizontis, et summo gnomone. Fit igitur necessario umbra aequalis gnomoni. Et in medio mundi terram sitam esse ostendit umbra, quae die solstitiali et brumali contrarias lineas efficiunt, quarum contactus est ἐπ' εὐθείας.

Neque hoc tantum umbrae monstrarunt, Solem esse maiorem terra, sed etiam hoc quoque indicarunt, quantum spacii in terra respondeat uni gradui in coelo, unde postea toto ambitu deprehenso, cogitari ambitus terrae potuit, qui est milliarium 5400.

Deinde quaesita est subtiliore ratione corporum, Solis, Terrae et Lunae, proportio. Et deprehensum est, Solem esse maiorem terra centies sexagies, sexies, et insuper continere tres eius octavas. Terram vero maiorem Luna trigesies novies et insuper continere ferme trientem terrae.

Est igitur eclipsis Lunae privatio lucis solaris in Luna, quae privatio eo fit, quia Luna incurrit in umbram terrae, interpositae diametraliter inter Solem et Lunam. Hoc fit, cum Luna venit ad caput aut caudam Draconis, ut supra dictum est, hoc est, cum latitudinem aut nullam habet, aut minorem minutis sexaginta quinque. Nam semidiameter umbrae maxima est quadraginta septem minutorum fere. Semidiameter vero Lunae apparens maxima est minutorum octodecim, quae summae collectae faciunt 65 minuta.

Unde fit, ut cernantur dissimiles partium Lunae obscurationes, prout Luna aut in nodis ipsis, aut citra aliquantulum constituta, vel paulo ulterius progressa, in umbram terrae incurrit, hoc est, prout latitudinem aut nullam, aut aliquam, sed minorem 65 minutis habet. Ponit autem Ptolemaeus lunarium eclipsium terminos ultra et citra nodos, 15 gradus, intra quos gradus cum tempore oppositionis versatur Luna, obscurari potest vel tota, vel aliqua ex parte, quia tunc latitudo Lunae minor est, quam duae semidiametri coniunctae, Lunae videlicet et umbrae. Necesse est igitur aliquam Lunae partem in umbram incurrere.

Sed si latitudo Lunae superat partes semidiametrorum coniunctas, quae ut dixi, non excedunt sexaginta quinque minuta, nulla pars Lunae obscuratur, sed totum eius corpus extra conum umbrae transcurrit, nusquam illum attingens. Po-

test autem Luna ab Ecliptica abscedere intervallo quinque graduum, ut supra diximus, quod spacium in sphaera Lunae excedit longitudinem 4 semidiametrorum terrae, hoc est, milliaria germanica 3440. Cum autem umbrae tumor non ultra 47 minuta unius gradus extra Eclipticam procedat, facile intelligi potest, lunam intervallo 4 graduum et quadrantis fere distantem ab umbra aliquando, praeterire posse. Unde fit, ut tam rarae sint eclipses Lunae, cum tamen singulis mensibus semel opponatur Soli, quia raro tam prope accedit ad Eclipticam, ut tempore oppositionis umbram attingat.

Quod si latitudo Lunae tanta est, quanta est semidiameter umbrae in loco transitus, ibi quia centrum Lunae extremam superficiem coni stringit, necesse est dimidium corpus Lunae immersum umbrae obscurari.

Rursus si latitudo Lunae tanto est minor semidiametro umbrae, quanta est Lunae apparens semidiameter, tota quidem Luna intra umbram incurrit, sed sine mora ilico rursus ex umbra incipit emergere.

Quod si adhuc minorem habet latitudinem Luna, aliquandiu obscurata in umbra commoratur, idque omnium longissime, quando utrunque luminare in duobus nodis oppositis est situm. Tunc enim centrum corporis lunaris, axem coni umbrae attingit, et sunt in una recta linea trium corporum centra, Solis, Terrae et Lunae.

Hae Lunae obscurationes cernuntur ab omnibus hominibus, quibus Luna supra horizontem sublata fuit, hoc est, qui habitant in illa parte globi terreni, quae radiis Solis, infra horizontem currentis, non illustratur, quae aliquanto minor est hemisphaerio. Illi enim omnes, qui intra umbram terrae concluduntur, eodem momento Lunae in umbram incurrentis fulgorem obscurari sentiunt. Qua de causa eclipses Lunae etiam universales fieri dicuntur, quoties tota Luna privatur lumine, quod eadem eclipsis conspiciatur ab universis hominibus, qui illud terrae hemisphaerium incolunt, quod radiis Solis non illustratur.

Etsi autem eodem, ut dixi, quasi momento fit Lunae obscuratio, quando videlicet tota in umbram immersa est: tamen qui in eodem hemisphaerio terrae habitant orientem versus, serius illum defectum Lunae vident, quam alii, qui versus occasum habitant, hoc est, orientales homines plures horas noctis ab occasu Solis usque ad tempus deficientis Lunae numerant, quam occidentales, quibus tempus apparentis eclipsis videtur et est propinquius initio noctis. Ut eclipsis, quae in Assyria ab Alexandri exercitu ad Arbela visa est noctis hora secunda, in Sicilia visa est sub initium noctis.

Huius diversitatis causa est, quod propter tumorem terrae, orientalibus hominibus Sol citius oriens diem efficit, et occidens citius noctem adfert, quam iis, qui ad occidentem habitant. Quia igitur orientales citius noctem habent, fit, ut illis tempus eclipsis visae, longius ab initio noctis distet, quam occidentalibus, quibus Sol occubuit serius.

Et haec ipsa diversitas temporis conspectae eclipsis argumento est, terram globi figuram habere in longitudinem, ut supra dictum est. Haec de Lunae eclipsibus dicta hoc loco sufficiant. Nam quae pertinent ad investigationem temporum, quibus fiunt et durant obscurationes Lunae, ea petenda sunt ex tabulis artificum, qui rationem certam et expeditam inveniendi illa per numeros tradunt, quam ut cognoscant omnes, qui Arithmeticen mediocriter didicerunt, studiose eos hortamur. Nam et motus ipsos luminarium, ac causas eclipsium perfectius cognoscent, cum praeceptis de motuum varietate exempla ex tabulis adiungent: et incipient magis amare has artes, cum experientur earum tantam certitudinem esse, ut post multa secula futurae eclipses praedici possint, iisque praedictionibus tempora defectuum apte congruere. Haec certitudo profecto evidens est testimonium divinae providentiae, ut aliquoties iam monuimus.

Sed propero ad eclipses solares, quarum causas antequam expono, hoc prius hic adiicere volui, cum crebriores contingant Lunae defectus quam Solis, observatum esse, eorum non esse fixa ac certa loca in Ecliptica, sed eclipses posteriores semper citra fieri, quam priores, hoc est, loca ecliptica variari et procedere *εἰς τὰ προηγούμενα*, hoc est, contra signorum ordinem, id quod ex eclipsibus Lunae, quae visae sunt anno Christi 1544, animadverti potuit. Nam cum 9. die Ianuarii Luna currens per primas partes Leonis defecisset in nodo, qui *καταβιβάζων*, vulgo cauda Draconis dicitur, rursus 28. die Decembris in eodem nodo Soli opposita, obscurata est, sed non in eodem signo Leonis, neque in sequente Virginis,

sed in mediis ferme partibus Cancri, praecedentis Leonem in ordine signorum.

Propter hanc variationem punctorum circa quae fiunt eclipses, circulo vehenti hos nodos, quem supra primum in descriptione orbium Lunae posuimus, tribuitur motus contrarius motui Planetarum proprio, conveniens cum primo mobili, sed ita tardus, ut singulis diebus nodi non amplius tribus minutis promoveantur εἰς τὰ προηγούμενα, seu ab oriente versus occasum, quo tardissimo motu peragrant totum Zodiacum annis 18, diebus 226, horis 7, post quod intervallum temporis, eclipses in iisdem locis Zodiaci iterum fieri possunt, ubi prius conspectae sunt.

De eclipsi Solis.

Hac vero omnium maxime moti sunt homines, ut et admirarentur, et inquirerent motus corporum coelestium, postquam viderunt media die interdum, coelo sereno, Solem lucis diurnae fontem tetris et horrendis tenebris involvi, quae subito noctis imaginem afferrent, et stellas coelo haerentes, interdiu conspicuas redderent.

Sed multo magis terruit eos experientia tristium eventuum, quos observabant semper fere sequi solere eclipses Solis. Cum enim scirent Solem non tantum lucis et caloris autorem esse, sed etiam vivificam quandam vim corporibus animantium, et rebus ex terra nascentibus impertire, et vitalis caloris quasi fontem et conservatorem esse, existimabant, id quod postea experientia comprobabat, etiam exigui temporis obscurationem Solis, qua huic infimae parti mundi, in qua perpetua est rerum generatio et corruptio, radius ille vivificus subito eriperetur, non posse non hanc inferiorum rerum naturam plurimum laedere et debilitare. Sequuntur enim aliquando pestilentiae, aliquando agrorum sterilitates ob aestus insolitos, aut continuos imbres, aliquando etiam bellorum tumultus, et insignes imperiorum mutationes propter regum ac principum mortes.

His insignibus eventibus, quos aut effici credebant, aut significari per Solis defectus, adducti sunt veteres docti homines, ut causas et tempora eclipsium diligenti et assidua consideratione motus luminum, studiosius inquirerent et observarent.

Primam autem apud Graecos in ea re gloriam adeptus scribitur Thales Milesius, qui illam eclipsin Solis praedixit, quae regnante in Media Astyage conspecta, praecessit mutationes multorum regnorum in Asia. Nam paulo post Cyrus monarchiam a Medis ad Persas transtulit, et potentissimum regnum Lydiae, victo et capto Croeso subegit, et rebellantes graecas civitates in Asia duriter afflixit.

Hanc doctrinam, quae causas obscurationum istarum monstrat, nos quoque magnifacere et tueri decet, cum eius cognitio de multis gravissimis rebus nos admoneat, et magnam varietatem eruditionis complectatur. Etsi autem prodesset eam alicubi integre explicari, monstratis fontibus et causis omnis varietatis, quae hic maior est, quam in Lunae eclipsibus, tamen cum id hoc in loco a nobis neque fieri queat, nec requiri debeat, dicemus, ut in lunari eclipsi fecimus, quaedam communissima, quae rudibus utcunque causas obscurationum solarium et earum diversitatis ostendere possint, idque huic argumento et loco convenire iudicamus.

Dictum est supra, Lunae corpus opacum et adeo densum esse, ut radios Solis non transmittat. Quare cum Soli coniungitur, et recta inter ipsum et nostrum visum interponitur, sua densitate radios Solis exceptos arcet a nostro horizonte, et umbra corporis sui tenebras aliquot climatibus inducit.

Est igitur Solis eclipsis non defectus aut privatio lucis in ipso Sole. Is enim nihil a Luna patitur, sed tantum est impeditio seu aversio radiorum Solis, facta corpore opaco Lunae, quae collocata inter nostrum visum et Solem, involvit aliquam terrae partem umbra sui corporis, atque hoc modo terrae vices reddit, ut Plinius loquitur, id est, sicut aliquando Luna ab umbra terrae hebetata, luce Solis privatur, ita ipsa vicissim quasi iniuriam eam vindicans, suo interventu augustum lumen Solis terrae eripit. Sed quia iactura radiorum solarium crebrior et diuturnior, exitialis terrae futura esset, Luna ea moderatione utitur, ut raro et non nisi aliquoties prius a terrae umbra obscurata, atque ita quasi saepius provocata, tandem ipsa vicissim solare lumen terrae intercipiat, idque non universae, sed alicui eius tractui, et quidem sine mora, ut infra dicetur.

Sed miretur aliquis, quomodo Luna tegere totum Solis corpus possit, cum supra dictum sit, Solem centies sexagies sexies maiorem esse terra, et hanc rursus propemodum quadragies maiorem

Luna, unde colligitur, Lunam non esse sextantem millesimae partis Solis. Nam ex diametrorum utriusque luminaris ratione, quae est ut 187 ad 10, deprehenditur, congesta et compacta in unam molem 6539 corpora tanta, quanta est Luna, vix effectura corpus aequale globo solari.

Cum igitur Luna collata ad Solem, tam exile sit corpus, mirum videri potest, quomodo occultare nobis tam grandem molem solaris corporis possit.

Sed causa est partim propinquitas Lunae ad terram, quae cum altissima est, distat 64 semidiametris terrae et sextante: partim altitudo Solis, seu distantia a terra, qui decies novies fere longius abest a terreno globo, quam Luna. Ptolemaeus enim deprehendit Solis distantiam a terra maximam aequare semidiametros terrae 1210.

Propter tantam remotionem Solis a terra fit, ut Luna proxime admota visui nostro, aliquando totum Solem tegere possit, sicut alioqui experientia testatur, etiam vastissimos montes, aliquanto longius sitos, disco vel adhuc minore corpore oculis nostris obiecto, occultari posse.

Propter eandem adeo inaequalem distantiam luminum, diameter Lunae apparens aliquando paulo minor, aliquando aequalis, aliquando etiam maior deprehenditur diametro Solis apparente. Nam Lunae altissimae, cum minima cernitur, diameter continet minuta 29. Humilimae vero diameter minuta habet 36, et 8 secunda. Sed Solis remotissimi a terra diameter apparens continet 31 minuta et trientem, proximi vero, quando eius corpus maximum videtur, diameter non aequat 34 integra minuta, sed deest sextans. Si igitur conferes humilimae Lunae diametrum, ad Solis etiam ubicunque constituti diametrum apparentem, animadvertes totum Solem aliquando a Luna facile tegi et occultari posse, sed sine mora.

Haec autem obscuratio Solis fit, ut dictum est, interveniente corpore opaco Lunae, quando Soli coniungitur circa Novilunium. Necesse est autem coniunctionem illam fieri in nodis, vel prope nodorum alterutrum, de quibus supra dictum est, quando Luna, vel nullam, vel exiguam habet latitudinem. Nam extra illos nodos, cum in latitudinem evagatur Luna ab Ecliptica, quando Soli coniungitur, ita illum praetercurrit, ut nullam ipsius partem obscuret, et umbra sparsa a corpore Lunae, nulla parte terram attingat, sed vel supra terram vel infra eam transvehatur. Ponit autem Ptolemaeus terminos eclipticos ultra et citra nodos, ad austrum quidem undecim gradus tantum, et minuta 22. Ad septentrionem vero 20 gradus, et bessem fere, intra quos Luna tempore coniunctionis currens, Solem tegere totum, vel partem eius aliquam potest.

Sed ut Lunae defectus maximus fit, dum centra trium corporum, Solis, Terrae et Lunae in una recta linea constituta sunt, quae vera et diametralis luminum oppositio dicitur, ita maxima Solis obscuratio fit, non quando eorundem corporum centra, videlicet Solis, Lunae et Terrae, in una recta linea sunt, quae vera seu ut Ptolemaeus loquitur, *ἀκριβὴς* vocatur luminum *συζυγία*. Sed quando centra luminum, et visus noster unam rectam lineam tangunt, quam coniunctionem artifices apparentem, seu visibilem appellant, Ptolemaeus *φαινομένη σύνοδον.* Nam propter propinquitatem Lunae ad terram, aliquam varietatem adfert *παράλλαξις,* hoc est, visus nostri aberratio, quam vocant diversitatem aspectus, quae facit, ut Luna ex superficie terrae visa, cernatur in alio loco Zodiaci, citra vel ultra verum locum in Zodiaco, quem indicat linea recta ex centro terrae per centrum lunaris corporis ad Zodiacum usque emissa. Illum autem apparentem locum Lunae ostendit linea educta ex oculo aspicientis Lunam ex superficie terrae, et per centrum Lunae ad Zodiacum usque extensa, estque uterque locus, verus et apparens, semper in eodem circulo maximo, descripto per verticem capitis. Porro hoc intervallum in Zodiaci longitudine, quod est inter verum locum Lunae et apparentem, appellatur *παράλλαξις κατὰ μῆκος* seu in longitudinem, qua fit, ut veram coniunctionem luminum aliquando praecedat, aliquando sequatur visibilis coniunctio, quae Solis obscurationem efficit. Id intervallum temporis, quod verae et visibili coniunctioni interiicitur, in septimo climate, cum maximum est, horam et dodrantem fere efficit.

Rursus altera *παράλλαξις κατὰ πλάτος,* etiam latitudinem Lunae variat, ut alia sit vera latitudo seu vera distantia Lunae ab Ecliptica, quam indicat linea ex centro terrae per centrum Lunae ad Zodiacum usque producta, alia sit latitudo apparens, quam indicat in Zodiaco linea ex oculo habitantis in superficie terrae per Lunam transcurrens. Brevissima igitur distantia apparentis loci

Lunae ab Ecliptica, vocatur visibilis seu apparens latitudo, intervallum autem brevissimum inter Eclipticam et verum locum Lunae, dicitur vera latitudo. Differentia, qua vel vera apparentem, vel apparens veram superat, dicitur *παράλλαξις κατὰ πλάτος*, quae, cum Luna longissime a terra abest, continet minuta 53 et semissem fere. Sed cum Luna propius accedit ad terram, fit et *παράλλαξις* maior, mutaturque cum polo elevato altius aut depresso.

Haec *παράλλαξις*, quae latitudinem Lunae variat, efficit, ut aliquando maior, aliquando minor pars Solis, quam pro vera latitudine Lunae obscuretur.

Eadem haec visus aberratio causa est, cur supra annotati ex Ptolemaeo eclipsis solaris termini sint inaequales, ita ut fere duplo maior sit is, qui ad septentrionem est, altero, qui est versus meridiem, eo quod nobis citra aequinoctialem longius versus septentrionem habitantibus, locus Lunae apparens semper a vero meridiem versus declinat. Quare ut fiat obscuratio aliqua Solis, Luna currente citra Eclipticam aliquanto, versus boream, necesse est eam longius ab Ecliptica vero suo loco distare, ut locus Lunae apparens in corpus Solis ingruat, et sint in una linea centrum Solis, centrum Lunae, et visus noster.

Sicut autem supra diximus de differentibus defectibus Lunae, quae aut tota, aut parte aliqua lumine privatur, prout latitudo eius vera, nulla aut pauca, aut pluscula, non tamen plura quam 65 minuta continet: ita hic quoque sciendum est, variari Solis obscurationes, prout latitudo Lunae apparens seu visibilis aut nulla minuta, aut pauca habet.

Nam si latitudo visa maior est 35 minutis, quae colliguntur ex semidiametris apparentibus utriusque luminaris, Luna nullam partem Solis obscurat. Sed cum minorem habet latitudinem, aliquam partem Solis tegit. Ut cum latitudo apparens aequat semidiametrum Solis apparentem, quae est fere 17 minutorum, Lunae centrum oram corporis solaris stringere videtur, ideoque dimidiatum ferme Solem occultat.

Sed quando latitudo Lunae apparens nulla est, ita ut centrum eius videatur exacte sub Ecliptica esse: tunc quia amborum luminum centra in eandem rectam lineam incurrunt, exeuntem ex visu nostro, Luna totum quidem Solem nobis eripit obiectu corporis sui, sed mox progrediens motu proprio ab occasu versus ortum, Solem retectum iterum terris conspiciendum praebet. Nam in Solis totali obscuratione nulla talis mora intercedere potest, qualis in Lunae defectu sentitur, eo quod superficies Lunae plana (ut nobis videtur) cum eclipsin trafert, Solis superficiem apparentem aut aequat, aut adeo exiguo spaciolo excedit, ut id Solis corpus totum diu obtegere non queat. Numerantur enim puncta ecliptica, seu digiti, seu duodecimae partes diametri solaris, quae obscurari possunt, tantum duodecim, et praeterea minuta 55, cum Luna puncta ecliptica seu digitos habeat 21 et 36 minuta. Hoc est, si Lunae corpus ita grande esset, aut videretur, ut eius diameter aequaret, 21 partes tales, quales in hac parvitate sua habet duodecim, nihilo minus tota Luna obvolvi umbra terrae, et obscurari posset, tunc, quando Soli opposita, nullam latitudinem veram habet.

Etsi autem Lunae quantumvis parvum corpus, interventu suo totum Solem occultare absque duratione obscurationis potest, tamen illa Solis obscuratio non cernitur similiter ab omnibus habitantibus in eo hemisphaerio, quod a Sole circa tempus eclipsis illustratur, sed tantum in aliquot climatibus totus Sol tegi sentitur. Hoc est, quod in scholis dicitur, Solis totalem quidem aliquando, sed nunquam universalem eclipsin fieri posse.

Huius rei causam facile intelligent ii, qui meminerunt proportiones corporum supra dictas, Solis, Lunae et Terrae, et eorundem etiam distantias seu intervalla, et regulas supra traditas de umbrarum differentiis, ubi dictum est, umbram ab opaco corpore spargi turbinatam seu *κωνοειδῆ*, quando corpus luminosum maius est opaco.

Cum autem Luna non Sole tantum, verum etiam terra multo minor sit, ita ut vix quadragesima pars terrae censeri possit, sequitur, umbram Lunae nequaquam totum terrae hemisphaerium occupare et tegere posse, sed exiguam tantum eius partem, praesertim cum propter distantiam Lunae a terra, umbra Lunae paulatim attenuata coni modo, ea parte, qua terrae superficiem attingit, arcto circulo claudatur, et a superficie abscindatur.

Tantum igitur illi homines, qui intra eam regionem terrae habitant, quae cono umbrae lunaris tegi potest, Solis lumen totum amittunt, et

defectum totalem sentiunt. Reliqui vero, qui extra umbrae lunaris conum in eodem terrae hemisphaerio, a Sole illustrato, habitant, non totius Solis obscurationem cernunt, sed vel partem tantum eius tegi vident, vel nullam prorsus solaris luminis iacturam patiuntur.

Hoc ut distinctius accipias, praeter conum umbrae, quam Luna spargit in terram tempore eclipsis solaris, imaginare alium conum visionis, cuius basis sit superficies Solis apparens, vertex vero seu mucro sit oculus aspicientis Solem.

Quicunque igitur intra conum umbrae lunaris habitant, illis solis totus Sol obscuratur. Lunae enim corpus interiectum, conum visionis totum intercipit atque impedit, ne ulla eius pars pertingere ad Solem possit.

Qui autem extra conum umbrae habitant, sed ita prope tamen, ut conus visionis aliqua sua parte a cono umbrae, vel a corpore lunari scindatur atque interrumpatur: iis quidem aliqua pars Solis a corpore Lunae interveniente, et conum visionis interrumpente, occultatur, sed reliqua pars tamen, non impedita Lunae corpore, conspicua manet. Eam autem Solis obscuratam partem indicat plana superficies, extremum corpus Lunae attingens, ex oculo nostro per Solis corpus educta. Haec superficies Lunam contingens, si transit per axem coni visualis, indicat dimidiatum Solem obscurari, si ultra axem visionis sita est, maiorem partem, si citra axem, minorem quam dimidiam partem corporis solaris a Luna tegi ostendit.

Qui autem longius ab umbrae lunaris cono habitant, adeo, ut coni visualis latus unum non secet, sed vel attingat tantum, vel etiam ex intervallo aliquo relinquat Lunam, ii, quia totum conum visionis suae liberum et nusquam a corpore vel umbra Lunae interruptum habent, totum Solem sine impedimento cernunt, et nullam eius occultationem percipiunt.

Haec diversitas in lunaribus eclipsibus non observatur, eo quod terra multo maior corpore lunari, umbra sua Lunam propinquam involvit, ita ut omnes homines habitantes in toto hemisphaerio terrae non illustrato a Sole, supra quod elevata est Luna, aequaliter et eodem modo, vel totam, vel parte aliqua privatam lumine cernant, etsi ille defectus non eodem tempore ab omnibus conspiciatur, ut supra dictum est. Quare in Luna et totales et universales fieri eclipses dicuntur.

Haec de causis et differentiis eclipsis Solis hoc loco dicta satis esse arbitramur. Nam perfectior earum cognitio ex artificum scriptis petenda est, qui docent exactam rationem *παραλλάξεως* utriusque quae eclipsium solarium tempora et quantitatem variat.

Iterum autem hic adhortor eos, qui Arithmetices et Geometriae elementa mediocriter tenent, ut et varietatem totam de eclipsibus, quam certa methodo Ptolemaeus et illum secuti aliquot artifices complexi sunt, cognoscere studeant, et in primis discant rationem per numeros investigandi exactissima tempora eclipsium ex tabulis ad eum usum evidentissime et cum magno fructu societatis humanae factis, cui supputationi adiungant modum, quo facies obscurati luminis aut partes in plano depictae, oculis subiiciuntur, quae res cum cognitione iucundissimae sint, et haud dubie Deo monstratore ab heroicis ingeniis animadversae, illustratae, et literis mandatae decet eos, qui natura talium artium capaces sunt, studii aliquid et temporis his utilissime inventis impendere, et operam dare, ne haec tanta dona Dei, vulgi contemptu, aut nostra negligentia intercidant, sed ut per nos illustrata, et omnibus encomiis ornata, una cum pura doctrina Evangelii, quae est Ecclesiae propria, fideliter ad omnem posteritatem transmittantur et propagentur.

De reliquis quinque errantibus Stellis.

In tanta stellarum multitudine, quae numerum excedit, praeter duo lumina, omnibus aetatibus tantum quinque stellae notatae sunt, quae suos quosdam peculiares motus, et hos diversos haberent, non communes cum caeteris stellis, quas ideo fixas nuncupavit antiquitas, quod uni sphaerae inhaerentes, cum illa perpetuo circumferuntur, nunquam loca, intervalla, figurationes, magnitudines suas permutantes, sicut quinque erraticae nunc hac parte coeli, nunc alia consistere cernuntur, nunc his stellis, mox aliis appropinquantes, iam minutae et obscurae, rursus alio tempore grandiores et fulgentiores conspiciuntur.

Hoc tamen habent hae errantes stellae cum fixis commune, quod singulis diebus, hoc est, 24 horarum spacio semel circa centrum universi mundi ab ortu in occasum circumvolvuntur, quem motum non ex sese habent, sed a summo coelo, quod primum mobile vocatur, cuius inaestimabi-

lis rapiditas tam est violenta, ut non modo omnium Planetarum orbes secum eodem motu circa terram quotidie trahat, sed etiam bonam partem elementaris regionis, orbi lunari vicinam circumagat, id quod Cometarum motus quotidianus ostendit, caeteris stellis ortu et occasu prorsus fere respondens, cum tamen constet, Cometas in summa quidem aëris regione, sed tamen longe infra lunarem sphaeram flagrare in elementari regione.

Haec igitur quinque stellae cum duobus luminibus dicuntur Planetae, hoc est, errantes, propter proprios motus, quibus contra stellarum fixarum celerrimum motum in diversam mundi partem obnituntur.

Harum tres supra Solem, omnium eruditorum consensu, collocatae, Superiores vocantur: Saturnus, Iupiter, Mars. Reliquae duae, Venus et Mercurius, inter duo lumina positae creduntur. De quibus ordine dicemus.

De tribus supremis Planetis.

Ordinem et situm horum Planetarum ratiocinati sunt veteres, cum ex aliis quibusdam signis, tum vel in primis ex motuum inaequalitate, ut Saturnum propter tardissimum incessum summo loco infra sphaeram stellarum fixarum positum iudicarent: Martem propter celeritatem infimo loco, proxime supra Solem: Iovem autem, qui ut Saturno velocior est, ita Marte multo est tardior, his duobus interpositum crederent. Saturnus enim totum Zodiacum peragrat triginta ferme annis, Iupiter duodecim, Mars duobus, ita ut commoretur in unius signi Zodiaci spacio Saturnus annos duos et dimidium fere, Iupiter integrum annum, Mars menses fere duos.

Tribuuntur autem his Planetis orbes deferentes *ἀπόγειον* et *περίγειον*, item eccentrici seu deferentes epicyclum, et epicycli, prorsus ut Lunae, propter duplicem inaequalitatem motus, quarum altera ad certa loca signiferi se accommodat, altera ad rationem motus Solis. Verum his orbibus adduntur alii circuli, eccentricis aequales, sed ex alio centro descripti, qui Aequantes vulgo dicuntur, a Ptolemaeo *ἔκκεντροι τὴν ὁμαλὴν κίνησιν περιέχοντες*, ut punctum monstrari possit, super quo motus aequalis seu regularis fieri iudicatur, cum id neque centrum mundi, neque deferentium epicyclum centra praestent.

Orbes apogeon et perigeon deferentes tardissimo motu octavae sphaerae, seu stellarum fixarum, de quo supra dictum est, procedunt ab occidente versus orientem, mutantes paulatim loca apogei, quod Ptolemaei tempore habuit Saturnus in 23. gr. 46 min. Scorpii, Iupiter in 11. gr. Virginis, Mars in 25. gradu Cancri.

Nostra vero aetate Copernicus per observationes reperit, apogeon Saturni in 27. gr. 42 min. Sagittarii, Iovis in 6. gr. 21 min. Librae, Martis in 27. gr. 1 min. Leonis. Est igitur hac nostra aetate in perigeo, hoc est, terrae proximus ratione eccentrici sui, Saturnus in 27. gradu Geminorum.
Iupiter in 6. gr. Arietis.
Mars in 27. gr. Aquarii.

Alii autem orbes, qui eccentrici seu epicyclum deferentes nominantur, feruntur motu Planetarum proprio ab occidente versus orientem, hac lege, ut motu aequali seu medio totum Zodiacum percurrat centrum epicycli
Saturni 29 an. 155 dieb.
Iovis 11 an. 312 dieb.
Martis 1 an. 321 dieb.

Motus aut horum Planetarum in suis epicyclis est contrarius ei, quo Luna fertur in suo epicyclo. Nam hi tres Planetae in superiore parte suorum epicyclorum moventur *εἰς τὰ ἑπόμενα*, hoc est, iuxta signorum in Zodiaco seriem: sed in inferiore parte *εἰς τὰ προηγούμενα*, hoc est, contra signorum ordinem.

Propter hunc in epicyclis motum accidunt his Planetis quaedam, a quibus Luna immunis cernitur. Nam hi superiores cum aliquandiu progressi sunt secundum signorum ordinem consueta vel tarditate vel celeritate, mox inhibentes cursum nusquam promovet, sed aliquot dies tanquam immoti subsistere videntur, quo tempore *στηρίζοντες* dicuntur.

Deinde sese rursus commoventes non progrediuntur eo, quo prius cursum instituerant, sed reciprocantes, aliquam confecti itineris partem retro legunt, quo tempore *προηγητικοὶ*, retrogradi vocantur. Atque ita aliquousque regressi rursus subsistunt aliquot dies prorsus immoti, ut nobis apparent, iterumque stationales dicuntur, ac denique quasi collectis viribus per illam quietem, denuo priorem viam ingrediuntur, et antrorsum iuxta signorum seriem celeritate quanta possunt, contendunt, quasi moram stationum et regressio-

nis hac festinatione compensaturi, quo tempore ὑπολειπτικοὶ appellantur.

Has vices accipiunt a motu suo in epicyclo, per cuius superiorem partem dum feruntur, duo motus concurrunt in eandem mundi partem tendentes, videlicet motus centri epicycli in eccentrico, et Planetae in epicyclo, qui motus coniuncti efficiunt, ut Planeta progredi celerius secundum signorum ordinem videatur.

Sed cum per orientale latus sui epicycli Planeta descendit ad inferiorem partem, ita ut linea veri motus Planetae, quae ex centro mundi per centrum Planetae ad Zodiacum ducta intelligitur, incipiat ferri contra signorum ordinem: ibi concurrunt duo contrarii motus, unus eccentrici, qui centrum epicycli, atque ita ipsum quoque Planetam, perpetuo in anteriora versus orientem protrudit, alter autem motus ipsius Planetae in epicyclo, qui ab oriente in occidentem contra priorem motum nititur. Atque ita fit, ut aliquandiu aequentur contrarii motus, et sese mutuo quasi tollant. Quantum enim epicycli centrum secundum signorum ordinem promovet Planetam, tantum ipse Planeta contra in diversam partem regreditur, ut siquis vectus in longiori nave secundo flumine delata, adversus flumen progrediatur, is alicui stanti in ripa videbitur ex eodem intervallo, tanquam in uno loco consistens. Haec contrariorum motuum aequalitas efficit, ut Planeta aliquot dies immobilis stare videatur.

Adiuvat autem illam stationis apparitionem epicycli in lateribus curvitas deorsum vergens, ubi etsi Planeta alioqui velox, in epicyclo totidem gradus, quot alibi, diurno motu conficit, tamen quia certo arcui in lateribus epicycli minus spacium in Zodiaco respondet, quam aequali arcui in summa, aut ima parte epicycli, motus Planetae in epicycli lateribus tardior apparet. Quare ibi consistere aliquandiu videtur. Vocaturque haec prima statio: τοῦ πρώτου στηριγμοῦ φαντασία.

Deinde cum longius infra descendit Planeta ultra punctum primae stationis, adeo ut motus ipsius in epicyclo contra ordinem signorum incedentis manifeste superet alterum motum centri epicycli, qui est ab eccentrico, secundum ordinem signorum sensibilis Planetae animadvertitur regressio, vel quia ipsius in epicyclo motus revera est velocior altero motu, quem centrum epicycli ab eccentrico habet, ut de Saturno et Iove infra dicetur: vel quia propter amplitudinem epicycli, certo arcui illius in inferiori parte, quae terrae multo est propinquior, maius in Zodiaco spacium respondet, quam aequali arcui in eiusdem epicycli superiore parte, quae a terra est remotior, ut in Marte et Venere animadverti potest, qui Planetae cum in suo epicyclo tardius moveantur, quam ipse epicyclus in eccentrico, tam essent a regressionibus immunes, quam Luna, nisi eorum epicycli omnium amplissimi, ita prope ad terram accederent, ut uni gradui circa perigeon epicycli multo maius in Zodiaco spacium respondeat, quam circa apogeon. Quare cum diurna curricula Martis circa imam epicycli partem, motum diurnum deferentium epicyclum longe superent, propter epicycli magnitudinem, Martis quoque regressus, ut reliquorum superiorum Planetarum sensu percipitur, idem et de Venere intelligatur.

Postea quando Planeta iuxta latus epicycli occidentale seu dextrum ascendere incipit, rursus diminuitur motus Planetae in epicyclo. Nam propter convexitatem epicycli in latere sursum vergentem, arcui diurni motus Planetae in epicyclo minus spacium in coelo respondet. Quare iterum aliquandiu aequari quodammodo incipiunt duo contrarii motus, et sese invicem quasi perimere, ita ut Planeta immotus consistere videatur. Haec statio secunda dicitur.

Ab hoc loco secundae stationis Planeta altius subvectus in epicyclo, denuo secundum ordinem signorum procedere incipit, et directus dicitur. Rursus enim conveniunt duo motus, epicyclum et Planetam pariter versus eandem partem εἰς τὰ ἑπόμενα, promoventes.

Sed cur non Luna quoque eodem modo in lateribus epicycli subsistit, et regreditur aliquando, ut hi supremi Planetae, cum tamen ipsa quoque in epicyclo ferri credatur ita, ut superiorem eius partem perambulans, contra signorum ordinem, inferiorem vero percurrens, secundum signorum ordinem incedat?

Duae causae sunt: Una est tarditas motus Lunae in epicyclo, quae paulo serius unam revolutionem absolvit in epicyclo, quam ipse epicyclus in eccentrico.

Sed huic causae necessario addenda est altera, videlicet, parvitas epicycli lunaris, qui cum sit omnium epicyclorum minimus, tamen non minus in 360 partes est divisus, quam alii maiores circuli. Quare etsi Luna in illo parvo circulo tredecim gradus et 4 minuta diurno motu aequali

contra successionem signorum aliquando percurrit, tamen quia illi diurno arcui, ubi plurimum, non tamen integri gradus duo in Zodiaco respondent, nulla potest sentiri Lunae regressio, sed hoc tantum evenit, ut Luna, cum superiorem epicycli medietatem peragrat, tardius ferri videatur, celerius vero cum inferiorem.

Sed tres superiores Planetae partim motus suos in epicyclis multo velociores habent, quam centrum epicycli in eccentricis, ut Saturnus et Iupiter, partim ita amplum habent epicyclum, et alicubi adeo terrae appropinquantem, ut spacium Zodiaci, quod competit arcui diurno Planetae, in epicyclo contra ordinem signorum euntis, superet arcum, quem centrum epicycli motu diurno eccentricorum secundum signorum ordinem absolvit. Quare necesse est, ibi manifestam Planetae regressionem sentiri.

Absolvunt autem hi Planetae unam in epicyclis suis periodum eo tempore, quod inter duas ipsorum et Solis coniunctiones intercedit. Semper enim circa medium tempus directionis horum Planetarum, Sol cum eis coniungitur, sicut et circa medium tempus regressus Sol unicuique horum trium opponitur ex diametro. Continet autem hoc intervallum periodicum in epicyclo

Saturni 1 annum 13 dies.
Iovis 1 annum 34 dies.
Martis 2 annos 50 dies fere.

Hinc apparet, Saturni et Iovis periodum in epicyclo longe esse celeriorem, quam epicycli in deferente suo, Martis vero tardiorem aliquanto.

Quod autem Saturnus celerius fertur in suo epicyclo quam Iupiter, et hic rursus velocior est in suo epicyclo quam Mars, causa est perspicua. Nam Sol tardissimum quenque ex his Planetis, suo cursu celerrime assequitur. Quare necesse est Planetam, qui in eccentrico suo tardius movetur, suum in epicyclo curriculum accelerare, ut Sole accedente ad coniunctionem ipse in fastigio sui epicycli reperiatur. Est enim perpetua quaedam lex, qua hi Planetae ita circumaguntur, ut ipsorum motus in epicyclis aptissime congruat cum accessu et recessu Solis, quem tanquam regem suum venerari et colere videntur. Nam quoties illi coniuncti sunt, toties summam sui epicycli apsidem tenere deprehenduntur, tanquam reverentia tanti hospitis in extremos suae ditionis fines digressi, ut regi praesenti cedant loco, et ex intervallo mediocri, cum reverentia, mandata et vires ab eo accipiant.

Deinde recedente Sole post coniunctionem, cuius motus est velocior, ipsi de arce sui epicycli descendunt, quasi officii causa deducturi abeuntem regem, atque ita Solem insequuntur, donec abscessit per tertiam Zodiaci partem, hoc est, donec quatuor signorum intervallo ab ipsis abest, quem trigonum aspectum vocant. Tum demum quasi satisfecerint suo officio, aliquot dies consistunt immoti, tanquam valedicentes regi, et longius abeuntem prospectantes.

Mox regredi incipiunt, et in imas partes sui epicycli sese demittunt, quoties Sol illis ex adverso opponitur, ut videantur quasi lugere regis absentiam, et illius reditum supplices expetere.

Deinde cum Solem post oppositionem cernunt ad sese accedere, adhuc contra ordinem signorum ab ima parte epicycli ascendentes festinant regi occurrere, eumque intervallo quatuor signorum seu trigoni, adhuc distantem, quasi salutabundi excipiunt, aliquot dierum statione facta, atque ita deinceps recto cursu secundum ordinem signorum appropinquanti Soli praecedentes, cum laeticia ad arcis suae fastigium enituntur, ut Soli proximo locum concedant.

Haec perpetua harmonia motuum Solis et trium superiorum Planetarum imagines pulcherrimarum virtutum continet, et consideratione et admiratione dignissima est.

Et ne existimetur iste motus Planetarum in epicyclis, angustis metis includi, sciendum est diametrum epicycli lunaris, qui omnium minimus est, continere totius terrae diametrum quinquies et sextantem, hoc est milliaria germanica 8886⅔, si diametro terrae tribuimus milliaria germanica mille septingenta et viginti. Hinc colligitur, ambitum epicycli, quem Luna singulis mensibus semel percurrit, hoc est, intra dies 27, horas 13, continere totius diametri terrae longitudinem decies sexies, et praeterea quinque eius vicesimas primas, hoc est, milliaria germanica 27929.

Sed lunaris epicycli magnitudinem longe vincunt epicycli, in quibus tres supremi Planetae vehuntur. Nam diameter epicycli Saturni, qui minimus est, aequat longitudine diametros terrae 2298, Iovis maior habet diametros terrae 2743, Martis vero omnium amplissimus continet diametros terrae 4085, ut Ptolemaeus tradidit.

Hinc aestimari potest velocitas horum Planetarum, qui hos amplissimos orbes epicyclorum suorum percurrunt eo intervallo, dum Sol ab ipsis digressus ad eosdem revertitur.

Deinde etiam ideo adscripsi epicyclorum diametros, ut cogitetur, non esse exigua intervalla altitudinis et humilitatis, quibus hi Planetae ratione epicycli modo a terra recedunt, modo se ad terram demittunt, quae observatio ad iudicandos ipsorum effectus, non parum momenti adfert. Nam quas vires in adficiendis his corporibus infimis hos Planetas habere experientia docuit, has necesse est illos exercere languidius, quando in summis epicyclorum apsidibus collocati, longissime a terra abscesserunt: sed longe efficacius et potentius, quando in imis partibus suorum epicyclorum constituti, aliquot millibus diametrorum terrae, propiores nobis facti sunt.

Habet autem Saturnus vim frigefaciendi, et leniter exiccandi. Mars vero vehementer exiccat et urit. Sed Iupiter inter hos medius temperatam naturam habet. Calefacit enim simul et humectat, et foecundos generationique rerum aptos spiritus excitat et fovet.

Proderit igitur observare, quando longius a terra absint, quando propius ad nos accedant. Dictum est autem supra, hac nostra aetate longissime a terra distare Saturnum ratione eccentrici sui, quando epicyclus currit per postremas partes Sagittarii, proximum vero nobis esse in opposito signo Geminorum. Quando igitur Soli coniungitur circa finem Sagittarii, accedit altera in epicyclo altitudo. Quare tunc longissime a terra abest. Rursus quando currens per postremas partes Geminorum Soli opponitur, fit terrae proximus ratione eccentrici et epicycli. Talis cum fuerit Saturnus anno 1441. sub imperatore Friderico, proavo imperatoris Caroli V. paulo ante cladem Varnensem, verisimile est eum sua propinquitate effecisse illud inusitatum frigus, quod adeo saevum et diuturnum fuit, ut illa hyems adhuc nostra aetate hominum memoria ex sermonibus maiorum nostrorum sit celebris.

Idem iudicari debet de Iove et Marte, quorum ille in primis gradibus Librae, hic vero in postremis gradibus Leonis longissime a terra recedit ratione eccentrici, et in opposito uterque signo ad terram proxime accedit. Fiunt igitur adhuc propiores terrae ratione epicyclorum, quando in his signis Soli opponuntur, seu quando retrogradi incedunt.

Haec remotio et propinquitas horum Planetarum, etiam magnitudines ipsorum adparentes, et colores nonnihil mutat, sicut anno praeterito, qui fuit a Christo nato 1548, in fine aestatis vidimus stellam Iovis multo maiorem et fulgentiorem solito, eo quod tunc fuit circã locum perigei eccentrici in Ariete, et Soli opposita, etiam in perigeo epicycli, fuitque ea aestate tanta agrorum fertilitas, ut propter largiorem messem annona subito fieret laxior.

Huius varietatis observatio non prorsus nullum habet usum in iudicandis horum Planetarum effectibus. Sed his omissis ad aliud motuum genus accedimus, cuius etiam facienda est mentio. Nam ea quae hactenus dicta sunt, ad illa curricula horum Planetarum pertinent, quae in longitudinem fiunt, hoc est, ab occidente versus orientem, et econtra.

Sed praeter haec habent hi Planetae alios motus in latitudinem, quibus deflectunt ab Ecliptica, modo versus septentrionem, modo versus austrum, sicut in Luna dictum est. Nam eccentrici deferentes epicyclum trium summorum Planetarum, secantur a plano Eclipticae in centro mundi, ita ut una pars eorum, quae continet locum apogei, vergat ultra Eclipticam versus septentrionem, altera quae continet locum perigei, versus austrum. Suntque illa intervalla latitudinum inaequalia. Nam deferens epicyclum Saturni declinat ab Ecliptica intervallo duorum graduum et 26 minut., Iovis unius gradus, 24 minut., Martis unius gradus.

Efficitque haec intersectio duorum planorum circulorum duos nodos, *ἀναβιβάζοντα καὶ καταβιβάζοντα*, ut in Luna. Sed latitudinum harum nodi, et puncta inter eos media, quae sunt termini maximae latitudinis seu declinationis, tardissimo motu octavae sphaerae transferuntur ab occidente versus orientem: *εἰς τὰ ἑπόμενα*, non ut Lunae nodi, qui celerrimo motu feruntur: *εἰς τὰ προηγούμενα.*

Fuerunt autem Ptolemaei tempore termini maximae latitudinis septentrionalis Saturni et Iovis circa principium Librae, intervallo decem graduum distantes, Martis vero in fine Cancri.

Sed recentissimi Astronomi certis observationibus deprehenderunt puncta in Zodiaco, quae monstrant terminos maximae latitudinis esse:

Septentr.	Merid.
Saturno in 7. Gr. ♏	in 7. Gr. ♉
Iovi in 27. Gr. ♎	in 27. Gr. ♈
Marti in 27. Gr. ♌	in 27. Gr. ♒

Tenet igitur Nodus

ἀναβιβάζων ☊	καταβιβάζων ☋
in Saturno 7 Gr. ♌	7 Gr. ♒
in Iove 27 Gr. ♋	27 Gr. ♑
in Marte 27 Gr. ♉	27 Gr. ♏

Hinc sequitur Saturnum a septimo gradu Leonis, donec totam signiferi medietatem peragrat, ferme 15 annos currere extra Eclipticam versus septentrionem primum. Deinde a septimo gradu Aquarii in meridiana latitudine alios quindecim fere annos consumere, ut exempli causa: initio anni Christi 1492, post quem proxime mortuus est Fridericus tertius, Romanus imperator, Saturnus in Aquario cepit ab Ecliptica deflectere versus austrum, ac in illa parte commoratus est usque in mensem Iulium anni 1505, annos 13 et amplius dimidio. Hoc intervallo Italia longo et difficili bello vexata, et novo morbi genere, quem Gallicum adpellarunt, adflicta est.

Atque ita circa initium mensis Augusti anni 1505, paulo antequam mortuus est Philippus rex Hispaniarum, Maximiliani imperatoris filius, Caroli V. pater, citra Eclipticam versus septentrionem accedens Saturnus, nostris verticibus fuit propior usque ad finem anni 1520, quo post mortem imperatoris Maximiliani, nepos, Carolus V. electus ad successionem, ex Hispaniis in Germaniam venit. Fuit id tempus, quod consumpsit Saturnus in latitudine septentrionali, annorum 15 et dimidii ferme.

Ab eo tempore rursus ultra Eclipticam versus meridiem incessit annos 13 et octo ferme menses, usque ad annum Christi 1534, quo Monasterium ab Anabaptistis occupatum fuit, et extincto Clementi pontifici Paulus tertius suffectus est.

A Septembri anni 1534. fuit ad haec nostra tempora usque septentrionalis Saturnus, et eam latitudinem non commutabit ante Martium sequentis anni 1550., eritque tempus huius latitudinis septentrionalis iterum annorum 15 et dimidii.

Haec exempla ideo recitavi, ut intervalla mutatarum latitudinum cerni possent, quae inaequalia sunt, ita ut biennio fere diutius commoretur Saturnus in latitudine septentrionali, quam in meridiana. Vidisti enim in binis meridianis latitudinibus eum 13 annos et bessem fere consumpsisse. In alteris autem septentrionalibus latitudinibus 15 annos et semestre.

Causa huius inaequalitatis similis est illi, qua fit, ut Sol diutius in medietate Zodiaci septentrionali, quam australi morari videatur. Nam in his Planetis superioribus planum Eclipticae intersecat deferentes, non per centra ipsorum, sed per centrum mundi, quod est infra centra deferentium. Cum igitur deferentium centra et apogea perpetuo sint extra planum Eclipticae versus septentrionem supra centrum mundi, sequitur arcum latitudinis septentrionalis, qui apogeon quoque continet, maiorem esse arcu latitudinis meridianae. Quare diutius commoratur Planeta in septentrionali latitudine, quam in australi.

Iupiter autem suam in deferente latitudinem septentrionalem absolvit ferme sex annis et quinque mensibus. Meridianam vero 5 annis et dimidio fere. Ut cum cepisset initio Octobris anni 1539. versus septentrionem evagari, in illa latitudine nobis propinquus permansit 6 annos et 5 menses, usque ad finem mensis Februarii anni 1546., quo mense et anno mortuus est D. Martinus Lutherus die Concordiae.

Ab initio mensis Martii a nobis cepit deflectere Iupiter versus meridiem, in eaque latitudine commorabitur usque ad initium mensis Septembris anni 1551., quo tempore rursus transcendens Eclipticam versus septentrionem, nobis erit propior. Tempus, quod durat haec latitudo meridiana, continet annos 5 et dimidium.

Hinc apparet, Iovem in septentrionali latitudine plerunque undecim mensibus commorari diutius, quam in meridionali, propter causam similem ei, quae de Saturno dicta est.

Sed Mars singulis fere annis latitudines permutat, inaequaliter tamen, ita ut aliquando tempus latitudinis australis longius sit tempore latitudinis septentrionalis. Ut exempli causa, initio anni 1546., quo post mortem Lutheri bellum in Germania exarsit, cepit Mars ultra Eclipticam a nobis recedere versus meridiem, ibique vagatus 14 menses fere, initio mensis Martii anni 1547.

rursus transgressus Eclipticam, septentrionalis esse cepit, quo tempore moles prius dicti belli in Saxoniam translata est. Ibi commoratus 9 menses ad Decembrem usque eiusdem anni, abscessit iterum versus meridiem, ibique haesit paulo minus 9 mensibus, sub finem Augusti anni 48, cepit iterum ad nos accedere versus septentrionem, ubi manebit totos 14 menses, usque ad medium Novembrem huius currentis 1549. anni.

Quod autem Mars latitudinum suarum vices tam inaequales habet, inde est, quod aliquando totam latitudinem septentrionalem absolvit directus, hoc est, secundum signorum seriem currens, ac stationes et regressionem differens in meridianam latitudinem. Quod cum facit, ibi diutius haeret propter reciprocationis moram, sicut alioqui quoque adeo inaequalem habet motum, propter amplitudinem sui epicycli, ut aliquando in uno signo Zodiaci peragrando amplius sex integris mensibus consumat, cum alias soleat intra duos menses quodlibet signum percurrere.

Haec crasse dicta sunt de trium superiorum Planetarum latitudine, qua evagantur modo versus austrum, modo versus aquilonem, ratione suorum deferentium, qui in illas partes a plano Eclipticae declinant.

Sed cum artifices, qui motus illorum diligentius inquisierunt, animadverterent, illam latitudinem deferentium non congruere cum experientia, et inaequalem deprehenderent, coacti sunt huic alteram latitudinem adiungere, quam tribuunt epicyclis. Observarunt enim, quoties centrum epicycli esset in altero terminorum maximae latitudinis in deferente, Planetam currentem in superiore medietate epicycli, minorem habere latitudinem, quam quanta est maxima deferentis ab Ecliptica declinatio, et econtra, euntem per inferiorem medietatem epicycli, longius ab Ecliptica distare, quam pro declinatione maxima deferentis.

Quare dixerunt etiam epicyclum motum quendam peculiarem in latitudinem habere, similem fere cunarum agitationi, ita ut cum epicyclus a nodo deferentis attollente, quem *ἀναβιβάζοντα* diximus a Ptolemaeo vocari, discedit versus septentrionem, perigeon epicycli certo intervallo recedat a superficie deferentis versus eandem partem mundi, quo inclinat planum deferentis, atque hoc modo superior pars epicycli retorqueatur a superficie eccentrici, versus superficiem Eclipticae, et Planeta in medietate superiore epicycli currens, inter duas superficies, eccentrici et eclipticae, incedat, ideoque minus procul ab Ecliptica distet, quam planum deferentis epicyclum.

Sed cum descendit Planeta in inferiorem medietatem epicycli, quae a plano deferentis ipsa quoque versus septentrionem declinat, fit ut Planeta maiorem habeat latitudinem septentrionalem quam quanta est distantia plani deferentis a plano Eclipticae.

Econtra, quando epicycli centrum a nodo devehente, qui *καταβιβάζων* dicitur, ultra Eclipticam fertur versus meridiem: perigeon epicycli versus eandem mundi partem a plano eccentrici declinat, ita ut rursus superior quidem pars epicycli constituatur inter duo plana, eccentrici et eclipticae, inferior vero pars ultra duo plana longius declinet versus meridiem, quam planum eccentrici. Quare Planeta currens in inferiore epicycli medietate, iterum maiorem habet latitudinem, in superiore vero minorem, quam pro declinatione eccentrici a plano Eclipticae. Semper autem Planeta incedens per inferiorem partem epicycli sui, maiorem habet latitudinem et septentrionalem et meridionalem, quam cum per summam apsidem sui epicycli fertur.

Est autem haec duarum latitudinum coniunctarum ratio in tribus superioribus Planetis.

In Saturno.

Quando epicyclus est in termino maximae latitudinis septentrionalis, hoc est, circa primas partes Scorpii, tunc Planeta distat ab Ecliptica in

Apogeo, id est, cum Soli coniungitur,	Perigeo, id est, cum Soli opponitur,
Gr. Min.	Gr. Min.
2 3	3 3

versus septentrionem.

Sed quando epicyclus tenet australis latitudinis terminum, hoc est, primas partes Tauri, tunc Planeta distat ab Ecliptica in epicycli

Apogeo, id est, in ☌ cum Sole	Perigeo, hoc est, in ☍ ad Solem
Gr. Min.	Gr. Min.
2 1	3 1

versus meridiem.

In Iove.

Quando epicyclus est situs in termino latitudinis septentrionalis, hoc est, iuxta 27. gradum Librae, Planeta distat ab Ecliptica in epicycli

Apogeo, seu in ☌	Perigeo, seu in ☍
Gr. Min.	Gr. Min.
1 6	2 5

versus septentrionem.

Quando vero epicyclus tenet meridianae latitudinis maximae terminum, qui est iuxta 27. gradum Arietis, Planeta distat ab Ecliptica in

Apogeo	Perigeo
Gr. Min.	Gr. Min.
1 4	2 8

versus meridiem.

In Marte.

Quando epicyclus tenet terminum latitudinis maximae septentrionalis, qui est 27 grad. Leonis, Planeta distat ab Ecliptica in epicycli

Apogeo, hoc est, coniunctus Soli	Perigeo, hoc est, oppositus Soli
Gr. Min.	Gr. Min.
1 6	2 5

versus septentrionem.

Quando vero epicyclus tenet meridianae latitudinis terminum, qui est 27. gradus Aquarii, Planeta distat ab Ecliptica in epicycli

Apogeo, seu in ☌	Perigeo, seu in ☍
Gr. Min.	Gr. Min.
0 2	7 30

versus meridiem.

Quod autem vides latitudinem meridianam Martis in perigeo epicycli tot gradibus superare septentrionalem latitudinem in eadem epicycli parte, causa est et epicycli amplitudo et ἐκκεντρότης magna, et quod maximae latitudinis meridianae terminus et perigeon eccentrici in eundem locum Zodiaci cadunt. Quare cum Mars terminum australis latitudinis attigit, simul est terrae proximus ratione eccentrici. Ubi si quando etiam imam partem epicycli tenet, duo simul eveniunt, ut et proxime ad terram accedat Mars, et meridianam latitudinem maximam habeat, eo quod propter hanc ipsam geminatam propinquitatem epicycli, et propter eiusdem amplitudinem, plures in coelo partes arcui latitudinis respondeant. Haec simul contigerunt nostra aetate anno Christi 1529., quo anno Solymannus imperator Turcarum cum ingenti exercitu Austriam ingressus, Viennam aliquandiu frustra obsedit. Fuit enim tunc Mars mense Iulio in Aquario oppositus Soli, tenenti undecimum gradum Leonis. Dictum est autem supra, vicesimum septimum gradum Aquarii et terminum maximae latitudinis australis esse Marti, et perigei locum. Et quia Soli tunc erat oppositus, fuit simul etiam in epicycli infima parte. Quare tunc Mars septem ferme gradibus ultra Eclipticam versus meridiem remotus conspiciebatur. Erat et retrogradus, et inusitata magnitudine et horrendo rubore corpus ipsius cernebatur, propter propinquitatem ad terram, ita ut multi, causarum ignari, novam et prodigiosam stellam in coelo accensam esse, aliqui etiam Cometam exarsisse crederent. Biennio tamen post Cometa subsecutus est, quem verisimile est Martis adeo propinqui lumine excitatum et inflammatum fuisse.

Haec de tribus superioribus Planetis hoc loco dicta sufficiant, in quorum motibus certae leges, et harmoniae ad motum Solis, et aliae vices considerentur, quae ad usus animantium sapienter accommodatae sunt. Cur enim credamus hos Planetas divinitus ita conditos esse, ut cum circa apogea suorum deferentium feruntur, atque a terra longissime absunt, tunc Eclipticam transgressi, nostris verticibus propiores fiant? Nisi quod tunc oportuit illorum vires intendi radiorum rectitudine, quos altitudo immensa alioqui nonnihil debilitat?

Sic cum terrae proximi fiunt Saturnus et Mars, detorquentur motu latitudinis a nostro vertice ultra Eclipticam versus meridiem, ne si ad radiorum efficaciam, quam ex propinquitate habent, etiam eorundem rectitudo accederet, quae semper radiorum vires auget, Mars nimio aestu torreret et exureret terram, Saturnus nimio gelu constringeret diutius, et effoetam redderet animantium sedem et corpora.

Quare sic temperavit sapientissimus et benignissimus conditor naturae, horum Planetarum effectiones certis motuum legibus, ut minus laedere res nascentes et animalia possint.

Sed longum esset immorari his admirandis vicibus, quae certissima sunt divinae sapientiae, providentiae et bonitatis testimonia, quae in ipsis artibus, ubi haec accuratius traduntur, diligentius aspicienda sunt.

Nunc pergo ad reliquos duos Planetas, Venerem et Mercurium, qui etsi multa habent cum tribus supremis communia, tamen cum quaedam etiam adepti sint peculiaria, separatim eorum natura et motus exponi debet.

De duobus inferioribus Planetis, Venere et Mercurio.

Cum in caeterorum Planetarum situ et ordine fere universa antiquitas consenserit, in his duobus discreparunt sententiae. Nam Plato et illum secutus Aristoteles collocant eos supra Solem, quem volunt Lunae proximum esse. Moti sunt autem hac ratione, quod censuerunt Veneris et Mercurii stellas obiectu suorum corporum nobis partem aliquam Solis obscuraturas esse, si infra eum collocatae essent, cum ei toties coniungantur. Hoc cum nulla aetate observatum sit, existimarunt rectius credi, has stellas supra Solem sitas esse.

Sed antiquissimi, et postea secuti eruditi homines, maluerunt credere, has duas stellas inter duorum luminum sphaeras ferri, nec moti sunt illa Platonicorum ratione, metuentium Solis obscurationem in harum stellarum cum Sole congressibus, cum certum sit, eas frequentissime extra Eclipticam evagari, et raro ita coniungi cum Sole, ut in lineam ex visu nostro per centrum solaris corporis eductam, incurrant.

Sed ut hoc etiam accidat, sicut interdum fieri potest, tamen parvitas harum stellarum nullam partem Solis sensibiliter tegere, et visui nostro adimere potest. Nam ut diligentiores artifices tradiderunt, Veneris apparens diameter vix decima pars est diametri Solis.

Deinde distantia Solis et Lunae. Ubi minima est, tamen continet semidiametros terrae mille ducentas fere, cum Lunae a terra distantia maxima habeat tantum 64 semidiametros et sextantem. Cum igitur tantum spacium in medio luminum sit reliquum, verisimile est, hos duos Planetas interiectos esse, ut expleatur aliquo modo vastissimum illud intervallum.

Verum alii quidam, cum viderent hos duos Planetas perpetuo Solem comitari, nec ab eo ultra certos terminos abscedere, crediderunt illos circa Solem tanquam circa suum centrum ferri, ita ut ipsorum sphaerae corpus Solis in medio inclusum habeant. Qui positus omnia horum Planetarum *φαινόμενα* aptius ostendit, quam si vel supra Solem, vel infra eum horum Planetarum sphaerae collocentur. Sed nos retinemus antiquissimorum Astrologorum sententiam, quam Cicero quoque, Ptolemaeus et alii recentes Mathematici magno consensu sunt secuti.

Dicimus igitur Venerem proxime infra Solem, et sub hac Mercurium supra Lunae sphaeram collocari.

Etsi autem hi Planetae multis rebus conveniunt cum caeteris Planetis, et praecipue cum tribus superioribus, tamen hoc habent peculiare ambo, quod perpetua observatione deprehensum est, eos non digredi a Sole toto coelo, ut ab eo aliquando per quadratum aut per trigonum distent, vel ex adverso cernantur, sed habere certas metas, ultra quas a Sole non excurrunt. Semper enim Venus citra quinquagesimum, Mercurius vero citra tricesimum gradum Solem comitatur, nec longiore intervallo illum vel antecurrit, vel sequitur.

Ex hac observatione etiam animadversum est, horum trium Planetarum, Solis, Veneris et Mercurii, eandem esse lineam medii seu aequalis motus, hoc est, centra epicyclorum semper circumferri cum linea aequalis motus Solis. Unde etiam dicitur horum trium Planetarum esse perpetua coniunctio, secundum medium seu aequalem ipsorum motum.

Ex hoc illud quoque sequitur, quod tempus periodicum centri epicyclorum in his duobus Planetis prorsus est idem et aequale cum periodo Solis, qui suo motu aequali annuum nobis tempus exacte describit. Quare et horum Planetarum curriculum per Zodiacum annuo spacio absolvitur.

Propter hanc cum Sole cognationem vocantur Venus et Mercurius a Platone *ἰσόδρομοι, ὁμόδρομοι καὶ ξύνδρομοι τῷ ἡλίῳ.*

Caeterum privatim Venus dicitur *ἑωσφόρος* et *φοσφόρος*, latine Lucifer, quando mane ante Solis exortum conspicitur, diem praenuncians et maturans. Rursus eadem vocatur *ἕσπερος*, Lati-

nis Vesper et Vesperugo, quando post Solis occasum fulgens lucem prorogat, ut ait Plinius, qui de viribus huius stellae etiam hoc addit: Huius natura cuncta generantur in terris. Nanque in alterutro exortu genitali rore conspergens, non terrae modo conceptus implet, verum animantium quoque omnium stimulat. Et Ptolemaeus quoque tribuit ei vim leniter calefaciendi et humectandi, inquiens: *θερμαίνει μὲν γὰρ ἠρέμα διὰ τὴν ἐγγύτητα τὴν πρὸς τὸν ἥλιον, μάλιστα δὲ ὑγραίνει καθάπερ ἡ σελήνη, διὰ τὸ μέγεθος τῶν ἰδίων φωτῶν.*

Mercurius autem *στίλβων* a Graecis dicitur, et *ἱερὸς ἑρμοῦ*, et *ἀπόλλωνος κύκλος*, cui Astrologi tribuunt vim excitandi flatus, et naturam ita versatilem, ut imitetur qualitates earum stellarum, cum quibuscunque fuerit coniunctus. Sic enim inquit Ptolemaeus: *ὁδὲ τοῦ ἑρμοῦ ὡς ἐπίπαν ἐξ ἴσου ποτὲ μὲν ξηραντικὸς καταλαμβάνεται, καὶ τῶν ὑγρῶν ἀναποτικὸς, διὰ τὸ μηδέποτε πολὺ τῆς τοῦ ἡλίου θερμασίας κατὰ μῆκος ἀφίστασθαι, ποτὲ δὲ αὖ ὑγραντικὸς, διὰ τὸ τῇ περιγειοτάτῃ σφαίρᾳ τῆς σελήνης ἐπικεῖσθαι, ταχείας δὲ ποιεῖσθαι τὰς ἐπ᾿ ἀμφότερα μεταβολὰς, πνευματούμενος, ὥσπερ ὑπὸ τῆς περὶ αὐτὸν ἡλίου ὀξυκινησίας.*

Tribuuntur autem his Planetis totidem orbes, quot tribus superioribus, et eorum orbium similes revolutiones versus easdem mundi partes, sicut supra de tribus supremis Planetis dictum est, nisi quod in Mercurio constituitur duplex *ἀπόγειον*, unum eccentrici deferentis epicyclum, alterum aequantis circuli. Cumque utrunque *ἀπόγειον* deprehensum sit mobile, opus fuit diversis orbibus, illa puncta maximae distantiae a terra promoventibus. Ponuntur igitur in Mercurii sphaera duo extremi circuli, extimus et intimus, aliqua ex parte mundo concentrici, qui deferunt *ἀπόγειον* aequantis, illo tardissimo motu octavae sphaerae, quo etiam *ἀπόγεια* trium superiorum variari diximus, ab occidente versus orientem, seu *εἰς τὰ ἑπόμενα.*

His orbibus introrsum contigui sunt alii duo prorsus *ἔκκεντροι*, qui dicuntur deferentes *ἀπόγειον ἐκκέντρου*, qui super peculiari centro circumferuntur contrario motu, ab oriente in occidentem, seu *εἰς τὰ προηγούμενα*, quolibet integro anno unam periodum absolventes, quod Mercurius cum Luna commune habet. Sicut enim deferentes apogeon Lunae, singulis mensibus circumeuntes ab oriente versus occidentem secum circumferunt in parvo circulo centrum deferentis epicyclum, ita ut eo motu epicyclus in deferente suo describat figuram lenticularem: Ita hi Mercurii orbes deferentes apogeon eccentrici, singulis annis semel Zodiacum percurrunt contra ordinem signorum, atque secum circumferunt ab oriente versus occidentem centrum quinti orbis deferentis epicyclum Mercurii, propter quam mobilitatem huius centri, quod circuitione sua annua arctissimum circulum describit extra centrum mundi, sequuntur quaedam diversa non solum a caeterorum Planetarum omnium, sed etiam a Lunae consuetis phaenomenis, cum qua tamen, quod ad hanc circumvolutionem centri deferentis et descriptionem parvi circuli attinet, Mercurius habet maximam similitudinem.

Nam etsi epicyclus Mercurii in apogeo sui deferentis est, quoties attingit punctum alterius apogei in aeqante, ac tum longissime distat a centro mundi: tamen quando ad locum perigei diametraliter oppositum pervenit (quod fit post semestre), non est tunc terrae seu centro mundi proximus, sed fuit propior iam ante duos menses, quando distabat ab apogeo aequantis intervallo quatuor signorum Zodiaci, et rursus post alios duos menses fit terrae proximus, quando in altero latere ab eodem apogeo aequantis abest intervallo 4 signorum.

Cumque Lunae epicyclus, propter illam centri mobilitatem, in qualibet revolutione menstrua bis sit pariter et in apogeo et in perigeo sui deferentis: Mercurii epicyclus aliter se habet, id quod mireris. Nam etsi in una revolutione eccentrici, epicyclus Mercurii bis attingit loca ad terram proxime accedentia, tamen semel tantum est a terra remotissimus, tum videlicet, cum attingit apogeon aequantis, quod fuit tempore Ptolemaei in decimo gradu Librae, nunc autem a recentissimis observatoribus inventum est in nono gradu sequentis signi Scorpii. Cumque ad oppositum locum Zodiaci pervenit, scilicet, ad nonum gradum Tauri, non est terrae proximus, sed in aliis duobus punctis a loco apogei utrinque et a se invicem quatuor signorum intervallo distantibus, videlicet in 9. gradu Piscium et 9. gradu Cancri.

In medio horum circulorum deferentium apogeon eccentrici, situs est quintus orbis, totus eccentricus, qui epicyclum circumfert quotannis

semel cum Sole, ut dictum est, super centro mobili, quod cum proximum est centro mundi, tribus gradibus ab eo distat, sed cum longissime abest, 9 gradibus a centro mundi distat. Propter hanc centri mobilitatem fit, ut epicycli ambitus describat figuram non circularem, ut in caeteris Planetis superioribus omnibus, neque lenticularem et aequaliter compressam circa medium, ut in Luna fit, sed ovalem figuram, inaequaliter rotundam, cuius pars circa apogeum est latior, et circa perigeum arctior.

Hoc motu eccentrici tam inaequali fit, ut epicyclus Mercurii altissime a terra sustollatur, quando tenet apogeon aequantis in 9. gradu Scorpii, quod contingit quotannis mense Octobri, et rursus admoveatur ad terram adeo prope, ut quadraginta terrae semidiametris propinquior nobis fiat, quam fuit in apogeo. Accidit autem haec Mercurii ad terram proxima accessio quotannis bis, semel cum tenet centrum epicycli nonum gradum Piscium, et iterum cum percurrit 9. gradum Cancri, quod fit mense Februario et Iunio, quibus mensibus, ut infra dicetur, etiam digressiones seu distantiae Mercurii a Sole longissimae fiunt, et haud dubie corpus quoque illius grandius apparet, ubi cernitur.

Sed *Venus* orbium numero et situ nihil a tribus superioribus differt, habet etiam unum apogei locum, et quidem iuxta quorundam recentium sententiam communem cum Solis apogeo, quod hac aetate in 7. gradu Cancri constitutum esse recentissimi artifices tradiderunt. Quare centrum epicycli Veneris cum Sole in primis partibus. Capricorni paulo post brumam ad terram accedit proxime, ut suo calore frigoris vim mitiget, et terram foecundo humore conspergat efficacius ex propiore intervallo. Fit autem nobis propior tunc, quam cum in apogeo fuit, spacio ferme 17 semidiametrorum terrae.

Praeter hos orbes Venus et Mercurius epicyclos habent, in quibus feruntur sicut tres reliqui Planetae, in superiore parte secundum signorum ordinem, in inferiore vero parte contra signorum ordinem. Sed non servant illam legem in periodis, quam perpetuo sequuntur tres superiores, ut coniuncti cum Sole teneant summas apsides epicyclorum, et eidem oppositi retrogradi sint, et imas apsides seu perigea epicyclorum occupent, sed hi duo feruntur suis quibusdam peculiaribus legibus et diversis, ita ut Venus unam in epicyclo suo periodum absolvat paulo amplius quam 19 mensibus, hoc est, diebus 583, horis 22.

Nam diurno motu in epicyclo suo Venus progrediens conficit minuta 37 fere, quod curriculum ne breve existimetur esse, sciendum est, epicyclum Veneris adeo esse amplum, ut eius diameter contineat diametros terrae 570 $\frac{2}{3}$. Quare ambitus epicycli maximus continet diametros terrae 1794 fere, qui numerus si in 360 gradus distribuetur aequaliter, ostendet unius gradus arcum in epicyclo aequari paulo minus quinque diametris terrae.

Unde postea colligitur, diurnum curriculum Veneris in epicyclo, quod diximus fere 37 minutorum esse, continere longitudinem trium diametrorum terrae. Hinc aestimari velocitas Veneris potest, quae in hora una tantum spacium in suo epicyclo percurrit, quanta est diametri terrae octava pars, quae continet amplius ducentis milliaribus germanicis.

Mercurius vero percurrit totum suum epicyclum paulo citius, quam quatuor mensium spacio, hoc est, diebus 115, horis 21. Ita ut quotidie in epicyclo conficiat motu aequali gradus tres, minuta sex. Ita multo existimatur velocior Mercurius in suo epicyclo quam Venus, propter epicycli parvitatem, cuius diameter aequat longitudine diametros terrae quinquaginta et bessem. Ambitus igitur huius epicycli cōntinet diametros terrae 159 et quadrantem ferme. Unde colligitur unius gradus arcum in epicyclo Mercurii aequari nondum toti semidiametro terrae, sed tantum milliaribus 760 germanicis. Percurrit igitur Mercurius in suo epicyclo quotidie spacium longitudine aequale non totis duabus diametris terrae, sed tantum milliaribus germanicis 2356. In una vero hora peragrat milliaria germanica 98.

Iam si conferes utriusque Planetae motum in epicyclo, cernes Venerem in hora una duplo longius spacium percurrere quam Mercurium, qui tamen existimatur ferri in epicyclo velocius, cum ipse tres gradus et dextantem quotidie, Venus autem paulo amplius quam dimidium unius gradus conficiat. Sed causa est, quod unus gradus epicycli Veneris decuplo est maior quam unus gradus in epicyclo Mercurii. Habet enim Venus omnium Planetarum maximum epicyclum, ratione reliquorum suorum orbium. Qualium enim semidiameter eccentrici Veneris habet partes 60, talium semidiameter epicycli habet 43 partes. Hoc est, si semidiametro epicycli adderentur 17 par-

tes sexagesimae, aequales essent futuri orbes duo, epicyclus, et hunc deferens eccentricus.

Diximus autem supra, centrum epicycli Veneris ratione perigei eccentrici propius fieri terrae 17 semidiametris terrae, Mercurii autem quadraginta fere. Sed hic rursus consideretur insignis diversitas, qua hi duo Planetae motu suorum epicyclorum aliquando ad terram proxime admoventur, aliquando procul ab ea in altum subvehuntur. Nam ratione epicycli Mercurius amplius 50 diametris terrenis propior est nobis, cum tenet imam epicycli apsidem, quam cum in illius summo fastigio versatur. Atque has vices propinquitatis et altitudinis in epicyclo Mercurius post binos semper menses alternat, ut cum initio Ianuarii fuit in summa apside, post 8 hebdomades circa initium Martii fit in ima parte epicycli, et post alios duos menses circa initium Maii rursus in fastigio epicycli, ita ut quolibet anno ter nobis fiat propinquus ratione epicycli.

Venus autem quingentis et septuaginta terrenis ad nos accessit propius, quando imam partem sui epicycli tenet, et totidem diametris abest longius a terra, quando ad fastigium sui epicycli evecta est. Has autem vices permutat decimo quoque mense, ut cum principio Ianuarii fuit in summa apside sui epicycli, post novem menses circa medium Octobris imo epicyclo conspiciatur a nobis et maior et clarior, utpote ex multo propiore loco apparens.

Quod si Venus epicycli sui imam partem tenuerit circa brumam, quo tempore illius epicyclum cum Sole esse terrae proximum supra diximus, fit Veneris omnium maxima propinquitas ad terram, ita ut absit tantum 106 semidiametris terrae, cum alioqui quando utrunque tenet apogeon, eccentrici et epicycli, a terra absit 1380 semidiametris.

Ita si Mercurius in perigeo epicycli fuerit eo tempore, quando epicyclus proxime ad terram accessit, quod bis in anno fieri diximus mense Februario et Iunio, tunc quam potest omnium proxime Mercurius ad terram se demisit, ita ut absit a terra tunc 65 fere semidiametris terrae, cum alias, quando et eccentrici et epicycli apogeon tenet, absit a terra 206 semidiametris.

His tam insignibus mutationibus altitudinis et propinquitatis horum Planetarum haud dubie etiam effectiones in elementis et mixtis corporibus congruere conspicerentur, si quis diligenter observatis his altitudinis et humilitatis vicibus, effectus horum Planetarum cum diverso ipsorum situ ad terram conferret.

Dictum est autem supra, horum Planetarum semper mediam esse cum Sole coniunctionem, hoc est, Solem, Venerem et Mercurium habere lineas aequalium motuum perpetuo in eodem loco Zodiaci secundum longitudinem. Unde sequitur, hos Planetas non posse a Sole longius discedere, quam quanta est epicycli semidiameter, quod quidem in Venere perpetuum est, cuius epicycli centrum propemodum semper est in linea veri motus Solis, quae transit per corpus Solis. Quod enim non adfert differentiam trium minutorum, id hoc loco pro nihilo reputabitur.

Ut autem intelligas hanc digressionum rationem, imaginare duas lineas ab eodem centro mundi eductas, unam quidem per centrum Solis et propemodum etiam per centrum epicycli Veneris, alteram vero per centrum stellae Veneris ad coelum usque excurrere, has cogita coniunctas esse tum, cum Venus apogeum sui epicycli tenet. Inde cum Venus a Sole discedit, etiam lineae hae distabunt subinde ampliore intervallo, donec linea Veneris oram epicycli in sinistro latere continget tantum, et non secabit, ut prius. Et tunc erit in termino longissimae distantiae a Sole, a quo puncto contactus discedente Venere ad imam partem sui epicycli, haec linea iterum ad Solem regreditur, cumque venerit ad perigeum epicycli, rursus cum Sole coniungitur. Inde ascendente Planeta a perigeo epicycli, haec linea verum locum Veneris monstrans, iterum a Sole in alterum latus abscedet tamdiu, donec extremam oram epicycli in latere dextro attinget, ille iam rursus erit terminus longissimae distantiae a Sole, a quo loco Venere ascendente altius in epicyclo, prius dicta linea ad Solem iterum adpropinquabit, donec assecuta apogeon epicycli Soli iterum coniungitur. Itaque semper erit maxima digressio Veneris illud in coelo spacium, quod respondet semidiametro epicycli, seu quod complectuntur duae lineae ex eodem centro mundi eductae, quarum una transit per centrum Solis et epicycli, altera accumbit uni laterum epicycli, ita ut attingat epicyclum tantum, non secet.

Sed quia has lineas diducit eo ampliore intervallo semidiameter epicycli, quo propius ad commune centrum mundi accesserit, et easdem propius coniungi patitur, quo longius a centro mundi recedit, facile aestimari hinc potest, has διαστάσεις

Veneris a Sole inaequales esse, et quidem minores, quando centrum epicycli fertur circa apogeon eccentrici, maiores vero circa perigeon eccentrici.

Ponit autem Ptolemaeus minimam Veneris *ἀπόστασιν*, quae contingit in apogeo eccentrici, arcum Eclipticae continentem gradus 44, mi. 25. Maximam vero, quae contingit in perigeo eccentrici, continentem gradus 47, mi. 35. Vides exiguam esse minimae et maximae distantiae differentiam, cuius causa est, quod Venus admodum parvam habet eccentricitatem.

Sed Mercurii digressiones, etsi propter parvitatem epicycli breviores sunt, quam Veneris, habentis multo ampliorem epicyclum, tamen maiorem continent inaequalitatem arcuum in coelo respondentium semidiametro epicycli, propter magnam eccentricitatem Mercurii, quae aliquando novem partes sexagesimas semidiametri eccentrici continet, aliquando, cum minima est, tantum tres. Variatur enim eccentricitas Mercurii propter mobilitatem centri eccentrici.

Deinde inaequalia sunt spacia digressionum Mercurii non tantum propter accessum epicycli ad centrum mundi et recessum, sed ideo etiam, quod centrum epicycli non ita adhaeret lineae veri loci Solis, ut in Venere fere accidit, sed ab eo ultro citroque aliquando plusculis gradibus abesse potest, qui gradus vel addendi, vel adimendi arcui, qui semidiametro epicycli respondet, *ἀποστάσεις* Mercurii insigniter inaequales efficiunt.

Sed Ptolemaeus ponit terminum minimae *ἀποστάσεως* Mercurii, quae circa apogeum contingit, arcum Zodiaci continentem gradus tantum 16 et minuta 8. Maximae autem distantiae, quae fit in locis, ubi proxime Mercurius ad terram accedit, arcum constituit continentem gradus 27, mi. 37. Dictum autem supra est, in quibus partibus Zodiaci epicyclus Mercurii ad terram proxime accedat, et quibus id mensibus contingat, videlicet, circa 9 gra. ♓ et 9 grad. Cancri, quae loca epicyclus attingit mense Februario et Iunio, quod ideo repeto, ut si qui observare apparitionem Mercurii volunt, qui rarissime in his regionibus conspicitur, scire possint, quibus id temporibus facere debeant, tum videlicet, cum propter propinquitatem epicycli ad terram et corpus Mercurii maius cernitur, et longiores ipsius a Sole fiunt digressiones. Nam extra haec tempora maximarum digressionum, Mercurius non ita procul a Sole removetur, ut egrediatur illos limites, intra quos constitutae stellae a fulgore vicini Solis obscurantur, unde fit, ut rarissime appareat, praesertim in his regionibus, quarum horizon obliquior est, et raro ita ab exhalationibus liber, ut stellas vicinas Soli orienti aut occidenti conspiciendas praebeat. Accedit et haec causa, cur rarius videatur Mercurius in his septentrionalibus regionibus, quod plerunque ultra Eclipticam versus meridiem deflectit, ut paulo post dicetur.

Sed Venus, quae et corpus grandius habet, et plerunque versus septentrionem magis latitudine sua declinat, et longius a Sole digreditur, semper fere conspicua est. Imo quod mirum est, aliquando non totum biduum obscuratur, quando Soli coniungitur habens latitudinem magnam, ita ut vesperi post occasum Solis conspecta, interiectis duabus noctibus, mox altero die mane ante Solis ortum cernatur. Quin etiam, quod plus est, in regionibus serenioribus fieri aliquando potest, maxime circa primos gradus Arietis, ut initio et fine eiusdem noctis cernatur Venus, hoc est, ut et vesperi post Solis occasum conspicua sit, et eundem praetercurrens mane ante ipsum exorientem rursus appareat supra horizontem. Sed ibi necesse est et Venerem esse in septentrionali latitudine 6 gr. 20 min. habente minimum, et celeritatem motus in epicyclo accedere, quam habet Venus circa perigeum epicycli ideo praecipue, quod diurno motui Veneris in ima parte epicycli multo maius spacium in coelo respondet, quam in summa epicycli apside. Quo tempore etiam corpus ipsius grandius videtur et lumen fulgentius. Idem de Luna dicitur, quod eodem die nova et vetus conspici possit, concurrentibus omnibus causis, apparitionem eius primam maturantibus post coniunctionem, de quibus supra dictum est.

Sed hic etiam ortus et occasus discernuntur, non horum tantum Planetarum causa, sed etiam trium superiorum. Primum autem de vocabulo monendi sunt iuniores, ut sciant hic ortus appellari apparitiones primas, seu novas earum stellarum, quae aliquandiu radiis Solis obscuratae fuerant, quos ortus nunc nova voce in scholis appellant heliacos.

Sic etiam cogitent occasus hic dici earum stellarum, quae aliquanto ante supra horizontem mane vel vesperi conspicuae fuerant, primas seu novas obscurationes, evenientes ob accessum vel

Solis ad stellas, vel stellarum ad Solem. Hos occasus vulgo heliacos vocant.

Discernuntur autem hi ortus et occasus in duo genera. Vocantur enim alii ortus matutini, alii vespertini. Similiter dicuntur et occasus matutini et vespertini.

Estque ortus matutinus, *ἀνατολὴ ἑώα,* quando stella mane ante ortum Solis supra horizontem iterum conspicitur, quae paulo ante propter Solis vicini fulgorem non cernebatur.

Ortus vespertinus, *ἀνατολὴ ἑσπερία* est, quando stella apparere incipit vesperi mox sub occasum Solis, quae prius aliquot diebus propter Solis propinquitatem non cernebatur. Hi ortus ambo stellarum non procul ab Ecliptica discedentium semper coniunctionem ipsarum cum Sole sequuntur.

Occasus matutinus, *δύσις* vel *κρύψις ἑώα* est, quando stella ita prope ad Solem accedit, ut cum prius mane ante Solis ortum cerneretur, amplius conspici desinat.

Occasus vespertiuus, *δύσις ἢ κρύψις ἑσπερία* est, quando stella antea conspicua vesperi post Solis occasum, ita fit propinqua Soli, ut visum nostrum effugiat.

Hi occasus ambo in stellis vicinis Eclipticae, semper ipsarum cum Sole coniunctionem praecedunt.

Nunc consideretur discrimen.

Tres superiores Planetae, qui non ita ad Solis viciniam alligati sunt, sed libero incessu per totum Zodiacum vagantur, (nisi quod in epicyclo suum cursum accommodant ad Solis motum) oriuntur tantum matutino ortu, et occidunt tantum vespertino occasu, ut stellae coelo adfixae. Praecedit autem occasus vespertinus in tribus superioribus, quos tardius incedentes Sol tandem assequitur, et accedens primum fulgorem eorum hebetat, sed tamen aliquandiu adhuc post suum occasum ipsos supra horizontem conspicuos relinquit, quo tempore vocantur *ἑσπέριοι* et *ἑπόμενοι,* et minuti lumine, cuius tamen appellationis etiam haec causa esse potest, quae supra dicta est, quod Sole propius accedente, tres superiores in fastigia suorum epicyclorum attolluntur, unde postea necesse est propter altitudinem, eorum corpora cerni minora et minus fulgida.

Tandem propius accedens Sol prorsus eos suo splendore occultat, ut vesperi post Solis occasum non amplius appareant, sicut antea. Et tunc quidem dicuntur occidisse occasu vespertino, a quo tempore vocantur *ὕπαυγοι,* vulgo combusti, donec iterum incipiant conspici, id quod tum demum fit, cum Sol post coniunctionem praetergressus, eos, ut tardiores, post se reliquit tanto intervallo, ut rursus cerni possint. Tunc oriri dicuntur matutino ortu, vocantur et *ἑῷοι* et *προηγούμενοι,* et aucti lumine, non ideo tantum, quod Sol ab eis digrediens minus minusque eorum lumen hebetat, sed etiam quod ipsi tunc de arce epicyclorum suorum descendentes, terrae incipiunt esse propiores, unde et magnitudine et fulgore fiunt magis conspicui.

Sicut autem tres superiores tantum occidunt occasu vespertino, et oriuntur ortu matutino: ita econtra Luna occidit tantum occasu matutino et oritur ortu vespertino, propter celeritatem suam, qua longe vincens Solis cursum assequitur eum postremis diebus mensis, quibus mane ante Solis ortum ipsa aliquandiu conspicitur vicina horizonti, donec propius accedens tota occultatur. Deinde post coniunctionem a Sole digressa vesperi post Solis occasum iterum incipit emergere, idque alias serius, alias maturius, ut supra dictum est.

Sed hic etiam consideranda est differentia: Reliqui quinque Planetae a vicino Sole ita obscurantur, ut ipsi quidem suum lumen non amittant, sed tantum splendore lucis solaris obruantur et tegantur, sed Luna accedens ad Solem propius, non modo vincitur copia lucis solaris, sed etiam lumen suum amittit, hoc est, illam partem sui corporis, quae luce solari perfusa est, totam ipsi Soli obvertit, et ad nos alteram partem luce carentem convertit. Ita fit, ut Luna circa coniunctionem nostris oculis prorsus subtrahatur.

Sed duo inferiores, Venus et Mercurius, omnes has differentias ortuum et occasuum recipiunt, et praeterea etiam more trium superiorum omnes alias vices stationum, recti incessus, et reciprocationis obeunt, cum, ut supra dictum est, ita ad Solis propinquitatem alligati sint, ut ab eo fere non longius digredi possint, quam quanta est epicyclorum amplitudo. Perpetuo igitur quasi satellites, qui ministerio et custodiae corporis regii praefecti sunt, circa Solem versantur, et modo ad eum accedunt, tanquam mandata accepturi, aut ministerium aliquod praestaturi, modo rursus ab eo excurrunt, quasi speculandi causa emissi , ut viae pericula explorent, unde

tamen, ne longius a Regis custodia evagentur, mox iterum quasi revocati ad Solem approperant. His accessibus et recessibus binos ortus et occasus in unaquaque revolutione epicycli absolvunt, hoc videlicet ordine:

Quando post longissimam digressionem in dextro, hoc est, occidentali latere epicycli, ascendentes ad Solem accedunt, dicuntur *προηγούμενοι* et *ἑῷοι*, et minuti lumine, quo tempore etiam recto cursu incedunt, et ad apogeon epicycli sui simul et ad Solem contendentes, ante ipsius ortum conspiciuntur tamdiu, donec metas illas attingunt, ultra quas progressi, vi luminis solaris tecti occultantur. Hic est occasus matutinus, praecedens ipsorum cum Sole coniunctionem, sub quam etiam epicyclorum suorum apogea attingunt, et *ὕπαυγοι* dicuntur. Inde Solem praetergressi, ab apogeo epicycli descendunt, et cum attigerunt terminos, ultra quos distantes a Sole, vesperi post occasum Solis rursus conspici possunt, dicuntur oriri ortu vespertino, et appellantur tunc *ἑσπέριοι* et *ἑπόμενοι*, et aucti lumine.

Atque hoc modo recto cursu a Sole abeunt, donec attingunt eum locum sinistri seu orientalis lateris in epicyclo, quem monstrat linea educta ex centro mundi, epicyclum contingens. Hic locus cum sit terminus longissimae digressionis, non concedit his Planetis ulteriorem a Sole evagationem. Quare ibi cursum inhibent, et paulo post facti stationales eodem modo, ut de tribus superioribus dictum est, mox reciprocare incipiunt, atque ita ad Solem iterum accedere, quo tempore adhuc *ἑσπέριοι* et *ἑπόμενοι* appellantur, donec adeo Soli propinqui fiunt, ut a radiis eius occultentur. Tunc autem occidere occasu vespertino dicuntur, et *ὕπαυγοι* fiunt, ac postea Soli iterum coniunguntur, quando sunt in ima parte epicycli, a qua ascendentes usque ad terminos, intra quos cerni possunt, mane ante Solis ortum denuo conspiciuntur, quo tempore dicuntur oriri ortu matutino, et vocantur iterum *ἑῷοι* et *προηγούμενοι*, et adhuc contra ordinem signorum incedunt, a Sole longius abeuntes usque ad locum secundae stationis, ubi inhibentes gradum, etiam paulo post alterum terminum maximae digressionis in dextro latere attingunt, quem monstrat linea ex centro terrae emissa, et epicycli oram contingens. A quo loco redire ad Solem recto incessu incipiunt, ad easdem prorsus vices, ut dictum est.

Ex hac narratione intelligi potest, quod Venus et Mercurius, etsi celeritatem motus sui in epicyclis non attemperant ad Solis cursum, tamen ipsum ceu Regem suum in hoc observant, quod quoties illi coniunguntur, semper in apogeo aut perigeo, sui epicycli reperiuntur, et hunc servant ortuum et occasuum ordinem, ut post coniunctionem, quae fit in apogeo epicycli, oriantur primum vespertino ortu, ac deinde reciprocantes a termino longissimae distantiae a Sole, occidunt vespertino occasu, quo toto tempore dicuntur *ἑσπέριοι* et *ἑπόμενοι*.

Post alteram coniunctionem, quae fit in perigeo epicycli, oriuntur primum ortu matutino, et a termino maximae digressionis redeuntes ad Solem, occidunt occasu matutino, quo toto tempore vocantur *ἑῷοι* et *προηγούμενοι*.

Hactenus diximus de motibus horum Planetarum, quos habent in longitudinem, ab occidente in orientem et econtra super diversis orbibus, eccentricis et epicyclis. Nunc pauca addemus etiam de motu eorundem in latitudinem, quem habent magis varium, quam is est, quo Luna et tres superiores deflectunt ab Ecliptica versus septentrionem et meridiem. Sed tamen quia haec ratio latitudinum facile intelligi poterit ex iis, quae supra sunt dicta, erimus hic breviores.

Triplicem repererunt artifices in Venere et Mercurio latitudinis rationem, quarum unam eccentricis horum Planetarum, alias duas epicyclis tribuunt, et docendi causa vocabulis discernunt, appellantes eccentrici declinationem ab Ecliptica deviationem, quam Ptolemaeus *ἔγκλισιν τοῦ ἐκκέντρου* vocat, sed epicycli unam latitudinem, qua apogeum et perigeum illius a plano eccentrici declinat, vocant Inclinationem, Ptolemaeus similiter, ut priorem latitudinem, vocat *ἔγκλισιν τοῦ ἐπικύκλου*.

Alteram epicycli latitudinem, qua puncta in lateribus epicycli media inter apogeum et perigeum ab eccentrici plano recedunt, appellant Reflexionem, Ptolemaeus vocat distincta appellatione *λόξωσιν*, obliquationem.

Prima latitudo *ἔγκλισις τοῦ ἐκκέντρου* seu deviatio, est, qua planum eccentrici super diametro mundi movetur ita, ut apogeum eius a plano Eclipticae recedat et rursus accedat, motu simili cunarum agitationi, ac huius latitudinis nodi utrinque quadrante circuli, seu 90 gradibus

ab apogeo aequantis distant, et in Venere quidem, cuius apogeon cum Solis apogeo coniunctum creditur, ascendens seu attollens nodus est in 7. gradu Arietis, descendens seu devehens in 7. gradu ♎. In Mercurio vero, cuius apogeon aequantis diximus esse in nono gradu Scorpii, attollens nodus est in nono gradu ♌, devehens autem in gradu 9. signi oppositi ♒.

Est autem huius deviationis haec perpetua lex, ut cum centrum epicycli in nodis est, una sit et Eclipticae et eccentrici plana superficies, et nulla latitudo eccentrici. Sed cum epicyclus a nodo dextro versus apogeon eccentrici procedit, ipse eccentricus paulatim ab Eclipticae plano declinat, et ultra Eclipticam profert epicyclum, Veneris quidem semper versus septentrionem, Mercurii vero versus meridiem. Maxima autem contingit eccentrici ἔγκλισις seu deviatio, cum centrum epicycli fuerit in apogeo vel perigeo aequantis, in Venere quidem utrobique septentrionalis, continens minuta 10, in Mercurio vero meridionalis continens min. 45.

Haec mobilitas eccentrici accedentis ad Eclipticae planum et recedentis, est propria horum Planetarum, non communis cum tribus superioribus, quorum eccentrici servant eadem perpetuo intervalla declinationis maximae a plano Eclipticae.

Secunda latitudo, ἔγκλισις τῶν ἐπικύκλων seu inclinatio, similis est, quod ad motum attinet, eccentrici mobilitati, et convenit cum epicyclorum motu, quo tres superiores Planetae suas latitudines permutant. Nam et in his Planetis linea apogei et perigei veri super diametro longitudinum mediarum epicycli, a plano eccentrici evagatur, ita ut apogea et perigea epicyclorum a plano eccentrici declinent modo versus austrum, modo versus septentrionem, sed hac lege, ut nusquam a plano eccentrici abscedant, quando centrum epicycli est in apogeo eccentrici.

Inde vero recedente epicyclo, apogeon eius incipit deflectere a plano eccentrici, in Venere quidem versus septentrionem, in Mercurio vero versus meridiem, crescente semper latitudine, donec centrum epicycli attingit nodum sinistrum, ibi enim, cum nulla est eccentrici deviatio, maxima est epicycli inclinatio, Veneris septentrionalis continens in apogeo epicycli 1, gr. 3 min., in perigeo epicycli gr. 6, min. 22. Mercurii vero meridionalis continens in apogeo epicycli gr. 1, min. 46, in perigeo gr. 4, min. 5.

Recedente autem centro epicycli a nodo sinistro versus infimam partem eccentrici, haec latitudo iterum minuitur, donec epicyclus attingit perigeum, ubi iterum nulla est epicycli inclinatio, quando tamen est maxima eccentrici deviatio.

Sed epicyclo ab ima parte eccentrici ascendente, etiam apogeum epicycli incipit denuo a plano eccentrici recedere, in Veneris epicyclo versus meridiem, in Mercurii versus septentrionem, crescente semper hac inclinatione epicycli, donec ad alterum nodum dextrum perveniat, ubi nulla est eccentrici deviatio, et maxima epicycli inclinatio, continens totidem gradus et minuta, quot prius sunt commemorata.

Tertia latitudo prorsus est peculiaris his duobus Planetis, quae λόξωσις a Ptolemaeo, a recentibus Reflexio vocatur.

Nam et latera epicycli, hoc est, puncta media inter apogeum et perigeum epicycli agitata vicissim super diametro veri apogei et perigei a plano eccentrici recedunt certo intervallo, et rursus accedunt, imitantia motum antennarum in navibus hac videlicet perpetua lege, ut quoties centrum epicycli est in nodo attollente seu dextro (in quo situ maximam diximus esse epicycli ἔγκλισιν) puncta longitudinum mediarum in epicycli lateribus sint in plano eccentrici, et nulla fiat reflexio. Sed cum inde recedit epicyclus, latera eius torqueri incipiunt a plano eccentrici, in Venere quidem versus septentrionem, sed in Mercurio versus meridiem, eaque reflexio augetur tam diu, donec centrum epicycli ascenderit ad apogeon eccentrici, ibi cum ἔγκλισις epicycli nulla, eccentrici autem maxima est, ut supra dixi, contingit etiam reflexio epicycli maxima, quae in Venere quidem continet pariter in apogeo et perigeo eccentrici 2 gradus et semissem. In Mercurio vero continet in apogeo aequantis 2 gradus et 15 minuta, in perigeo vero 2 gradus et 45 minuta. Hanc inaequalitatem hic rursus efficit magna Mercurii eccentricitas.

Haec est latitudinum ratio in his inferioribus duobus Planetis, aliquanto magis varia, quam trium superiorum. Sed hic observanda est mira temperatura harum latitudinum, qua Deus haud dubie certo consilio cavit, ne ambo hi Planetae,

terris vicini, saepe in eandem partem mundi simul incumberent, sed vicibus partitis alternarent latitudines, et simul ut Regi suo a diversis plerumque lateribus assisterent et ministrarent. Est enim hoc perpetuum, quod Venus omnes latitudines suas perficit in contrariam partem latitudinum Mercurii, et econtra. Nam et eccentricus Veneris defert suum epicyclum tantum versus septentrionem, Mercurii eccentricus econtra suum tantum versus meridiem, nec fit aliqua hic vicissitudo. Et in epicyclis similis est ratio, cum sunt siti in iisdem partibus suorum eccentricorum, hoc est, pariter vel in apogeo, vel in perigeo, vel in uno nodo. Nam ubi Venus, vel inclinatione, vel reflexione sua evagatur versus septentrionem, ibi Mercurius discedit iisdem latitudinum differentiis in contrariam plagam australem, et econtra, permutatis semper vicibus.

His tribus latitudinibus conflatis reperitur Venus citra Eclipticam aliquando versus septentrionem distans 7 graduum et 24 minutorum intervallo, versus meridiem vero ultra Eclipticam 6 graduum et 46 minutorum.

Mercurius vero versus meridiem aliquando abit ultra Eclipticam 4 gr. 33 min., versus septentrionem vero ferme 4 graduum intervallo.

Hactenus exposita est ratio motuum, quibus feruntur duo lumina, et caeterae quinque stellae, quae propter varietatem cursuum *πλανῆται* antiquitus appellantur. Sumus autem secuti in describendis illis Ptolemaei hypotheses, quae tot seculorum testimonio comprobatae, non temere convelli debent. Et sicubi a Ptolemaei tempore ad nostram usque aetatem (quod intervallum continet amplius mille quadringentis annis) apogeorum et latitudinum loca in alias partes Zodiaci translata sunt, mutuati sumus numeros a recentium artificum observationibus.

Videri autem poterit aliquibus intempestiva hoc in loco motuum coelestium tam prolixa expositio, quae alibi traditur accuratius, et a physica doctrina censetur seiungenda. Sed nos multas causas habuimus, cur hanc narrationem de motuum legibus huic physicae parti attexendam esse duceremus, quas hic omittimus, et hortamur adolescentes, ut pleniorem huius suavissimae partis physicae cognitionem ex Ptolemaei magno opere haurire studeant, quod huius doctrinae fontes continet, et nunc in Academia hac publice fideliterque explicatur.

Τέλος.

LIBER SECUNDUS.

Nunc Deo ducente et iuvante ingredimur eam partem Physices, quae usitate sic adpellatur, estque consideratio materiae et qualitatum in materia, et earum effectionum, quae sunt causae mutationum in corporibus, ut generationum, nutritionum, alterationum, corruptionum, deinde et partium in corporibus, et causarum propinquarum et remotarum, quantum acie humanae mentis in hac infirmitate perspici natura potest.

Quanquam autem magna est caligo humanae mentis et natura penitus introspici non potest, tamen haec ipsa doctrina, quam Deus notam esse voluit, necessaria est hominum vitae, ut manifestum est, ad tuendam valetudinem necessariam esse qualemcunque cognitionem partium humani corporis, deinde qualitatum, quae cum quibus consentiant, aut pugnent, quae causae nutriant corpora, quae faciant mutationes, alterationes et corruptiones.

Haec consideratio primum movit aliquos ingeniis praestantes, ut ordinem huius doctrinae instituerent, discernerent corpora et qualitates, et causas mutationum et mixtionum quaererent, ac deinde progrederentur ad quaerendas causas remotiores, et ut ita dicam, primam corporum compositionem.

Et haec ipsa deductio ad primam originem, monstratrix est Dei, et doctrina de ordine causarum convincit mentes, ut fateri cogantur, esse Deum mentem architectatricem, cum reliquae totius naturae, tum vero humanae, cui impressit noticias, quae ostendunt aliquo modo, et quid sit Deus, et qualis sit eius voluntas, scilicet regulam tenens discernentem honesta et turpia.

Haec deductio ad primam causam ex vestigiis naturae, valde grata est bonae menti, et honestas de Deo opiniones confirmat.

Rursus igitur et haec ipsa utilitas physices, et caeterae, non solum in hoc operis initio, sed subinde in toto cursu studiorum, et in omni vita considerentur.

Etenim non solum in tuenda valetudine et medicatione, sed etiam in explicatione doctrinae coelestis, necesse est naturam hominis, partes et qualitates, et causarum varietatem cognoscere.

Et quanquam ex medicorum animadversione, primum haec doctrina extructa est, tamen postea usus patet latius, et hoc ipsum, ut dixi, bonis mentibus gratum est, quod deducit mentes ad agnitionem Dei, et humanam naturam, tanquam effigiem, confert ad divinam.

De Principiis.

Cum quasi compositio corporum initio investigetur, inchoatur physica a doctrina de principiis.

Nec prorsus vocat idem Aristoteles principium, quod causam. Nam causae sunt, quae agunt aliquid in effectione rei, aut sunt partes constituentes rem. At principia sunt partes constituentes, aut inclinantes ad mutationem.

Aristoteles autem omissa causa efficiente universali nominat tria principia, materiam, formam, et privationem. Prius enim deducit auditores ad materiam et corpora in conspectu posita, et eorum mutationes, postea in fine physices disserit de causa efficiente universali, quia doctrina de serie causarum tandem deducit mentes ad primam causam.

Ordine autem dicemus, quid materiam, quid formam, quid privationem vocet. Sed prius recitabo, quomodo cum Aristotele congruant Platonis et Stoicorum sententiae.

Plato tria constituit principia, Deum, Materiam, et Ideam. Erudite a Deo orditur. Cum enim materia sine alio movente et ordinante ociosa sit, necesse est addi efficientem causam. Quare Aristoteles, etsi initio non fecit mentionem efficientis causae, tamen postea eam adiunxit. Democritus vero et Epicurei, cum prorsus reliquerint efficientem causam, non recte iudicarunt, quia materia sine alio movente, nec distribuit ipsa sese certis legibus, nec alia corpora gignit.

Addit autem Plato ideam, quod est adfine Aristotelis sententiae, qui addit formam materiae. Sed Aristoteles tantum intelligit formam, quam induit materia. Plato vero ideam intelligit imaginem operis in mente divina, iuxta quam, ut ita dicam, exculpitur forma, quae in corporibus conspicitur, ac sicut architectus imaginem aedificii prius in mente pingit, ita Deum cogitat imaginem totius opificii mundi, et ordinis corporum et animantium in sua mente primum quasi delineasse, ad quod exemplum deinde universam machinam et corpora, motusque stellarum et animantia fabricavit.

Haec sententia Platonis eo est magis amanda et probanda, quod diserte adfirmat, mundum non casu, aut aliqua necessitate confluxisse, sed deliberatione, et quasi arte Dei extructum esse. Ideo libenter hanc Platonis sententiam initio recensui, ut pius lector ea, quae supra dicta sunt contra fatalem necessitatem, repetat.

Stoici duo principia ponunt, *λόγον καὶ ὕλην*, mentem et materiam, qui quod efficientem causam complectuntur, recte iudicant. Sed postea illi aeternae menti compedes iniiciunt, cum sua somnia de necessitate addunt, quasi illa mens ideo talem fuderit naturam, et in aeternum ita cieat eam, quia nec potuerit aliam fundere, nec possit eam aliter movere, quam sicut ruit materia. Relinquamus ergo Stoicorum et multarum aliarum sectarum deliramenta, et Aristotelica mediocriter explicemus.

Cur Aristoteles non ut Medici ab elementis orditur?

Initio in consideratione huius inferioris naturae observandum est, alia corpora esse mixta, alia simplicia. Sunt autem prima et simplicia quatuor elementa, non enim iam de coelo dicimus, videlicet Ignis, Aër, Aqua, Terra. Ex his Medici componunt mixta, et in haec resolvunt. Nec alia extrema oculis cerni possunt.

Quaerat igitur aliquis, cum haec sint prima corpora oculis subiecta, cur non in his resistit Physicus? quid opus est quaerere ultra haec materiam, quae non cernitur oculis, nisi quatenus ipsa elementa cernuntur?

Hac quaestione explicata, facilius intelligi poterit, quid sit apud Physicos materia.

Sic igitur respondeo: Physici non solum gignunt mixta corpora ex elementis, sed quaerunt etiam causas, cur elementa inter sese misceri, ac transmutari possint, quia causas generationum et corruptionum in natura scrutantur. Non possunt autem corpora inter se transmutari, nisi subiectum cognatum sit, recipiens alteram formam, abiecta altera. Ex aqua non posset gigni aër, nisi materia aquae recipere posset formam aëris, priore forma abiecta. Alioqui fieret aër ex nihilo. Sed natura testatur, non gigni ex nihilo aliquid. Si enim id quod fuit aqua, prorsus deleretur, nec quasi commune semen maneret, ut ita dicam, prorsus ex nihilo aër post dissolutam aquam existeret.

Ut igitur transmutari inter se elementa possint, necesse est commune aliquod et cognatum principium esse, recipiens mutationes. Id cognatum in elementis dicitur materia, et principium corporum, et ultimum subiectum generationum.

Erudite igitur Physici non ab elementis, sed a materia exordiuntur, ut ostendant transmutationes non fieri ex nihilo, et monstrent, cur elementa inter se transmutari possint. Hic duae sententiae communissimae, quae in Physicis subinde repetuntur, statim in aditu operis se offerunt. Prior: Ex nihilo nihil fit, quod intelligas de naturalibus generationibus, quales nunc sunt in natura sic ordinata. Caeterum doctrina Ecclesiae adfirmat, Deum ex nihilo condidisse totum mundi opificium, et animantia, quae continet. Sed Aristoteles ideo mundum esse aeternum disputat, ne ab hac sententia discedat: Ex nihilo nihil fit. Ideo mundum necessario cum prima causa existere cogitat, et tamen Deum mundi causam esse concedit, videlicet, ut ignis est causa caloris, qui semper simul est cum igne.

Fatetur et hoc, non oriri motum a materia, sed ab illa ipsa efficiente causa.

Altera sententia postea profutura est in multis disputationibus etiam Medicorum: In omni mutatione oportere subiectum cognatum esse, quod recipit formam. De hac sententia infra dicetur, ubi disputabitur, quae corpora a quibus adfici possint, seu quae naturae inter sese agant et patiantur, ut calidum proprie non certat cum albedine, nec figura cum caliditate aut frigiditate, aut humiditate, aut siccitate. Sed certantia inter se mutua actione, oportet esse, ut infra dicetur, genere convenientia et differentia specie, ut calor et frigus genere conveniunt, et specie differunt. Haec obiter hic recitamus, ut illae communissimae sententiae statim initio discentibus familiares fiant.

Quot sunt Principia? Et quid est Materia?

Tria esse principia Aristoteles dicit, materiam, formam, et privationem. Et cur hunc numerum posuerit, postea dicemus, explicatis definitionibus.

Materia est primum subiectum unicuique, ex quo fit aliquid, tanquam ex eo, quod inest, ac non secundum accidens, et in quod ad extremum res resolvitur. Haec descriptio videtur obscura, quia nec cernitur oculis, nec est unquam materia sine ulla forma. Sed cogitatione discernendum est subiectum, in quo forma et recipitur et pellitur.

Plato in Timaeo haec crassius pingit, quasi digitis monstraturus materiam. Iubet elementum aliquod intueri, quod cum varias formas induat, intelligi oporteat esse aliquam naturam capacem variarum formarum, priorem ipsis elementis, ut cum videmus aquam alias dissipari in aërem, postea aërem fieri ignem, alias concretam aquam densari, ac terram fieri. Non aqua, inquit, sed illud quod alias aquae speciem habet, alias aliam speciem, prima corporum quasi mater est. His enim verbis in Timaeo utitur: *πάσης γενέσεως ὑποδοχὴ οἷον τιθήνη*, id est, omnis generationis receptaculum est, velut nutrix.

Hanc quasi imaginem aspicientes, videlicet varias aquae mutationes, facilius cogitare possumus, esse aliquod commune elementis subiectum. Et considerata hac imagine facilius Aristotelica definitio intelligetur.

Ac ordine verba definitionis expendantur. Dicitur materia primum subiectum, ut significetur natura quaedam elementis communis.

Deinde sequitur in definitione apud Aristotelem: Ex quo fit aliquid, tanquam ex eo quod inest. Vult enim significare, materiam in composito manere, cum fiunt substantiae, et substantiarum originem esse materiam. Fit autem non secundum accidens. Id dicitur ad discernendas generationes, et artificiales mutationes. Nam cum statuarius ex lapide Mercurium facit, fit aliquid, sed per accidens. Manet enim substantiae

prioris forma substantialis. Sed artifex figuram efficit, quae est alia atque alia partium lapidis locatio, ut galeae, capitis, colli, pectoris, brachiorum, dissimilis positus, figura est Mercurii, hac fabricatione forma accidentalis lapidi additur. Haec puerilia discrimina substantiarum et accidentium sint in conspectu.

Nec ero prolixior in huius definitionis explicatione, propter exilitatem harum disputationum. Illud tantum memineris, oportere Physicos haec de materia quaerere, ut monstrent causam, cur elementa inter sese transmutari possint, quod siquis animadvertet, et cogitationem de materia aliquam instituere poterit, et definitionem intelligit.

Quid est Forma?

Est quae dat esse rei. Haec est vulgaris et non inconcinna definitio, quam intelliges facilius, si ipsam rerum generationem intuearis.

Erit igitur magis physica definitio: Forma est finis generationis, hoc est, ipsa rei, ut ita dicam, exaedificatio. Est enim, ut vocant, terminus generationis, ut res sic genita, absoluta et exaedificata, vocatur forma, ut forma substantialis bovis vocatur, qua res illa sic existit quiddam vivum, distinctum a caeteris animantibus. Nec imaginemur materiam et formam, quasi duo corpora esse, materiam, ut Roscium, formam, ut vestem histrionis, sed unica integra substantia genita et quasi exaedificata est, cum talis est materiae forma.

His declarationibus non subtilissimis contenti simus, quia haec dialectica magis sunt, quam physica, et qui postea in his disputationibus longius progredientur, et aliquomodo naturam aspicient, planius haec intelligent.

Quid est Privatio?

Mediocriter intelligi potest, cur materia et forma vocentur Principia, quia manifestum est, in generationibus oportere quasi semen aliquod esse, in quo aliqua forma paulatim adolescat. Et formarum non solum diversitatem, sed etiam certum numerum esse oculi testantur. Alia forma est hominis, alia bovis, alia pomi, alia violae. Ac certitudo in tanta varietate, manent enim specierum discrimina, ostendit, non temere confluxisse materiam, ut fingunt Epicurei, sed fuisse mentem architectatricem, quae quasi arte aliqua formas distribuit, intuens ideam, seu exemplar prius cogitatum. Quare Plato satis erudite addidit principiis ideam.

Sed unde Aristoteles privationem exculpsit? Prodigii simile videtur privationem inter principia numerare, quae defectum magis significat, quam vim gignendi aliquid.

Etsi autem novum inventum est Aristotelis, tamen non inerudite cogitatum est. Et quid moverit Aristotelem, postea dicam, ubi prius monuero, quid significet vocabulum, quod dialecticis satis notum est.

Privatio non simpliciter significat negationem, sed defectum formae, quae adesse poterat, et natura adpetitur. Ut lapidem non dicimus coecum esse, aut carere visu, sed animal. Nam in animali existere visus potest, et quidem natura animalis adpetit visum.

Praeterea et subiectum aliquod complectitur privatio, negatio non item. Ut cum dico coecum, saucium, complector subiectum, in quo est defectus, seu laceratio ac disiunctio partium. Sed cum dico: Bucephalus nihil est, negativa oratio est, nullum subiectum monstrans. Haec ex dialectica nota sunt, nec sunt inania figmenta, sed in multis negociis hac distinctione opus est, ut manifestum est aliquid interesse inter has formas loquendi: Lapis est natura non videns, et Homerus est coecus.

Duo igitur continet adpellatio privationis: Defectum et adpetitionem, seu inclinationem, seu potentiam ruentem ad formam, quae nunc quidem abest, sed tamen adesse potest. At utamur nos nomine Adpetitionis, ut alii usi sunt, magis quam inclinationis, aut potentiae vocabulo. Nam et Aristoteles usus est verbis ἐφίεσθαι καὶ ὀρέγεσθαι, quae propius significant adpetere, cum ait: Materia sic adpetit formam, ut foemina marem, et turpe pulchrum.

Explicato vocabulo consilium Aristotelis consideremus.

Vidit Aristoteles, praesertim cogitans aeternitatem, mirabilem esse vim naturae ex una eademque materia adsiduis corruptionibus, alia atque alia corpora generantem, quas corruptiones in caeteris rebus minus miramur, quam in homine. Intuens igitur mortem hominis, cogitavit miram quandam vim esse incitatricem materiae ad alias formas, ut praestantissima forma tam atrociter abiiciatur. Cum enim materia appetat

formam, et naturali lege atque consensu mirabiliter ea delectetur, semel amplexa materia Platonis gratam formam, nunquam eam abiiceret, nisi simul in materia esset privatio, id est, defectus aliarum formarum, et ingens adpetitio ruens sine fine ad alias formas.

Ut igitur causam exponeret, non solum unde sint corpora, sed etiam unde sit illa corruptionum et generationum adsiduitas, pinxit in materia illam infinitam adpetitionem ruentem ad alias formas. Et hanc privationem vocavit.

Illustrior tota haec doctrina fit, collata ad mortem hominis, ubi privationis saevicia conspectior est. Si enim homo non esset mortalis, seiungeremus eius materiam a plantis et pecudibus et corporibus inanimatis, nec videremus in infinitum fieri materiae vicissitudines, ex pomo carnem, ex carne hominem, et rursus ex homine resoluto in elementa, pomum.

Sed Aristoteles sentiens infinitam aeternitatem esse generationum et corruptionum, imaginatur hanc aeternitatem impossibilem esse, nisi similis sit materia hominum et aliorum corporum. Ideo mortem existimat naturae ordine competere homini et privationem illam, id est, ruentis materiae adpetitionem sine fine, pariter tribuit hominum et aliorum corporum inferiorum materiae. Cogitemus igitur, quantam praestantiam amiserit homo, postquam morti subiectus est, et ad hanc doctrinam de privatione collocemus filium Dei. Hic tollit rursus ex hominis natura Aristotelicam privationem, quia mirando et inenarrabili modo millies dissipatum corpus colligit, et liberat ab interitu. Non est iam in Eliae corpore Aristotelica privatio.

Quoties igitur de privatione in his physicis materiis disserimus, humanae miseriae et mortalitatis nomen audire nos agnoscamus, et rursus ab hac privatione liberari nos per filium Dei sciamus.

Postquam haec exposui, ut consilium Aristotelis magis conspici et intelligi possit, addam definitionem usitatam.

Privatio est defectus formarum, quas adpetit materia, propter quem materia obnoxia est mutationibus. Nam propter defectum et idonea est ad alias formas recipiendas, et ruit, ut aliam formam recipiat. Quare Aristoteles dixit, privationem causam esse corruptionis: *τὸ γὰρ φθειρόμενον ἐν τούτῳ ἐστὶ στέρησις,* quae ipsa sententia indicat hoc fuisse consilium Aristotelis, quod recensuimus, videlicet, ut causa ostendi possit, cur sint aeternae vicissitudines generationum et corruptionum, positam esse in materia hanc adpetitionem ruentem sine fine ad alias formas.

Ita ne privationem et formam ponit Aristoteles, ut Empedocles litem et amicitiam principia posuit?

Non idem consilium fuit, sed Empedocles, ut Medici, exorsus est a qualitatibus elementorum pugnantibus. Ut sensu percipimus fieri alterationes, quia calor et frigus inter sese pugnant, item humiditas et siccitas. Ex alterationibus autem temperamenta labefactantibus fiunt corruptiones. Haec sententia plana est, nec tam procul quaerit causas mutationum, ut Aristotelica.

Vocavit autem Empedocles litem, dissentientes et pugnantes inter se qualitates. Et litem causam esse corruptionum ait. Rursus amicitiam ait causam esse generationum, et sic vocat qualitates inter se consentientes: Calidum procreat calida, humidum humida. Hae sententiae congruunt cum physicis principiis: Contraria a contrariis corrumpi. Similia a similibus oriri et ali. Item: Generatio unius est corruptio alterius. Nam cum ignis gignitur ex aëre, necesse est aëris formam expulsam esse.

Cum autem elementa contrarias qualitates habeant, pugnant inter se, et facilior est transmutatio eorum, quae habent aliquam cognationem, hoc est, quarum aliqua est similis qualitas, ut facilius ex aëre fit aqua, ut ex vaporibus pluviae fiunt, quam ex aqua ignis. In hanc sententiam inquit Empedocles:

> Iungit amor quandoque elementa, et semina rerum,
> Dissiliunt odiis eadem certantia rursus,
> Sic res gignit amor, sed non durabile quidquam
> Nascitur, inque vices mutantur cuncta subinde.
>
> *Ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἓν ἅπαντα,*
> *ἄλλοτε δ' αὖ δίχ' ἕκαστα φορεύμενα νείκεος ἔχθει.*
> *τῇ μὲν γίγνονται, καὶ οὔ σφισιν ἔμπεδος αἰών,*
> *τῇ δε τάδ' ἀλλάσσονται διάμπερες, οὐ δ' ἅμα λήγει.*

Inquit et alio loco:

> *γλυκὺ μὲν γλυκὺ μάρπτε, πικρὸν δ' ἐπὶ πικρὸν ὄρουσε.*

Ex his versibus satis apparet, quid litem et amicitiam nominaverit, et cur ea velit esse prin-

cipia, quia videlicet in elementis et aliis corporibus causas alterationum esse videt pugnantium inter se qualitatum actionem, et faciliorem esse transmutationem, ubi aliqua similis est qualitas. Pugnantia pelluntur a pugnantibus, et similia rapacia sunt similium, ut dicitur: Simile amicum simili.

Orditur igitur physicen, ut Medici, ab elementis et eorum qualitatibus. Nam et Galenus in libro de Elementis abiicit illas nimis exiles disputationes de materia prima, de qua Aristoteles loquitur. Et Hippocrates reprehendit Melissum, qui dixit unum quoddam esse principium commune, ex quo omnia alia corpora orta sint, tanquam ex semine. Hippocrates contra inquit, corpora mixta necessario ex pluribus et diversis corporibus constare, quia alioqui non essent obnoxia alterationibus atque corruptionibus. Nec vero multum differt sententia Melissi ab Aristotelica.

Sed his tenuibus disputationibus omissis, teneamus, quod verum et certo comprehensum est, prima corpora simplicia esse, coelum et quatuor elementa, ac deinceps mixta ex elementis extruamus, nec curiose aliam priorem materiam quaeramus.

Praetereo etiam volens multorum furores de principiis. Democritus componit mundum ex atomis, et hos ait subinde aliter ruere, ac propterea subinde alios mundos nasci, et eosdem occidere. Sicut Lucretius libro secundo de Atomis inquit:

Semina mundi,
Multi modis volitant aeterno percita motu.

Haec prodigiosa deliramenta Epicurus postea amplexus est, ut sunt multae pravae naturae, quae tantum perversitate quadam amant absurdas opiniones, non quod probent. Sed omnes sani exploserunt. Ac Cicero de Democrito inquit: Neminem maiore autoritate, maiores nugas dicere. Et facilis est refutatio, impossibile enim esset manere easdem leges motuum et species certas omnibus temporibus, si confusio atomorum subinde alios mundos gigneret.

Addatur et haec ratio: Cum impossibile sit intelligentem naturam a bruta oriri, non existit humana natura ex atomis sine mente aliqua et casu, cum humana natura non solum sit intelligens, sed etiam universaliter habeat insitas noticias firmas et immotas, ut numeros et leges naturae, quas congruere ad aliquam aeternam regulam in mente conditrice necesse est.

Nec illud dici potest infinita esse principia, seu magnitudine, seu numero, quia nulla est magnitudo actu infinita. Et si numero infinita corpora essent, etiam essent infinitae magnitudines, ut de atomis fingunt. Haec omnia refutantur unica satis illustri demonstratione, quam supra recitavimus, quae ostendit, mundum esse corpus finitum, quia impossibile est corpus infinitum moveri circulariter.

Hanc de principiis doctrinam ab Aristotele traditam, breviter complexi sumus. Nec argutas disputationes, quae hic agitantur, persecuti sumus, sed haec initia, quorum cognitio ad sequentia prodest, excerpsimus, ut ea, quae inde extruuntur, facilius intelligi possint. Postquam enim in primo libro Physicorum Aristoteles de materia corporum et forma dixit, postea in secundo discernit res naturales et artificiales, et cum de principiis rei naturalis dixit, postea de causis et de proprietatibus, motu, loco et tempore disserit.

De re naturali.

Quae sunt res naturales?

Physicus necessario discernit res naturales ab artificialibus. Quaerit enim causas non eorum, quae voluntate hominis et artibus efficiuntur, quorum ratio extruitur ex noticiis, quae regunt vitam, aut gignunt artes, sed propagationis et propriorum motuum, quos habent corpora per sese ex sua substantia. Et aspicienti res, non difficile est iudicare, quae sint naturales, quae artificiales, ut lapis nascitur talis, et per sese fertur deorsum. Machina bombardica arte talis facta est, et ars inventa est ad expellendum globum. Cum enim incendium efficacissime pellat, quia spacium sibi quaerit, res coniunctae sunt, quae et per sese vim pellendi haberent, videlicet Nitrum, et quarum flamma non suffocaretur ut aliarum, quae tenuiter concipiunt incendia.

Definit igitur Aristoteles res naturales esse, quae in ipsa substantia causam motus et quietis habent. Et sic vocat tum ipsas substantias, tum qualitates et motus, quorum causa est substantia ipsa, non ars. Ut animal est res naturalis, non enim fit arte, et substantia ipsa causa est certorum motuum sine arte, ut nutritionis, augmentationis.

Temperamentum seu κρᾶσις est res naturalis. Nascitur enim cum forma substantiali animantis.

Lumen in oculis est res naturalis, non enim fit arte.

In Iosquino inclinatio ad Musicen est res naturalis. Nam inclinatio illa non potest effici arte, neque in Iosquino, neque in aliis.

Ita memineris res naturales dici substantias, qualitates, et motus, qui non extrinsecus assumuntur, sed cum ipsa substantia nascuntur. Haec ita plana et puerilia sunt, ut non indigeant longa declaratione. Constat enim nasci substantias, quae et qualitates secum adferunt insitas, et vim ad certos motus efficiendos. Sic enim condita est natura, ne sit ociosa.

Ideo definitio naturae apud Aristotelem haec est: Natura est causa motus et quietis eius, in quo est principaliter, et non per accidens.

Sed recens auditor, commemorata hac brevi descriptione, quae videtur nomen utcunque explicare, non intendere digitum ad rem aliquam monstrandam, quae ciet corpora, flagitabit explicationem magis perspicuam. Quid enim haec Aristotelica aliud dicit, quam naturam vocari aliquid in corpore, quo per sese et principaliter cietur corpus, ut in igni aliquid est, quod per sese et principaliter eum agitat sursum. Sed quae res illa est, sic agitans? Forma ne an qualitates eius corporis, calor et siccitas? Id Aristoteles non addit.

Sed Stoici ut huic quaestioni occurrerent, tradiderunt aliam definitionem, cuius etsi sermo non congruit cum Aristotelico, tamen sententia dextre intellecta, multa monet. Verba haec sunt: Natura est ignis arte progrediens ad generationem.

Quam peregrinam adfers inquiet aliquis, et alienam ab Aristotelica consuetudine definitionem? Ego vero eam recenseo, ut melius conspici possit, quam sit exigua et generalis descriptio Aristotelica, deinde addita concinna enarratione, non insuavis erit haec stoica definitio.

Ait esse ignem, id est, caloris originem, seu fontem, quicunque ita nominari potest, seu ignis, seu vis aetherea. Ipsi ignem vocarunt coelestem et elementarem, ac deinde cum a coelesti, tum ab elementari senserunt oriri formas et animas, quas ipsas etiam ignem esse dixerunt. Hanc vim, seu hunc fontem caloris, recte dicunt illud ipsum esse, quod impellit corpora ad actiones et generationes. Calor enim est efficax, congregat cognata, et dissipat non cognata, ut in hominis coctione calor excitat ventriculum et epar, ut cognata attrahant, et dissipent non cognata.

Sed cur inquit, arte progrediens ad generationem? quia significat a mente aliqua architectatrice species omnes ita ordinatas esse, ut similia a similibus procreentur. Denique ut in quolibet certus sit modus generationis, aliter gignit homo, aliter planta, et tamen in utroque calor est fons generationis, sed hic fons simul gubernatur a causa universali, quae sic ordinavit naturam, quasi arte, ut quaelibet species similia procreet.

Monstrant igitur Stoici rem aliquam, quam vocari naturam volunt, scilicet, illum in corporibus calorem, sed certo modo ab aeterna mente ordinatum, qui modus quasi ars est cuiuslibet speciei.

Etsi autem ad omnium fere mixtorum generationes concinne accommodari haec stoica definitio potest, tamen non suscipiam eius patrocinium. Recensui autem, ut collatio ostendat, quid in Aristotelica desideretur, quae est multo generalior, et fere tantum nominis enarratio, ut si dicam: Solis orbis movetur natura ab occasu versus ortum, quia in ipso vis est interior sic ciens. At ab ortu in occasum movetur non natura, sed rapitur ab alio exteriore orbe. Hic mens cupiens intus aspicere naturam, quaerit quae res illa sit, quae orbem Solis cieat, ut sponte ab occasu versus ortum feratur.

Ita dicimus: Zinziber natura humectat, id est, non per aliud externum, sed mens avida cognoscendae causae, quaerit, quae res sit illa, qua Zinziber humectet, cum tamen valde calefaciat, et sit actu siccum.

Ex his collationibus utcunque intelligi potest, quid avidus auditor in Aristotelica descriptione desideret.

Medici planius loquuntur, quasi digito rem ipsam monstrantes, quam volunt adpellatione naturae significari. Nam Galenus in tertio libro de Temperamentis ait: Naturam cum dico, substantiam totam et temperamentum significo ex primis elementis, calido, frigido, sicco et humido conflatum. Verba haec sunt: *φύσιν δ' ὅταν εἴπω, τὴν ὅλην οὐσίαντε καὶ κρᾶσιν λέγω, τὴν ἐκ τῶν πρώτων στοιχείων θερμοῦ καὶ ψυχροῦ καὶ ξηροῦ καὶ ὑγροῦ.* Loquitur enim de mixtis. Cumque hoc modo ad substantiam et temperamentum deducimur, quae res sit, quae vocatur natura, ma-

gis intelligitur: ut cum dicimus, vinum natura alit, dicimus totam substantiam et temperamentum, tale quiddam esse, ex quo facultas nutritiva sanguinem gignit nutrientem corpus. Quo enim temperamentum vini melius est, eo copiosior et purior sanguis gignitur.

Absinthium pellit rubram bilem, et iuvat epar sua natura, id est, quia substantia ac temperamentum tale est, ut pugnet cum bile, et conveniat epati. Hic naturam vocas, tum substantiam, tum temperamentum, tum *δύναμιν*, quae est temperamenti efficacia, nec re ipsa discernitur a temperamento. Hae Medicorum locutiones videntur planiores, a quibus non discrepat quod Aristoteles tandem eo delabitur, ut naturam esse dicat formam substantialem.

Nec volo prolixius persequi has, de adpellatione, aut definitione, disputationes, in quibus multae sunt aliorum *λογομαχίαι*. Hoc satis fit discenti, considerare, necessarium esse discrimen naturalium et artificialium, quia necesse est Physico considerare, quae, quam vim, et quos motus ex sua natura, et per sese habeant, quae cieantur externis causis. Ignis sua vi sursum fertur, at lapis ex machina aliunde sursum pellitur. Hoc puerile discrimen hic traditur, nec fere quidquam amplius.

Omitto etiam hic rixas in quibus quaerunt, quid intersit inter naturam et rem naturalem. Medico nihil interest, qui substantiam ipsam vocat naturam. Sed si naturam vocabis *δύναμιν*, aut inclinationem in substantia, facile est videre discrimen. Dices enim rem naturalem subiectum esse, naturam aliquid in subiecto ciens per se, seu *δύναμιν*, seu inclinationem.

Quae sunt res artificiales?

Res artificiales sunt, quae non habent in substantia causam motus et quietis, ut in statuis et machinis. Non est causa in lapide, cur ex eo fiat simulacrum Alexandri, nec causa est in rota automati, cur motus eius congruat ad spacium horae.

Est autem ars, recta ratio faciendorum operum, ut statuarius certam habet noticiam dirigentem manus, sculpentem imaginem in statua, id est, partes statuae tantisper ordinantem, donec efficiatur similitudo eius archetypi, quem imitatur.

Haec ars, seu humana industria, non procreat substantias, sed in substantiis quasdam dispositiones efficit, quae alias adiuvant, alias perficiunt, alias imitantur.

Agricola adiuvat naturam, cum semina spargit in terram, perficit naturam, cum arat et rigat, ac solum efficit mollius, et magis idoneum ad fovenda semina.

Ars medica adiuvat naturam, ut cum pulmo iuvatur in tussi succo violarum. Perficit, ut cum perficitur coctio Zinzibere et aliis medicamentis.

Item in pane faciendo ars perficit naturam, praeparat enim triticum et coquit, ut ventriculus facilius accipiat.

Saepe autem ars est imitatrix naturae, ut cerevisia recte cocta est imitatrix vini, quia succus ex hordeo expressus, nutrit et tenuiter calefacit, sed lupulus additur, tum augendi caloris causa, tum contra putrefactionem.

Sed ad hoc dictum, Ars imitatur naturam, correctio additur, non dissimulanda, quantum potest, qua significatur naturam potentiorem esse arte imitatrice, ut natura gignit substantias, ars non gignit. Naturalis motus in corpore longe potior est, quam artificialis, ut cum arte cietur aliquod *αὐτόματον*. In Iosquino natura ad musicam idoneo, multo praestantior facultas est canendi, quam in homine amuso, qui tamen arte, quantum potest musicam sibi accersit. Poëtica facultas longe praestantior est in Homero, qui venam habet foelicem, quam in Choerilo duro et inepto, qui tamen imitatione artem qualemcunque sibi accersivit.

Explicatis vocabulis naturae et artis iam doctrina causarum recitanda est, in qua magis conspicietur, quid sit natura et quae sint mutationum, ac generationum initia et progressiones.

Et cum Platonis dictum de universo opificio condito in natura, et deinde de omnibus operibus naturae verum sit, quod in Timaeo scriptum est: Omne quod nascitur, id ab aliqua causa extitisse necesse est. *πᾶν τὸ γιγνόμενον ὑπὸ αἴτιου τινος ἐξ ἀνάγκης γίγνεται.* Profecto necesse est dici de variis modis et differentiis causarum.

Prima divisio causarum.

Aliae sunt per se causae, aliae per accidens. Haec prima distributio non est membrorum ae-

qualium. Nam causa per accidens, reipsa non est causa, sed sic propter quandam vicinitatem adpellatur, ut infra dicam. Causa per se est proprie causa. Est autem talis causa, qua posita in actu, necesse est sequi effectum, coniunctis omnibus per se causis, et qua non posita, non sequitur effectus. Estque aut pars rei, ut materia, aut forma, aut sua vi agens aliquid, ut fiat effectus, ut efficiens sua aliqua actione efficit opus, ut ignis efficit calorem in corpore admoto. Finalis movet efficientem, ut consilium de servanda vita movet quaerentem remedia vulneris.

Causa per accidens est, qua posita in actu, non necesse est sequi effectum. Sed interdum sequitur propter aliud: Ut posita ambulatione in hortum, non necesse est sequi inventionem thesauri, sed interdum sequitur propter aliud, videlicet, quia huic homini Deus, aut alia arcana causa hoc munus offert.

Secunda divisio.

Alia est vere causa, alia causa sine qua non. Hanc divisionem Plato tradit in Phaedone, quam postea Galenus et alii saepe usurparunt. Quare nequaquam praetereunda est. Vocant autem vere causam, quae aut pars est constituens effectum, aut sua vi agit aliquid, ut fiat effectus.

Sed causa sine qua non, *ὧν οὐκ ἄνευ*, non est pars constituens effectum, nec agit aliquid in efficiendo eo quod fit, sed ita adest, ut sine eo non fieret effectus. Galenus sic definit in tertio libro de differentiis Symptomatum: Quae nihil conferunt, non possunt autem separari a conferentibus habent rationem causae, quae dicitur *ὧν οὐκ ἄνευ*. Et in tertio libro *θεραπευτικοῦς* discernit causam, sine qua non et accidentia. Et exemplum tradit. In curatione vulneris, causa sine qua non, est remotio puris. Nisi enim removeretur pus, non esset efficax remedium. Traduntur et haec exempla. Medium in visione est causa sine qua non. Nihil enim agit, sed tamen intervallum esse oportet inter oculum et rem visam, ut species sparsa in medio lucido ad oculos perferri possit. Item confectio spacii prioris est causa sine qua non perveniretur ad metam. Eccius sentit, causam sine qua non tantum voluntariam esse, ut gaudent privilegiis scholastici, si tamen vestiti sint more scholastico, non scurrili. Sed Glaenus satis perspicue utitur adpellatione huius causae, *ὧν οὐκ ἄνευ*, de agentibus non voluntariis.

Extat et definitio apud recentiores. Causa sine qua non, est qua posita aliud sequitur, sed aliunde. Sed vere dicta causa, est quae vi propria agit, aut pars est, ut supra dixi. Posita remotione puris sequitur sanitas, sed aliunde. Et manifestum est ex Galeno, non tantum voluntariam esse causam sine qua non, sed etiam aliarum rerum.

Tertia divisio.

Causarum per se sunt quatuor genera, seu modi. Efficiens est a qua primo fit motus. Aristotelica descriptio haec est: Efficiens est, unde primum initium est mutationis, aut quietis.

Materia proprie dicta, Ex qua, est subiectum ex quo fit aliquid, vel ex quo cum forma totum constituitur, seu est pars compositi, quae recipit formam. Ex semine fit animal naturaliter, ex aere fit statua artificialiter. Hic omittuntur adpellationes materiae, in qua et circa quam, quia improprie usurpatur in his vocabulum materiae.

Forma est quae dat esse rei, id est, est id quo res proprie, et immediate est talis.

Finis est propter quod efficiens agit, seu a quo movetur efficiens ad agendum, ut habitatio est finis aedificanti.

Differunt autem finis et causa finalis. Nam causa finalis proprie est cogitatio de fine in efficiente, movens ad agendum, ut cogitatio de futura habitatione movet aedificantem.

Quarta.

Harum causarum duae dicuntur interiores, Materia et Forma, quia sunt partes rei constitutae. Duae dicuntur exteriores, Efficiens et Finalis, quia sunt extra id quod fit.

Quinta divisio.

Nunc sequuntur divisiones efficientium, quarum cognitio valde necessaria est in tota vita.

Efficientium alia sunt naturalia, quae agunt sua naturali vi, seu proprietate, sine cogitatione, seu deliberatione, et admota materia non possunt non agere, ut ignis sine cognitione agit, et non potest non urere admotam materiam.

Alia sunt voluntaria, quae agunt cum cogitatione, seu deliberatione, et possunt agere, et

omittere et abrumpere actionem, ut faber agit volens, et potest agere, potest etiam cessare, quanquam materia et instrumenta ad manus sunt. Ac plurimum refert in multis negociis considerare hoc discrimen: Oculi agunt naturaliter, quomodo igitur regi possunt? Per locomotivam, quae obtemperat voluntati. Aristoteles in octavo Physicorum, inter argumenta de mundi aeternitate, hoc quoque recitat:

Perfectissimum agens minime est ociosum.
Deus est perfectissimum agens.
Ergo in mundo ab aeterno exeruit suam efficaciam.

Maior vera est de agente naturali. Non necesse est veram esse de agente voluntario. Nec tamen fuisse aliquando Deum ociosum imaginemur. Semper enim sapientissima colloquia sunt, et fuerunt et erunt, aeterni Patris, Filii et Spiritus sancti.

Differunt autem tripliciter causae naturales et voluntariae.

Primum, quia effectus causae naturalis oriuntur a materia et forma, seu temperamento, seu qualitatibus, quae formam substantialem proprie comitantur, ut calefactio est ab igni, seu a calore ignis. Inclinatio in magnete est a temperamento. Sed effectus causae voluntariae oriuntur a potentia cogitante et libera.

Secundo differunt naturales, cum sunt integrae, et obiectum admotum est, non possunt non agere: ut ignis non potest non urere admotam materiam. Econtra voluntariae sunt liberae, hoc est, agere possunt, aut non agere, ut faber etiamsi materia adest, tamen potest fabricare, aut non fabricare.

Tertio differunt, quia natura agit uno quodam certo modo: ut ignis semper calefacit et desiccat, homo semper gignit hominem, bos bovem. In hanc sententiam inquit Aristoteles: Natura est determinata ad unum. Sol etsi durat lutum, et liquefacit ceram, tam uno et eodem modo in utraque materia agit, quia cum calefaciat, resolvit, et humiditatem extrahit. In luto igitur, cum sit terrestre, nec sint partes glutinatae propria et naturali humiditate, postea partes siccae reliquae consistunt amissa humiditate. Cera autem glutinata est aërea humiditate. Ideo cum fit resolutio, primum diffluit, postea si calefactio esse maior, fieret dissipatio partium in aëreos halitus et exiguum terrae.

Hic tamen sciendum est, non dici de his, quae per accidens fiunt. Vinum natura calefacit et humectat. Sed cum nimium incendit corpora, sequitur desiccatio et diminutio humidi radicalis. Deinde corpora desiccata incipiunt frigere. Alitur enim calor humore temperato. Ita vinum per accidens desiccat et frigefacit. Sed ut infinitum discrimen est inter causas per se et causas per accidens, ita et effectus discernantur. Nec regula comprehendi possunt accidentales effectus, qui et varii et innumerabiles sunt. Quare dixit Aristoteles: Arti non sunt curae ea, quae per accidens eveniunt, *τῶν κατὰ συμβεβηκὸς οὐ μέλει τῇ τέχνῃ.* Magnes trahit ferrum, sed cum illinitur allium desinit trahere. Hic accedit impedimentum per accidens. Ideo Aristoteles dixit idem et eodem modo se habens, semper idem natura efficit: *τὸ αὐτὸ καὶ ὡσαύτως ἔχον ἀεὶ τὸ αὐτὸ πέφυκε ποιεῖν.* Vinum est salubre, sed si misceas venenum, non erit salubre.

Voluntariae autem causae non agunt uno quodam certo modo. Exempla in promptu sunt in actionibus humanis. Homines alias iuste, alias iniuste faciunt. Alias clementer fecit Alexander, alias crudeliter. Tantum autem voluntas libere agit, et vires, quae aliquo modo eius imperio obtemperant, dicuntur participes esse libertatis. Sed inanimata et sensus sunt efficientia naturalia. Oculus non potest non videre rem in conspectu positam. Nervi non possunt non adfici dolore, a re lacerante eos. Item intellectus non potest non intueri ea, quae offeruntur, et cum iudicat apprehensam propositionem esse veram, non sentit esse falsam. Artes etiam quia sunt noticiae, iudicant et artificem regunt certo modo, sed quia sensus et intellectus possunt obedire voluntati, ideo artifices varie operari possunt, quare ars inter voluntarias causas ponitur.

Sexta.

Efficientium aliud est principale, quod graece vocatur *αἴτιον.* Aliud est minus principale, quod vocatur *συναίτιον.* Aliud instrumentale, quod vocatur *σύνεργον*, seu *ὄργανον.* Dicitur autem principale, quod plus agit, et quo non agente, ceterae nihil efficiunt, ut in Antonio *αἴτιον* et principalis causa est adulteriorum, voluntas. *συναίτιον* temperamentum, in quo stellarum positus aliquis, inclinationes ad libidinem, tanquam in-

cendia exuscitat. Deinde externa, helluationes, et conversationes pravae sunt *σύνεργα*.

In hydrope *αἴτιον* est in epate extinctio virtutis gignentis sanguinem, cum videlicet epar frigidius et humidius fit, et pene putrescere et lacerari incipit. In tali epate cum extinguatur vis convertendi nutrimenti in sanguinem, et expellendi superfluitates, totum corpus paulatim repletur cruda humiditate, quae et ipsum epar et alias vires magis debilitat. Et cum non fiat expulsio, intus accenditur calor praeternaturalis ac febrilis, propter quem epate inflammato sitis augetur. Est igitur, ut dixi, *αἴτιον* hydropis extinctio virtutis in epate.

Συναίτιον hydropis est mala coctio in ventriculo. Languidior est enim epatis actio, quia ex ventriculo crudum chylum accipit.

Σύνεργα possunt esse multa, immodica ingurgitatio, labores intempestivi, Venus, vigiliae, dolores animi, impedientes naturalis potentiae actiones.

Septima.

Efficientium alia sunt ordinata et copulata essentialiter, ut mas et foemina sunt causae copulatae generationis. Ordinatae sunt, ut secundae causae non sunt efficaces sine prima, minus principales non sunt efficaces sine principali. Voluntas non agit, nisi prius agente intellectu, ut dicitur: Ignoti nulla cupido. Sed prima causa potest agere sine secundis, ut intellectus sine voluntate.

Alia efficientia non sunt necessario copulata, ut duo equi trahentes currum, quorum alter aucto robore, solus posset trahere currum.

Octava.

Efficientium aliud dicitur universale, aliud particulare. Universale vocamus primam causam, scilicet Deum, quia omnes secundae causae servantur a prima, sicut dictum est: Iovis omnia plena. Et Paulus inquit: In ipso sumus, vivimus, et movemur. Sed Aristotelici saepe universalem vocant motum coeli. Hanc causam magis perspicue adpellare possumus coelestem. Et sentit Aristoteles, nullam causam inferiorem posse efficacem esse, si coelum non moveatur.

Aliae causae dicuntur particulares, scilicet inferiores et propiores. Ut coelestis causa morbi, est mala coniunctio Saturni et Martis, particularis causa, venenatus humor in corpore.

Nona.

Efficientium alia sunt remota, alia propinqua. Remota quae est causa causae, ut avus est causa remota nepotis, vinum est remota causa ebrietatis, seu furoris ebriorum.

Cometa est causa certorum morborum, quia dissipato halitu venenato, aër inficitur, quem cum attrahunt corpora animantium, inficiuntur ipsa quoque. Lapsus Salomonis est causa bellorum civilium, quae post regni distractionem secuta sunt.

Propinquae causae sunt, quae proximae sunt effectui: ut multi ferventes halitus ex vino, quod largiter haustum coepit quidem calere in ventriculo, sed tamen adhuc crudum est, ascendentes in cerebrum, qui cum accendunt et turbant spiritus, faciunt furores, et impediunt tum cogitationem, tum nervos regentes motum.

Decima.

Efficientium aliae sunt totales, aliae partiales. Totales, ut pater et mater sunt integrae causae propinquae sobolis. Oculus et obiectum sunt integrae causae visionis. Dixi autem supra, alias necessario copulatas esse, alias non necessario copulatas esse.

Undecima.

Efficientium alia est antecedens, a Medicis dicta *προηγουμένη*, alia est primitiva a Medicis nuncupata *προκαταρκτική*, irritatrix. Est autem *προηγουμένη* aliqua interior dispositio, ut ante febrim tertianam copiosa rubra bilis est in corpore, quae, quia non expellitur, paulatim putrescere incipit. Hanc interiorem dispositionem vocant causam *προηγουμένην*. Sed alia est quae foris irritat, ut nimius motus in aestu, qui magis accendit illam copiosam bilem, haec *προκαταρκτική* dicitur. Ita dici potest causa belli civilis in Iulio *προηγουμένη* cupiditas principatus, sed *προκαταρκτική* ereptio consulatus facta a Pompeio.

Duodecima.

Efficientes aliae agunt motae ab aliis, ut voluntas non agit, nisi obiectum monstratum sit. Appetit autem cum monstratur ratione aliqua boni. Fugit, cum monstratur ratione aliqua mali, ut postquam gustu deprehendimus potum linguae gratum esse, appetimus. David flectit suam voluntatem, ut velit aerumnas sustinere, quia mon-

strantur iam sub ratione boni, quia bonum sit Deo obedire volenti hanc poenam, et non punienti, ut perdat, sed simul remittenti peccatum. Econtra Saul fugit suam poenam, quia nihil cernit nisi iram Dei.

Movetur autem voluntas causis finalibus et impulsivis. Nec difficile est videre discrimen inter haec duo. Finalis est cogitatio de utilitate, quam ex obiecto percipimus, ut adulator amat amicum, ut aliquid ab eo auferat. Impulsiva pertinet proprie ad efficientem, estque vel adfectus in efficiente, vel obiectum aliquod, quo movetur efficiens. David iratus crudeli Nabal, placatur deprecatione mulieris. Haec deprecatio est causa impulsiva, qua flectitur David, ne irae obtemperet. Pater amat natos, non utilitatis suae causa, nec spectat finalem causam, sed causa est impulsiva naturalis *στοργή*.

Tertia decima.

Traditur et haec divisio, quae etsi incurrit in superiores, tamen quia est perspicua, non praetermittenda est. Efficiens aut est principale, seu perficiens, aut disponens, seu praeparans, aut adiuvans, aut *ὑπηρετικὸν*, aut consulens.

Principale, seu perficiens, quod proprie formam introducit, ut virtus epatis in conversione chyli in sanguinem.

Disponens seu praeparans, ut venae mesaraicae praeparantes chylum. In coctione Zithi, praecedens hordei maceratio, et quaedam assatio. Ars est causa praeparans naturam ad excellentem habitum, ut in poëtica, aut musica.

Adiuvans, quod est *συναίτιον*, Spiritus sanctus in Ioseph est principalis causa continentiae, sed voluntas assentiens, sese frenans, fugitans occasionum, est *συναίτιον*.

Ὑπηρετικὸν, id est, inserviens, est quod aliquo modo adiuvat, seu mediate, seu immediate, ut temperantia est *ὑπηρετικὸν* precationi, quia prodest ad tuendam incolumitatem, seu tranquillitatem cerebri, quae necessaria est ad intentionem cogitationis. Vestis est *ὑπηρετικὸν*, utile ad fovendum calorem in corpore, et ad arcendum frigus. Disciplina est *ὑπηρετικὸν* fidei, seu iusticiae cordis, quia cum ruunt homines contra conscientiam, extinguitur iusticia cordis. Pecunia est *ὑπηρετικὸν* viatori. Non multum discrepat hic gradus ab iis, quae supra nominavimus *σύνεργα*. Consulens tantum est in agentibus cum deliberatione, ut Themistocles suadens, ut Athenienses relicta civitate, ingrediantur naves, et defendant se classe, fuit causa defensae Graeciae. Potest autem referri ad impulsivam causam.

Quarta decima.

Postremo discrimen observetur inter causas, signa et occasiones. Causa per se, ut diximus, vel pars est rei, quae fit, vel agit aliquid, ut Sol est causa caloris in aëre. Signum est quiddam, quod sensu percipitur, quod alias est causa eventus significati, aut alioqui praecedens propter aliquam copulationem cum causis, alias effectus est, aut alioqui sequens propter aliquam copulationem cum effectibus. Ut aurora signum est exorientis Solis, non est causa. Sed illa species copulata est cum ortu, quia radii sparsi in halitus efficiunt illum ruborem.

Occasio est circumstantia, quae agenti viam praebet. Ut

Nox et amor, vinumque nihil moderabile suadent.

Nox occasio est, quia in tenebris congressus, ab aliis minus cernuntur. Amor causa est *προηγουμένη*. Vinum est causa *προκαταρκτικὴ*, incendit amantem. Ac diligenter considerandum est, ubi aliud fit causa, aliud *ἀφορμὴ*, seu occasio. Ut causa belli Graecis illati a Philippo Macedone fuit imperii cupiditas, sed occasio, seu *ἀφορμὴ* fuit templi delphici defensio. Hactenus varietatem efficientium recitavimus, dic de caeteris causis.

De Materia.

Physicus proprie materiam vocat, ex qua aliquid fit, ut ex farina tritici fit panis. Non vocat materiam, in qua aliquid haeret, quae usitate subiectum dicitur. Materia circa quam obiecta significat, obiecta autem plerunque sunt efficientes causae: ut oculus versatur circa colorem et figuram. Haec obiecta sunt partiales causae visionis in genere efficientium.

De Forma.

Formae sunt duplices, substantiales et accidentales. Substantiales acquiruntur generatione, ut ex nutrimento generatione fit pars accrescens corpori. Accidentales acquiruntur alteratione, ut cum aqua natura frigida calefit, aut partium di-

verso positu, quod ad loci mutationem pertinet, ut ligni partibus aliter positis fit statua.

Erudita sententia extat apud Aristotelem in tertio Ethicorum, ubi causas praecipuas omnium rerum et actionum recitans, sic eas distribuit: Naturam, Necessitatem, Fortunam, Mentem. Has ponit species causarum efficientium. Supra autem expositum est, quid naturam vocari oporteat, scilicet, substantiam ex materia et forma constantem, sua vi gignentem, aut moventem: ut ignis non aliunde sumit vim calefaciendi, sed substantia est causa caloris, quo calefacit. Ita natura proprie de substantia dicitur, constituta ex materia et forma.

Deinde vocat necessitatem ordinem motuum coelestium: ut causa vicissitudinis dierum et noctium, aequinoctiorum, et solstitiorum est necessitas, id est, aeternus ordo motuum coelestium.

Deinde, fortuna est causa per accidens, de qua statim infra dicemus. Significat autem actionem in agente rationali, cui accidit aliquid boni, aut mali, quod non praevisum est, ut fossio causa est per accidens, inventi thesauri. Hic aut nulla causa praecedit, ut Philosophi loquuntur, aut certe ignota iudiciis humanis. Expositio Romuli causa est per accidens nutritionis factae a lupa. Sed doctrinam de causis per accidens, postea exponemus, ubi etiam commemorabimus, quare in philosophia recitari eas necesse sit.

Mentem hoc loco vocat Aristoteles partem iudicantem et voluntatem. Ideo enim ibi discernit causas, quas recensui, ut ostendat virtutis causam esse, non naturam, non necessitatem, non fortunam, sed mentem et voluntatem: ut iusticiae in Aristide vult causam esse, non temperamentum, quod est ex materia et forma, nec legem aliquam fatalem, ut Stoici fingebant, Aristiden fato iustum esse, Harpalum fato esse furacem, nec fortunam esse causam virtutis, ut vulgus putat, suo quodam impetu, non deliberatione fortem esse Alexandrum.

Ab his causis discernit mentem, id est, ἡγεμονικὸν in homine, videlicet iudicium, seu deliberationem et voluntatem obtemperantem recto iudicio, quae sunt principales causae honestarum actionum.

De causis finalibus.

Necesse est considerari finium discrimina, quia saepe bonitatem actionis mutat finis. Ut alius amico gratificatur captatione, alius liberali animo, id est, virtutis causa, seu officio: ut haec finibus differunt, *νόσον ἔχεις, χαίρεις διδούς,* inquit Epicharmus, letari dando, morbum esse. Sed cum hoc dicto pugnare videtur sententia Pauli: Hilarem datorem diligit Deus. Haec finibus differunt, morbus est dando letari, scilicet, profusione letari. Sed pietas est, officio letari. Exempla innumerabilia offert quotidiana vita. Necesse est igitur de differentia finium studiosos commonefieri.

Duplices autem sunt fines. Alii congruentes, seu legitimi, ut ducere coniugem procreandae sobolis causa. Alii aberrantes seu non congruentes, ut ducere coniugem propter magnam pecuniam. Sunt autem congruentes, ad quos res aut actio vere ordinata est: ut Ruta ordinata est, ut sit medicamentum corporum, non ut pellat incantationes.

Et hi fines congruentes duplices sunt. Unus aliquis est principalis et ultimus, quem cum assecuti sumus, acquiescimus, nec expetimus insuper alium finem: ut belli finis ultimus est, pax honesta et firma. Sed finis medius est victoria. Non enim tantum geritur bellum, ut vincamus, sed ut victis hostibus, postea tuto educari et erudiri liberi nostri possint, et honeste regi disciplina.

Nec difficilis est diiudicatio inter fines principales et minus principales. Sed minus principales discernendi sunt. Alii sunt subordinati, ut principaliter recte faciendum est propter Deum, deinde etiam nostrae tranquillitatis causa, tertio et propter aliorum tranquillitatem. Ita saepe unius rei, vel actionis multi fines sunt ordine quodam comitantes principalem, aut antecedentes, ut victoria pacem antecedit.

Alii sunt non subordinati, sed quoquo modo concurrentes, ut cum ambulatio, seu potus expetitur sanitatis causa, simul recte potest expeti voluptatis causa.

De causis per accidens.

Quid est causa per accidens?

Causa per accidens est, qua posita in actu, non necesse est sequi effectum, sed interdum sequitur propter aliud. Haec qualiscunque de-

scriptio tantum hoc monet, non semper respondere effectus causis per accidens. Sed quid sint ipsae causae, non significat. Et difficile est in tanta varietate eorum, quae fiunt per accidens, unam definitionem constituere, quae complectatur tantam varietatem. Sed tamen haec descriptio non absurda videtur, quam recitabo:

Causa per accidens est aut quiddam accidens alteri per se agenti, quod etiamsi via est agenti, tamen effectus aliunde oritur, et sequi poterat, etiamsi haec appendix non accessisset, aut est agens habens praeter effectum intentum, seu ordinatum, alium eventum comitantem. Neutri tamen generi, necessario respondent effectus.

Haec descriptio utcunque varietatem indicat, quam exempla declarant. De primo genere: Temperantiae causa per accidens interdum febris est, quae dicitur causa per accidens, quia febris fuit accidens hominis intemperantis, in cuius curatione, cum voluntas se ad temperantiam flecteret propter periculum, febris utcunque via fuit novae moderationis. Sed tamen voluntas fuit causa per se eius temperantiae, et poterat antea sine febri frenum cupiditatibus iniicere.

Sic generationis humanae causa est natura. Sed cum viciosa concupiscentia dicitur generare, dicitur de accidente, quod ad per se causam accedit. Fieret autem generatio et quidem foelicior, sine hoc accidente. Haec exempla ostendunt causam per accidens saepe dici accidens aliquod agentis.

Sed cum de inventione thesauri dico, quid accessit ad voluntatem fossuri, aut ad ipsam fossionem? Deinde cum sine fossione non esset inventus thesaurus, cur dicitur voluntas fodientis, aut fossio causa per accidens? Haec exempla superioribus dissimilia sunt. Non enim accedit accidens aliud ad voluntatem fossuri, sed eventus alius praeter intentum, aut ordinatum comes est intenti effectus. Hoc modo voluntas fossuri, seu fossio dicitur causa per accidens: Vinitor fodere volebat, ut vites plantaret. Hunc effectum mens intuebatur, neque in homine accessit aliud accidens. Sed effectum, de quo cogitarat, alius eventus comitatus est.

Huius unius exempli recitatio magnum lumen est disputationum de fortuna. Expositio Romuli et Remi fuit causa per accidens nutricationis factae a lupa. Hic nullum accidens ad cogitationem exponentis accessit, seu ad puerorum naturam. Sed ipsam expositionem comitatus est alius eventus. Lupa, quae eodem tempore in ripa vagabatur, ad infantes propius accessit, nec fuit famelica. Id Casus vocatur.

Cum autem non solum in philosophia, sed omnino in tota vita plurimum referat discernere per se causas, et causas per accidens, haec pars doctrinae physicae nequaquam negligenda est.

Discrimen etiam consideretur inter causas per accidens, et inter causas iusto ordine concurrentes ad aliquam rem efficiendam: ut sunt causae praeparantes, instrumenta, causae sine quibus non. Hae non nominantur proprie causae per accidens. Et si interdum adpellatione aliqui abutuntur: ut causa per se, lucis sparsae in cubiculo est Sol. Causam per accidens vocant aperientem valvas. Sed verius est causa praeparans, vel causa sine qua non, quia iusto ordine concurrit, Sol enim non spargit radios per corpus opacum. Nunc de divisione Aristotelica dicemus, qui duas nominat causas per accidens: Fortunam et Casum.

Quomodo discernit Aristoles Fortunam et Casum?

Principio monendus est auditor, Aristotelem hic primum illud genus causarum per accidens, quod latissime vagatur, praeterire, cum videlicet accidens in altero per se agente accedit, ut diximus, febrim causam per accidens esse temperantiae. Interdum obiter huius generis mentionem facit, ut cum inquit: Musicus statuam fabricat. Sed talia exempla nec ad fortunam, nec ad casum concinne accommodantur. Sed fortuna et casus dicuntur, cum eventus alii accedunt, praeter eos, qui cogitati aut ordinati sunt.

Priusque autem definitiones recito, grammatica admonitio inserenda est. Varius est usus vocabuli fortunae, eamque varietatem in explicando observare utile est. Interdum significat ipsos eventus, ut cum dicimus: florentem fortunam. Sic Virgil. nomen usurpat in hoc versu de rebus secundis:

Hospitium antiquum Troiae, sociique penates,
Dum fortuna fuit,

id est, donec res secundae fuerunt.

Alias causam significat, ut in his versibus Virgilii:

Multa dies, variusque labor mutabilis aevi
Rettulit in melius, multos alterna revisens
Lusit, et in solido rursus fortuna locavit.

Etsi autem promiscue usurpant poëtae fati et fortunae nomen, tamen infra discrimen ostendemus. Idem eventus dicitur fatalis et fortuitus.

Fortuitus, respectu nostri consilii, quia nos causam non videmus, nec gubernavimus eventum nostro consilio.

Fatalis, quia certa quadam causa, videlicet, aut Dei consilio, aut inclinatione a sideribus orta, gubernatur. Dicemus enim infra causas per accidens, ad aliquas per se causas referri.

Sic autem utitur Aristoteles adpellationibus Fortunae et Casus, hoc loco, ut causas dici velit, ac fortunae nomen attribuit agentibus cum deliberatione, quorum actiones tamen alii eventus comitantur, praeter intentos. Casum vero tribuit agentibus sine deliberatione: ut cum vitrum de mensa cadens, latus non allidit solo, sed procumbit in basin, nec frangitur.

Quid est Fortuna?

Recenseo usitatam definitionem apud Aristotelicos: Fortuna est causa per accidens in agentibus cum deliberatione, quorum actiones tamen alii eventus comitantur, nec praevisi, nec intenti, seu boni, seu mali: ut piscatores Milesii cum capiendorum piscium causa retia in mare demisissent, auream tripodem excipiunt. Hic voluntas piscatorum, seu ipsa piscatio causa fuit inventi tripodis, sed per accidens, quia alius eventus accessit, nec praevisus, nec intentus. Et usitatum est Aristotelicis, voluntatem hoc modo, seu actionem, cui comes est ille non praevisus eventus, vocare causam per accidens, quae Fortuna nominatur. Fossio instituta ad plantandas vites, causa est inventi thesauri, sed per accidens, quia ille non praevisus eventus accessit.

Sed hic manet quaestio: Unde hic eventus regatur, unde accedat, nulla ne causa gubernante, an tantum, quia tunc piscatoria navis casu in eum locum impulsa est, ubi tripus inter arenas volvebatur? Cum Polycrates in ventre piscis donati annulum abiectum reperit, causa per accidens fuit piscatio illa, et quod captus piscis ad Polycraten adfertur. Haec accidere sine ulla per se causa gubernante dicerent Democritus, Epicurus et multi Physici, disputarentque satis esse referre haec ad temerarios motus voluntatum et materiae, sine ulla causa. Sed Aristoteles verecundius locutus est, non dicit nullam esse causam, sed *ἀόριστον*, incertam, et nobis ignotam. Quaerunt igitur alii per se causas. Hinc disputationes variae de fato exortae sunt.

Quid est Casus?

Casus est causa per accidens in natura non intelligente, cui accidit eventus motu materiae vagabundo, qui non habet certam et perpetuam causam, ut motus vitri est ferri deorsum, Hic motus est naturalis. Sed ut vitrum subsidat in basin, nec frangatur, id casus est. Eiecti ex manu tali motu naturali feruntur deorsum, sed alii ruunt, aliter, et cum omnes dissimiliter cadunt iactus Veneris dicitur. Haec talorum proiectio est causa per accidens Venerei iactus.

Nec est in parvis corporibus, aut ludicris motibus causa per se quaerenda. Multa varie ruunt sine ulla per se causa. Sed magna corpora plerunque habent per se causas, ut in aëre magna moles halituum, etsi sine causa certa videtur ad unum aliquem locum volui, tamen saepe certa causa est, ut Saturni, Martis, Mercurii, congressus attrahit ad se materiam Cometae. Cum Luna, Mars et Mercurius in latitudine septentrionali conveniunt, cient aquilones, in meridiana cient austros. Possunt hoc modo per se causae quaeri de moribus magnorum corporum in natura, quae aliunde gubernari consentaneum est. Ludicra saepe nullam habent per se causam, et siqua habent, quaerere eam inanis curiositas est.

Aristoteles ab eventibus discernit naturam, fortunam et casum. Naturam, ait, aut semper, aut plerunque similes effectus parere. Sed fortunam et casum habere eventus, ut usitate loquuntur, extra semper et frequenter. Non praetereundum est hoc discrimen, etsi a posteriore sumptum est. Illud a priore sumitur, quod natura in omnibus corporibus ordinata est ad certos effectus, ut in Balsamo vis ad sanandum vulnus, in Pipere ad calefaciendum ventriculum. Plerunque igitur respondent eventus. At fortuna et casus, quantum ad nostrum iudicium attinet,

non sunt ordinata. Non igitur respondent eventus regulariter. Etiamsi piscatores Milesii semel aureum tripodem extraxerunt, tamen non est regulare, invenire in eo loco aureos tripodes. Verba Aristotelis digna memoria haec sunt: *πάντα τὰ φύσει ἢ ἀεὶ οὕτω γίνεται, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, τῶν δὲ ἀπὸ τύχης καὶ τοῦ αὐτομάτου οὐδέν.* Naturae aut semper, aut plerunque respondent effectus. Possunt enim incidere impedimenta, ut curatio vulneris impediri potest, seu quia telum fuit venenatum, seu quia inflammatio aliqua accessit, aut aliud accidens perniciosum. Nunc de reductione causarum per accidens ad causas per se dicam, ubi de fato et multis quaestionibus aliis dici necesse est.

Ad quas causas per se reducitur fortuna?

Etsi in ludicris rebus nihil attinet quaerere causas per se, tamen multae magnae res accidunt hominibus omnibus, ut Pompeio, Iulio, et aliis, quae nominantur fortuitae, quarum causas quaerere ad gubernationem vitae utile est. Quanquam enim in hac imbecillitate humanae naturae prospici omnia non possunt, tamen aliqua consilio regi a moderatis naturis possunt. Nec enim universaliter verum est, quod dicitur: Vitam regit fortuna, non sapientia, multa omnibus accidunt praeter opinionem, propter varias causas, sed tamen consilium et consolationem in hac tanta imbecillitate nostra in rebus praecipuis Deus ostendit, et quaedam moderari agnitio Dei et diligentia rationis possunt: ut Davidis historiam consideremus. Primum poterat vitare poenas, domestica parricidia, seditiones, exilium, bellum civile, si ab alterius uxore abstinuisset, ut abstinere potuerat.

Democritus casu accidisse Davidi aerumnas illas diceret. Nos in Ecclesia Dei necesse est aliter sentire. Imo ne quidem Philosophi omnes dicerent, accidisse illos tristes eventus Davidi, sine aliqua per se causa. Deinde multo minus liberatio fuit fortuita. Non igitur totam vitam regit coeca fortuna. David suo lapsu accersivit poenas, quae non accidissent, si ab aliena abstinuisset. Non igitur in fortunam conferantur, sed in voluntatem Davidis, ut veteres nominant *αὐθαίρετα πήματα,* et Homerus de Iro inquit:

ἦ τάχα, Ἶρος αἶρος ἐπίσπαστον κακὸν ἕξει.

Deinde non succubuit David in poenis, ac tandem eluctatus est. Ne hoc quidem fuit fortuitum. Sed cum sciret Deum calamitates invocantibus mitigare, confugiens ad hanc arcem, petivit et expectavit auxilium iuxta promissiones divinas, et sciebat invocationem non esse irritam. Nec dubium est Davidem servatum et restitutum esse auxilio divino, quo ut iuvaretur, ipse etiam sua invocatione impetravit.

Hoc exemplum singuli ad nos ipsos transferamus, et agnoscamus per se causas lapsuum, qui antecedunt poenas, et per se causas liberationum, ita intelligemus diligentiam in multis rebus prodesse, nec totam vitam casu, seu fortuna regi.

Eventus autem fortuiti referri magna ex parte ad has sex causas possunt: ad Deum et pios Angelos eius ministros, ad malos spiritus, ad temperamenta, ad varias inclinationes a stellis ortas, ad suos cuiusque mores, denique ad materiae fluxibilitatem.

De reductione eventuum ad Deum, et ad bonos aut malos spiritus.

Cum duplex actio Dei sit, alia quae vocatur generalis, cum Deus agit cum causis secundis, eo ordine, ut instituit, ut cum in generatione foecunditatem parentum sustentat et adivat, de hac generali actione hoc loco non dicitur. Sed alii multi eventus sunt, quos ad providentiam divinam referri necesse est, qui non eo ordine fiunt, ut causae secundae, quae principaliter gubernent eventum, monstrari possint. Ut cum Moises servatur, in aquam abiectus, aut Cyrus exponi iussus, aut Petrus cum Angelus eum ex carcere educit. Saepissime etiam ab Angelis conterriti ac profligati sunt exercitus. Huiusmodi innumerabilia bona eveniunt hominibus proprie, Dei beneficio et ministerio Angelorum, neque enim frustra Angelis mandata est custodia Ecclesiae et gubernatorum.

Econtra saepe Deus ita punit sontes, ut eventus non proprie referri ad causas physicas possit, ut cum perdidit civitatem Sodomorum, aut cum Oedipus terra dehiscente absorbetur. Et magna pars tristissimorum eventuum in toto genere humano principaliter oritur a Diabolo, qui furores in impiis confirmat: ut cum in tyrannis acuit et auget crudelitatem, quorum multi sine ulla causa parentes, fratres, liberos, coniuges interfecerunt, ut Selimus imperator Turcicus

patrem et fratres interfecit. Gravidam coniugem quidam Basileae occidit, ac sese postea de sublimi loco praecipitem deiecit, atque ita sibi mortem conscivit. Hos furores a Diabolo oriri certum est, quia quaelibet natura, donec naturali luce et adfectu regitur, sui conservationem adpetit, et amat cognatos. Sed hanc lucem et hos adfectus extinguit Diabolus, ut scriptum est: tenere eum captivas mentes impiorum. Et de Iuda dicitur: Intravit in eum Satanas.

Et variis modis grassatur Diabolus, interdum velut ludens ostendit bona signa hominibus, ut confirmet securitatem. Nam quod Polycrates annulum in mare abiectum recepit, id non opinor in astris aliquam illustrem causam habere. Magis videtur Diaboli ludus fuisse, ut Polycrates sibi persuaderet suam foelicitatem perpetuam fore, qua fiducia postea Ioniae dominationem adpetiit, et fallacissimo homini credidit, a quo per dolum circumventus crudeli supplicio adfectus est. Ludit enim Diabolus hoc modo et in aliis rebus, ut in signis et in oraculis. Croesum ambiguo oraculo impulit ad bellum movendum, quod ipsi exitio fuit. Noribergae recens anno 1530. sacerdoti in crystallo thesauros ostenderat. Hos cum loco perfosso ante urbem quaereret sacerdos adhibito amico spectatore, cumque iam vidissent in specu arcam et atrum canem cubantem ad arcam, ingressus sacerdos in specum opprimitur, ac interficitur ruente cacumine, et specum rursus complente.

Haec de primo genere dixisse, satis sit, pertinent autem huc et piorum hominum, ut Christi, Baptistae, Pauli et similium interitus, qui ad singulare consilium Dei referendi sunt, non ad stellas, aut alias causas secundas. Huc et impiorum ortus et interitus praecipue referendi sunt.

Itaque in hoc primo genere, quod alioqui fortunam vocant, revera impulsio est, qua humani animi a Deo, vel a bonis Angelis, aut a Diabolis incitantur ad aliquid agendum, aut retrahuntur. Ac in magnis rebus bonis et malis, dominari has causas non dubium est.

De Temperamentis et Stellis.

Secunda per se causa fortuitorum eventuum est temperamenti foelicitas aut infoelicitas, ut multos natura obnoxios morbis discimus infortunatos, quia saepe et varie aegrotant. Naturas abhorrentes a musica, et perperam canentes, dicimus in eo genere infortunatas. Haec proprie a temperamentis oriri, manifestum est.

Verum est autem stellarum positu gubernari, et variari temperamenta. Ideo coniunxi hoc loco utramque causam, sed tamen aliquid a stirpe et regionibus temperamenta adsumunt. Praeterea vis est aliqua stellarum in inclinationibus excitandis, quae ad temperamenta referri non satis potest. Sed tamen non nimis subtiliter haec disputemus. Dicamus, quod res est, saepe fortuitorum eventuum per se causas esse temperamenta et stellarum positus. Etsi enim et cum his physicis causis Deus coniunctus est, tanquam prima et universalis causa, tamen differt hoc genus actionum a primo genere, de quo prius dictum est.

Antea de actionibus dictum est, quae sic fiunt a Deo, ut non referantur ad causas physicas, ut Petro carcerem Angeli patefaciunt. Iam vero dicimus de iis eventibus, qui aliquo modo a causis physicis reguntur, videlicet a viribus, quas Deus naturae indidit, ut sustentat. Itaque ad has vires tanquam ad propiores causas, erudite referuntur eventus, ut certum est in temperamento causam esse, cur aliquis sit δυνάμει νοσερός. Et Medici fere contenti sunt consideratione temperamenti, ex quo multa certe iudicari possunt. Si sit epar calidius, et ventriculus frigidior, et pectus angustum, et corpus siccum, multi catarri destillabunt in pectus, praedicet igitur Medicus tale corpus phthisi periturum esse. Tales homines Hippocrates Alatos vocat, πτερυγώδεις.

Cum autem in temperamentis insignes qualitates sunt bonae aut malae, plerunque ab astris oriuntur, ut ab eisdem parentibus filii lineamentis corporis similes oriuntur, quorum tamen alii corpora habent sana et valida, et sunt vivaces, alii languida et non durabilia. Huius dissimilitudinis plerunque illustres causae in astris deprehenduntur. Quare saepe et stellae sunt per se causae fortuitorum eventuum.

Marchio Iohannes Albertus Archepiscopus Magdeburgensis Lunam habet in Ariete in domo sexta, quae valetudini significat. Et circumsessa est Luna a Marte, qui et ipse in Ariete est, et a Saturno, qui est in Tauro. Et oppositi sunt Sol et Mercurius. Hae sunt manifestae significationes assiduae saeviciae morborum.

Nec tantum valetudinis signa sunt illustria in stellis, sed etiam inclinationum foelicium aut infoelicium in artibus, aut aliis actionibus, quae naturae hominum familiares sunt, ut in adsequendis fastigiis honorum, in praeliando, in periculis vitae.

Musici, poëtae, oratores fiunt canori, dulces, splendidi, quibus foeliciter positi sunt Sol, Luna, Venus, Mercurius. Econtra horridi et amusi, qui a Saturno et a Marte impediuntur.

Quod igitur Stigelio scribenti carmen verba splendidiora, figurae venustiores, numeri dulciores, quasi sponte se offerunt, Ursino viro docto et maiore studio quaerenti, non se similia offerunt, dicimus fortunam esse. Sed causa per se est astrorum positus, qui hanc foelicem inclinationem, seu hunc foelicem impetum in hanc naturam transfudit, qua inclinatione movetur mens, ut pulchriora celerius videat et arripiat.

Sic in Achille, Alexandro, Scipione, Iulio, cor et sanguis temperantur luce coelesti, ut gignantur in eis Spiritus ardentiores, firmiores et efficaciores, qui motus cient maiores et rectiores, quam quales sunt in Paride, aut in Glauco.

Ac naturae quidem acres et foelices recte ad stellas accommodantur, et multi eventus naturis congruunt. Sed aliqui mirandi ducum eventus, potius ad Deum referendi sunt, qui cum servet aut mutet imperia, duces saepe custodit peculiari modo, qui non potest ad astra referri: ut Alexandrum servatum esse divinitus consentaneum est, cum dimicanti ad Granicum dux Persicus galeam decussisset, et incitato equo iam nudatum interfecturus esset, quo in prelio Clytus interveniens, Alexandrum protexit, et ducem Persicum occurrentem, hasta transfixit.

Multa gubernat natura, non omnia. Nec Deus removendus est a gubernatione propter astra, sed vere statuendum, multas inclinationes ab astris ortas, Deum moderari, et orandum, ut bonas iuvet, et reprimat malas. Non enim frustra dictum putemus: Quanto magis pater coelestis dabit Spiritum S. petentibus.

Est tamen et in vis aliqua et significatio astrorum, ut infra copiosius dicetur. Et aliqua, non omnia, non levissima. Sed ut Ptolemaeus nominat ὁλοσχερέστερα, id est, principalia, quae naturam aliquo modo comitantur, et ad temperamenta, valetudinem, mores et artes pertinent, reguntur ab astris: ut constat, natos in coniunctione Solis et Lunae malum temperamentum habere, et aut non durabiles esse, aut morbis obnoxios et magnis impedimentis in vita conflictari.

Quibus Saturnus nascentibus in medio coeli fuit, de sublimi saepe cum periculo labuntur, quod multis exemplis ostendi potest. Quibus Sol et Mars in octava domo est, ac praesertim si accedat malus aspectus Saturni, aut si sint cum capite Medusae, violenta morte plerunque pereunt.

Maximiliano carcerem significavit Mars cum cauda Draconis, in domo duodecima, quae carcerem significat. Bellatores infoelices fuerunt Fridericus imp. Maximiliani pater, et Franciscus rex Gallicus, quia utrique Mars est in quarta, in loco abiecto.

Francisco regi etiam in medio coeli fuit cauda Draconis, quae regni amissionem ad tempus significavit, praesertim cum Sol, Iupiter et Mars in abiectis locis essent. Sed eloquentiae causas insignes habuit. Geminos in ascendente, Solis et Iovis positum in Virgine. Mercurium in Libra, quae omnia acumen et splendorem orationis adferunt. Sed Mars et Venus, iuncti in Leone, pompam et incontinentiam significant. Iuppiter combustus epar siccius et calidius, quae causa intemperantiam auxit.

Multa et eclipsium exempla ostendi possunt in genesibus, ubi vel eversiones patrimoniorum, vel mortis, per eclipses manifeste denunciatas esse adparet.

Moles halituum, quae incensa fit Cometa, videtur casu, et temere in eum locum attracta, in quo consistit, sed consentaneum est, eam vi certarum stellarum eo attrahi, videlicet Saturni, Martis, Mercurii et Solis. Plerunque enim et non longius uno signo a Sole incenditur, ac vidimus ipsi diversos Cometarum motus, alterum Sol, alterum contrarium Mars regebat. Sed de potestate stellarum aliquanto post copiosius dicam, in quaestione de fato. Nunc breviter hoc tantum moneo, fortuitos eventus saepe ad stellas, tanquam ad per se causas vere referri.

Tertia causa per se, eventuum fortuitorum, sui cuiusque mores sunt, nec iam de inclinationibus tantum loquor, quae magis proprie mores vocantur, sed de factis ipsis, iustis, aut sceleratis. Ut quia Latrones iniustas caedes fecerunt, illa scelera per se causae sunt exitii et supplicii

eorum, quia movent Deum, ut rapiat eos ad poenas.

Etsi autem non necesse est homines malis inclinationibus obtemperare, tamen saepe ita fit, ut congruant stellarum positus, temperamenta, mores, id est, inclinationes, facta et exitus placidi, aut tetri. Ut in genesi parricidae, quam recitat Cardanus, admodum tetrae significationes sunt, coniunctio Solis et Lunae, in Sagittario. Deinde coniuncti Venus et Mercurius in Capricorno, aspicientes ex quadrato coniunctionem Saturni et Martis in Libra. Et Iuppiter fuit infoelix, cum esset ὕπαυγος. Hi positus malum temperamentum, sanguinem venenata bile redundantem, et malas inclinationes in moribus, vehementiam et iracundiam temere ruentem, crudelitatem et cupiditatem nocendi, et exitum infoelicem significant. Sed tanta est miseria et infirmitas hominum, ut multi, quos nec stellae, nec temperamenta admodum incitent ad scelera, tamen aut sua voluntate, aut impulsi a Diabolo ruant in libidines, aut faciant caedes. Hi tamen accersunt sibi exitium suis factis, quia divino ordine comitatur eos Nemesis, id est, vindicta divina.

Non est tribuendum stellis, aut temperamento Oedipi, quod occidit patrem et duxit matrem. Aliae arcanae causae fuerunt, quia pater Laius rapuerat cuiusdam filium ad turpitudinem. Id scelus tam tristes poenae, et tam procul vagantes, secutae sunt in semine Laii. Sicut plerunque Deus Talione punit, seminis abusum punit in posteris, caedes caedibus, sicut Davidis historia utriusque rei horribilia exempla continet. Dimicant inter se filii, filius movet seditionem, polluit coniuges patris sanctas matronas. Talium eventuum causam non ad astra, aut temperamenta referamus. Consentaneum est enim Davidis genesin foelicissimam fuisse, sed poenae secutae sunt ipsius scelus, quas Deus certo consilio tanquam exemplum universae posteritati proposuit, ne spe impunitatis homines pravis cupiditatibus frenos laxent.

Quarta causa per se, eventuum, qui dicuntur fortuiti, aut casu accidere, est materiae inferiorum corporum ingens varietas et mobilitas: ut pluit interdum aliquo in loco, cum in vicino non pluat, quia venti sic agitant nubes. Venti avertunt telum, quod recta corpus oppositum petebat. Ita eventus, qui casu accidunt referri interdum ad materiam possunt, sic in fortuitis. Aliqui homines sunt obnoxii morbo comitiali non propter stellarum positus, aut propter suam intemperantiam, sed quia patres eorum comitiales fuerunt. Mirabile est enim cum semine etiam aliquos parentum morbos, ut comitialem lichenas λιθίασιν propagari.

Huc pertinent et haec exempla. Multi pestilentiae tempore pereunt, quibus nec stellae, nec temperamenta talem interitum minitabantur. Sed vincit materiae universalis corruptio. Et regula est Ptolemaei, universales causas potentiores esse particularibus, sicut propter universales causas multi in bellis, aut in diluviis pereunt, quorum naturis privatim tale exitium non significabatur.

Recensui causas per se, ad quas fortuna utcunque referri potest, quae doctrina propter duas utilitates cognoscenda est, quarum prior est, quia cum multi eventus in vita tribuantur fortunae, qui haud dubie non accidunt sine aliqua vera causa, consideratio digna est homine, causarum per se talium eventuum, quantum fieri potest inquirere, ut seriem earum rerum, quae naturam et vitam gubernant, aspiciamus, et ordine animadverso firmius statuamus, non sine mente opifice hunc muntum exortum esse, et mentem ei gubernatricem praeesse.

Altera utilitas est, ut cum prospicimus causas per se, quasdam inclinationes moderari possimus. Etsi enim mentes humanae nec praevidere omnes eventus, nec mutare, etiamsi praevideant, possunt, ut de quibusdam eventibus ac praecipue de universalibus vere dicitur illud Pindari: Fatum nec ignis, nec ferreus murus arcere potest. Ut Carthaginenses non possunt impedire, quo minus imperio potiatur urbs Roma, tamen particulares eventus multi et prospici, et bonae inclinationes iuvari, et malae reprimi possunt, ut sagax Medicus corpora praemunire potest contra certos morbos, qui ea invasuri essent, nisi arcerentur. Ita cum videmus ad quae vicia proni sumus, propter stellas aut temperamenta, maiore vigilantia regendi sunt mores, ne malae inclinationes vincant. Et cum ex hac ipsa doctrina discamus, Deum causam esse praecipuam liberrime caeteras moderantem, ab ipso etiam regi nos petamus. Rursus ubi inclinationes foelices ad virtutem, aut artes animadvertimus, has doctrina et studio adiuvemus, sicut dictum est: Fortuna

artem amat, et ars fortunam, τέχνη τύχην ἔστερξε καὶ τύχνην τέχη.

De Fato.

Primum explicatio vocabuli necessaria est, quia manifestum est, alias aliter hanc vocem usurpari. Prima enarratio haec est: Fatum saepe significat decretum divinum, de re, quam gubernat voluntas Dei, ut proxima causa, et non causae secundae. Ut Israëlitae in undis servantur fato, Pharao et principes Aegyptii pereunt fato, id est, Dei voluntate. Sic saepe dicitur, imperia fato mutari, quia non possunt monstrari sufficientes causae secundae, quare Roma potius imperio orbis terrarum potita sit, quam Carthago.

Secunda enarratio est: Fatum significat seriem causarum naturalium, id est, copulationem stellarum cum temperamentis et inclinationibus. Id fatum vocat Ptolemaeus physicum: ut si dicatur, Marchio Iohannes Albertus fato corpus obnoxium morbis habere. Etsi autem postea dicemus, quae sint mutabilia, quae sint immutabilia, tamen nunc breviter inseram reprehensionem versus Manilii:

Fata regunt homines, certa stant omnia lege.

Loquitur Manilius de fato physico, sed hyperbole falsa est: Certa stant omnia lege. Non enim omnes eventus oriuntur a stellis, et de sceleribus manifestum est proprie causas esse malas voluntates et Diaboli impulsiones. Nec verum est omnes eventus necessario accidere, ut et supra dictum est, et rursus dicendum erit.

Fatum stoicum est connexio primae causae cum secundis naturalibus et voluntariis, talis, ut nec prima causa aliter ciere posse existimetur, quam ut secundae feruntur, nec voluntas aliter agere posse existimetur, quam ut impellitur a praecedentibus causis, naturalibus inclinationibus et visis, id est, imaginatione obiectorum.

Dissentit autem stoica secta non solum ab Ecclesia de providentia, sed etiam a caeteris Philosophis. Nam miracula manifesta plurima, ut divisae undae in mari rubro, et repressi cursus Solis, et mortuorum resuscitatio testantur, Deum non alligatum esse ad causas secundas, sed liberrime agere, et multa in causis secundis moderari. Et caeteros Philosophos moverunt multi eventus in imperiis, et heroicorum virorum insignes successus, aut interitus, ut faterentur, Deum quaedam proprie agere, quorum in caeteris rebus causae non conspicerentur.

Cum vero saepe iam refutata sit stoica necessitas, satis est monuisse lectorem, quid fatum nominarint Stoici, et quomodo eorum imaginatio discrepet ab Ecclesiae doctrina de providentia.

Fatum Aristotelicum est ordo causarum naturalium, ut fato Aristotelico equus generat equum. Hanc de fato sententiam esse Aristotelis, inquit Alexander Aphrodisiensis. Idem igitur Aristoteli significant Fatum et Natura. Nec miscet fatum Aristoteles voluntariis actionibus, sed his suum locum attribuit, et libertatem humanae voluntatis et contingentiam esse fatetur.

Expositis autem interpretationibus vocabuli, diiudicatio facilis est, quae fata sint mutabilia aut immutabilia, ac tantum de duabus prioribus enarrationibus dicendum erit.

De Aristotelico fato nulla quaestio est, cum nihil ad voluntatis actiones pertineat, et idem sit quod Physicis est Natura. Stoicum vero fatum prorsus reiicio, ut saepe iam dictum est.

De Fato cum providentiam significat.

Primum igitur videndum est, ubi fatum proprie divinam providentiam significet, et considerandum, quae, quomodo sint necessaria, seu immutabilia, quae divinitus decreta sunt. Non enim similis ratio est omnium. Ac tantum iusta, quae vel oriuntur a voluntate Dei, vel adiuvantur a Deo, fato fieri dicuntur: ut fato dicuntur imperia constitui, id est, providentia divina. Nam imperiorum constitutio nec ad stellas, nec ad alias causas secundas principaliter referenda est. Sic ait Virgilius:

Italiam fato profugus, lavinaque venit litora,

id est, divina providentia. Etsi enim temporum momenta, vel ingenia hominum, causae minus principales dici possunt, tamen principalis causa Deus est, caeteras causas mirabili consilio excitans, et ad unum finem universum opus dirigens, ut Plato in quarto libro de Legibus eruditissime scripsit: Recte dicit, qui Deum et cum Deo temporum momenta in rebus humanis universas vitae, aut civitatum mutationes gubernare inquit, placidius tamen est concedere, comitem his adiungendam esse artem. Sed redeamus ad exem-

pla, sic fatum Virgilius intelligit providentiam, cum ait de ramo aureo:

Nanque ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant, aliter non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.

Id est, si te providentia divina adiuvat.

Et haec fata dicuntur immutabilia, non stoica necessitate, sed necessitate consequentiae, quia a Deo decreta sunt, estque hoc loco fatum adpellatio causae per se, quia significat Deum haec ordinantem, vel gubernantem. Recte et poenas fatales esse dicimus, quae quia iustae sunt, a Deo ordinatae sunt, ut fato deletur Pharaonis exercitus.

Nequaquam vero utendum est fati adpellatione de sceleribus. Non dicendum est, Paridem fato rapuisse Helenam, aut Aegisthum fato a fratre vivo coniugem abduxisse. Haec neque ordinata sunt, neque necessaria, neque immutabilia. Et quanquam cernit ea Deus, tamen nec vult, nec adprobat, nec adiuvat. Sed horribiliter irascitur hominum voluntatibus, quae libere ruunt contra leges divinas, cum sibi et externis membris frenum iniicere possent, ne contra leges facerent, ac iram suam Deus in tristissimis poenis declarat. Ideo de talibus saepe repetit Homerus hanc particulam, fieri scelera praeter fatum, *ὑπὲρ μόρον*. Ut de Aegistho Odysseae primo dicitur. Et reprehensio additur quaerelarum humanarum, quae poenarum causas in Deum transferunt, cum hominum voluntates irritent iusticam Dei, quae quidem vitare scelera possent. Haec de prima fati adpellatione dixisse satis sit. Nunc de fato physico.

De Fato physico.

Diximus Fatum physicum vocari stellarum positum, qui vel in elementis, vel in animantium corporibus causa est certarum qualitatum, ut manifestum est, aërem nos ambientem fieri calidiorem, cum Sol in aestate propius ad verticem nostrum accedens, radios in eum rectiores spargit. Sed quoniam non potest dici, quomodo haec fata vel mutabilia, vel immutabilia sint, nisi prius dicatur de stellarum viribus, pauca hic addenda sunt de stellis, videlicet: An et qualis sit efficacia lucis stellarum, deinde cum revera sit aliqua eius efficacia, an observatio et quatenus concessa sit.

Sit igitur initium disputationis dictum Galeni, qui de hac ipsa re, id est, de efficacia stellarum, confugiens ad experientiam manifestam et communem, inquit: Sophisticum esse contradicere manifestae experientiae.

Primum igitur consideretur experientia universalis, nota omnibus etiam indoctis. Manifestum est Solis accessu et recessu fieri vices temporum anni, aestatis et hyemis. Lunam crescentem augere et ciere humores, decrescentem diminuere.

Deinde considerentur experientiae, quae etiamsi sunt universales, tamen ab indoctis non perinde considerantur. Ortus et occasus stellarum fixarum varietates tempestatum faciunt, qua in re testimonium providentiae Dei illustre conspici potest. Ortus et occasus ita ordinati sunt, ut prosint rebus nascentibus. Postquam primo vere terra mediocriter calefieri cepit, post aequinoctium, et seges nata in autumno tunc reviviscens, ac semina recens sparsa in terram indigent rigatione, ortus Pleiadum ac Hyadum regulariter pluvias adfert. Deinde rursus fit rigatio, cum Sol et Luna in Cancro conveniunt, ac praesertim cum ad Praesepe accesserunt.

Deinde maiore siccitate opus est in messe, ideo Leo et Canicula augent aestum et siccitatem. Deinde rursus Arcturi ortus, ac postea Pleiadum, Hyadum, et Orionis occasus initio hyemis cient humidas tempestates.

Hic ordo significat, arte motus ordinatos esse, et testimonium est, hunc mundum non extitisse casu. Variatur autem hic regularis ordo, alias magis, alias minus, Planetarum motibus, quorum insignes positus alias efficiunt maiores humiditates, alias maiores siccitates, ut exempla manifesta ostendunt.

Omitto exempla, quae recitantur de piscibus, aut plantis, quae vires siderum sentiunt. Utamur experientia manifestiore. Differunt hominum corpora iuxta zonas et regiones, qua de re longa est apud Hippocratem doctrina, qui causam ad stellas refert.

Tertio manifesta est experientia, magnis coniunctionibus siccorum Planetarum, in signis calidis, magnos aestus effici, et congressus in humidis signis magnas humiditates efficere, ut ipsi vidimus multa exempla: ut cum anno millesimo quingentesimo vicesimo quarto magna coniunctio fuisset in Piscibus, magnae humiditates secutae

sunt. Anno autem 1540, cum eclipsis Solis in Ariete fuisset, et postea secuta esset coniunctio Saturni et Martis in Libra, et deinde coniunctio Solis et Iovis in Leone, fuit ingens et inusitatus aestus.

Nec dubium est posse similia exempla universaliter ex omnium seculorum memoria repeti. Nec valet cavillatio Pici et similium, qui dicunt, doctrinam de viribus astrorum tantum ex singularibus extructam esse, ex quibus, si non omnia nota sint, non possit colligi propositio universalis. Hoc modo eludere argumenta ab experientia sumpta conantur. Sed vera responsio est:

Cum natura uno et eodem modo agat, postquam multa exempla congruere compertum est, recte inde extruitur universalis. Hoc modo et Medicus suas universales constituit. Non colligi omnes singulares experientiae de Cichorio, cuius magnus usus est in febribus, possunt, et saepe effectio eius impeditur, sed tamen consensus multorum exemplorum, quia natura uno modo agit, vim speciei ostendit. Ita de astris recte dicimus, universales experientias esse, quas recitavimus de Solis et Lunae effectionibus: item de insignibus coniunctionibus, quia compertum est, similes esse effectiones plerunque.

Eodem modo de experientia in hominum temperamentis et inclinationibus vere dici potest. Etiamsi propter concursum variarum causarum interdum effectiones dissimiles fiunt, tamen aliorum exemplorum multorum consensus, vim ostendit speciei, videlicet, quae sit Planetarum natura, aut quam vim habeat bona aut tetra coniunctio. Ac talis experientia vere dicitur universalis, aut certe regularis, ut supra de positu stellarum diximus, qui efficit corpus *δυνάμει νοσερὸν*, ut cum Luna Marti et Saturno in sexta domo iuncta est, aut ex vicino circumsessa est.

Regulare est imbecilles, et non durabiles naturas esse, quae eduntur in coniunctione Solis et Lunae, ac praesertim cum Luna accedit ad Solem. Etsi autem interdum aliarum beneficarum stellarum ope lenitur hoc malum, tamen semper aliquid affert incommodi. Hoc adeo notum est, ut non solum Aristoteles in libro de generatione Animantium dicat, imbecilliora esse corpora nata in coniunctione Solis et Lunae, sed peritae obstetrices etiam, ac matres sic nascentibus propter imbecillitatem metuant, cuius rei causa non videtur obscura. Magna enim vis est Lunae, quae gubernat humores in corporibus nascentium, ut manifestum est. Cum igitur Luna non spargit suum lumen in corpus quod nascitur, constat eius corporis humores similes fieri usto cineri, ac sanguinis temperamentum et dulcedinem multis modis corrumpi. Hinc igitur varii morbi, tabes, aut lepra, mentagra, et similes oriuntur, praesertim si Saturni et Martis positus etiam sua venena misceant. Haec physica causa facile intelligi potest.

Sed est alia maior, in qua singulare naturae miraculum considerandum est. Locus Lunae in partu congruit cum loco in conceptu. Si in coniunctione Solis et Lunae editur foetus, conceptio etiam in coniunctione Solis et Lunae facta est, quo tempore menstrua fluunt, quorum purgatio cum conceptu turbatur, foetus ex impurissimo sanguine nascitur. Ideoque lex divina eo tempore generationem prohibet. Hanc naturae diligentiam, ut ita dicam, quod locus Lunae in partu, congruit ad locum Lunae in conceptu, non existimemus fortuitam esse, et cogitemus consilium et voluntatem Dei, qui generationes fluentibus menstruis fieri prohibuit, quod sit usitate in postremo quadrante mensis. Nec difficile esset multa exempla talium infoelicium temperamentorum recitare. Quare non dubitemus magnam vim esse luminis in miscendis temperamentis, et ordinata a natura, et voce divina generationis tempora, non contemnamus.

Illustre experimentum est effectionum Lunae, qua crescente crescunt humores insigniter in multis corporibus, et decrescente decrescunt, et pro varietate positus Lunae fiunt motus humorum varii in morbis, unde et criticorum dierum observatio orta est. Fieri enim septimo die, aut circiter insignes in morbis mutationes, ac motus humorum, seu ut malum fiat levius, seu ut fiat gravius, manifestum est. Et quanquam multae sunt a doctis quaesitae causae, tamen adeo congruit Luna cum illis mutationibus, ut eius positu maxime effici criticorum dierum discrimina eruditissimi iudicent. Causa autem non obscura est earum mutationum. Universaliter enim signa, quae distant quadrato aspectu, naturas habent contrarias. Ideo et aspectus quadrati periculosi sunt, et Luna egressa ab aliquo signo, cum ad quartum accessit, cum eius natura contraria sit primo, fieri mutationem aliquam in humoribus consentaneum est. Ut Arietis naturae, qui est

Mavortius, contrarius est Cancer, cui Luna familiaris est. Tauro, cui Venus familiaris est, contrarius est Leo, qui Solis domicilium est. Sed mitiores, aut saeviores mutationes sunt, ut caeteri Planetae, vel benefici, vel malefici adspiciunt.

Recensui experimenta, quae etiam indoctos fateri cogunt, multas esse stellarum effectiones in aëre et animantibus. Addi autem his testimoniis exempla possunt, quae in nativitatibus plurimorum illustria deprehenduntur, qui aut virtute, aut sceleribus excelluerunt, aut excellunt, quorum exemplorum perpetuus consensus convincit eos, qui ea considerant, etiamsi alii, qui ea non aspiciunt, convinci nolunt. Nec vero iudicium de artibus faciendum est ex eorum opinionibus, qui eas ignorant.

Saepissime hoc accidit, ut nati ex iisdem parentibus bene moratis, dissimilimas habeant inclinationes, alius ad studia doctrinae ac Musicam, alius sit amusus et mavortius, alius tetras voluptates amet.

Causa etiam astrorum congruentia est, quod cum in una urbe multae sint puellae, incenditur aliquis unius alicuius amore, caeteris neglectis. Talium dissimilium inclinationum causa conspici in positu astrorum potest.

Recensui testimonia experientiae satis perspicua, pugnare autem cum experientia, seu universali, seu regulari, sophisticum est, ut supra dictum est. Nunc cum constet vere aliquas esse stellarum effectiones, respondendum est iis, qui disputant, observationem a Deo prohibitam esse.

An omnis observatio motuum et effectionum coelestium a Deo prohibita sit?

Propter iuniores primum de hoc discrimine dicam.

Alia est doctrina de motibus. Alia divinatrix, seu μαντική.

Doctrina de motibus est distinctio dierum, mensium et annorum, facta animadversis certis motibus, et eorum metis, et numeratio temporum, intra quae Sol, Luna et caeteri Planetae ita peragrant coeli spacia, ut ad easdem metas, unde egressi sunt, redeant. Est et consideratio motuum aliarum stellarum, quae nominantur fixae. Et cum consideret, quae spacia in terra, quibus in coelo respondeant, postea monstrat terrae magnitudinem, et intervalla regionum constituit, ut locorum omnium situs et distantias scire possimus, ubicunque sumus.

Haec tota doctrina de coelestibus motibus, et de terra, sumitur ex duabus artibus, ex Arithmetica et Geometria, quae cum sint dona Dei excellentia, tradita hominum naturae propter ingentes utilitates, certissimum est, cognitionem earum esse rem bonam, id est, a Deo adprobatam, et vitae humanae utilem. Imo necessaria est cognitio numerorum, ne cogitemus infinitam confusionem Deorum, seu innumerabiles Deos.

Deinde annorum series non frustra condita est. Vult nos Deus scire initia mundi et ordinem temporum, quibus se patefecit, vult sciri, quae sit prior, quae posterior doctrina.

Denique in Genesi manifeste dicitur: Lumina condita esse, ut sint signa, et discernant tempora, et dies, et annos. Motus autem Lunae et Solis non monstrant annum non consideranti metas, non conferenti circuitus Lunae ad Solis circuitum. Cum autem velit Deus annos discerni et numerari, vult etiam motus Lunae et Solis motus considerari.

De his cum manifesta sit voluntas Dei, furores eorum, qui doctrinam de motibus coelestium corporum aspernantur, execrandi sunt, et opponendum est hoc ipsum testimonium ex Genesi, de annis et mensibus. Nam tempora menses nominat.

Et confirmentur recta iudicia hac ratione: Omnis vera agnitio rerum a Deo conditarum et ordinatarum est res bona, quia ideo propositus est hominum oculis ordo rerum in natura, ut consideretur, et sit testimonium de Deo. Haec autem doctrina de motibus tantum est agnitio ipsarum rerum et ordinis motuum. Ergo sine ulla dubitatione res bona est.

Praeterea, noticia numerorum, figurarum et locorum res bona est, quia est aspectio et distinctio operum Dei. Talis est autem haec doctrina de motibus, igitur res bona est.

Postremo, convincat omnes manifesta necessitas distinctionis mensium et annorum, qua nec in Ecclesia, nec in reliqua vita carere homines possunt. Cum autem Deus hanc ipsam distinctionem magnarum utilitatum causa ordinaverit, certe vult eam considerari, et considera-

tionem adprobat, imo ipsa lex divina praecipit observationem, cum iubet die quartodecimo primi mensis edi agnum Pascatis. Et series annorum inde usque ab initio mundi, singulari consilio in sacris libris recitatur.

Haec de doctrina motuum satis sit monuisse propter iuniores. Nunc de divinatrice dicam. Haec est maior quaestio, quia lex divina prohibet quaedam genera praedictionum.

Initio igitur necesse est praedictiones discerni, ac ut sit simplicissimum discrimen, duo genera constituam. Aliae sunt physicae, aliae sine causis naturalibus, quae et a Ptolemaeo nominantur *ἀναιτιολόγητοι*.

Voco autem physicas praedictiones, quae sumuntur a signis in natura divinitus conditis, quae sunt aut causae, aut effectus, aut proprietates, quae natura comitantur causas aut effectus, ut plurima sunt in universa natura, vel futurorum, vel aliarum rerum, quae nondum conspiciuntur, vera signa divinitus ita condita in natura, quorum aspectio nequaquam cum lege Dei pugnat, sed est divini operis atque ordinis consideratio, pertinens ad hoc dictum: Omnis creatura Dei bona est.

Talia sunt signa, quae Medici observant, ut cum iudicant ex arteriarum pulsu tardo aut veloci, an cor sit accensum nimis magno calore, aut languefactum sit. Seu cum ex tumore et ex duricie tumefactae partis iudicant de hydrope, an sit *ἀσκίτης*, aut alia species.

Tales divinationes concessas esse, non dubium est, quia tantum sunt ordinis consideratio, quem siquis in natura non esse, aut inanem esse, contenderet, manifesto mendacio Deum offenderet.

Tales sunt multae tempestatum praedictiones. Spirantibus boreis praedicimus serenitatem, spirantibus austris ratiocinamur pluviam secuturam esse. Hae divinationes a causis sumuntur, siccior et horridior est boreas, quia oritur in locis siccioribus et frigidioribus. Austri vero sunt humidiores et tepidi, quia meridiana regio, ubi excitantur, et humidior et calidior est, et in his humidis regionibus plerunque Sol ea parte, quae ipsius motui propior est, multum halituum attrahit, ut manifeste videmus.

Aliae autem praedictiones sunt sine causis naturalibus, quae vocantur, ut dixi, *ἀναιτιολόγητοι*, ut auguria, sortes, sunt et multae magicae seu diabolicae, ut eorum, qui vocantur *πυθῶνες*, id est, spiritus, qui in fanaticis habitant, et interrogati vaticinantur.

Omnia igitur genera, quae vel nullas in natura causas habent, vel propria sunt daemonum vaticinia, damnamus et execramur.

Et de his proprie loquitur severissima prohibitio in lege divina, ubi multae sunt adpellationes, ut semper apud omnes gentes variae imposturae divinationum fuerunt.

Nec est inutile, significationes adpellationum considerare, quantum fieri potest, nam ex significatione voluntas legis magis intelligi poterit. Etsi autem difficile est talia vocabula interpretari, quae propter linguae vetustatem et gentium mutationes, in quibus et multi ritus mutantur, non satis certo enarrari possunt, tamen aliquorum interpretatio certa est.

Levitici vicesimo capite scriptum est: Vir sive mulier, in quibus est spiritus pythonicus, aut incantatio, interficiantur. Hic prius vocabulum satis certum est ex historia regis Saul, ubi mulier consulens daemones, dicitur vaticinari consulto Ob, quod verterunt Pythonem, id est, Diabolum respondentem consulentibus. Est enim *πυθὼν* a *πυνθάνεθαι*.

Vocabulum vero Ob dicunt ab utre factum esse, quod obsessi, cum vaticinari incipiunt, inflantur. Ideoque Graeci hanc adpellationem verterunt *ἐγγαστρίμυθον*.

Ad hanc speciem pertinent hoc tempore consulentes Diabolum in crystallo monstratis imaginibus.

Damnantur autem hae species, quia daemones consulunt, et alienissimae sunt a rebus ordinatis a Deo.

Est et altera species diabolica, videlicet Incantatio, cum verbis et certis simulachris fascinantur, ac leduntur alii, ut cum ulcera tabifica fiunt in aliis incantatione, aut ut apud Theocritum maritus revocatur domum:

Iynx redde, domum retrahens, mihi redde maritum.

Vocabulum apud Ebreos est Iedeuni, quod verterunt *ἐπωδοὺς*, id est, incantatores.

Damnata est et haec species, quia Diabolus efficit ea, quae incantator imprecatur, et sunt inter incantatorem et Diabolos pacta. Nullam autem vult Deus pactionem et societatem nobis

cum suis hostibus Diabolis esse, nec vult nos ab ipsis opem petere.

In Deuteronomio et alia vocabula recitantur. Generale est Kesem, quod significat vaticinantem, quod potest intelligi de omnibus, qui sine causis physicis quoquo modo aliquid praedicunt.

Meonen sunt, qui supersticiose certos dies eligunt, aut vitant.

Menahes sunt sortilegi, qui ex figuris, aut numeris, aut sortibus divinant.

Micaseph, magus, qui diabolicis praestigiis efficit aliquid, ut fiebant a Diabolis opera magorum Aegyptiacorum, qui serpentum speciem efficiebant.

Hober, qui divinant ex coeli partibus, aut auguriis, aut abusu doctrinae de astris, ut multi impostores referunt ad astra eventus, qui prorsus nullas habent causas, aut significationes in astris.

Ab his speciebus omnibus removeamus physicas predictiones, quae sunt reipsa consideratio ordinis divini in natura. Manifestum est enim praedici posse, aestatem futuram esse sicciorem aut humidiorem, propter aliquam magnam coniunctionem.

Cum igitur consideratio ordinis divini in natura, ut praedictiones medicae, sit res concessa, manifestum est et astrologicas, cum metae physicae servantur, concessas esse.

Quare et in Genesi in capite primo scriptum est, Stellas non tantum conditas esse, ut annos, dies et menses discernant, sed etiam ut sint signa. Cum igitur Deus velit ea rerum aliquarum signa esse, considerare in experientia, qui eventus significentur, concessum est.

Quod vero scriptum est in Ieremia: A signis coeli nolite timere, hoc ipso dicto potius ars confirmatur. Vocat enim signa, aliquid igitur denunciant. Sed Ecclesiam Deus consolatur, ne in calamitatibus generis humani, se quoque interituram esse existimet, sed sciat se Deo curae esse, se exaudiri et servari, etiam cum deficiunt causae secundae. Sic cum Deus prohibet nos succumbere dolori in morte, non hoc sentit, nihil mali esse mortem, sed quia res horrenda est, opponit consolationem, et auxilium nobis promittit.

Sed hic necesse est simul doceri, nequaquam omnes eventus ad astra referendos esse, sed cum de actionibus humanis et eventibus, qui hominibus accidunt, loquimur, causae praecipuae sex considerandae sunt: Voluntas hominis, temperamenta, astra, Deus, et Diaboli. Item externa violentia, quae varias causas impulsionis habere potest.

Quod Paris abduxit Helenam, non stellae, sed in utroque voluntas proprie causa est. Et voluntates accensas impellit Diabolus. Poterat autem voluntas in Paride revera se frenare, ac imperare membris, ne alienam abducerent. Et Helena adversari potuit, ac imperare membris, ne moechum sequerentur.

Temperamenta in multis manifestae causae sunt morborum, item inclinationum ad artes et ad actiones morales: ut hi in quibus copiosa est atra bilis, quartanae febri magis obnoxii sunt. Alii in quibus copiosa est rubra bilis, iracundiores sunt. Alii, in quibus temperata crasis est, declinans ad melancholicam, magis idonei sunt ad percipiendas artes.

Etsi autem temperamenta aliquid sumunt a semine, hoc est, aliquam parentum similitudinem referunt, tamen variari ea a stellarum positu, manifestissimum est. Ideo saepe fratrum, etiamsi lineamentorum similitudo est, tamen ingenia, et mores plurimum differunt. Item patris et filii. Excellens virtus fuit Scipionis Africani superioris, haud dubie propter aliquam superiorum Planetarum coniunctionem. In filio vero magna et corporis et animi imbecillitas fuit. Ac manifestissimum est, robore corporum, ingeniis et moribus saepe dissimiles esse fratres, cuius dissimilitudinis causam in positu astrorum conspici non dubium est. Ut supra dictum est de marchione Iohanne Alberto valetudinario, cuius frater Albertus dux Prussiae, quanquam natu maior, et expertus maiorem fortunae varietatem, tamen valetudine firma est, et senex adhuc robur habet militare.

In moribus et artium studiis aliquid etiam variant educatio et disciplina. Sed haec duo ad primum pertinent, scilicet ad voluntatem.

Dei beneficia peculiaria multa sunt in omnium hominum vita, ac praesertim piorum, ut quod Moises servatur, quanquam iam in undas abiectus, non ad stellas referatur, sed singulare Dei beneficium esse ducatur. Ac sciamus Deum saepe invocantibus opem ferre, cum a secundis causis destituimur, saepe etiam secundas causas,

quae tristes eventus minitantur, mitigare, ut manifestum est, primos parentes destitutos omnibus secundis causis, receptos, et ex morte revocatos esse. Ita cum Moisen et populum educit per undas, cum Iosuae praelianti sistit Solem, manifeste opem fert suis supra causas secundas, et haec exempla ostendit, ut nos quoque in necessariis negociis petamus et expectemus ab eo auxilium, etiam cum rerum natura nos destituit, ut in Psalmo dicitur: Pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Et Ionathas inquit: Deo facile est vincere per paucos. Et de Abraham inquit Paulus: Credidit contra spem in spem. Omnino tribuendus est Deo hic honos, ut statuamus eum et posse, et saepe velle opitulari, etiam cum a rerum natura deserti sumus. Idque ita fieri multi homines experiuntur, qui haec eius beneficia praedicare debent, ut gloria Dei fiat conspectior, et collocetur Deus supra rerum naturam et supra stellas, nec propter minas astrorum existiment homines Deum fatali necessitate velut carcere clausum teneri, et non mutari astrorum minas, qua de re postea plura dicam.

A Diabolo sunt multi tetri impetus, ut Neronis libidines, etsi talibus resistere aliquo modo voluntas humana potest. Sed tamen hic discant pii, horribilem potentiam esse Diaboli in impellendis impiis, resistere autem posse mentes pias concurrentibus his causis, auxilio Dei, et humana voluntate, adversante illecebris Diaboli.

Postremo, et alii eventus accidunt a causis externis, ut cum multi, quorum dissimiles sunt naturae, simul in uno praelio interficiuntur, aut contagio moriuntur, aut seditionibus impliciti simul opprimuntur. Hic regula erudita tenenda est, quam Ptolemaeus recitat: Universales causas potentiores esse particularibus, ut quia venenum in magnam aëris partem sparsum est, et aërem attrahunt multi dissimiles, nihil mirum est, pariter eos infici, etiamsi alii aliis vivaciores fuissent, si non aliunde venenum potentius particularibus causis hausissent. Sic cum universales causae multorum furores moverunt, ut bella accendant in totis gentibus, etiamsi non similes furores in omnibus excitantur, tamen multitudo pauciores secum rapit.

Haec sex causarum genera diligenter cogitanda sunt, ut consideremus, quae iuvent et quae ledant, et quomodo diligentia iuvandae sint bonae causae et malae vitandae. Ac eo magis humanam imbecillitatem agnoscamus, quia videmus hanc infirmam naturam non solum aut a voluntate, aut a Deo, aut a nostris temperamentis ac stellis regi, sed etiam saevissimis tyrannis obnoxiam esse, Diabolo et aliis externis causis. Multa igitur exempla deprehenduntur, ubi mores et eventus deteriores sunt, quam significationes astrorum.

Hic et Basilii argumento respondendum est, qui in enarratione scripta in Genesin contendit, non oriri a stellis inclinationes in hominum naturis. Si inquit: Stellae essent causae malarum inclinationum, Deus causa esset viciorum, quia cum condiderit stellas, necesse esset dici, ab eo talem vim efficiendi viciosas inclinationes, insitam esse stellis.

Haec ratiocinatio plausibilis videri possit Ethnico. At nos in Ecclesia veram et perspicuam solutionem habemus. Si natura hominum mansisset incorrupta, fulsisset in ea lux divina, gubernatrix omnium motuum, et stellae in materia non contaminata, alias actiones habuissent. At nunc in his sortibus infoeliciores sunt actiones, et extincta est illa lux, quae rexisset omnes humanos motus. Itaque non tolluntur vires astrorum argumento Basilii, sed nos de re magna admonemur, videlicet, de amissa luce et rectitudine, quae nobis in prima conditione donata fuit, et de materiae nostrae depravatione. Haec mala deploremus, non deiiciamus astra de coelo.

Deinde et hoc addendum est solutioni: Ne nunc quidem stellae sunt causae malarum actionum. Etsi enim in materia impura oriuntur a stellis pravae inclinationes, tamen hae non sunt principales, aut integrae causae malarum actionum, sed libera voluntas, quae et poterat et debebat frenare inclinationes. Nec constituimus fatalem aut stoicam necessitatem, sed retinet voluntas libertatem in disciplina regenda, ut saepe iam dictum est.

Quod autem obiiciunt aliqui, paucas esse demonstrationes de effectionibus siderum, his respondeo: Cum omnis demonstratio in natura sit veritas, a Deo proposita considerationi humanae propter aliquam utilitatem, has ipsas demonstrationes, etiamsi paucae sunt, considerare honestum et utile est. Et esse aliquas veras demonstrationes ab effectibus sumptas, non dubium est, quae etiamsi paucae sunt, tamen usus late patet,

et in omnibus artibus etiam paucae demonstrationes multarum magnarum rerum doctrinam continent.

Deinde multa sunt probabilia, quibus plerunque respondent eventus, quae etiam non sunt aspernanda, ut in arte medica saepe probabilem rationem medicus sequitur, ut cum Hippocrates, ut arceret a Thessalia saevam Pestilentiam grassantem horribiliter in Attica, iussit incendi sylvas ventis incitatis versus Atticam, ratio probabilis fuit huius consilii, et tamen respondit eventus. Saepe enim parva momenta in natura habent effectiones non contemnendas.

Quanquam igitur nec omnia prospici possunt, nec demonstrationes sunt omnium praeceptorum, tamen magna utilitas est, videre aliquas inclinationes praecipuas, quae insignes in vita offensiones pariunt, nisi diligentia nostra et auxilio divino vitentur. Et ex paucis insignibus inclinationibus, quae veras habent demonstrationes, multa alia probabiliter ratiocinari homines sagaces possunt: ut qui propter infaustos positus stellarum bilem habet adustam, hic cum furenter iracundus sit, et inconstans, et legibus contumax, et similis furioso, tandem etiam in legum poenis haerebit.

Ita videndum est, quae bona, aut quae mala cohaereant. Ideo eleganter inquit Ptolemaeus, ornandam esse artem, et instruendam velut viatico, ex communi Physicorum doctrina, iubet enim artem *φιλοκαλεῖν καὶ ἐφοδιάζειν.*

Postquam dixi, et artem esse doctrinam de effectibus stellarum, et usum eius, ut aliarum physicarum praedictionum, concessum esse, nunc de utilitate dicam.

Non enim verum est Pindari dictum, quod a Platone recitatur, Physicos decerpere inutilem fructum sapientiae, *δρέπειν ἀτελῆ καρπὸν σοφίας.* Manifesta est enim utilitas artis medicae. Et haec ex aliis elementis physicis extructa est.

Breviter autem nunc huius partis utilitates praecipuas recitabo, in quarum commemoratione adparebit, nos de naturalibus inclinationibus loqui, nec miscere supersticiosas observationes.

Primum igitur prodest ad tuendam valetudinem, et vitandos, aut certe mitigando morbos. Ac libellus extat inter Galeni opera, collectus ex Diocle, qui Antigoni regis Medicus fuit, erudite disserens de causis coelestibus morborum.

Secundo: Mores et studia melius regi poterunt, inspecta inclinatione. Nam infoelix miles et ineptus musicus, aut poëta erit, qui repugnante inclinatione, aut militare, aut canere volet. Sed consideret quisque quid mediocriter iuvante natura, efficere possit, ac bonas inclinationes diligentia adiuvet, pravas reprimat, sicut Ptolemaeus praecipit, inquiens: Sapiens anima adiuvat vim coelestem, sicut bonus agricola cultura terram adiuvat.

Natura fit plerunque, ut congruant temperamenta, inclinationes et eventus. Bonum temperamentum corporis gignit motus moderatiores et magis regulares. Malum temperamentum rapidos motus ciet, vel ad iram, vel ad libidines: ut nati in coniunctione Solis, Lunae et Martis, aut certe si Solem et Lunam in coniunctione, Mars aliunde infausto aspectu aspicit, propter sanguinem valde ustum, et spiritus fumosos et mordaces exaestuantes, nec crasin bonam habent, nec mores placidos, suntque praecipites in iram. Et interdum irati ruunt in tristes et tragicos casus.

Tales naturae, etsi sunt infoelices, aliae magis, aliae minus, tamen si stellarum positu considerato, pericula prospexerint, et frenare se disciplina annitantur, multa saeva mala vitare poterunt, quia manet in natura hominum libertas, quae pravas inclinationes cohercere potest. Nec Deus frustra disciplinam instituit. Et multum valent in regendis moribus, sobrietas, circumspectio, adsuefactio ad contationem et ad reprimendos subitos impetus. Et haec diligentia multo est foelicior, cum accedit ardens invocatio Dei.

Prodest igitur aliquo modo praevidere pericula, ut remedia contra ea diligentius opponantur. De qua utilitate addam et hanc admonitionem tertiam.

Tertio: Ideo etiam prodest nosse stellarum significationes bonas et malas, ut ipsa nos consideratio naturae erudiat, ac ostendat, qui eventus a physicis causis seu stellis proprie oriantur, qui proprie oriantur a Deo, qui a Diabolis. Propter hoc discrimen sobria consideratio stellarum utilis est.

Multa sunt beneficia divina quotidiana, et multae liberationes, quae non possunt proprie ad stellas referri, ut incolumitas Danielis inter leones. Econtra valde multorum mores deteriores sunt, et exitus tristiores, quam quales significan-

tur a stellis: ut Neronis, Caligulae et innumerabilium aliorum furores et exitus ad Diabolum proprie referantur.

Haec collatio causarum in bonis mentibus auget curam regendae disciplinae, et petendi auxilii divini, ut supra quoque dictum est.

Quarto: Etsi non omnia prospici possunt, cum nec omnes eventus a stellis regantur, et non omnes significationes stellarum in tanta magnitudine artis cerni possint, tamen quaedam oeconomica et politica prospici possunt, quae praevidere utile est. Ut narrat Aristoteles Thaletem praedixisse olearum sterilitatem, et multos emisse olei cados parvo precio, quos postea maiore precio vendidit.

Et saepe eclipses, aut superiorum Planetarum coniunctiones non obscure significant perniciosos aestus, aut nimis assiduos imbres, quae duae causae sterilitatem adferunt. Hanc aliquo modo praevidere utile est.

Fridericus Austriacus imperator, pater Maximiliani imperatoris, etsi cuilibet regum potentia et consilio par erat, et adiunctas habebat potentissimas ducum familias in Germania, tamen cum rege Matthia Hungarico magnis copiis, seu iusta acie dimicare noluit, quia et illius foelicitatem norat, et sibi sciebat Martem in genesi infoeliciter positum esse. Repressit igitur hostem consilio: ita et Caroli Burgundi potentiam fregit.

Ut autem singulis privatim utile est sua pericula aliquo modo considerare, ut sint moderatiores, ita rei pub. prodest gubernatores non esse ignaros inclinationum suarum, et periculorum, quae ipsis et astra et sui impetus denunciant, ut rapidos motus sapientia et moderatione animi coherceant.

Hanc admonitionem de utilitatibus veram esse, experientia declarat, quae adeo non constituit fatalem necessitatem, ut magis etiam hortetur nos ad diligentiam, ut ratione regamus inclinationes, et ut agnita infirmitate nostra, ardentius expetamus auxilium divinum.

De causa finali in natura.

An natura agat propter finem?

Democritus et Epicurus, qui componunt mundum ex atomis, et removent Deum, ac fingunt subinde alios mundos occidere et exoriri, retinent duas causas, Materiam et Formam, et alias duas causas, Efficientem et Finalem, in mundi compositione prorsus tollunt. Fingunt casu hunc ordinem corporum coelestium et elementorum extitisse, fingunt casu ex homine hominem, ex arbore pomum nasci.

Nec adferunt aliud argumentum suae opinionis, nisi hoc, quia saepe monstra nascantur. Ut igitur temere materia seu atomi confluunt, ita casu nasci omnia adfirmant.

Sed haec cavillatio levis est, a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Interdum partes aliquae materiae temere miscentur. Ergo nullae generationes in natura ordinatae sunt. Manet enim ordo in conservatione specierum universaliter, etiamsi interdum in aliqua parte materiae confusio aliqua accidit.

Quod autem natura agat propter finem, perspicuae sunt demonstrationes.

Supra demonstratum est, esse mentem architectatricem huius mundi, quia impossibile est, casu extitisse, aut manere casu, hunc pulcherrimum ordinem corporum et motuum coelestium, positum elementorum, conservationem specierum et mentem, et noticias in homine regentes vitam. Haec necesse est ordinata esse a mente aliqua architectatrice.

Est autem firmissima consequentia: Res praecipuae in natura sunt ordinatae. Ergo mens ordinans cogitavit fines, et res ipsae appetunt certos fines. Nam esse ordinatum, est partes praecipuas certo consilio distributas esse, propter utilitates aliquas.

Iam ipse ordo aspiciatur, et consideretur eius utilitas.

Mundi figura circularis est, non solum quia ea figura pulcherrima, aut capacissima est, sed etiam quia motibus siderum, qui necessarii sunt omnibus rebus nascentibus, maxime idonea est.

In hac figura Solis motus diem et noctem, aestatem et hyemen diversis motibus discernit. Et alii motus aestatem adferunt, calefaciunt et foecundant terram, alii adferunt hyemem, ut terra fiat humidior, et rigata foveat semina. Terra sedem praebet hominibus.

Iam quanta ars est in opificio humani corporis, ubi res ipsa ostendit singulas particulas ad certos usus conditas esse. Quanta ars est in oculi fabricatione, item in organis vocis et sermonis.

Deinde quanta oculorum, quanta sermonis utilitas est?

Et in his ars testimonium est illustre, mentem aeternam fabricatricem esse, et cum utilitas manifesta sit, res ipsa loquitur haec organa ad hos usus magno consilio condita esse.

Praeterea manifestum est, miro ordine et singulari arte gigni in terra fruges et alias res, quibus animantia ac praecipue homines nutriuntur. Et in tanta varietate herbarum aliis aliae vires insitae sunt, ut morbos varios depellant. Hanc distributionem proprietatum in frugibus et in herbis, impossibile est casu factam esse. Et si casu tales proprietates spargerentur, non manerent similes in singulis speciebus. Ideo necesse est consulto, et propter finem ita distributas esse.

Sed dolendum est, tantam esse coecitatem hominum, ut cum praecipua opera in tota natura clamitent, esse mentem aeternam conditricem, quae consulto hoc opificium ordinaverit, tamen Democritus, Epicurus et multi alii contendant, omnia corpora casu ita conflata esse ex atomis et omnia casu ferri.

Hic horribilis furor execrandus est, et opponenda consideratio ordinis in tota natura, testificans esse Deum.

Est autem maxime perspicuum testimonium, de Deo et de causa finali, quod res sint conditae ad certos fines, ipsa mens hominis. Sunt enim in mente hominis noticiae numerorum, item noticiae discernentes honesta et turpia aeterno septo. Et hae ipsae noticiae testantur esse Deum, et talem esse, quale est lumen honesta praecipiens, et quidem iudicem esse. Ideo conscientia saucia damnat scelerate facta, et cruciatur ingentibus doloribus, qui abiici non possunt, etiam si conemur eos abiicere. Est et inenarrabilis amor parentum erga natos.

Haec casu ita fieri in hominum mentibus, aut oriri has noticias a natura non intelligente, impossibile est.

Quare fateri necesse est, naturam et ortam et ordinatam esse a mente architectatrice. Cunque ordinata sit, necesse est ad fines certos ordinatam esse, ut Sol ordinatus est, ad facienda intervalla diei et noctis, hyemis et aestatis, ut luce et calore terram et animantia faciat foecunda, sic hominem ordinatum esse etiam communis sensus iudicat, ad honestas actiones et ad conservationem communis societatis. Sed agnitio Dei, quae nobiscum nascitur, amplius monet, homines ordinatos esse, ut Deo obediant, et eum in communi societate celebrent, testentur esse iudicem, benefacientem obedientibus, et punientem atrocia scelera. Quare hoc dictum Stoicorum laude dignum est. Omnia nasci hominum causa, sed homines propter Deum, id est, ut sit in hoc visibili mundo, natura aliqua agnoscens et celebrans opificem.

Non addam plura argumenta ad confirmandam hanc sententiam, quod natura agat propter finem, id est, quod singulae species sint ordinatae ad certum modum generationis et ad certos usus.

Querela potius addenda erat, et deploranda coecitas in multis atheis, qui dubitant de hoc ordine naturae, et de opifice. Ac nos singulos oportuit acerrime nobis ipsis irasci, quod cum mentes nostras aspicimus, non simul cogitamus de Deo conditore, et de ingenti amore ipsius erga genus humanum, nec agimus ei gratias.

Quae eloquentia potest has res maximas exponere? Deus condens hominem, transfudit in eum suas dotes, quae in ipso sunt summae, sapientiam suam, scilicet legis noticiam. Deinde libertatem voluntatis ac iusticiam, qualis in ipso fuit.

Imo in nos etiam Spiritum sanctum ex suo pectore effudit, qui erat incendium amoris mutui in Deo erga nos, et in hominibus erga Deum, priusquam natura hominum a Deo aversa fuit.

Haec tanta dona cum nobis attribuerit, fateri necesse est, quod vere diligat genus humanum. Pudeat igitur nos ingratitudinis nostrae, quod non solum non diligimus conditorem, qui tanta decora nobis donavit, imo qui nos socios suae naturae fecit, dato Spiritu sancto, sed etiam furenter adhuc dubitamus, an sit Deus conditor, an curet homines, an natura ordinata sit.

Procul eiiciantur hae dubitationes ex mentibus, et quotidie invocatione consideremus ordinem in natura, et Dei dona in nos transfusa, et amorem patrium erga nos, qualis est in hominibus erga natos. His commonefactionibus confirmemus veras cogitationes de providentia.

Deinde addamus et evidentissimum illud testimonium amoris erga nos, quod misit Deus filium, et addidit testimonia, quod revocavit mortuos in vitam. Cogitemus et promissiones tradi-

tas, hanc de Deo lucem in nobis augeri etiam a Deo petamus.

Haec etsi extra Philosophorum disputationes dicta sunt, tamen hoc loco non sunt intempestiva, ubi disputatur, an natura a Deo ordinata sit.

Sit igitur haec conclusio huius quaestionis: Naturam agere propter finem, quod dextre intelligatur hoc modo: consilio architecti species in universa natura, et ordinatas esse, et servari, et certas habere formas et effectiones, et in singulis mixtorum speciebus certum modum esse propagationis seu generationis, ac tendere eas ad generationes, formas et effectiones, inclinatione insita suis corporibus a mente architectatrice, ut grano tritici insita est vis gignendi triticum, bovi gignendi bovem, absinthio pellendi bilem.

Talis ordo in singulis speciebus conspici potest, sed tamen in homine illustrior est, quia multi gradus sunt in hominis viribus. Homo generat hominem, homo intelligit discrimen actionum convenientium et non convenientium, et prospicit finem, ad quem natus est, et consulto ad eum accedit. Ut Aristides, Fabius, Scipio, Lelius, consulto accedunt ad finem, ad quem vident se natos esse, agnoscunt hunc mundum non extitisse casu, sed ab aliqua mente architectatrice conditum esse, et noticias in mente hominis congruere ad illam architecti sapientiam, et vident universaliter atrocia delicta divinitus puniri. Ideo sentiunt hunc esse finem hominis, ut Deo obtemperent et eum celebrent inter homines, deinde ut conservationem suae speciei adiuvent, ideoque et naturali inclinatione et iudicio, diligi natos sentiunt, ut admoneamur et extimulemur, ut communem societatem tueamur, imo ad huius societatis conservationem vident et leges inditas nobis esse, Neminem ledito, non provocatus, sint imperia, ut turbatores ordinis coherceantur.

Hae ipsae noticiae in natura testantur, et conditos esse homines ad certos fines, et hos fines intelligi.

Fatendum est igitur, naturam agere propter finem, cum homo sanus et agat propter finem, et intelligat finem.

Denique de universa natura teneatur hoc argumentum, quod supra recitavi, praecipua corpora in universa natura ordinata sunt. Tendunt igitur ad certum finem, id est, habent certos modos propagationis seu generationis, et certas effectiones. Nam ordinatum esse, hoc ipsum est consilio primi efficientis ad certam formam et certos fines directum esse. Ita manifeste conspiciuntur quatuor causae, universae naturae: Efficiens, mens infinita architectatrix, materia corporum, formae ordinatae a mente architectatrice, ut alia Solis, alia hominis, alia bovis forma, et alii singularum specierum fines sunt. Sed materiam ex nihilo conditam esse coelestis doctrina adfirmat.

An natura intendat monstrum?

Conservatio perpetua specierum, id est, quod manent eaedem species, et quod in singulis similia procreantur, bos a bove, leo a leone, illustre testimonium est, hunc mundum non extitisse casu, quia si temerario concursu atomorum natae res essent, non diu manerent eaedem species, et ex bove homines aut volucres nascerentur. Necesse est autem aliquam sapientem, aut regularem causam esse huius perpetui ordinis.

Huic argumento opponunt Democritus et Epicurus monstra, imo inquiunt: Non tantum bos ex bove nascitur, sed etiam multa monstra nascuntur.

Huic argumento ut responderetur, quaesitum est, quid sit monstrum, et quae sint causae monstrorum. Et an omnia monstra casu nascantur, an vero aliqua gignat natura propter significationem.

Harum quaestionum facilis est explicatio, etiamsi obscure et ridicule a multis tractatae sunt.

Ac ut primum de definitione dicam. Prodigia vocamus, seu species, seu res natas praeter naturae ordinem, quae aliquid significant. Sunt autem genera quatuor.

Primum spectra, ut Triton, qui ad Rubiconem cecinit classicum Iulio Caesari, tuba erepta proximo tubicini. Item species visa a Dione ante mortem. Item species quae Pausaniae minitata est cum interfecisset virginem Bizantii, cum statua hunc versum sonaret:

στεῖχε δίκης ἄσσον, μάλα τοι κακὸν ἄνδρασιν ὕβρις.

Ad poenam properas, adfert iniuria damnum.

Talia spectra nihil ad Physicos pertinent, sed sunt alias mali, alias boni Angeli, offerentes se hominum oculis.

Secundum genus sunt μετέωρα, ut Cometae, Chasmata, Terraemotus, Traiectiones. Haec pertinent ad Physicos, habent enim in materia cau-

sam. Et quanquam exigua incendia in aëre, quae crebro accidunt, ut stellae cadentes saepe nihil significant de humanis eventibus, tamen maiora et rariora, ut Cometae aut Chasmata, plerunque aliquid de humanis eventibus significant, ut Claudianus inquit:

Et coelo nunquam spectatum impune Cometen.

Et Ioachimus:

οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ κακὸν φέρει.

Querunt autem Astrologi causam, unde illa halituum moles contrahatur, et quomodo accendatur. Ea quaestione explicata, responderi et ad hanc deinde poterit, An natura intendat Cometas, id est, an ordine aliquo naturae talia signa exhibeantur.

Tertium genus prodigiorum est, res inusitatae, quae praeter naturae ordinem fiunt in aëre, aut in terra aut in animantibus, etiam sine causis physicis: ut in aëre species dimicantium exercituum saepe conspectae sunt. Et Virgilius inquit:

Armorum sonitum toto Germania coelo,
Audiit.

Nec tantum historiae veteres exemplorum plenae sunt, sed etiam recentia multa recitari possunt.

Nuper in Helvetiis in aëre conspecti sunt duo leones inter sese certantes, quorum alter alteri caput mordicus avulsit.

Est et multorum annorum historia in visione Slesvicensi de his ipsis bellis Saxonicis, ubi postrema species est, camelus bibens ex flumine. Qua specie significari Turcorum adventus ad Danubium aut ad Rhenum videtur.

Tales imagines, cum picturae sunt rerum futurarum, fiunt non temere, sed consulto, videlicet alias a bonis, alias a malis Angelis.

Hae species non sunt proprie *μετέωρα,* aut res physicae, sed sunt similes operibus artificum, quia fiunt ab Angelis bonis aut malis, etiamsi fortassis fiunt aliqua vaporum figuratione et lucis, tanquam colorum mixtura.

Quartum genus est, cum in plantis aut animantibus nascuntur formae abhorrentes a figura suae speciei, ut in Belgico ante paucos annos natus est infans, cui oculi fuerunt flammei, et in pectore loco papillarum capita felium, genua oculata erant, pro manibus et pedibus erant ungues. Ac multa his proximis annis passim nata sunt.

Talia an casu nascantur, aut an ostendantur aliquo ordine naturae, et an semper sint significantia, doctissimi homines omnibus aetatibus disputant. Idem in hac quaestione investigatur, An natura intendat monstra, de qua satis frigide respondent isti, qui tantum hoc dicunt: Natura non appetit deformitatem, id est, natura suo ordine non tendit eo, ut gignat deformitatem. Non enim de figura tantum quaeritur, sed de significatione, an ordine aliquo naturae gignantur monstra, significationis causa. Nam *τέρας* a significatione nomen habet.

Facilis est autem responsio. Primum de spectris et de speciebus in aëre, quae non sunt *μετέωρα,* sed fiunt tanquam artificum opera ab Angelis bonis aut malis, Manifestum est ea prodigia non pertinere ad Physicos. Et cum multa sint terriculamenta a malis Angelis ostensa, non semper sunt significantia. Plutarchus de spectris disputat, quae viderunt Dion et Brutus, et inepte causas physicas quaerit.

Sed ex doctrina Ecclesiae certo scimus, saepe conspici Angelos bonos et malos, et tales occursationes fieri non causis physicis, sed libera voluntate.

Relinquamus ergo haec duo genera, ac filium Dei oremus, qui adparuit, ut destruat opera Diaboli, ne permittat Diabolis, ludificari mentes nostras, aut illis spectris, aut aliis modis.

Ad Physicos autem pertinent *μετέωρα,* insignia et magna, item monstra, quae in terra vel in animantibus nascuntur ex vario materiae fluxu. Etsi autem propter vagos motus aëris et halituum in aëre, multa parva *μετέωρα* casu fiunt, et aut leves significationes, aut nullas habent, tamen insignia et magna, ut Cometae aut Chasmata, saepe sunt significantia, et reguntur causis coelestibus.

Usitatissimum est videre in autumno stellas cadentes, ut vocant, quae plerunque ventos et serenitatem significant, cuius rei physica causa est, quia fumi illi dissipati post incendium, sunt materia ventorum sicciorum.

Sed materia Cometarum longo tempore in unum locum attrahitur, et paulatim usta a Sole, Saturno, Marte, Mercurio, Luna, fit viscosior ac venenatior, ac tandem inceditur.

Cum autem causa sit ordinata, scilicet motus Planetarum, sequitur et effectum aliquo modo

ordinatum esse. Et ut illa dira Planetarum congressio significat aliquibus gentibus mutationes regnorum et varios motus, ita significat idem ista flamma Cometae, quae et ipsa suum venenum in aëre spargit, quo multorum temperamenta inficiuntur.

Sic et de monstris dici potest, quae nascuntur in animantibus. Multae leves depravationes accidunt, quae casu fiunt propter varios fluxus materiae. Conservat materiam universam, et specierum figuras, natura seu mens aeterna architectatrix mundi et gubernatrix, seu motus coeli universalis. Nec tamen propterea necesse est singulas partes materiae in his fragilibus corporibus certo ordine ferri. Saepe fiunt promiscui fluxus, qui nihil significant: ut Pyrrho pro dentibus, qui in aliis sunt distincti, fuerunt duo ossa continuata gingivis insita. Fortassis hoc in rege magnanimo singulare robur significabat. Sed fuit in gynaeceo ducis Luneburgensis virgo nobilis, cui eodem modo duo ossa continua pro dentibus erant, in qua etsi gravitas eximia erat, tamen nihil praeterea significari animadversum est.

Interdum insignes foetus propter ipsam imaginem significare aliquid consentaneum est, ut ante bellum Germanicum, quod Carolus imperator adversus ducem Saxoniae et foederatos gessit, natus est infans in pago quodam Francorum, cui exempto ex alvo matris culter iacuit in ventre, eminens cuspide extra ventrem, qui et paulatim facta suppuratione extractus est. Omnes iudicarunt bellum civile significari. Nec potest hic physica causa reddi. Unde enim culter insertus fuisset alvo matris? Sed diabolicis praestigiis culter ventri infantis infixus est, ad significandas mutuas caedes civium, qui velut in viscera sua ferrum postea strinxerunt.

Ex his omnibus quae dicta sunt, intelligi potest, quid ad Democriti argumentum respondendum sit, manere scilicet principalia membra in natura, et conservari ordinem, etiamsi in inferiore materia aliqui particulares vagi motus sint.

Addatur autem hoc loco quaestio Ciceronis: Quid prodest signa ostendi, si eventus, qui significantur, vitari non possunt?

Stoici respondent, ideo ostendi, ut sint testimonia, hunc mundum providentia regi, nec casu sequi eventus, sed a mente gubernatrice mundi eos regi, quae et signa ostendat, ut testetur, suo consilio eventus illis signis convenientes secuturos esse.

Sed nos doctrina coelestis plus docet: ideo praemoneri nos, quia mitigari ventura mala possunt, sicut Christus concionatur de horrendis confusionibus generis humani, futuris in hac ultima mundi senecta, ac iubet ut simus vigilantes, et ad Deum confugientibus, promittit futurum, ut non opprimantur communibus calamitatibus. Et Ionae historia ostendit impendentia mala averti posse.

Removeamus igitur ab Ecclesia stoicas opiniones, et nunc quoque cum tam multa signa denunciant magnas calamitates, Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani et Ecclesiae suae, ardentibus votis oremus, ut propter filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, quem voluit pro nobis esse victimam, *καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην*, servet Ecclesiam, et regat eam Spiritu sancto, ac servet hospitia Ecclesiae, et mitiget poenas, ac tueatur literarum studia et honestam disciplinam.

De Motu.

Quid est Motus?

Sciant iuniores in his initiis doctrinae physicae, quae tradidit Aristoteles, exigua rudimenta tradi, quae dextre intellecta non sunt obscura. Sunt enim initia obvia sanis ingeniis, ut exordia aliarum artium, arithmetices aut geometriae, illustria sunt. Sed horum initiorum tenuitati offusae sunt tenebrae nimia exilitate peregrinarum disputationum, quarum nulla est utilitas in naturae et rerum consideratione.

Sequamur autem Aristotelis consilium, qui ipse lectorem monet in vestibulo huius doctrinae de motu, ut cogitet, cur iam de motu dicendum sit.

Doctrina physica consideratio seu aspectio est corporum, et proprietatum, quae corpora naturaliter comitantur. Ideo in prima parte operis, quasi condidit corpus, dixit de materia et forma, quibus suo ordine coëuntibus, corpus existit. Postea de appellatione naturae disseruit, et ostendit naturam esse inclinationem, seu *δύναμιν* in corpore natam, quae est causa motus et quietis. Nulla enim corpora ad ocium nascuntur, sed singula ad motus aliquos, ad generationes, altera-

tiones, aut motus locales, alia aliter, tendunt, ut corpora coelestia feruntur assiduis motibus localibus, et radiis suis temperant inferiora corpora, et alterationes in eis efficiunt. Plantae in terra et animantia tendunt ad generationes, et habent varias effectiones alias. Sic homo ut servetur species, natura ad generationem et ad quaerenda vitae praesidia, et ad alias actiones speciei convenientes et salutares ducitur, ut ad tuendam societatem, certis modis, quos ratio monstrat. Et universaliter fines sunt corporum, motus aliqui, seu actiones, in quibus cum versantur, nihil adpetunt ulterius, ut finis est solis, suo motu peragrare metas, quae ei attributae sunt. Sic hominis fines sunt cogitare de Deo, de operibus divinis, de virtute, et agere secundum virtutem, et referre actiones ad celebrandum Deum. Tantumque lucis adfert motuum cognitio in qualibet specie, ut Aristoteles dicat: Ignorato motu ignorari naturam. Quod enim discrimen Solis et Lunae sciri posset, nisi motu discernerentur? Sic homines discernunt sui motus a beluis, marem a foemina, ac late patet dictum: *ἀναγκαῖον ἀγνοουμένης κινήσεως, ἀγνοεῖσθαι καὶ τὴν φύσιν.*

Manifestum est igitur, postquam de corpore dictum est, et de natura, et causarum discriminibus, nunc proprietates corporum addendas esse, quarum praecipua est motus. Deinde sequentur locus et tempus, quia corpus nec sine loco, nec sine tempore esse potest.

Hunc ordinem capitum huius doctrinae si iuniores considerabunt, facilius intelligent, quid agatur in his libris, et cernent non res procul positas extra conspectum mediocrium ingeniorum tradi, sed parva quaedam initia amplissimarum disputationum, quae postea de alterationibus, mixtionibus, generationibus et corruptionibus extruuntur, cum causae morborum et remediorum quaeruntur, aut cum quaeritur, unde oriantur *μετέωρα,* aut quomodo in terra nascantur metalla, aut fiant alterationes multiplices in corporibus animatis et inanimatis.

Nunc igitur recitabo brevem et tenuem definitionem motus, ab Aristotele traditam.

Motus est actus eius quod est in potentia, inquantum huiusmodi.

Figura orationis obscura est ignoranti Aristotelicam consuetudinem, quare ordine verba declaranda sunt.

Ens in potentia significat Aristoteli subiectum, quod recipere aliquam formam potest, et ad eam tendit.

Actus vero significat in subiecto agitationem aliquam, vel substantialem, vel accidentalem. Sed hic de accidentali agitatione tantum dicitur. Haec, ut minus sint obscura, addamus manifesta exempla.

Navis est corpus, ac subiectum, quod motu ad metam aliquam impelli potest. Cum igitur impellitur, navis est quiddam in potentia, quia tendit ad terminum aliquem. Sed ipsa agitatio, qua se navis aliter habet quam prius, est motus, quo acquiritur terminus.

Aqua subiectum est, in quo mutari qualitas aliqua potest. Cum igitur admota igni, calefieri incipit, iam in aqua agitatio nova est, seu iter ad aliam formam.

Usus est autem Aristoteles nomine Endelechia, quod vertit Boëtius actum, id est, agitationem, sicut veteres locuti sunt: Militem oportet in actu mori, id est, agentem ac praeliantem. Nec dubium est hoc loco *ἐνδελέχειαν* significare agitationem, seu successionem aliquam in acquirenda forma vel meta, quare et Cicero Endelechiam vertit continuam agitationem. Et hic promiscue usurpat Aristoteles haec duo vocabula, Endelechiam et *ἐνέργειαν,* quasi dicas efficaciam.

His vocabulis declaratis definitio motus non est obscura. Sed hanc commonefactionem prius addendam esse iudico. Cum antea dictum sit, motum esse proprietatem corporis, tenendum est discrimen inter corpus et motum. Ac corpus quidem subiectum est, ut de navi dixi. Motus vero accidens est, quod accedit, quod hic vocat Endelechiam, id est, agitationem.

Est igitur haec interpretatio definitionis:

Motus est actus, id est agitatio, id est acquisitio formae vel termini, vel abiectio formae in subiecto, quod est in potentia, id est, quod formam recipere potest, et ad eam tendit. Est autem tunc agitatio, quatenus subiectum ad eam formam tendit.

Sed dicet recens auditor, nondum ad Aristotelicum sermonem adsuefactus, adhuc videri obscuram hanc definitionem. Huic tantum hoc respondeo: Exilitate videri obscuram, in re nihil esse difficultatis. Ideo autem obscurior est definitio, quia nulla fit mentio causae efficientis et finalis, sed tantum recitatur, quae res formaliter sit

motus, scilicet agitatio in subiecto, et tunc quidem cum tendit ad formam. Haec non sunt obscura.

Sed illustrior esset oratio, si de specie aliqua motus diceretur, et causae efficientes, finales et instrumenta recitarentur, ut si describeretur Ira. Ira est verberatio cordis orta a re, quae ostenditur ut mala, et quam depellere cor nititur, in qua depulsione spiritus cordis effunditur in sanguinem, et agitatione ipsa accenditur, et sanguinem calefacit, et bilem rubram inflat, ut depulsionis causa sanguis in exteriora spargatur, fiuntque hae agitationes, quia talis est cordis natura, ut gignat spiritus, et spirituum natura talis est, ut spargantur in totum corpus, et motu et calore cordis incalescant, et properent in extrema membra, ut ea arment ad depulsionem obiecti, quod offendit.

Tales definitiones de specie sunt illustriores. Incurrunt enim in sensus causae efficientes, instrumenta et subiecta, ut si eiaculatio globi ex tormentis bellicis describeretur.

At definitio motus in genere apud Aristotelem, propter ipsam generalitatem, exilior est, nulla hic mentio fit causarum efficientium, aut instrumentorum. Ideo sub obscura videtur, ac tantum hoc dicitur: Motum esse agitationem, qua subiectum aliter se habet, quam prius, sicut et Galenus motum definivit. Moveri est aliter se habere quam prius, et aut acquirere aliquid, quod prius nondum aderat, aut abiicere praesentem formam.

Haec descriptio perspicua est, etsi propterea, quia de genere loquitur, non sic in oculos incurrit, ut si de motu alicuius machinae diceretur. Eadem autem prorsus sententia est definitionis Galeni, quae est Aristotelicae. Motus est actus, id est, acquisitio formae, vel abiectio, in mobili, quod aliis verbis ita dicitur. Motus est acquisitio successiva, seu abiectio formae alicuius in subiecto.

Multa parerga in his tenuibus materiis disputata sunt, quae omitto, ut an motus distinguatur a mobili et a forma, quae acquiritur. Hic dissimiles responsiones sunt de motu locali et de alterationibus. In alterationibus consentaneum est, motum non distingui realiter a forma, quae acquiritur, ut calefactio reipsa est caliditas paulatim per partes acquisita. Hinc talem definitionem motus aliqui tradiderunt: Motus est ipsa forma, quae successive per partes acquiritur.

Sed in motu locali non acquiritur forma haerens in corpore, sed ipsum corpus successive adplicatur aliis terminis. Est igitur motus localis, ipsum corpus mobile adplicatum successive aliis terminis. Sed has argutias relinquo.

Quot sunt species motus?

Sex species pueriliter numerantur, quia tot sunt species motus, quot sunt genera rerum seu terminorum, quae acquiruntur aut abiiciuntur. Sunt autem genera rerum quatuor: Substantia, Quantitas, Qualitas et Locus, ac duae species in substantia recitantur, duae in quantitate.

Generatio est motus seu mutatio, qua acquiritur forma substantialis, seu totius individui, seu partis in substantia. Sicut et nutritionem recte dicunt esse generationem, sed partis, quia nutrimentum vertitur in substantiam aliti, eaque mutatione acquiritur forma substantialis, sed ut in parte.

Corruptio est motus seu mutatio, qua abiicitur forma substantialis.

Augmentatio est motus seu mutatio, qua acquiritur maior quantitas.

Multas hic disputationes omitto, [quando augmentatio sit nutritio, quando mixtio, quando accumulatio, ut cum multa legumina coacervantur.

Diminutio est motus seu mutatio, qua maior quantitas diminuitur.

Alteratio est motus, quo acquiritur, aut abiicitur aliqua qualitas. Exempla de qualitatibus corporum manifesta sunt, ut in aqua dicimus factam esse alterationem, cum abiecto frigore recepit calorem. In aëre dicimus factam esse alterationem, cum pulsis tenebris, lux infusa est.

Inde iudicetur et de animae qualitatibus, quae sunt duplices: Aliae sunt qualitates in intellectu ut noticiae, aliae in voluntate seu potentia adpetente. Ut in mente discentis facta est alteratio, cum accepit novam noticiam, ut cum primum videt quispiam leonem. Haec noticia et si actio est sensuum, aut intellectus, pingens imaginem, tamen qualitas dicitur.

Sic alteratio est, cum Cicero invitatus clementia Iulii, quem oderat, vult iam ei bene esse, et incipit eum diligere.

Tales mutationes collocantur etiam inter alterationes. Et recte dicitur: Habitus et adfectus,

praesertim durabiles, ut amorem, odium, qualitates esse.

Loci mutatio est motus, quo subinde aliud spacium acquiritur in continente corpus, aut corporis partes.

Quomodo nominantur initia et fines motuum?

Terminus a quo dicitur, unde fit motus. Terminus ad quem est id, quod acquiritur motu.

Quae est proprietas motus?

Proprietas motus est, successive fieri. Ideo Aristoteles inquit: Omnis motus fit in tempore, id est, successive, non in instanti. Est enim tempus duratio, vel mensura durationis, hoc est, mensura motus secundum prius et posterius.

Sed de generatione et corruptione quadam dialectica subtilitate aliter disputant. Dicunt generationem et corruptionem fieri in instanti, ut vocant, non successive. Ideoque eas malunt nominare mutationes, quam motus. Huius cavillationis hic fons est. Dialectici dicunt formas substantiales non recipere magis et minus, nec divisibiles esse, sicut qualitates, calor, frigus et aliae recipiunt magis et minus, et sunt divisibiles, et paulatim plures gradus acquiruntur. Ideo cum animal generatur, negant formam substantialem per partes acquiri. Sed postquam alterationibus satis disposita est materia, tum demum dicunt simul introduci formam substantialem in instanti.

Haec somnia aliqui magno tumultu defendunt, cum autem vanitas manifesta sit, relinquamus ea, nec opus est refutatione. Verum est enim etiam formas substantiales habere partes seu gradus, et paulatim plures gradus acquiri, ut in generatione arboris, aut bovis. Horum generationes etiam successivae sunt, ut aliorum motuum. Idque defendit Averrois.

Dic divisiones motuum.

Alia per se moventur, alia per accidens. Per se moventur, quae proprie et principaliter acquirunt terminum motus. Ut generato homine, substantia generatur per se. Accidentia per accidens, id est, haerent in eo, quod generatur, nec sunt principalis terminus generationis.

Caeterum non uno modo, sed multipliciter dicuntur res moveri per accidens, ut in motu locali, cum per se movetur totum, pars movetur per accidens ad motum totius. Contentum movetur per accidens ad motum continentis, ut sedens in navi, quae impulsa in aquis vehitur. Cum morbus curatur, ut cruditas in ventriculo, simul curatur per accidens symptoma, ut vigiliae. Facta alteratione in ventriculo, ut rursus concoquat, et emittat suaves halitus, hi in cerebro postea etiam somnum efficere possunt.

Alia divisio.

Valde utilis est divisio, qua motum distribuimus in naturalem, violentum, et animalem.

Naturalis est, cuius causa est principium internum, videlicet, ipsa natura inclinans ad eum motum. Sic et usitate dicitur: Motus naturalis est, qui fit a principio interiore conferente vim passo, id est, conferente inclinationem mobili. Supra enim dictum est, omnibus corporibus competere suos motus, et naturam vocari illam ipsam inclinationem ad certos motus. De hac specie regula est: Motum naturalem esse uniformem, sicut grave semper deorsum fertur. Ignis semper calefacit.

Quod autem dicitur: Motus naturalis est initio remissior et in fine velocior, intelligi debet de motu locali, ut gravia in aëre, quia magis magisque pellunt aërem, in fine moventur velocius.

Violentus motus est, qui est a principio externo, non conferente vim passo, id est, non conferente naturalem inclinationem mobili. Adeo enim mobile non habet inclinationem naturalem ad eum motum, ut resistat etiam impellenti: ut cum lapis sursum proiicitur.

De hac specie dicitur, violenti motus accidere uni corpori multiplices possunt. Ut lapides sursum proiici, aut in gyros circumagi, aut varie in plano volvi possunt. Item: Motus violentus initio velocior est, deinde paulatim fit languidior.

Animalis motus est, qui oritur a principio interno, sed non conferente vim passo, id est, non conferente naturalem inclinationem mobili. Nam in animalibus regitur motus a principio cognoscente, quod imperat motum nervis, suo quodam modo. Nec nervis inseritur aliqua vis a principio cognoscente. De hac specie regulae sunt: Motus animalis non est uniformis. Item: Motus animalis initio remissior est, in medio fortior, ca-

lefactis iam nervis et excitatis spiritibus, in fine fit languidior, videlicet, consumptis iam spiritibus.

Unde sumitur motuum contrarietas?

A terminis ad quos. Nam hi motus contrarii sunt, qui sunt ad terminos contrarios acquirendos, ut motus qui est ad caliditatem, contrarius est motui, qui est ad frigiditatem. Motus solis, qui est sursum a Capricorno ad Cancrum, contrarius est motui, qui est deorsum a Cancro ad Capricornum.

Suntne unus motus, Actio et Passio?

Etsi ociosa subtilitas esse videtur, quaerere, an unum quiddam sint actio et passio, tamen aliquid conducit ad declarandum, quid sit motus. In verberatione faciei una res est, receptio ictus, seu ipse sensus partis percussae, et actio percutientis. Sed differunt terminis et relationibus. Actio, seu percussio activa oritur ab agente, et desinit in recipiente. Econtra passio relatio est patientis ad agens, sed tamen unus et idem ictus est. Ita in alterationibus, ut in calefactione aquae, eadem caliditas est, cuius partes paulatim in aquam introducuntur, sed tamen oritur haec forma ab agente, et a patiente recipitur. Ita differunt actio et passio terminis ac relationibus. Sed forma quae transfunditur, eadem est, cuius acquisitio seu transfusio reipsa est motus.

Aristoteles in hac disputatione recitat hoc dictum: Ut eadem via est a Thebis ad Athenas, et ab Athenis ad Thebas, ita motum unum esse inquit, actionem et passionem. Sed tamen regulam addit, cuius usus late patet: In his, quae sunt eadem reipsa, tamen simul aliqua insunt diversa, et multi respectus variantur. Eadem Luna superior est aëre, et inferior Sole. Idem potus bonus est parti torrefactae in corpore, et malus est toti corpori. Idem nervus est organum sensus et motus localis.

Hoc igitur dictum sit admonitio, ut cum in una re inveniuntur aliqua diversa, ut fit saepissime, prudentia adhibeatur in distinguendo, et causae diversitatis dextre quaerantur. Ut in una et eadem anima hominis sunt noticiae legis, et iudicium adprobans legem Dei, et tamen sunt in ea multi adfectus repugnantes legi.

Quid est Quies?

Quies est privatio motus in eo, quod moveri potest. Opponuntur enim privative, quies et motus. Notum est autem ex dialectica, privationem non simpliciter negationem significare, sed semper significare in subiecto aliquo absentiam rei, ad quam recipiendam subiectum idoneum est, aut etiam natura inclinatum est, ut coecitas in oculo est adpetente visum.

Postquam autem Physici haec tenuissima initia de motu recitaverunt, incipiunt de alterationibus et causis alterationum, hoc est, de varietate qualitatum, deinde de mixtionibus dicere, unde sequuntur generationes et corruptiones. Sed priusquam ad eam doctrinam de Mixtionibus acceditur, de his proprietatibus corporum dicendum est, de Finito, de Loco et Tempore.

Quid est Infinitum?

Sic definit Infinitum Aristoteles: Infinitum est, cuius quantitatem accipientibus semper restat aliquid accipiendum. Quoddam autem vocatur Infinitum in actu, videlicet, ubi actu simul sunt infinitae partes. Impossibile est autem aliquam esse quantitatem infinitam in actu.

Ac de magnitudine traduntur hae rationes. Nihil terminatum et clausum superficie, seu certam figuram habens, infinitum est in actu. Omnia autem corpora sunt terminata superficie, seu inclusa figuris, sunt igitur finita.

Item, coelum est finitum, ut motus circularis manifeste ostendit. Omnia igitur corpora intra coelum finita sunt.

Aliud dicitur Infinitum potentia, hoc est, cuius partes, non quidem simul sunt actu, sed subinde succedentes. Sic tempus cogitetur esse infinitum, cum duratio rerum erit sine fine.

Nec numerus dicitur infinitus in actu, quia si est numerabilis, finitus est. Sed potentia dicitur aliqua multitudo esse infinita, succedentibus subinde unitatibus. Et huc pertinet puerilis admonitio, in magnitudine duplices esse partes, videlicet physicas seu substantiales quantitatem habentes, ut arboris partes multae et magnae et parvae secari possunt, sed tamen nec actu nec potentia infinitae, quia tandem fiunt partes adeo minutae, ut dissolvatur substantia. Sciant igitur iuniores, nunquam dici actu vel potentia infinitas partes physicas.

Aliae partes dicuntur proportionales, de quibus Mathematici loquuntur, qui non hoc quaerunt, materia reliqua sit, sed quantitates, id est, longitudines, aut latitudines, aut profunditates cogitatione abstrahunt a materia. Ac deinde cogitatione divisiones, quo usque videtur, faciunt partium proportione congruentium. Inde usitatum dictum est: In continuo infinitas partes esse proportionales, quod quomodo intelligendum sit, rixantur inter se inerudite recentiores.

Ridiculum est enim physice intelligere, dicta mathematica. Physicus materiam seu corpus secat. Mathematicus non querit, an reliqua sit materia, sed ex hypothesi procedit, si est continuum, partes habet. Et Aristoteles erudite dicit, potentia secundum divisionem infinitas esse, id est, ubi cogitari divisio potest, ibi nondum perventum est ad ultimam unitatem, ut diametri divisio respectu sui circuli, non integre comprehensa est, cogitantur igitur plures partes. Haec admonitio hoc loco sufficiat.

Quid est Continuum?

Continua sunt, quorum ultima sunt unum, ut una linea est quiddam continuum.

Quae vocantur Contigua?

Contigua sunt, quorum ultima sunt simul, et ita iunguntur, ut nihil sit medium, ut orbes coelestes et regiones elementorum.

Quae sunt simul?

Simul esse dicuntur, aut quae sunt in eodem loco, aut inter quae nihil est medium. Regula est Aristotelis. In omni motu movens simul est cum moto, quod aliis verbis sic dicitur: Movens et motum oportet simul esse per contactum. Sed hic necesse est dici de duplici contactu. Alius est corporalis, cum pars corporis in movente vel in agente tangit partem in eo corpore quod movetur, ut cum faber lignarius tignum collocat in aedificii partem. Oportet enim agens adplicari ad patiens pro modo actionis. Grave non potest moveri violento motu, nisi ab alio corpore contiguo et gravi impellatur.

Alius est contactus virtualis, cum agens aut movens sua qualitate attingit corpus, quod movetur aut patitur, etiamsi parte corporis non attingit, ut Sol contactu virtuali in aestate efficit ut fruges maturescant. Attingit enim eas non parte aliqua corporis, sed lumine et vitali calore, quem tamen in haec inferiora spargit. Magnes qualitate certa trahit ferrum. Sic infausta eclipsis Solis aut Lunae virus aliquod spargens in aërem, et in corpora animantium attingit ea contactu virtuali, id est, qualitate sua. Nam etiam, ubi actio per qualitatem fit, tamen oportet fieri adplicationem agentis ad patiens, modo conveniente illis naturis, et conveniente distantia. Haec est sententia regulae: In omni motu movens est simul cum moto.

Quid est Locus?

Locus est superficies concava corporis continentis locatum. Haec est satis perspicua definitio. Verba Aristotelis videntur esse obscuriora, et interpretes varie ea enarrarunt, cum sententia congruat cum definitione, quam recensui. Sunt autem haec verba: Locus est finis continentis, immobilis, primus. Interpretatio Themistii haec est: Locus est finis, id est, proxima seu immediata superficies circundans contentum corpus, immobilis, scilicet, quia superficies ipsa non movetur per sese, nec est causa motus corpori locato. Sed cum movetur corpus locatum, subinde aliam superficiem ingreditur.

Estque differentia apud Aristotelem inter Vasa et Loca. Vas vocat integrum corpus, in cuius parte aliqua locatum continetur, ut currus aut navis. Haec vasa moveri proprie dicuntur. Sed locus dicitur superficies aliqua in vase, immediate continens locatum. Haec in quantum locus est, non movetur, nec locato causa est motus.

Dic loci divisiones.

Prima: Locorum alius est proprius, alius communis. Communis est, qui continet mediate corpus aliquod, in quo continentur et alia, ut domicilium continet intus aërem, et in aëre corpora animantium.

Proprius est superficies immediate continens corpus. Et ad hanc adpellationem loci congruit regula: Locus est aequalis locato, videlicet proprius locus. Nec tamen intelligitur haec aequalitas de tribus dimensionibus, id est, de toto vase, sed tantum de aequalitate superficiei, concavae continentis, et convexae contenti. Hae sunt aequales, et se mutuo contingunt.

Secunda divisio.

Locus, alius est naturalis, alius violentus.

Naturalis est, ad quem corpus sua natura secundum brevissimam, hoc est, rectissimam lineam movetur, si extra eum locum est, nec impeditur. Praeterea in loco naturali quiescit corpus, et in eo conservatur, ut locus naturalis ignis, est superficies concava sphaerae Lunae. Ad hanc enim naturaliter tendit.

Violentus locus econtra est, ad quem corpus non movetur sua natura, nec quiescit, nec conservatur in eo, ut cum lapis sursum proiicitur. Atque hic vides locum intelligi, non solum superficiem, sed vel differentias situs, vel qualitates, ut hic differentiae situs significantur: Locus naturalis ignis est sursum. Locus naturalis terrae deorsum.

Hic locus naturalis propter qualitates dicitur: Aqua est naturalis locus piscium. Ita nunc locus naturalis terrae propter qualitates est, ut partim contineatur in aqua, partim emineat extra aquam. Talis positus saluti animantium necessarius est, et conservatur influxu coelestium corporum. Et tamen terra centrum est mundi, et terra et aqua simul copulatae sphaera sunt unica.

Quot modis aliquid dicitur esse in loco?

Veteres Physici tantum hanc distinctionem tradunt. Corpus est per se in loco, quia per sese magnitudinem habet, quam vocant dimensionem, cui cedit aliud corpus continens, quia diversorum corporum magnitudines seu dimensiones, ut vocant, non possunt simul esse, sed cedere alias aliis necesse est, ut aqua cedit vasi. Nec alia quaerenda est causa, nisi quia natura sic ordinata est.

Deinde accidentia in eodem loco esse per accidens dicuntur, ut colossus per se in loco est, occupans tantum in aëre spacium, quanta est moles. Sed color colossi sparsus in tota mole, per accidens in eodem loco est, quia accidens est eius corporis.

Haec divisio usitata est Physicis, et necessaria, qua quidem vetustas contenta fuit, quia tantum de corporum, non de spirituum loco quaesivit.

Postea in Ecclesia necesse fuit, quaeri etiam de spirituum loco. Ideo et discrimen diversis vocabulis indicatum est, quae sunt ignota veteribus Physicis, sed tamen huius distinctionis consideratio non inutilis est. Sunt igitur modi duo praecipui.

Corporum modus est, in loco esse circumscriptive, seu commensurative, seu dimensive, seu localiter. Nam his vocabulis omnibus usi sunt scriptores. Est autem, ut antea dixi de corpore, ita contineri in alio, ut cedant magnitudini seu partibus locati, partes continentis. Et sicut corpus est unum, ita tantum in unico loco est, quia dimensiones suas in alia spacia transmittere non potest. Nec confundi possunt dimensiones seu magnitudines, ut simul sint ita, ne continens contento cedat. Sic Physici loquuntur, qui ordinem naturae intuentur, et de natura loquuntur, ut eam ordinatam esse manifestum est.

Alius modus est spirituum, quorum potentia finita est, qui dicuntur esse in loco definitive, seu determinate, quia enim sunt substantiae finitae, necesse est eas alicubi esse, et cum non sint corpora extensa dimensionibus, seu mole aliqua, non circundantur dimensionibus ut corpora. Et tamen, quia in loco certo sunt, dicimus eos definitive in loco esse, quia ita sunt in uno loco, ut simul non sint alibi, cum sint res finitae. Et quanquam certo spacio agunt, tamen non sunt extensi spiritus iuxta loci dimensiones. Nam res una finita posita in diversis locis multis simul, non esset una, sed multae, quod cum sit absurdum, uni spiritui unicus locus attribuitur, ut dictum est.

Hi duo modi accommodantur rebus finitis.

Deus autem repletive dicitur ubique esse, et quia potentia ubique efficax est, et quia substantia omnibus locis adest. Ac de potentiae praesentia convincuntur humanae mentes perspicuis testimoniis, quae ostendunt Deum in omnibus naturae partibus in coelo, elementis, et procreatione plantarum et animantium efficacem esse.

At Ecclesiae doctrina adfirmat Deum substantia ubique adesse, ut concionatur Esaias cap. ultimo: Coelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Et similia dicta multa sunt in coelesti doctrina, quae adfirmant Deum ubique adesse. Sed in Actis capite 17. luculenta est concio Pauli, quae ait, tam prope adesse Deum singulis, quasi ut manu palpari possit. Et addit de efficacia: In ipso vivimus, movemur et sumus.

Cumque Deus non sit moles corporea, et simul ubique sit efficax, et sit infinitae potentiae, philosophia etiam fatetur consentaneum esse, substantia Deum ubique adesse. Hinc illud ab Arato sumptum celebratur:

Iovis omnia plena.

Et meminisse iuniores hunc versum utile est:

Enter, praesenter, Deus est et ubique potenter.

Quam sententiam veteres poëtae multis modis recitarunt, ut Menander,

πάντῃ γάρ ἐστι, πάντα καὶ βλέπει θεός.

Dic regulam de loco.

Natura abhorret ab his quinque: Primum, ab infinita magnitudine.

Secundo, a vacuo.

Tertio, a multitudine locorum unius corporis eodem tempore, id est: Natura negat unum corpus in diversis locis, eodem tempore esse posse.

Quarto, a penetratione dimensionum, id est: Natura negat dimensiones ita in unum locum includi posse, ne aliae aliis cedant, ut digiti non possunt inseri ferro non cedenti.

Quinto, ab accidentium subsistentia, remoto suo subiecto, id est: Natura negat accidentia per sese subsistere, remoto suo subiecto, ut aquae natura remota non manet sola humiditas. Substantia lapidis remota non manet sola durities. Has regulas recito nudas, ut iunioribus semper in conspectu sint, nec tamen desunt eis rationes, sed contenti simus universali experientia, quae perspicue testatur eas veras et perpetuum naturae ordinem esse.

Quid est Vacuum?

Vacuum proprie significat in physicis disputationibus, ubi nullum corpus est, quod intelligendum est, non ut vulgus intelligit, ubi non sunt crassa corpora, quae sensu percipiuntur, sed simpliciter de omnibus corporibus, videlicet, ubi nec aër, nec ullum aliud est corpus. De hoc spacio vacuo quaeritur, an in natura possibile sit.

Estne vacuum possibile?

Iucundissimum est videre in natura tam certam esse corporum coagmentationem et continuationem, ut nusquam sit vacuum, ne fiant mundi corpora discontinua.

Quod autem non sit vacuum, nec sit possibile, signum est illustre. Vacuum fieret discontinuatis corporibus. Natura non concedit discontinuationem corporum, potius enim gravia sursum ascendunt, aut consistunt, quam ut divellantur corpora. Non igitur concedit vacuum.

Minor exemplis plurimis ostendi potest. In aquaeductibus aquae sursum moventur, ne fiat discontinuatio. In clepsydris summo foramine obstructo nihil destillat, cum superius non subit aër. Pendet igitur aqua, ne, si cesserit, fiat vacuum. Non mutatur autem ordinatus motus gravium sine causa. Et haec causa evidens est, naturam fugere discontinuationem corporum. Epicurei defenderunt vacuum, et finxerunt per omnia corpora sparsum esse, ut Lucretius lib. 1. inquit:

Nec tamen undique corporea stipata tenentur
Omnia natura.
Namque est in rebus inane.

Sed haec deliramenta reiicienda sunt, cum manifestum sit signum, naturam abhorrere a vacuo, quia fugit discontinuationem corporum. Hoc ipso autem exemplo naturae, commonefacti, sciamus in civili vita vitandas esse distractiones ordinum, et tuendam coagmentationem.

Potestne motus fieri in vacuo?

Quorsum opus est hac quaestione, cum vacuum non sit possibile? Sed fingamus esse, motus fieret in vacuo, et quidem successive, quia causa successionis in motu est non solum medium, sed intima motus proprietas. Non enim potest fieri motus, nisi successive. Nam et coelum successive movetur, ubi nulla est medii resistentia. Fortassis autem medium aliquid ad tarditatem ac velocitatem facit, ut tardius in aqua movetur lapis, quam in aëre, quia aqua cum sit medium densius, magis resistit corpori, quod per eam labitur.

Quid est Condensatio et Rarefactio?

Condensatio ac rarefactio, vulgo putantur esse augmentatio et diminutio. Sed reipsa ac vere sunt motus locales. Nam condensatio est partium adpropinquatio, quae fit interdum, cum exhalant aliquae subtiles partes, interdum etiam cum nihil exhalat. Econtra, rarefactio est, cum partes expanduntur, et quasi ex priore loco disce-

dunt, subeuntibus, aliis partibus subtilibus ut aëre aut fumo, ut in vino fit rarefactio, cum fervet et intumescit, quia enim calor naturalis agit in partes crudas et plenas halituum, et ut est natura caloris, non cognata segregat et pellit, resolvuntur partes crassiores in fumos, qui inflant musta, ut erumpant ex vasis. Idque magis fit cum musta vehuntur, quia motus exuscitat calorem vini. Hoc exemplum admonet discentes de vulgari regula, Calor est causa rarefactionis, frigiditas causa condensationis, ut infra copiosius dicetur.

Quid est Tempus?

Quales labyrinthi sint de rebus non obscuris, de loco, vacuo, rarefactione, condensatione, de tempore in disputationibus interpretum Aristotelis libri ipsi ostendunt, itaque plurimas cavillationes volens omitto. De tempore quaestiones prodigiosae sunt, cum nihil sit obscuritatis. Augustinus exclamat: In tempore sumus, et quid tempus sit nescimus, imo si dextre iudicetur, etsi multa in natura sunt abstrusa et ignota, tamen quid tempus sit, mediocriter dici potest. Et quia haec initia physicae doctrinae continent quasdam commenefactiones rudibus necessarias, sciant iuniores, ideo hic de tempore dici, ut supra de loco, quia cum de corpore et de motu antea dictum sit, mox ordine naturae quaerendum est de loco, ubi sit corpus et ubi fiat motus, deinde quando sit corpus et quando fiat motus, ut cum dictum est, Solem esse corpus lucidum, quod circumactum facit discrimina dierum et noctium, hic quaeritur de loco Solis, et quanto tempore circumagatur.

Deinde definitio usitata Physicis retineatur, haec videlicet: Tempus est numerus seu mensura motus secundum prius et posterius. In quocunque motu, ut in ambulatione, non alia res est duratio et successio, nisi ipse motus, et partium huius durationis, seu successionis inter se collatio secundum prius et posterius, dicitur Tempus. Est igitur tempus reipsa motuum successio, sed accedit cogitatio discernens prius et posterius. Haec sententia nisi cavillationibus involvatur, plana et perspicua est. et sic senserunt Aristoteles, Themistius, et alii, qui dextre iudicaverunt. Themistius inquit, motum et tempus re esse eadem, sed ipsius motus durationem collatis partibus dici tempus.

Etsi autem tempus generaliter quorumcunque motuum successionem et mensuram significat, tamen multi definitionem a motu coelesti sumpserunt, quem mirando Dei consilio institutum esse videmus, ut vices efficiat utiles vitae animantium, qui cum sit insignis, et in omnium hominum oculos incurrat, et commode discernat intervalla, praecipuae adpellationes inde sumuntur, diei, mensis, anni. Horum descriptiones eruditas quaerere et nosse multo est utilius, quam inanibus cavillationibus immorari, de quibus alii in hoc loco disputant.

Dies naturalis est tempus revolutionis Solis per motum primi mobilis ab horizonte, aut meridiano, donec Sol ad eundem locum horizontis, aut meridiani redit, et hoc est tempus, quo revolvitur totus aequinoctialis, et ultra hoc aliquantula portio aequinoctialis, quanta respondet arcui eclipticae, quam interim Sol peragravit. Huius definitionis declaratio alibi tradita est.

Mensis synodicus, quem vocant mensem consecutionis seu coniunctionalem, est intervallum, quo Luna non solum ad idem punctum redit, unde discesserat, sed ad ipsum Solem, qui interea longius progressus, recessit a loco proximae coniunctionis, sed Luna eum assequitur a fine mensis periodici, spacio aliquanto maiore quam bidui.

Est autem mensis synodicus medius dierum 29, horarum 12, minutorum 44, secundorum 3.

Annus est tempus, quo Sol a verni aequinoctii puncto egressus, zodiaco peragrato in idem punctum redit, quae peragratio fit diebus 365, horis 5, minutis 49, secundis 16.

Has definitiones notissimas esse oportet, quare eas hic quoque breviter recitavi, sed explicatio alibi traditur.

Nunc studiosi cogitent et celebrent consilium Dei, qui arte motus coelestes ita instituit, ut ordo temporum distribui posset, qui propter plurimas causas hominibus necessarius est. Nisi enim annorum seriem nossemus, nihilo magis retro initia rerum, aut religionum cogitare possemus, quam pecudes. Quare et gratias Deo agamus, quod tempora distinxit ipse, et quidem vices gratissimas fecit dierum et noctium, mensium, aestatis et hyemis, ad quas vices mirabili consilio accommodavit convenientes ortus et occasus stellarum.

Sciamus etiam harum rerum doctrinam vitae hominum necessariam esse, et Deum velle, ut aliqui eam considerent. Nam cum in divinis libris dicatur, Deum instituisse cursum Solis, ut annum efficiat, necesse est certe accedere animadversionem, seu considerationem aliquam, quia non considerans ignorat anni metas aut spacium. Sicut pecudibus ignota sunt anni spacia.

De Tempore, Aevo et Aeternitate.

Vocabulum temporis generaliter sumi potest pro cuiuscunque rei duratione, sed cum ab aeternitate discernitur, significat durationem rerum mutabilium, quae incipiunt et desinunt. Aevum significat durationem eorum quae ceperunt, sed non desinunt, ut Angelis aevum tribuitur. Aeternitatem Deo proprie tribuunt, qui nec principium nec finem habet.

Quid est Instans?

Ut linea continuum quiddam est, quod inchoatur et terminatur punctis, quae geometer cogitatione constituit indivisibilia esse, ita tempus continua successio est, quae inchoatur et terminatur momento, quod vocant Nunc, seu Instans, quod etiam cogitatione constituitur indivisibile. Et hoc modo definitur Instans: Instans est terminus copulans partes praeteriti et futuri temporis. Ut autem punctum physicum differt a puncto mathematico, ita sciendum est, Nunc seu Instans physicum differre ab eo, quod indivisibiliter consideratur. Nam instans physicum est pars temporis praesens, quam dividi non percipimus. In hanc sententiam dixerunt generationes et corruptiones fieri in instanti.

In his disputationibus rixantur etiam, utrum continuum ex indivisibilibus componatur. Aristoteles recte defendit physice non componi continuum ex indivisibilibus. Nam indivisibilia non contingunt se invicem, sic enim fierent divisibilia. Sed has argutias relinquamus, nam qui dicunt lineam ex infinitis punctis componi, non loquuntur physice, sed de mathematica abstractione, quae considerat aliquid in linea tale, quod non dividit in partes, sicut in numeratione, cum ad unitatem ventum est, non fit ulterior divisio.

Quid differunt motus regularis et irregularis?

Regularem vocant, qui aequali tempore aequale spacium describit, ut motus primi mobilis semper in 24 horis conficitur. Ita de singulis orbibus coelestibus dicimus moveri singulos per sese consideratos proprio motu regulariter, quia corpori simplici competit unicus naturalis motus, proprius et regularis. Econtra vero motus irregularis dicitur, qui aequali tempore non describit aequalia spacia, ut animalia alias celerius, alias tardius moventur.

Verane est propositio: Omne quod movetur, ab alio movetur?

Multae cavillationes et de hac propositione excogitatae sunt: Omne quod movetur, ab alio movetur. Sed respondendum est breviter, hanc propositionem non esse veram universaliter. Etsi enim generationes et corruptiones non fiunt nisi prima causa, id est, Deo, seu ut Philosophi loquuntur, motu coelesti fovente naturam, tamen de motu locali vere dicitur. Ignis per sese sursum tendit, grave deorsum. Anima cogitans sese movet, etiam non mota ab obiecto. Item, recte dicitur potentia loco motiva in animali sese movere, etc.

Caeterum hic discrimina consideranda sunt, alia sunt essentialiter ordinata, ubi non fit effectus, nisi omnia concurrant, ut in generatione hominis, coelum, pater, mater.

Alia non sunt essentialiter ordinata, ut duo equi trahentes currum. Hic non est necessaria copulatio, ut supra de causis diximus.

Recitavi praecipuas materias, quae in elementis physicae doctrinae ab Aristotelicis traduntur in enarratione librorum, quorum titulus est: de physicis auscultationibus.

Sed restat postrema disputatio, quae est in libro octavo, quae continet duos insignes locos, qui nequaquam sunt praetermittendi.

Prior est, qui docet unicum esse primum motorem, aeternum, infinitae potentiae, et immobilem. Hic iucundum est videre ipsam rerum naturam nobis monstratricem esse Dei, et ducem nobis esse ad Dei agnitionem. Et quidem honesta opinio de Deo in nostris mentibus confirmatur his demonstrationibus, quas etiam vult aspici Paulus in capite ad Romanos primo, et cum in

Actis inquit: Tam prope adesse Deum, pene ut manibus contrectari possit, et conspici in pulcherrimo ordine corporum et motuum coelestium, et bonitate rerum necessariarum, et in noticiis, quae sunt insitae hominum mentibus.

Alter locus est de aeternitate mundi, in quo etsi Aristoteles errat, tamen hanc ipsam ob causam argumenta eius consideranda sunt, ne ea pro demonstrationibus amplectamur, quod aliqui prophani faciunt, et propter eam persuasionem superbe derident doctrinam a Deo traditam Ecclesiae de mundi initiis.

Ratio naturalis deducit mentes ad hoc, ut agnoscant hunc mundum visibilem ab aliqua causa, et quidem a mente architectatrice pendere, et formatum esse, sed quomodo, aut quando ab illa prima causa ortus sit, non potest ratio statuere.

Plato fatetur Deum esse opificem mundi, sed ludit fingens retro ante suam aetatem ante decem millia annorum alias fuisse Athenas, quae genuerint multo praestantiores naturas. Sed ut dixi, ludit, significans quodam mirabili ordine et arcanis causis, alias florere alias gentes, et eas quae aliquantisper excelluerunt, circumactis periodis ruere in deterius. Sed quousque progrediatur mens humana in cogitatione initiorum mundi, postea ex argumentis intelligi poterit. Nunc ostendamus, oportere unum primum motorem esse, quo constituto, postea alterius quaestionis argumenta facilius iudicari et explicari poterunt.

Quod oporteat unicum primum et infinitum motorem esse.

Supra recitata sunt argumenta sumpta ex natura, quae testantur esse unicam mentem aeternam et immensam, architectatricem mundi, ac maxime perspicuum hoc est: Impossibile est ea, quae casu et sine mente formatrice concurrunt, diu servare certas leges suorum motuum, certam figurae speciem, certos positus et certos modos procreationis. Imo impossibile est naturam intelligentem oriri a bruta.

Sed in mundo sunt certissimi positus corporum, certae et perpetuae species, leges motuum et vices temporum certissimae, ordinata est terrae foecunditas, et omnia consulto distributa ad utilitatem animantium. Est et procreationis in qualibet specie certissimus ordo, praeterea et homo est natura intelligens, et quidem in homine noticiae sunt numerorum et aliae, et discrimen honestorum et turpium, quae omnia impossibile est casu extitisse, quia non maneret in qualibet specie similitudo perpetua. Ergo necesse est aliquam esse mentem architectatricem et formatricem huius totius pulcherrimi operis, quod mundum nominamus.

Hanc demonstrationem de Deo saepe cogitare valde utile est, confirmat enim adsensionem, et illustrat agnitionem Dei, et reverentiam alit in bonis mentibus.

Deinde addatur haec Aristotelica, quae in physicis recitatur, quae minus incurrit in oculos, sed tamen ex veris fontibus oritur, et demonstratio est erudita:

Non est processus in infinitum in moventibus et motis. Esset autem processus in infinitum, nisi resistendum esset in uno aliquo primo infinito et immobili, id est, immutabili motore. Necesse est igitur esse hunc primum motorem.

Maior sic confirmatur, quia manifestum est ordinem esse causarum essentialiter ordinatarum talem, ut posteriores sine prioribus nec esse, nec agere possint, ut non gignitur pomum immediate ex terra, sed prius arborem gigni oportet. Nec gigni arbor posset, nisi terrae foecunditas aleretur motu coelesti. Et pendere ex aliqua priore causa perpetuitatem motus coelestis, cum mirifice ordinata sit, variis motibus miscentibus luminum et stellarum radios, necesse est. Iam si processus in infinitum esset, turbaretur ordo causarum. Nam in infinitis numeris, nihil est prius aut posterius. Cum igitur certa series sit, et differant causae immediatae a mediatis, necesse est aliquam primam causam esse, in qua resistendum est, quae cum sit prima, rationalis, formatrix et servatrix omnium, habet infinitam potentiam. Haec sunt igitur verba in octavo physicorum: *φανερὸν ἐκ τοῦδε, ὅτι ἀνάγκη, εἶναι τι ἕν καὶ ἀΐδιον, τὸ πρῶτον κινοῦν*, id est: Manifestum est hinc, necessario unum quiddam primum et aeternum esse, quod est primum movens. Idque dicit esse immobile, id est, non recipiens in sua essentia alterationes aut corruptionem. Hinc alia quaestio oritur: Quomodo agit primus motor, an libere et contingenter, an vero necessario.

An libere et contingenter agat primus motor?

Voluit Deus aliquam esse reliquam in nostris mentibus de se noticiam, quae utcunque monstret eum, et moneat qualis sit ipse, et quot sit ipsius iudicium de recte et secus factis, et quae sit gubernatrix morum nostrorum. Quare utile est considerare, quousque progrediatur mens humana, sine voce Dei, patefacta in Ecclesia.

Firmae et immotae demonstrationes ostendunt, esse Deum, ostendunt et qualis sit, videlicet essentia intelligens, immensae sapientiae et potentiae, verax, bona, iusta, benefica, casta, liberrima, servans hanc rerum naturam. Cum enim homo sit natura intelligens et libera, necesse est causam, a qua ortum est genus humanum, essentiam esse intelligentem et liberam.

Deinde, cum in mente humana luceant noticiae, quae iudicant veritatem, beneficentiam, iusticiam, castitatem, res bonas et eligendas esse, et contraria fugienda, et experiamur hunc ordinem mentibus insitum esse, ut horribilis dolor et destructio naturae sequatur, cum contraria noticiis illis, quae recta iubent, facimus, necesse est et Deum talem esse, quia impossibile est praestantiorem naturam, ut intelligentem, liberam, iusticiae approbatricem, a deteriore oriri. Esset autem divina toto genere deterior, si non et ipsa esset intelligens, liberrima, et iusticiae adprobatrix. Imo destructio in doloribus conscientiae ostendit causam, quae punit et destruit, similiter iudicare. Et hae noticiae de Deo, quae natura lucent in nostris mentibus, congruunt cum lege Dei. Quid autem intersit inter legis noticias et Evangelium, alibi dicitur.

Haec autem praefatus sum, non solum ut falsas et prophanas Stoicorum opiniones refutarem, sed ut in nobis singulis adsensio de providentia magis confirmetur, cum demonstrationibus convinci nos agnoscimus.

Caeterum vox divina saepe testatur, Deum esse agens liberrimum, ut Psalmus inquit: Quaecunque voluit, fecit. Sed Philosophorum variae sunt disputationes.

Stoicorum opinio falsa, tetra et prorsus explodenda est, qui fingunt Deum necessario agere omnia in formatione mundi et in moribus hominum, ac ne posse quidem aliter agere Deum contendunt, quam ut cient causae secundae.

Aristotelis opinio restringitur ad formationem mundi. Hanc formationem mundi ex idea mentis divinae esse, et cum non sit alia idea, necessario talem esse mundi formam dixit, nec posse aliam esse. Sed a voluntatibus humanis removit Deum. Regulariter dixit sua libertate voluntates contingenter eligere quae velint. Nec tamen prorsus sustulit in Deo libertatem, sed concessit libere eum aliquibus opem ferre, et aliquos punire, ut in heroicis motibus et poenis cernitur. Recitat hanc sententiam et Plutarchus in disputatione de fato.

Recita Aristotelis argumenta de aeternitate mundi.

Pleraque argumenta in hac controversia ducuntur ex physico principio: Ex nihilo nihil fit. At hoc principium verum est in natura iam condita et ordinata. Nec transferatur ad ortum mundi. Ibi enim repugnant alia principia. Cum demonstratum sit, unicam tantum esse primam causam intelligentem, et infinitae potentiae, nec posse plura esse infinita, caetera autem finita pendere ab illa unica prima causa, sequitur materiam, quae finita est, ex nihilo ab illa prima causa infinitae potentiae, et conditam et formatam esse.

Physici formationem non negant, fatentur, ut ab artifice formatur aurum, ita a mente architectatrice formatam esse materiam et mundi corpora ordine disposita. Cum enim oculi seriem corporum mundi et specierum aspiciunt, artem agnosci manifestum est. Etsi autem formationem non negant, tamen de materiae initio dubitant, ac multi palam duo aeterna constituunt, mentem et materiam.

Sed huic opinioni haec ratio adversatur, quod cum sit unica prima causa infinitae potentiae, sequitur et materiam pendere ab illa prima causa, et non solum formatam, sed etiam effusam esse ex illo fonte infinitae potentiae. Hac non obscura responsione contenti simus de principio: Ex nihilo nihil fit, videlicet, in natura condita et ordinata. Caeterorum argumentorum solutio facilis est, sunt enim non demonstrationes, sed probabilia argumenta, quae in rhetoricis πιθανὰ vocantur.

Primum.

Perfectissima causa non est in infinitum ociosa. Prima causa est perfectissima. Igitur non fuit in tam longa aeternitate retro ociosa. Moventur hac cogitatione omnes homines, etiamsi non est demonstratio. Miramur enim, quid illis infinitis seculorum spaciis egerit prima causa, si fuit sola, si nullum obiectum fuit, circa quod exereret suam potentiam aut sapientiam. Et accedunt dialecticae captiones, si illa infinita mens est motrix, necesse est semper et mobile simul esse. Item, si est causa, necesse est simul esse subiectum, in quo, ut causa, vires suas exerit.

Responsio.

Respondeo ad maiorem: perfectissima causa non est ociosa. Haec propositio non est vera de agentibus voluntariis, ut architectus etiam praestantissimus diu potest suspendere actionem. Ita de prima causa dicimus, volens et liberrime condidit mundum, non effudit necessitate aliqua. Deinde nobis in Ecclesia responsio de solitudine proposita est: Quid in illa tam longa aeternitate egerit Deus, hic divina revelatio adfirmat communicationem sapientiae esse aeternam inter Patrem, Filium et Spiritum sanctum.

Deinde ad captiones dialecticas respondetur: Mens infinita est motrix, item est causa. Hae adpellationes ei tribuuntur, non quo semper actu moverit, seu condiderit res, sed a potentia, et quia postea, cum voluit, res condidit, et movere cepit.

Sed humanis cogitationibus admodum difficile est mentem illam architectatricem cogitare, seiunctam ab opificio, ideo poëtae plerunque sic loquuntur, quasi in toto corpore mundi haereat et omnia agitet, ut Virgilius inquit:

Totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet etc.

Secundum argumentum.

Quot non habet alterationes, non est subiectum generationi et corruptioni.
Coelum non habet alterationes.
Ergo nec generationi, nec corruptioni obnoxium est.

Minorem ita confirmant, quia manifestum sit multis millibus annorum, nullam in coelo deprehensam esse alterationem.

Hoc argumentum etsi speciosum est, tamen non est demonstratio. Rursus enim hoc opponitur, quo cum unica sit prima causa infinitae potentiae, sequitur non esse plura infinita.

Tertium argumentum.

Tempus est aeternum.
Igitur motus est aeternus.
Valet consequentia, quia tempus est mensura motus.

Antecedens confirmat, quia aut cepit tempus in tempore, aut in aliquo Nunc, seu Instanti. Si in tempore, sequitur antea fuisse tempus. Fuit igitur aeternum. Sin autem in aliquo Nunc, idem sequitur, non enim potest intelligi Nunc, nisi continuans tempus. Semper igitur fuit tempus. Intelligitur enim tempus ante illud Nunc.

Responsio.

Nego consequentiam, et ratio est, quia cum tempus definitur usitato Philosophorum more, verum est tempus esse mensuram motus, quae cepit cum primo mobili. Sed cum tempus generaliter intelligitur cuiuscunque rei duratio, non tantum est mensura motus.

Deinde non absurdum est, tempus, quod cepit cum primo mobili, incepisse in aliquo Nunc, inchoante videlicet illam durationem. Ut enim in linea est punctum inchoans, continuans et terminans, ita in tempore, quod est mensura motus, cogitari talia instantia possunt.

Quartum argumentum.

Nullum in circulo potest adsignari punctum inchoans motum.
Ergo motus coeli sempiternus est.

Responsio.

Non est necessaria consequentia a figura ad durationem. Et sicut in circulo arte facto, cum movetur, aliquod est punctum, a quo fit initium, ita in coelo fuit aliquod punctum, a quo fuit initium motus, sicut puncta sunt luminum et planetarum, quae sunt metae in progrediendo aut regrediendo, ut puncta solsticii, quorum ratio reddi non potest, sed testimonia sunt, hunc mundum non extitisse casu, sed a mente architectatrice conditum esse, et motuum leges ac metas consilio architecti sic ordinatas esse. Anaxagoras

ridicule dixit, regredi Solem, quia frigore repelleretur, cum venisset ad metas solstitii. Sed vera causa est harum regressionum, quod architecti consilio motus sic ordinati sunt.

Quintum argumentum.

Ante omnem motum est motus.
Ergo motus est aeternus, unde sequitur et mundum aeternum esse.

Antecedens confirmat Aristoteles, quia si motus cepit, necesse est tamen mobile praecessisse. Si praecessit mobile, aut fuit aeternum, aut cepit per alium motum. Iam si cepit per alium motum, fuit motus ante mobile, quod est impossibile. Relinquitur ergo mobile fuisse aeternum.

Responsio.

Neganda est haec consequentia, si praecessit mobile, cepit per alium motum. Nam mobile, id est coelum, non cepit per alium motum ullius finiti corporis, sed per decretum et ideam primae causae condentis et formantis naturam, sine externo auxilio, et sine mutatione in ipsa. Nam decretum illud et idea admirandi operis, non est motus extra mentem architecti, nec efficit mutationem in ipso architecto.

Haec sunt praecipua argumenta, quae ad confirmandam aeternitatem ab Aristotele recitantur, quorum sententiam mediocri perspicuitate exposui.

Hactenus recitavi praecipuas materias, quae continentur in octo libris Physicorum, ut vocantur, quae sunt exigua initia doctrinae de natura corporum, quia in genere dicunt de causis, et de proprietatibus corporum, de motu, loco, tempore, et discernunt materiam et formam. Nunc sequetur doctrina de Elementis et de mixtionibus, in qua causae alterationum, generationum et corruptionum propiores conspici possunt.

Et usus illustris est huius doctrinae in omnium mixtorum consideratione, ubi quaerimus, quae res quibus iungi aut misceri possint, et quales fiant alterationes, aut generationes, aut corruptiones, iunctis aut mixtis certis rebus, ut sicut arte videmus lapides coctos fieri, sumpta viscosa terra, et madefacta aqua, ac agitata, ut aqua undique misceatur terrae. Nam humor est coagulum, sine quo siccae partes non cohaerent, postea vero accedit assatio, qua moles illa duratur, ita et in terra et in ipsis hominum renibus nascuntur lapides, quia pinguis et biliosa superfluitas nutrimenti in renibus subsidit, et propter debilitatem nativi caloris, qui si fortior esset, dissiparet eam materiam et expelleret, paulatim coit et coagulatur illa moles, deinde accedit assatio, quae fit a calore praeternaturali. Ut enim calefiunt etiam in hyeme canales, quia halitus efflari non possunt, ita in senili corpore, propter obstructiones. Calor ille praeternaturalis crescit aut accenditur motu, sic assatur materia in cavis locis.

Vides igitur quarum materiarum fiat mixtio, scilicet in nutrimento partium siccarum et humidarum, quae sunt in superfluitate viscosa et tenaci. Vides et concurrere efficientes causas, sed diverso modo, frigus et calorem alienum. Et facilius gignuntur calculi in renibus natura nimium calentibus, quia cum proprium caloris sit, praesertim immoderati, attrahere, renes in talibus plus materiae attrahunt, et magis inflammantur motu. Et haec causa est, cur hic morbus in natos propagetur, quia renum natura similis, id est, calidior, plerunque propagatur.

Hoc exemplum eo recitavi, ut considerent iuniores, qualis sit usus doctrinae supra de causis traditae, et avidius expectent sequentem de mixtionibus et variis qualitatum actionibus. Dixi hic materiam lapidis esse pinguem et biliosam superfluitatem. Deinde causa cur moles cumuletur, non est positiva, sed privativa, scilicet defectus caloris. Iacet materia immota et coit, quia non expellitur. Sed causa positiva est in assando, calor alienus qui durat hanc molem, ut fit in coctis lapidibus. Sed in parte operis, quae sequitur, plura exempla recitabimus.

Τέλος.

LIBER TERTIUS.

De Elementis et eorum qualitatibus et alterationum et mixtionum causis.

Non solum Medicis necessaria est doctrina, quae numerum primarum qualitatum, et proprias singularum actiones quaerit, sed etiam aliis omnibus in regenda valetudine, et in multis aliis rebus iudicandis, haec consideratio valde utilis est.

Deinde iuvat etiam considerare admirandam Dei opificis artem. Cum tam variae sint corporum mutationes, alterationes, mixtiones, coagulationes, dissipationes, tractiones, exhalationes, putrefactiones, corruptiones, generationes, ut infra species aliquas recitabimus, tamen varietatem tantam a paucis qualitatibus primis, scilicet calore, frigore, humiditate et siccitate gubernari Deus voluit. Has qualitates tanquam metas actionum constituit, et earum actiones monstravit, ut inde iudicari causae possint multarum in corporibus mutationum.

Mirentur alii magnas divitias, sed profecto amplissimis opibus anteferenda est haec consideratio qualitatum, quae et vitae utilis est, et doctrinam amplissimam continet, et ut dicam, multas arcanas res in natura patefacit, et illustre testimonium est, non casu extitisse hanc naturam rerum, sed a mente architectatrice, mirabili arte conditam esse.

Ac Medici quidem exorsi sunt suam physicen ab elementis et primis qualitatibus, sed Aristoteles huic parti praeposuit exigua quaedam initia. Voluit enim prius monere, quare elementa alia in alia mutari possint. Deinde prudenter vidit prius discernendas esse per se causas a causis per accidens, et metas causarum in genere constituendas esse. Pauca etiam addidit de proprietatibus, quae universaliter omnia corpora comitantur, de motu, loco, tempore.

Haec tenuia initia cum in vestibulo physices tradidit, postea incipit prima corpora et primas qualitates monstrare, qua in parte congruit cum Medicorum doctrina, et propriis verbis utitur in ipsarum qualitatum et actionum descriptione, non ludit allegoriis, ut Plato in Timaeo, quas nemo intelligit, sed congruit Aristotelis oratio cum rebus. Hanc igitur doctrinam, quae quasi vox est naturae, sequamur, nec quaeramus portentosas opiniones, quales sunt eorum, qui disputant, aërem, terram, animalia esse. Retineamus potius simplicem Aristotelis doctrinam, quae recto ordine ex veris principiis et experientia extructa est, et ad *κοινὰς ἐννοίας* congruit, quae sunt artium et veritatis normae, imo etiam congruit cum doctrina patefacta divinitus, modo ut accedat dexteritas in iudicando.

Quid est Elementum?

Elementum est corpus, ex quo mixtum componitur, tanquam ex parte simplici, seu ut loquuntur minima, quae non potest dividi in diversarum specierum corpora. Haec definitio alludit ad Aristotelicam, quae tamen generalis est, quae extat in quarto libro *μετὰ τὰ φυσικὰ*: Elementum est, ex quo aliquid componitur tanquam ex prima parte non divisibili in res diversarum specierum.

Quot sunt Elementa?

Magna fuit vanitas ingeniorum, quae omissa communi doctrina quaesiverunt prodigiosas opiniones, ut Democritus dixit, infinita esse elementa, Anaxagoras unicum tantum. At communis sententia antiquissima est, praeter coelum quatuor esse corpora simplicia et prima, non viventia, quae nec inter animata, nec inter animalia numerari possint, scilicet Ignem, Aërem, Aquam et Terram.

Haec sententia confirmatur his argumentis.

Prima et simplicia corpora habent simplices motus. Nam mixtorum sunt plures motus, ut in animantibus adparet. Videmus autem plures esse simplices et rectos motus, quia aër et ignis sua natura sursum feruntur recta linea. Deorsum vero feruntur aqua et terra. Igitur plura sunt et diversa corpora simplicia et prima. Sursum autem feruntur sua natura duo, aër, et ignis evolans supra aërem, duo deorsum, aqua, et infra hanc terra. Nec plura sunt corpora simpli-

ciora his, quae sic moveantur, sunt igitur quatuor elementa: Ignis, Aër, Aqua et Terra.

Secundum argumentum.

In corporibus mixtis sunt diversae qualitates. Quatuor autem sunt primae qualitates, et harum *συζυγίαι* quatuor, ac necesse est quamlibet *συζυγίαν* in alio corpore esse. Erunt igitur quatuor prima corpora. Calor enim et frigus iungi non possunt. Nec humiditas et siccitas, sed caliditas et siccitas iunguntur, ut in igni. Item, caliditas et humiditas, ut in aëre. Deinde frigiditas et humiditas, ut in aqua, postremo frigiditas et siccitas, ut in terra. Nec possunt plures esse tales *συζυγίαι*. Et experientia ostendit, congruere has copulationes cum his quatuor corporibus. Tot sunt igitur prima et simplicia corpora, nec plura, nec pauciora.

Tertium argumentum.

Non possunt monstrari corpora simpliciora his quatuor, et insignibus locis in natura distincta ad animantium utilitatem, et quorum partes manifeste deprehendantur in mixtis. Terra gignit et sustentat, proxima est aqua, quae plurimum alimenti suppeditat. Deinde aër, qui etiam alit et fovet nascentia. Longius recessit ignis, quia moderatus calor vim gignendi, et efficaciam terrae et mixtis suppeditat. Sunt igitur haec quatuor sub coelo prima corpora et simplicissima, et deprehendi haec in mixtis manifestum est.

Quartum argumentum.

In animantibus sunt diversae partes, quae ad singulorum elementorum naturas congruunt. Necesse est igitur animantia ex elementis mixta esse. Antecedens manifestum est. In homine sunt ossa et caro, quae congruunt cum terra, humiditates congruunt cum aqua, spiritus cum aëre et igni.

Ad eundem modum congruunt cum elementis, non solum nutrimenta, sed etiam remedia. In calefaciendis corporibus utimur rebus, quarum ignea est natura, in frigefaciendo et humectando sumimus res aqueas, ut in febri datur aqua hordei, dantur pruna. Cum humectamus et calefacimus, adhibemus res aëreas, ut vinum, oleum. Cum refrigeramus ac desiccamus, utimur rebus, quae terrae naturam referunt, ut aceto, acacia, bolo armeno.

Imo et quatuor humores in corpore ita distributi sunt, ut congruant ad quatuor elementa. In massa sanguinea ebulliens spuma, quae est ferventissima, rubra bilis, est naturae igneae. Atra bilis, quae est in imo et densior, similis fecibus, propior est naturae terrestri. Dulcior sanguis in medio similis dulci vino, aëreae naturae est. Phlegma, ut vocant, aquosum est.

Cum autem ex iisdem rebus oriatur natura animantium, quibus alitur, et his humoribus corpora alantur, consentaneum est tot esse elementa, priora et simplicia corpora.

Suntne pura Elementa?

Propter utilitatem animantium, et res nascentes, elementa non sunt prorsus pura, ut videmus aquis admixtam esse terram. Nam pura aqua insipida esset. Nec terra humorem suppeditaret rebus nascentibus, si pura esset.

Quomodo discernuntur Elementa?

Principaliter qualitatibus primis, deinde minus principaliter qualitatibus secundis.

Quot sunt primae qualitates?

Quatuor: Calor, frigus, humiditas, siccitas. Dicuntur autem primae, quia per has proprie inter se mutuo agunt elementa, et deinde in mixtis causae sunt aliarum sensibilium qualitatum, ut saporum, odorum, duriciei, molliciei et aliarum. Erat autem et lux inter primas qualitates ponenda. Nam ignem, aërem, aquam corpora lucida esse manifestum est. Sed lux non tantum elementis, sed etiam coelo competit. Caeterae quatuor primae qualitates sunt in elementis, et per eas agunt elementa verius, quam luce. Et quanquam sic loquuntur homines, alias stellas calidas esse, ut Solem, Martem, alias frigidas, ut Saturnum, tamen iuxta usitatam Aristotelis doctrinam dicitur, id intelligendum esse de efficacia, non quod qualitates illae stellis insint, ut formae in elementis. Saturnus efficacia seu *δυνάμει* frigidus est, non quod frigus insit ei, ut forma in glacie. Hac admonitione puerili contenti simus, ut quomodo Aristotelici loquantur, consideret iuventus. Nec disputo de hac re subtilius, sed qualescunque sunt illae in stellis qualitates, Aristoteles significare voluit, dissimilitudinem esse coelestis naturae et elementaris.

Quae sunt secundae qualitates?

Caeterae omnes praeter primas, sed Aristoteles has numerat: Grave, leve. Durum, molle. Rarum, densum. Lubricum, aridum. Asperum, glabrum. Crassum, subtile. Numerat enim maxime eas, quae tactu iudicantur.

Quare numerus elementorum sumitur secundum quatuor primas qualitates?

Quia per secundas qualitates non fit mutua elementorum inter se actio, sed per primas. Tot igitur sunt elementa, quot modi actionum iuxta primas qualitates. Sunt autem, ut supra dictum est, modi quatuor, copulatis quadrifariam qualitatibus, ex quarum syzygiis ut dixi, Aristoteles raciocinatur elementa quatuor esse, nec plura, nec pauciora.

Cum elementa per primas qualitates agant, quae sunt proprietates qualitatum?

Primae qualitates omnes sunt activae et passivae inter se, rite collocatae. Sed vulgo ita loquuntur: Calorem et frigus maioris esse activitatis, et minoris resistentiae, ut res calida citius calefacit rem proximam, quam sicca res aliquid humidum desiccat. Ideo calorem et frigus dicimus magis activas qualitates esse. Sed humiditas et siccitas sunt maioris resistentiae, et minoris activitatis. Ideo hae saepius nominantur passivae.

Dic proprios effectus qualitatum.

Hic ingredimur in doctrinam uberrimam, cuius utilitas in multiplici medicatione, imo et in metallicis officinis latissime patet. Etsi autem Philosophi principaliter substantiis actionem tribuunt, et generatio propria est substantiarum, tamen substantiae per qualitates sunt efficaces. Et proprie tribuitur qualitatibus alteratio.

Sunt autem proprii effectus calidi, calefacere, congregare homogenea, id est, corpora eiusdem speciei, et econtra disgregare et separare heterogenea, id est, diversarum specierum corpora, item separare, rarefacere, attenuare, digerere, fundere, incidere, dissolvere, laxare, aperire, attrahere. Exempla in metallicis officinis et in medicatione passim obvia sunt. Calor diversa metalla dissolvit ac dissipat. Et rursus cognata congregat. Et Medici cum dissipandi sunt fluxus, utuntur leviter calidis, ut Meliloto, Origano, *χαμαιμήλῳ*, Althea.

Frigidi proprietates sunt, frigefacere, congregare, et astringere homogenea et heterogenea, aut aquam cum aqua congelando. In metallis diversae species commixtae, ut Cuprum et Argentum, donec massa frigida est, et nondum calore dissoluta, simul manent. Sunt igitur frigoris et aliae vicinae effectiones, condensare, obstruere, reddere corpora crassiora et graviora, stupefacere.

Dictum est de propriis effectionibus caloris et frigoris, sed aliae per accidens utrique communes sunt, ut calor et frigus desiccant, diversis modis. Calor quia resolvit et consumit, frigus autem, vel quia calorem educit, cum quo simul exhalat humiditas, vel quia obstruit poros et astringit, ut in luto, ne dilatare se humor possit. Quam ob causam et Aristoteles ait, in regionibus frigidissimis corpora perusta gelu, pusilla esse, quia in eis neque calor neque humor dilatari possint, cum frigore meatus obstructi sint.

Postea longissime vagantur effectiones per accidens, ut vinum frigefacit corpora ingurgitantium, quia immodica ingurgitatio extinguit calorem nativum ventriculi et epatis.

Interdum et contrarias effectiones habent calor et frigus per *ἀντιπερίστασιν*. Sic enim vocant, cum contraria qualitas obsidet contrariam, quo fit, ut inclusa intendatur, quia virtus coniuncta fortior est quam dispersa. Exempla ubique obvia sunt. Fontes et subterranea loca hyeme fiunt calidiora, quia inclusi halitus, in quibus aliquid caloris est, propter circumstans frigus fiunt densiores, nec copiose sparguntur foras. Inde et aphorismus Hippocratis inquit: Ventres hyeme et vere calidiores sunt natura, *κοιλίαι χιμῶνος καὶ ἦρος θερμόταται φύσει.* Magis calent hyeme ventriculi, quia frigore circundata corpora magis continent nativum calorem. In aestate vero cum pori sunt aperti, magis resolvitur calor in corporibus et fit languidior, quare et deterior fit in aestu concoctio. Caeterum in vere corpora fiunt calidiora, quia sicut succi in terra et arboribus, ut ita dicam, renascuntur, ita sanguis in corporibus animantium generatur copiosior. Sed omitto effectiones per accidens, quae mediocri consideratione iudicari possunt, cognitis effectionibus propriis et principalibus.

Nunc recitandae sunt humidi et sicci proprietates. Humidum sic describitur ab Aristotele: Humidum male terminari seu claudi suo ter-

mino, facile alieno, ut aqua per se non consistit, sed diffluit, facile vero clauditur vase.

Econtra siccum terminatum seu clausum est suo termino, nec clauditur alieno. Ut lapis clauditur sua figura, nec cedit vasi.

Postea effectus proprii sunt: Humidum humectat, siccum desiccat. Deinde cum varie misceantur qualitates, ut in aëre humiditas iuncta est calori, in aqua frigori, sequuntur dissimiles effectus. Humida aquea extinguunt ignem. Humida aërea, ut oleum, alunt ignem. Ligna facile incendi possunt, quia sunt porosa, et plus habent aëreae humiditatis. Lapides minus incendi possunt, quia cum non sint adeo porosi, non facile recipiunt ignem, et minus habent aëreae humiditatis. Imo et inter lapides hi, in quibus viscosa et sulphurea materia inest, facilius inflammantur. Itaque calida et humida leniunt, faciunt lubricitatem, glutinant, implent, ungunt. Sed frigida et humida repellunt, ut Nymphea, Solanum, Rosa, Morum, numerantur inter *ἀποκρουστικά*.

Calida et sicca pleraque incidunt, quia aliquid igneae naturae habent, ut Pulegium, Centaurium, Libanotis, Zinziber, Galanga, Gentiana.

Frigida et sicca astringunt et repercutiunt, ut Acacia, Cydonium, Sidium, Poterium, quod usitate vocant Ribes, Johans treublin, Myrtili heidelber. Intybum Endivia, Acetosa oxalis.

Oriuntur autem diversae *κράσεις* in perfecte mixtis ex qualitatum mixtione multiplici, sicut diversae melodiae ex paucarum primarum vocum dissimili mixtione, ut infra dicetur. Nunc pauca addenda sunt de qualitatibus secundis.

De secundis qualitatibus.

Primas qualitates comitantur Grave et Leve. Et vetus quaestio est, quid proprie sit levitas, quid gravitas. Aristoteles reprehendit Democritum et Platonem. Democritus grave definit, cui minus inest vacui. Plato grave dicit esse, quod ex pluribus partibus eiusdem rationis compositum est.

Aristoteles non quaerit causas priores levitatis aut gravitatis in elementis, sed sumit earum discrimina ex ipso elementorum motu, considerans *τὸ ὅτι*, non quaerens *τὸ διότι* in elementis. Sed in mixtis causae ab ipsis elementis sumi possunt. Parvus lapillus mergitur in profundum aquae, quia in lapide plurimum est terreae naturae, et minimum aëreae. Natant autem in aqua magnae trabes, et naves etiam magnis ponderibus oneratae, quia in ligno multum est aëreae naturae.

Definitiones autem apud Aristotelem hae sunt: Leve est, quod movetur brevissima linea sursum. Grave, quod movetur brevissima linea deorsum.

Hoc modo Aristoteles tradit levitatem et gravitatem, tales esse qualitates motivas, seu *δυνάμεις*, secundum quas moventur elementa. Nec quaerit earum causam, ut Democritus aut Plato.

Deinde addit Aristoteles discrimen gravium et levium hoc modo. Simpliciter grave vocat, quod semper fertur deorsum, ut terra. Grave suo respectu, quod fertur natura deorsum, sed tamen emergit supra gravius, ut aqua fertur quidem natura deorsum, sed tamen emergit supra terram.

Hinc in mixtis differentiae sunt admiratione dignae. Exiguus lapillus, aut gleba, aut exigua metallica massa mergitur in aqua, cum magnae lignorum trabes non mergantur, quia in ligno plus est aëreae naturae.

Asperum, et glabrum et aliae qualitates secundae ex primis oriuntur. Humiditas mollit et glabrum natura efficit, siccitas causa est asperitatis.

Sapores etiam et odores gignuntur ex commixtione primarum qualitatum, ut sapor est qualitas in succo, in quo humiditas vincit siccitatem terrestrem, calore utranque digerente. Nam in sapore dominatur humiditas, ut in odore siccitas, sicut infra dicam. Theophrastus igitur hoc modo definivit saporem: Sapor est partis siccae percolatio in humido, a calore facta, quod in uvis et pomis perspicue declarari potest.

Primum uvae immaturae, quae vocantur *ὄμφακες*, plus habent siccarum partium terrestrium, quare acerbae sunt, nondum videlicet aëreis partibus in uva percoctis.

Deinde paulatim calore attenuante partes crassiores, et coquente totam uvam, cum maturuit, fit dulcis, quia succus iam magis aëreus est, et tamen subaquosus et crassior. Cum autem ille crassus liquor ex uvis expressus est, calor nativus in musto resolvit partes crassiores et halituosas, et expellit eas. Haec est causa cur musta ferveant.

Cumque vina deferbuerunt, quia aquosa et crassior humiditas expulsa est, manet quidem aërea dulcedo, sed tamen caeterae vini partes nativo calore iam magis calefactae sunt, ideo minor est dulcedo, et odor est fragrantior, ac convenientior et gratior est linguae dulcis sapor, quia et sanguis, cum sit aëreae naturae, dulcis est. Senescente autem vino, iam aëreae partes magis magisque exhalant, et manent terrestres partes, et quidem ustae calore non nativo propter obstructionem, et initia putrefactionis. Hae similes fiunt cineri, superest tamen aliquid et aquearum partium. Ita vinum degenerat in acetum, quod frigidum est propter imbecillitatem nativi caloris, et aquosas partes, et siccum est, quia partes ustae sunt. Hinc sapor est acidus ex acerbo et acri mixtus, mordax, ac propterea aliquantulum calefaciens.

Cernis igitur mutata materia mutari qualitates primas, et primis qualitatibus mutatis, mutari secundas, ut omphaces multum adhuc habent terrestrium partium, et minus aëreae et coctae humiditatis. Sunt igitur frigidae et acerbae. Quare et conceditur uti in febribus succo omphacis. Nomen vero *ὄμφακος* faciunt ab *ὠμὸν* et *φαγεῖν*, id est, crudum seu immaturum vescenti. Deinde musta plus habent aëreae et aquosae, crassae ac halituosae humiditatis, ideo cum sint calidiora et humidiora, et iam melius cocta, sunt dulciora. Postremo, cum degenerat vinum in acetum, partes aëreae exhalarunt, et reliquae sunt terrestres, ustae, cum exigua parte aquea. Frigidum est igitur acetum, et tamen in febribus non conceditur eius usus, quia cum habeat partes ustas, et sit mordax, aliquantulum calefacit.

Haec recensui, ut iuniores commonefacti considerent ipsum iter naturae, quomodo materiae mutationem sequatur qualitatum mutatio, et hae cognatas secum trahunt. Ex hac consideratione multarum mutationum causas in nostris et alienis corporibus sagax observator iudicare potest. Et doctrina haec a Theophrasto de saporibus, et a Galeno in libro de simplicium medicamentorum viribus copiose tradita est.

De tertio genere qualitatum.

Tertium genus est qualitatum, quae vocantur Virtuales seu specificae, seu ut Graeci loquuntur *δυνάμεις*, hoc est, efficaciae quaedam. Ut in Magnete *δύναμις* est, quae ferrum attrahit. Foeniculum oculis peculiariter mederi constat. Asplenum exundanti spleni prodesse etiam asini norunt, qui ut abundant atra bile, cum sentiunt exundare splenem, quaerunt eam herbam medicantem spleni expulsione et consumptione atrae bilis. Nomen dicunt factum esse Teucrio, quod Teucer exul, cum in Cyprum venisset, sacrificans vidisset splenem absumi ab imposita herba, cui postea cum ipse ea usus esset contra splenis dolores a moesticia ortos, nomen indidit Teucrion.

Multiplex usus est Rutae contra venena. Ac scribit Athenaeus ponticum tyrannum solitum ad se vocare primarios cives, quos praecipue oderat, eisque cicutam bibendam praebere. Hoc modo cum aliqui periissent, caeteri postea moniti exemplo, cum invitarentur, priusquam ad tyrannum accedebant, ruta vescebantur, hoc usis remedio non potuit nocere çicuta. Et hoc tempore usitatum est ruta, fico et nuce iuglande in aceto, uti mane adversus pestilentiam.

Narrat hoc quoque Athenaeus, Alexandriae duos reos capitalis supplicii ductos esse ad aspides, ac in via alteri sitienti a muliercula, forte ibi vendente mala citrina, datum esse citrinum, quo gustato perrexit ad aspides. Ubi morsu aspidis alter, ut fit, statim necatus est, huic vero, qui citrinum gustaverat, nihil nocuit aspidis morsus. Spectatores omnes hoc miraculo moti, primum suspicantur divinitus eum propter innocentiam servari. Postea re inquisita, compertum est, citrino repressam, et languefactam esse vim veneni. Et in aliis experimentum deinde confirmatum est.

Paeonia medetur epilepticis. Deinde quam variae sint plantarum et animantium concordiae et discordiae, longum esset recitare. Balsamum cum ferro attingitur, statim mori dicitur. Inter oleam et vitem tanta concordia est, ut viti insita olea, gignat et uvas et olivas. Ac innumerabilia exempla recitari possent, sed similia studiosi observent in quotidiana lectione. Prodest enim in hac dissimilitudine rerum, et ipsas naturas, et Dei consilium considerare, qui propter multas sparsit dissimiles vires in corpora, quae condidit. Vult nos agnoscere non casu extitisse hunc mundum, cum diversis morbis et membris, diversa remedia condidit. Vult etiam proprietates aliquas animantium et plantarum, imagines esse aliquid significantes de gubernatione vitae,

ut discordia naturalis Aquilarum et Cycnorum significat dissidia Tyrannorum et Senatorum.

Sed omissis narrationibus, redeamus ad ea, quae Physici de virtuali qualitate disputant. Quaerunt enim, unde sit illa proprietas, an oriatur ex peculiari temperamento primarum qualitatum, et an in primis qualitatibus monstrari causae possint? Credo aliquarum causas esse, et deprehendi posse in temperamento primarum qualitatum. Sed non possunt hae specificae virtutes in omnibus revocari ad primas qualitates, ut mihi non displicet causam quaeri in primis qualitatibus, cur amarae amygdalae prohibeant ebrietatem, ut de Drusi medico narrant Plutarchus et Athenaeus, plus bibere solitum sine temulentia, quam quisquam Germanorum, cum quibus certabat, bibere poterat. Sed medicus ante certamen aliquot amaras amygdalas comederat. Fortassis in primis qualitatibus causa monstrari potest. Nam et consumit humiditates, et vellicat meatus et astringit amaritudo, citius igitur desiccati meatus et vellicati tanquam sitientes imbibunt vinum, et propter astrictionem minus est halituum. Et amarae amygdalae per sese propter siccitatem minus sunt halituosae, et propter amaritudinem attenuant halitus, pellunt etiam urinam. Sit sane haec causa, sed cur vulpes gustatis amaris amygdalis moriatur, causa in primis aut secundis qualitatibus non facile ostendi potest.

Sic in multis aliis, ut in plantis, cur aliae aliis membris proprie conducant, causa in primis aut secundis qualitatibus ostendi non semper potest, sed distributio illa providentiae divinae opus et testimonium est. Voluit Deus remedia certis membris, et contra certos morbos condere, et ostendit hoc beneficio, ut multis aliis mundum non casu extitisse.

Necesse est igitur concedi, esse aliquas virtuales qualitates in aliquibus rebus, quarum in primis aut secundis causa monstrari non potest, ut quod Magnes ferrum trahit, quo Agaricum trahit phlegma, Rhabarbarum trahit utramque bilem.

Caeterum ubi effectus cum primis qualitatibus consentiunt, causa inveniri potest, ut Galenus erudite et prudenter discernit genera, *μαλακτικά*, id est, mollientia esse dicit calida et leniter sicca, ut Melilotum, aut calida et humida, ut Butyrum, aut leniter frigida et humida, ut Malva. Econtra, figunt frigida et sicca. Haec monuisse satis sit.

Illud sciant iuniores, in elementis non esse virtuales qualitates, sed primas ac secundas, quae sensu iudicantur, ut calor in igne, humiditas in aqua tactu percipiuntur. Et usitate dici solet: Ignis formaliter calidus est, id est, talis in igne forma, et sensibilis qualitas est. At vinum potentia seu virtute calidum est, id est, calefacit, etiamsi gustus frigidum esse sentit.

Sic de luce coelesti dicitur, Lucem potentia calefacere, aut frigefacere, ut Saturnus frigefacit, et aliter calefacit Iupiter, aliter Mars. Saturnus, Mars desiccant, Luna humectat. Has etiam vocamus in stellis virtuales qualitates.

Quomodo discernuntur elementa?

Motu et qualitatibus. Levia sursum moventur, gravia deorsum.

Ignis calidus est et siccus.
Aër calidus et humidus.
Aqua frigida et humida.
Terra frigida et sicca.

Additur et hoc discrimen, cum dissimiles sint in diversis qualitates, hoc modo tamen discernuntur. In igne excellit calor, in aëre humiditas, in aqua frigiditas, in terra siccitas. Sed aqua sensibilius humectat, quia est densior. Ignis magis desiccat, quia ibi calor coniunctus est, cuius vis est valde efficax, vel in congregandis homogeneis, vel in dissipandis et resolvendis heterogeneis. Fit igitur in his et facilior desiccatio.

Quae sunt mixtionum causae?

Nunc ingredimur amplissimam doctrinam de mixtione, unde generationum initia sumuntur. Primum autem hic generales quasdam regulas tradi oportet.

Prima regula apud Aristotelem de mixtionibus haec est: Illa inter quae mutua actio est et passio, genere convenire debent, et differre specie. Hoc dictum proprie de qualitatibus intelligendum est, ut calor et frigus conveniunt genere, et differunt specie. Calori non est actio per se cum albedine, aut cum figura, quia genere differunt. Et de alterationibus loquitur, non de generatione, aut de motu locali, aut de artificialibus mutationibus. Gignit enim bos bovem, etiamsi non differunt specie. Et spiritus movent et pel-

lunt corpora, etiamsi toto genere differunt. Et statuarius figuram efficit in ligno, partes eius aliter collocans. Nam statuarii opus est simile motui locali. Postremo, et in alteratione substantiae aliquae discrepant genere, ut coelum et elementa, et mixta. Coelum efficit alterationes in elementis, sed tamen hic qualitatum inter sese actio est, videlicet aut virtualium, aut formalium. Coniunctio Saturni et Martis virtute efficit siccitatem in aëre.

Proprie autem loquitur regula Aristotelis de mixtionibus elementorum inter sese. Et utilis consideratio est, quae qualitates inter sese actionem habeant, videlicet hae tantum, quae sunt contrariae specie, ut caliditas et frigiditas mutuam inter sese actionem et passionem habent, sic humiditas et siccitas. Et contraria contrariam pellit, similes vero similibus iuvantur, iuxta regulam: Simile additum simili facit ipsum magis tale. Caliditas vero agit in humidum per accidens, scilicet siccitate, item, quia disgregat subiectum, exhaurit humorem.

Secunda regula.

Oportet esse proportionem agentis et patientis, ita ut agens sit aliquanto fortius. Et cum repugnat patiens, gradus sunt aliqui, qui resistere agenti possunt, ut calor naturalis in animali fortior est in convertendo cibo, quam virtus cibi convenientis in resistendo. Sed cum languidior est calor naturalis, quam ut sit par copiae cibi non fit integra conversio, et manent in corpore multae partes crudae. Sic in cicuta tanta frigiditas est, ut calore naturali prorsus suffocato, extinguatur homo nimia frigefactione.

Tertia regula.

Agentium et patientium debita fiat adplicatio. Haec regula et supra tradita est, ubi dictum est, In omni actione oportere contactum esse, vel mathematicum, vel virtualem. Et quidem in his inferiorum corporum actionibus, quorum hic fit mentio in alterationibus, opus est mathematico contactu, ut ignis non calefaceret corpus procul positum, nisi aërem contiguum calefaceret. Sed astra movent contactu virtuali, ut luna virtute trahit fluxus et refluxus maris. Sensus etiam aliqui, ut visus et auditus requirunt tantum debitam propinquitatem, non contactum mathematicum: ut oculi vident obiecta proposita certo intervallo.

Quarta regula.

Agentium naturalium finis est, ut adsimilent sibi passum, vel qualitate, vel substantia: ut ignis adsimilat sibi aquam in qualitate, cum eam calefacit. Et cum fortius transmutat, resolutam mutat in ignem. Ita in nutritione, virtus naturalis adsimilat nutrimentum substantiae aliti. Habemus igitur causas transmutationum. Efficiens est elementorum et qualitatum efficacia et mutua pugnantia. Finalis, ut passum simile fiat agenti. Materialis causa est elementorum communis seu cognata materia.

Quinta.

Traditur et hoc discrimen qualitatum. Caliditas maxime activa est, ideo manus citius offenditur immodico calore aquae, quam frigore aquae. Econtra frigiditas magis resistit, quam caliditas, ut ligna et alia corpora tarde calefiunt, et cito extingui calor potest. Humiditas magis activa est, quam siccitas, ut videmus res humidas citius humectare, quam res siccae desiccant. Siccitas vero magis resistit, quam humiditas, ut plumbum citius liquefit, quam cuprum, quia plumbum plus habet aqueae naturae.

Sexta.

Dictum est Aristotelis: Agens in agendo repatitur, quod de corporum contiguorum alteratione, in quorum utroque gradus sunt, qui inter se certare primis qualitatibus possunt, dicitur, ut cum ferrum ignitum aquae inseritur, fit utrunque, ferrum extinguitur, et aqua calefit. Ita in ventriculo calor naturalis etsi convertere nutrimentum potest, tamen et ipse languefit, et quasi delassatur, cum tanta est frigiditas nutrimenti, ut resistere aliquo modo possit. Sed si non sint gradus, qui resistere possint, non fit repassio, ut cum in magnam copiam aquae ferventis, guttula frigida infunditur, non fit mutatio in fervente.

Nec accommodandum est dictum ad agentia virtute, ut ad coelum, aut ad obiecta sensuum, ut cum color movet oculcs, in colore non fit repassio. Nec fit in aqua repassio, cum humectat manum. Haec satis sit monere de hoc dicto Aristotelis, quod sciamus non ad omnia agentia transferendum esse, sed ad alterationes contiguorum corporum, quae possunt inter se contrariis actionibus certare.

Quomodo fiunt transmutationes?

Omnium elementorum transmutatio inter sese fieri potest, ita ut quodlibet elementum ex quolibet fieri possit, sed facilior transmutatio est in iis, quae habent similem qualitatem, quam in aliis, quae nulla qualitate conveniunt, ut ex aqua citius fit aër, quam ignis, conveniunt enim aër et aqua humiditate. Ubi vero ambae qualitates inter se pugnant, tardior est transmutatio. Ideo inquit Aristoteles: Facilius est unum transmutari quam multa.

Quaerit etiam proportionem densitatis et raritatis, Et ex uno pugillo terrae fieri inquit decem pugillos aquae, centum aëris, mille ignis. Ex hac proportione nonnulli magnitudines elementorum, et distantiam a terra ad lunam raciocinari conati sunt, ita ut aquam decuplo maiorem terra, aërem centuplo maiorem terra, ignem millecuplo maiorem terra esse collegerint. Sed hanc raciocinationem geometrica ratio refutat. Ptolemaeus enim libro quinto magnae compositionis reperit distantiam terrae a luna in quadraturis, cum est et in eccentrici et in epicycli perigeo, esse partium 33, fere talium, qualium est semidiameter terrae una.

Cum igitur elementaris globus credatur proxime attingere concavam sphaeram lunae, haec distantia lunae a terra proxime accedentis, ostendit, totam diametrum globi elementaris universi, continere sexaginta sex tales partes, in quales duas terrae diameter dividitur, vel, quod idem est, diametrum elementaris globi continere diametrum terreni globi tricies ter.

Habent autem globi inter se proportionem triplicatam suarum diametrorum, hoc est, numeri diametrorum multiplicati cubice ostendunt globorum proportionem. Quare totus globus ex elementis conflatus, et sphaerae lunae inclusus, erit talium partium 35937, qualium globus ex terra et aqua compositus, est una.

Hinc apparet, multo esse minorem illam proportionem elementorum, quae ex Aristotelis dicto colligitur, quam ut illud amplissimum spacium, quod continetur intra lunae sphaeram ad centrum mundi usque totum impleat. Magis autem adsentiendum erit Ptolemaeo, qui rationes adfert huius suae computationis, quam caeteris.

Quid est mixtio?

Prima admonitio est de vocabulo. Non dicitur physica mixtio, cum sine alteratione, diversarum rerum partes iunguntur, ut cum hordeum tritico additur. Physicus enim loquitur de tali mixtione, in qua est mutua quaedam actio.

Deinde physica mixtio duplex est, altera cum partes diversae iunguntur atque alterantur, ubi etsi quaedam est actio partium, atque alteratio, tamen nondum fit corruptio priorum specierum, nec generatio novae speciei. Talis est mixtio, cum vinum aquae miscemus, cum pharmaca pharmacis iungimus. Parvae enim partes partibus adduntur, et fit quaedam non fortis alteratio, pars enim a parte adficitur, nec prorsus transmutatur. Talem mixtionem usitate confusionem vocant.

Alia mixtio est propriissime dicta, quae revera est generatio, cum videlicet ita iunguntur partes, non solum ut fiat alteratio, sed etiam partium corruptio, et novae speciei ex illis generatio, ut ex vino, pane et aliis cibis generatur sanguis. Hic primum partes concisae iunguntur, fit et alteratio, cum calor naturalis eas transmutat, et fit adeo vehemens alteratio, ut mutatis prioribus formis alia species inde existat. Haec est mixtio propriissime dicta, quae et generatio est.

Sciendum est igitur, non omnem mixtionem generationem esse. Nec generatio unius elementi ex uno elemento est mixtio, sed cum plura elementa iuncta gignunt novam et mixtam substantiam. Lapis non gignitur ex sola terra. Nam ut infra dicemus, sicca non possunt coagulari sine humore. Ideoque necessarius est humor in qualibet generatione. Generantur igitur lapides ex vaporibus et exhalationibus, cum multo luto humido et viscoso iunguntur, sunt autem exhalationes naturae aëreae et igneae, quibus alteratur et coagulatur viscosum lutum, ut fiat lapis. Ideo definitionem mixtionis apud Aristotelem interpretantur de generatione ex mixtis.

Quid est mixtio propriissime dicta?

Mixtio est mixtibilium alteratorum unio, hoc est, cum cunctae partes satis alteratae sunt, corrupta priore forma, fit unio, hoc est continuatio materiae in mixtis, quod cum fit, nova forma oritur. Haec propria sunt generationis. Nam ut substantia fiat una, priores formas corrumpi ne-

cesse est, et unam oriri novam. Sic intelligunt unionem de continuatione materiae et de generatione.

Extat igitur in scholis et alia definitio magis dilucida: Mixtio est generatio formae substantialis ex materia mixtibilium, vi quatuor primarum qualitatum facta, quarum certum temperamentum et ipsa forma requirit. Haec definitio magis aliquanto declarat, quid sit physica mixtio, haec videlicet, quae est generatio.

Suntne gradus mixtorum?

Sunt gradus. Alia enim sunt imperfecte mixta, alia perfecte mixta.

Imperfecte mixtum hoc modo describunt, quod non constat ex omnibus elementis, ut vapores. Sed causa quaerenda est, quare talia dicantur imperfecte mixta.

In generatione priores formae mixtibilium prorsus corrumpuntur atque abiiciuntur. At in hac imperfecta mixtione non est perfecta transmutatio, et integra priorum formarum abiectio, ut nubes vicina est naturae aquae. Ideo haec mixtio non est proprie generatio, sed coniunctio dissimilium corporum resolutorum, terrae, et aquae, in qua fit levis alteratio. Nam partes, quas aqua exhalat, non penitus abiiciunt formam aquae, tantum addita terra alterantur, fiunt spissiores, et quasi coagulantur. Est igitur imperfecta seu mixtio, seu generatio. Nam neque priores formae prorsus abiiciuntur, et novae formae sunt imperfectae. Ideo autem non fit perfecta transmutatio, quia non est fortis actio contrariorum, sine qua nulla potest fieri integra transmutatio, ideoque imperfecte mixta facile dissiliunt et dissolvuntur. Resolvuntur autem immediate in elementa, sicut ex illis immediate orta sunt.

Perfecte mixtum necesse est ex quatuor elementis constare, ita ut elementa mediate, hoc est, mediante aliqua alteratione concurrant. Hoc Aristoteles erudite confirmat.

Primum: Omnia perfecte mixta sunt circa terram, ut lapides, metalla, animantia. Ergo constant ex terra. Valet consequentia, ideo enim appetunt terram, veluti locum, quia habent aliquam terrae naturam.

Addit deinde: Constant ex terra. Ergo et ex aqua, quia sicca non possunt sine humido concrescere et coagulari, sicut neque humida terminari possunt sine sicco.

Addit postea: Constant ex terra et aqua. Ergo et ex reliquis elementis. Valet consequentia, quia non potest fieri transmutatio, nisi per contraria. Et quidem sine calore nulla fit conversio frigidorum elementorum. Ideo necesse est ignis et aëris naturam accedere.

Idem confirmat hoc modo. Ex iisdem nascimur, sumus, et nutrimur. Nutrimur autem quatuor elementis. Igitur et substantia est ex quatuor elementis. Minorem ostendit experientia. Plantae et animantia nutriuntur terra, aqua et aëre. Et sine calore nec conversio nutrimenti in substantiam nutriti fieri potest, nec actio aliqua est frigidarum partium. Concurrunt igitur quatuor elementa.

Haec argumenta eo recitavi, quia erudite admonent de modo generationis, quare humida siccis misceri oporteat. Item, quam transmutatio non fiat nisi actione contrariorum, nec fieri conversionem sine calore, quia calor est activa qualitas, et coniungit homogenea. Et recitatur hic dictum memoria dignum: *ἅπαντα τρέφεται τοῖς αὐτοῖς ἐξ ὧνπερ ἐστὶν.* Late enim huius dicti usus patet in iudicandis naturis et nutrimentis.

Considerent autem iuniores ordinem in hac doctrina. Exorsi sumus a numero elementorum, postea suas qualitates singulis attribuimus, et qualitatum certae sunt actiones. Hinc fiunt alterationes, alterationem sequitur mixtio, mixtionem generatio, deinceps igitur de generationibus dicendum erit. Sed prius usitata quaestio recitetur, de qua magna sunt certamina, cum sit ociosa subtilitas, et facile diiudicari possit, videlicet: Quomodo sint elementa in mixto.

Quomodo sunt elementa in mixto?

Dicam plane et breviter: In mixto manet materia elementorum, manent et qualitates, sed remissiores, et ad quoddam temperamentum, quod vocant *κρᾶσιν*, vulgo complexionem reductae, conveniens illi novae formae, quae generatur, sed ipsae formae substantiales elementorum corrumpuntur, alioqui mixtum non esset certa natura unius speciei.

Haec est vera, plana et simplex sententia, quam eruditiores fere omnes amplexi sunt, qui his verbis eam recitant: Elementa sunt in mixto

virtualiter, non formaliter. Ac iudicant eruditiores sic sentire Aristotelem et Galenum, qui nominatim reprehendit Empedoclem scribentem, mixta tantum secundum parvas partes elementorum concreta esse, quod falsum est. Non enim una et certa esset natura mixti, sed materia singulorum per omnes partes mixta et continuata est, et qualitates remissae inter se per omnes partes diffusae sunt.

Possuntne contrariae qualitates in eodem subiecto esse?

Litigant et de hac quaestione, sed gravioribus scriptoribus placuit haec sententia, quam veram et simplicem esse facile intelligi potest, videlicet, Contrarias qualitates in eodem subiecto esse posse, in gradibus remissis. Mira est enim naturae harmonia, quam ex rerum dissimilium, aut etiam pugnantium temperamento fit una quaedam natura, sicut ex dissimilibus sonis una quaedam concinna harmonia, ac mirabili consilio naturae opifex diversas qualitates copulavit, quarum aliae alias habent effectiones in mixti generatione et conservatione. Et quomodo aliae alias moderentur, iam recitabimus in doctrina de generatione.

Tunc autem contrariae qualitates inter se pugnant, quando intensis gradibus alterius actio adeo fortis fit, ut alteram expellere incipiat.

De generatione.

Ideo simplicia corpora, id est, elementa inquisita sunt, et qualitatum varietas monstrata, ut postea causae alterationum et generationum in mixtis ostendi possent. Nondum autem de generatione certarum specierum, ut plantarum, aut animantium dicitur, sed communia quaedam omnibus generationibus recitantur.

Ut animantium, ita omnium perfecte mixtorum semen quoddam est, hoc est, humidum seminale, ut vocant. Nihil autem ex solo humore generatur. Sed humore opus est, ut fieri coagulum possit, et partes partibus continuari, deinde siccitas terminat. Calor vero illud mixtum humidum digerit, et ad maturitatem adducit, et attrahit nutrimentum. Frigiditas vero moderatur calorem, et efficit coagulationem in humido. Memorabile est autem quod Aristoteles dicit de calore in semine, hunc calorem non esse igneum, sed cognatum coelesti, seu ut ipse loquitur, *ἀνάλογον* coelesti calori, qui vivificus est. Nam igneus consumptivus est.

De speciebus alterationis.

Tot species alterationis numerari possunt, quot sunt qualitates primae et secundae, ut calefactio, frigefactio, humectatio, desiccatio, condensatio, rarefactio, coagulatio, liquefactio, induratio, mollificatio. Hae species et similes, cognitis elementorum naturis, utcunque iudicari possunt. Et quidem alterationes iuxta primas qualitates facile agnosci possunt, ut cum aqua calefit ab igni, fit alteratio, scilicet calefactio, expulsa ex aqua frigiditate, et introducto iam calore, et quid sit calor, sensu iudicatur. Est enim qualitas igni cognata, congregans homogenea, et disgregans *ἑτερογένεα*, ut supra dictum est.

Sed in mixtis plerunque simul fiunt alterationes secundum plures qualitates, vel conservationi mixti convenientes, vel adferentes corruptionem. Conveniens conservationi dicitur coctio, sed alteratio adferens corruptionem vocatur putrefactio. Ac valde prodest, utriusque descriptiones, seu itinera, ut ita dicam, in natura considerare.

Coctio, quae graece *πέψις* dicitur, est alteratio, quae fit a calore naturali seu proprio, humidum et siccum ad conveniens temperamentum reducente. Mirando enim consilio Deus naturae conditor mixta sic condidit, ut foedus sit et vinculum quatuor qualitatum in gradibus convenientibus, quia singularum qualitatum propriae sunt utilitates, calor dominatur, et est efficax, humiditas est pabulum caloris in gradibus convenientibus. Siccitas terminat humidum, frigiditas vero moderatur calorem. Nec priores causae ostendi possunt, cur talis sit natura, sed agnoscamus talem esse, et miremur consilium opificis, qui materiae mixtorum, quae maxime vagabunda est, has quasi metas circumdedit. Nec dubium est, arcanas significationes in his quatuor metis seu qualitatibus contineri. In omnibus rebus est aliqua causa dominatrix et maxime efficax, ut in mixto calor, deinde alimentum aliquod, ut in mixto humidum, deinde harum duarum veluti custodes et moderatrices, ut siccum et frigidum.

In homine est vita, velut ignis seu calor. Nam et spiritus vitalis est flamma, ut ita dicam, volitans per totum corpus. Huius autem flammae

alimentum est subtilissima pars sanguinis. Ne autem diffluant haec, continentur siccis vasis, et calorem moderatur frigidus humor.

Coctio igitur quae conservationi rei convenit, est a calore naturali et proprio, reducente humidum et siccum ad conveniens temperamentum, qua in actione duo principaliter fiunt, aliquae partes utiles convertuntur in substantiam corporis, quod conservatur, aliae vero partes inutiles, ut feces, expelluntur, quae non possunt percoqui.

Quae sunt species coctionis?

Aristoteles loquitur in genere de coctione rei, quae conservatur, ut de coctione pomi maturescentis, aut vigorem suum retinentis. Quomodo autem haec conveniant ad coctionem chyli in ventriculo, postea dicemus. Nam ea coctio in ventriculo plures species huius generalis coctionis complectitur.

Nominat autem Aristoteles species coctionis tres, quae causis efficientibus et fine differunt. Prima enim tantum fit natura, reliquae duae fiunt etiam arte.

Prima species coctionis est *πέπανσις,* hoc est, maturatio, cum videlicet nativus calor non est prostratus aut imbecillior humido, sed ita alterat humidum, sicut temperamento eius rei congruit, quemadmodum se natura illa optime habere potest, et expellit alienum humidum.

Aristoteles exempla sumit a pomis, dicit esse *πέπανσιν*, cum perficitur nutrimentum in carne fructuum. Etsi autem necesse est principaliter a calore proprio et nativo fieri *πέπανσιν*, tamen ab externo calore et ab aëre aliquantulum adiuvatur.

Contraria est maturationi cruditas *ὠμότης,* cum videlicet calor nativus imbecillis est, nec potest percoquere humidum, sed fit reliquum humidum, quod quia non vertitur in substantiam rei quae alitur, vocatur alienum. Id vero aut putrescit, aut a praeternaturali calore aduritur. In pomis calor debilis nondum percoxit humidum, et cum humidum alienum vincit, putrescunt.

Secunda species est elixatio *ἕψησις*, quae fit, cum ab humido, calore alieno, alteratur humidum crassum, seu aquosum in aliquo, ut cum elixantur carnes, humidus calor circumfusus spumosum illud humidum in carnibus alterat. Nec omnia corpora possunt elixari, ut lapides et ligna non possunt elixari, sed illa tantum mixta, in quibus humidum ab humido calore adfici potest, ut fit in carnium elixatione.

Dicuntur tamen metalla elixari, quia cum in eis humida initia sint, aërea et aquea, sulphur et hydrargyron, liquefieri possunt, sed id non fit ab humido circumfuso, sed a calore forti alieno dissimiles partes dissolvente, quod cum fit, aërea et unctuosa metalla, scilicet ex sulphure et hydrargyro conflata, natant.

Opposita elixationi est *μόλυνσις*, quae est imperfecta elixatio, ut cum carnes non satis elixatae sunt. Est igitur haec species cruditas quaedam, seu flacciditas inde orta, cum calor humidus, alienus et circumstans, debilior est, quam ut inchoatam actionem perficere possit. Si latina adpellatio quaeritur, pro *μολύνσει* dici possit imperfecta elixatio, vel flacciditas.

Tertia species coctionis est assatio *ὄπτησις,* quae est talis coctio, quae fit ab externo calido et sicco, quod extinguit humidum crassius, ut carnes igni assatae alterantur, extincto humido crassiore. Efficitur autem natura et arte. Artificialis assatio est carnium, quae igni torrentur et praeparantur ad esum. Natura fit assatio, ut a Sole, aut in corporibus animantium, ut cum calor naturalis convertit nutrimentum in ossa, vel cum praeternaturalis calor in epate adurit nutrimentum, et humidum sine modo extrahit, dissipat et extinguit, ut reliqua sit materia terrestris et incensa magis aut minus tenuis, cineri similis, quae est bilis adusta.

Opposita species assationi vocatur *στάτευσις,* quae est imperfecta assatio, ut cum caro non satis assata est. Nam *στατεύειν* est leniter condensare, ut cum pinguia consistunt. Eiusmodi crudam molem, quae aliquantulum condensari cepit, hic intelligi vult, oppositam assationi, qualis fit moles carnis imperfecte assatae.

Quomodo accommodantur hae species ad coctionem in corporibus animantium?

Magna utilitas est huius considerationis, quid hic Aristoteles coctionem nominet, et quomodo hae species accommodandae sint ad coctionem, quam sic vocamus, quae fit in ventriculo, in epate, et aliis membris. Nam Aristoteles alte exorsus alterationis modos, primum simplicissi-

mas vias recitavit, postea in animalibus concurrunt hi modi.

Et in ventriculo primum fit elixatio, quando cibus in chylum vertitur a calido humido. In epate fiunt elixatio et assatio. Nam chyli conversio in massam sanguineam est elixatio, partium autem aliquarum fit assatio, quae vertuntur in flavam bilem.

Et fit nimia assatio in epate, cuius calor est immoderatus, et substantia uritur et infecta est putrefactis et venenatis superfluitatibus, unde Scabies, Lichenes, Lepra, et similes morbi oriuntur. Sit igitur mediocris temperantia et diligentia, ne epatis substantia usta venenatis superfluitatibus inficiatur, et gignat massam sanguinis impuriorem.

Est et assatio, quando nutrimentum in ossa convertitur.

Usitata vero cruditas in ventriculo et epate, unde hydrops oritur, est *μόλυνσις* opposita elixationi, cum non potest fieri integra coctio seu conversio nutrimenti, qualem fieri oportuit.

Suntne aliae species alterationis?

Iuxta qualitatum introductionem numerari et alterationes possunt, ut calefactio, frigefactio, humectatio, desiccatio, condensatio, rarefactio, coagulatio, liquefactio, induratio, mollificatio. Hae species et similes, naturis elementorum cognitis, utcunque iudicari possunt.

Coagulatio est, quando cum humore conglutinantur et copulantur partes siccae, quod fit alias a circumstante frigido, cum multa aquea humiditas comprimitur, ut cum lapides in terra generantur, alias a circumstante calido assante partes, ut cum sal ex aqua segregatur, et igni coquitur, quo partes assatae coagulantur.

Vicina est priori modo coagulationis Congelatio, quae fit, cum frigore partes fluidae comprimuntur et durescunt, quia frigoris natura est constringere, ut fit in glacie et in nive. Gellius disputat, oleum saepius congelari, vinum minus saepe, rarissime autem acetum. Saepe item congelari flumina, mare vix unquam. In aceto sunt partes adustae velut cinis, quae non facile adficiuntur externo frigore. Vinum ideo non facile constringitur gelu, quia multum habet interni caloris. Oleum vero minus caloris habet, et partes magis porosas ac leves, quae recipiunt frigus, et facile coëunt. Mare continet multas adustas partes, ideo minus congelatur, quam aliae aquae tenuiores.

Liquefactio est solutio coagulatorum, in qua ut in superioribus speciebus, propter diversam corporum materiam, magna dissimilitudo est effectionum. Lapides enim non liquescunt. Metalla liquescunt. Nam metalla habent multum viscosi, aërei, et bene continuati humidi. Ideo cum subit fortis ignis, qui disgregat heterogenea, diffluit illud humidum. In lapidibus parum est humidi. Ideo cum igne nimium uruntur, non liquefiunt, sed dissiliunt exhausto exiguo humido, et terrestres partes superustae et dissipatae in cinerem rediguntur.

Hoc modo observata mixtorum dissimilitudine causae utcunque conspici possunt, propter quas in aliis corporibus, aliae fiunt alterationes. Cera liquefit a calore mediocri, metalla ab igni forti, quia in cera terrestres partes pauciores sunt, et rariores, et multae sunt aëreae partes. Sal nec dissolvitur nec liquefit in calore, sed dissolvitur in humido, quia calore duratur et coagulatur, eductis partibus humidioribus. Econtra cera frigore duratur.

Medica et metallica exempla illustria sunt. In pleuritide adhiberi necesse est et mollificantia remedia, et attenuantia. Nam si tantum attenuaretur materia, hoc est, partes subtiliores educerentur, sine mollificatione, partes terrestres in materia, quae adfluxit, duratae, augerent morbum, nec fieret dissolutio. Adhibetur ergo Althea, Foenum graecum, et similia mollientia. Et usus ostendit, harum vulgarium rerum vim maximam esse, qua in consideratione sapientia et bonitas Dei celebranda est, quem experientia ostendit tantam varietatem virium indidisse plantis et aliis rebus, ne deessent nobis remedia contra morbos. Et haec ipsa Althea mirificam vim habet in molliendis tumoribus, item in nervorum contusionibus sanandis, ac nomen ei inditum esse scribunt, ab utilitate in curationibus. Nam *ἀλθαίνειν* est curare, seu molliter fovere, estque malva agrestis. Et cum omnium malvarum multiplex sit utilitas, iuste vituperat Hesiodus inscitiam et negligentiam hominum qui rerum communium, quae ubique ad manum sunt, utilitatem nec inquirunt, nec frui his naturae bonis discunt, cum

inquit: homines stultos esse, qui non curent quantum adiumenti sit in Malva et Asphodelo, *οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ, καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.*

Sunt et discrimina generationum. Aliae enim dicuntur univocae, aliae aequivocae, aliae totales, aliae partiales. Univocae sunt, cum generans et genitum sunt eiusdem speciei, ut cum homo generat hominem. Aliae sunt aequivocae, quae multae sunt et dissimiles. Calore coelesti ex vapore putrefacto generantur ranae. Metalla generantur ex hydrargyro, id est, argento vivo, et sulphure. Hydrargyrum vero est substantia aquea, mixta terrae subtili, cum vapor subtilis aëreo halitui virtute Solis longa coagulatione iungitur. Sulphur autem est ex subtili terra, mixta multo aëre, unde est unctuosum, et accedit aliquid igneae naturae.

Ex his initiis metalla diversa generantur, quorum species etsi discernunt aliqui puritate et impuritate argenti vivi et sulphuris, tanquam propinquis causis diversitatis, tamen adiungenda est vis luminis coelestis, quod materiam fovet, et magis vel minus puram efficit, ut Aurum est ex argento vivo rubro et purissimo, et ex sulphure, vi Solis coctum. In argento Luna et Iupiter dominantur. Sunt igitur metalla ductibilia, quia sunt unctuosa, et liquefiunt, quia inest natura aquea argenti vivi. Etsi autem studiose quaesitum est, quae res sit Argentum vivum, tamen explicatio perspicua inveniri non potest, nisi semen metallorum tale conditum esse, quod sit velut coagulum, in quo multum est aëreae naturae. Plinius liquorem aeternum nominat. Sed haec disputatio ad doctrinam de metallis pertinet. Nunc obiter attigi, cum de diversis generibus dicendum esset.

Generatio totalis est, ut cum integrum individuum nascitur, homo ex homine, bos ex bove.

Sed generatio partialis est nutritio. Nam nutritio non tantum est alteratio nutrimenti, sed conversio in substantiam partis quae nutritur. Et hanc conversionem multae alterationes praecedunt, ut in ventriculo, epate et venis elixatio, donec tandem facta transmutatione nutrimentum fit pars substantiae, ut carnis, aut ossium, aut aliarum partium, quae aluntur.

Etsi autem alibi in doctrina de potentiis animae copiosius dicitur de nutritione, tamen hic breviter addendum est, quare in corporibus animalium opus fit nutritione, quia videlicet calor naturalis continue agit in humidum radicale, et consumit aliquam partem in ipso humido radicali. Necesse est igitur nutrimento instaurari id quod absumptum est.

Nominatur autem Humidum radicale, quod per generationem et primam foetus formationem inest membris radicalibus, ut calor naturalis eo alatur et conservetur. Nec causa alia quaerenda est, nisi quia divinitus ita condita est natura animantium, ut vita similis sit flammae, subinde rapienti ex humido alimentum. Ut enim in lychno flamma alitur cera, sic calor, seu spiritus vitalis, qui praecipuum est vitae et motus instrumentum, rapit ex illo humido alimentum.

Deinde Nutrimentale et influens humidum vocatur, quod ex nutrimento adgeneratur, et fit commune radicali humido. Ideo autem non perpetuo durant corpora, quia pars adveniens est impurior. Cum igitur post *ἀκμὴν* corporis debilitatur calor naturalis, pars instaurans non habet parem virtutem amissae parti, et paulatim calor minus vertit in substantiam corporis, et quod vertit, non percoquit. Et vicissim cum nutrimentum caloris minus et impurius sit, calor fit debilior. Ita senescentia corpora paulatim languefiunt.

Et Aristoteles definit vitam esse conservationem caloris nativi, et mortem esse destructionem nativi caloris, quarum definitionum brevitas magnas disputationes peperit. Sed intelligatur utriusque consumptio, caloris et humidi, quo alitur calor. Spiritus vitalis extinguitur, cum non alitur a conveniente humido. Et rursus nutrimentum non converti potest, cum languefactus est calor. Ita mutua ope destituitur humor a spiritu vitali, et spiritus vitalis ab humore. Nec causae in corporibus animantium aliae quaeri possunt. Mirando consilio Dei ita condita sunt corpora, ut hoc modo vivant, spiritu vitali rapiente alimentum ex humido, et vi caloris fiat humidi conversio.

Dominatur ergo calor seu spiritus vitalis, qui est Dei opus, et significat, alio spiritu, divino scilicet, hanc mortalem naturam in homine concretam ex elementis accendi, ut fiat immortalis. Perspici penitus natura corporum, et causae vitae et motuum non possunt, sed umbras

multas rerum aeternarum nobis inditas esse non est dubium. Et vult Deus nos tueri ordinem a se institutum. Extinguitur natura immodico calore et immodica humiditate, ut mediocri oleo alitur lychni flamma, immodico oleo infuso extinguitur. Nec alia causa quaerenda est, nisi quia Deus ita condidit naturam, ut conveniant agentia et patientia certo modo.

Quid est augmentatio?

Hic de animalium augmentatione proprie dicta loquimur, in qua talis fit nutritio, ut singulae partes plus attrahant, quam absumptum est, ut fit crescente corpore ante ἀκμήν. Non vocamus hic augmentationem quamlibet additionem seu accumulationem, ut flamma crescit addita flamma ex alia materia, acervus granorum crescit addito medimno granorum.

Nec augmentatio est proprie dicta, cum pinguedine corporis moles extenditur, quia tantum aliquae partes humidiores, ut caro, plus attrahunt, in quibus facilis est ex copioso sanguine conversio, et minor est expulsio, quod etiam in senescentibus fieri potest.

Sed augmentatio proprie dicta est partialis generatio, hoc est, talis nutritio, in qua plus acquiritur, quam absumptum est, quae quidem fit iuxta proportionem secundum omnes diametros corporis, ut medici loquuntur. Nam donec corpus augetur, singula membra nutrimentum pro proportione attrahunt.

In hanc sententiam inquit Aristoteles in libro de generatione: Eius quod augetur, quaelibet pars augetur secundum speciem, non secundum materiam, de quo dicto, vel aenigmate potius, magna sunt certamina. Sed suam vocem Aristoteles ipse interpretatur: In augmentatione proprie dicta, augeri singula membra secundum speciem seu formam, id est, singula crescere pro proportione, ita ut suam speciem conservent brachia, et in brachiis lacerti, articuli, manus, digiti ita crescunt pro proportione, ut singularum partium speciei congruit. Nec crescunt secundum materiam, id est, non pari mole crescunt, ut maior est moles foemoris quam humeri. Et aliis membris alia nutrimenti pars congruit, ut ossa, splen aluntur melancholico sanguine, pulmo attrahit sanguinem tenuiorem magis dilutum rubra bile, et naturali phlegmate.

Haec est perspicua enarratio. Aliae obscuriores traditae sunt, quas volens relinquo. Plus autem verae et physicae doctrinae est in consideratione potentiarum et modi nutritionis et augmentationis, de quibus in libro de anima dicitur, quam in his tenuibus argutiis, de quibus in hac parte physices disputatur. Magna sapientia est, utcunque nosse organa principaliter nutritionis causa condita, ut oesophagum, ventriculum, intestina, epar, venas. Deinde in his et aliis, quae sint virtutes, attractiva, retentiva, alterativa et expulsiva, et quomodo actiones regantur calore vitali cordis. Postea qui humores generentur converso nutrimento, et ex his quae sint secundae humiditates, quae immediate convertuntur in substantiam aliti.

Has officinas omnes, et gradus nutrimenti, et officinarum qualitates et effectiones arte distinxit sapientissimus architectus, ut et paulatim fieret conversio nutrimenti, et praeparatio fieret conveniens, et diuturnior esset nutritio, cum partes aliae aliis succederent, quarum rerum ordo ostendit, naturam ad moderationem conditam esse, sine qua non potest illa praeparationum varietas perfici. Haec doctrina uberrima et utilissima est, de qua in libro de anima dicendum est.

De putrefactione.

In hac doctrina alterationum consideratio putrefactionis praecipue necessaria est. Nam et passim in omnibus corporibus mixtis multae fiunt corruptiones per putrefactionem, et in humanis corporibus morbi a putrefactione plurimi oriuntur, ut febrium species praecipuae, scabies, pleuritides, apoplexiae, et alii multi. Quare et ad valetudinem prodest nosse putrefactionum causas et effectus.

Primum autem definitio cognoscenda est, quam ab Aristotele traditam, Galenus etiam recitat et probat. Verba igitur Aristotelis haec sunt:

Putrefactio est corruptio nativi caloris in humido, quae fit ab alieno calore. Ut in vino putrefactio fit, cum in aestu vehitur, quia in dolio agitatis halitibus fit dilatatio, et calor augetur, et

quia prohibetur efflatio, vinum in dolio magis accenditur incluso calore praeternaturali.

Cum igitur superato nativo calore, qui fovebat humidum, sicut natura se optime habere potuit, humidum iam non regatur a nativo calore, fit resolutio humidi, et paulatim reliquae partes magis terrestres, fiunt similes coeno, sicut Aristoteles inquit: Ea quae putrefiunt, tandem fieri terram aut coenum: *πάντα τὰ σηπόμενα γίνεται τέλος γῆ καὶ κόπρος.*

Estque Aristotelis definitio causalis, non dicens quid fiat, cum massa putrefacta est, sed quomodo res tendat ad illam coeni formam, et fortassis magis perspicua fit explicatio, si effectum intuens, ac postea causam accommodans, dicas, putrefactionem esse coeni effectionem, quae fit tali resolutione, cum reliquae manent partes terrestres, crassiores ac deteriores, quia calor nativus desiit regere humidum, superatus a praeternaturali calore.

Differunt gradibus putredines, alia magis, alia minus sunt putria seu coenosa, in aliis plus, in aliis minus reliquum est nativi caloris, ut in materia purulenta conspici potest, quae eo est magis tetra, quia minimum nativi caloris reliquum est. Et deinde ex purulenta materia fiunt crustae, cum plus humoris resolutum est, et manent reliquae partes terrestres et ustae velut cinis.

Magna varietas est materiae, et multiplices sunt alterationes, quarum consideratio et difficilis est, et non vulgaris sapientia, ut sagax medicus in febribus phlegmaticis et cholericis, in cancro, lepra, et similibus morbis mira discrimina animadvertere potest.

Aliquid lucis accedit, cum ordine aspiciuntur causae. Finis, ut dictum est, est coenum, ut pus, aut fimus putrefactus, sicut in febre cholerica humor fimo similis fit.

Materia vero, quae putrefieri potest universaliter est calida et humida, ut res ostendit lapides non putrefieri, quia valde parum inest eis humidi. Et multa aromata longo tempore non putrescunt, quia minus continent humidi. Et durabilius est frumentum in locis borealibus, quam austrinis, quia in locis frigidioribus calor nativus humidum praeternaturale facilius consumit. Imo flatus ipsi boreae exhauriunt et consumunt humidum praeternaturale, et adiuvant conservationem nativi caloris in granis.

Econtra in Italia citius putrescit frumentum, quia aër plenus est calidorum et humidorum halituum, qui accendunt calorem in frumento. Et hic inclusus calor fit ardentior, quia exigua est efflatio. Ita cum desiit regi humidum a nativo calore, reliqua materia putrescit, et fit coeno similis.

Ideo de materia inquit Galenus: *τὰ σηπόμενα θερμὰ εἶναι, καὶ ὑγρὰ, καὶ δυσδιάπνευστα.* Quare et corpora, quae sunt calida et humida, magis obnoxia sunt pestilentiae.

Efficientes causae sunt positivae et privativae, remotae et propinquae, quarum consideratio utilis est, et digna eruditis.

Citius putrescunt poma in aëre calido et humido, quia calor externus circundans pomum, accendit calorem nativum in pomo. Ita et exhalat, et desinit regere materiam. Reliqua igitur materia paulatim fit coenosa:

De vino illustrius est exemplum, ubi calor alienus, non tantum foris circundans intelligitur, sed potius inclusus in vino nimium accensus, quia nulla est efflatio. Hic inclusus calor propinqua causa est putrefactionis. Ad id exemplum multa accommodari possunt in febribus, et materia purulenta in scabie, cancro, et similibus malis. Estque dignum consideratione, ubi sit praecipua actio caloris praeternaturalis intus inclusi, prohibita efflatione.

Positiva causa est calor praeternaturalis corrumpens nativum.

Privativa est, quod humidum destituitur gubernatione. Ideo inquit Aristoteles, putrefactionem esse commune *πάθος* proprii frigoris et caloris alieni, id est, non nativi.

Forma post effectionem est ipsa coeni illuvies, sed alteratio praecedens est ille ipse modus, velut accensio caloris praeternaturalis, et desertio gubernationis humidi.

Postremae sententiae in libro Aristotelis de Generatione maxime memorabiles hae sunt: Causa perpetuitatis generationum et corruptionum est motus Solis et Planetarum in Zodiaco. Adfirmat igitur aliquam esse actionem stellarum universalem, in fovenda natura, et in conservanda hac

inferiore materia, et ciendis insignibus mutationibus materiae. Ideo addit: etiam omnium viventium certas vitae periodos esse. Sed cum mens hunc mirandum naturae ordinem considerat, videlicet ipsas motuum leges, et certas plantarum et animantium species, et modos generationis et periodos durationis, necesse est ratiocinari, aliam esse priorem et intelligentem causam, videlicet, Deum conditorem, cuius consilio totus hic ordo et institutus est, et gubernatur, et conservatur, sicut doctrina de Deo in Ecclesia clarius docet.

Τέλος.
Θεῷ δόξα.

IV.

PHIL. MEL. ELEMENTA RHETORICES.

Libri de arte rhetorica, quae Melanthonis nomine prodierunt triplici inscriptione, inter se differunt. *Primum* enim Melanthon ipse in usum scholae suae edidit libellum ita inscriptum:

„*De rhetorica libri tres.*" (In fine:) „Vuittenburgii in officina Ioann. Grunenbergii. 1519." — 4. 9 plagg. — Dicatus est liber Bernardo Mauro. Vid. Epp. Vol. I. p. 62.

Recusus est hic liber *eodem modo inscriptus*, Basileae apud Io. Frobenium, mense Maio M.D.XIX. 4. — Lipsiae ex officina Valentini Schumanni 1521. 4. — Coloniae apud Hieron. Alopecium 1521. 8 plagg. — Parisiis ex offic. Roberti Stephani 1527. 8. et ibid. 1529.

Secundo loco prodiit libellus de arte rhetorica a. 1521. sic inscriptus:

„*Institutiones Rhetoricae* Phil. Melan." Hagenoae in aedibus Thomae Anshelmi Badensis, an. 1521. 5 plagg. 4.

Hic liber dicatus est Ioanni Agricolae (vid. dedicat. Vol. I. p. 452.), neque a Melanthone ipso, sed ab amico eius, nescimus quo, editus est. Scribit enim Mel. ad Agricolam:

„Qualescunque sunt hae *praeceptiones rhetoricae*, quas dictavimus, non scripsimus, opto ut lectori „prosint. Nam quod ad me attinet, malebam periisse hoc mihi laboris, quam vulgari multis quod „exciderat tantum tumultuaria opera docenti, si per amicos, ut scis, licuisset. Porro magna ex „parte res rhetorica purius emendatiusque tractata est, quam in prioribus meis libellis."

Intelligitur itaque, haec quae hic edita sunt, dictata esse a Melanthone in schola, et ab amicis, probante Melanthone edita. Idem libellus, *eodem modo inscriptus*, prodiit: Coloniae apud Hier. Alopecium 1521. 4. 4 plagg. — Parisiis apud Simonem Colinaeum, anno M.D.XXIII. 8 — Argentorati a. 1524. — Iterum simul cum dialectica: „Dialectices Ph. Mel. libri quatuor, — Item eiusdem *rhetorices praeceptiunculae* doctiss." Hagenoae ap. Io. Secerium. 1521. 8.

Postea Melanthon totum argumentum recognovit et *tertiam* editionem rhetorices paravit, quam filiis Guil. Reiffensteinii dicavit (vid. Epist. Vol. II. p. 542.), et sic inscripsit:

„Phil. Mel. *Elementorum rhetorices libri II.* Witeb. ap. Georg. Rhaw. an. 1531." 8. 12 pl.

Recusus est hic liber, quem postea Melanthon non mutavit, *eodem modo inscriptus*: Parisiis, apud Simonem Colinaeum 1532. 8. — Ibid. ex officina Stephani 1534. — Witebergae 1536. Argentorati 1542. et saepius. — Etiam in operibus Melanthonis Basileensibus Tom. V. p. 237.

Quum Melanthon librum denuo excudendum a. 1542. recognosceret, eum auxit additamentis quibusdam, videlicet addidit in fine: 1) „epistolam Senecae de ratione et ordine studii; 2) aliam Senecae

epistolam de varietate lectionis; 3) Plinii iunioris epistolam de exercitio stili ex libro VII."; denique: „epistolas contrarias Pici pro barbaris philosophis, et Harmolai nova ac subditicia, quae respondet Pico". Liber ita inscriptus prodiit:

„*Elementorum Rhetorices libri duo.* Recens recogniti ab Autore *Philip. Melan.* Vitebergae M.D.XLII. (In fine:) Vitebergae in officina Georgii Rhau anno D.M.XLII." 8. 17 plagg., quarum 12 continent rhetoricen, 5 additamenta.

Saepius recusus est hic liber, ut Lipsiae 1546. et iterum 1549 — 1552. — Witebergae an. 1566 — 1582. — cum Martini Crusii quaestionibus. Basil. 1570. et iterum 1574.

Dedimus hic librum secundum editionem Witebergensem anni 1542, praetermissis vero additamentis.

IV.

PH. MEL. ELEMENTORUM RHETORICES

LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS.

De Elementis Rhetorices.

Inicio monendi sunt adolescentes, quem ad usum communia praecepta Rhetorices primum tradita sint. Legent enim libentius, ubi cognoverint, quam inde auferre debeant utilitatem. Homines acuti et periti, qui primi hanc artem genuerunt, nequaquam hoc senserunt, haec praecepta efficere homines eloquentes, aut ad eloquentiam comparandam sufficere. Nam eloquentia primum vim naturae maximam ad dicendum, deinde multarum bonarum rerum scienciam requirit. Multa igitur et magna adiumenta, tum a natura, tum a doctrina, praeter haec communia praecepta, sumit. Habent tamen et suam utilitatem praecepta. Docet enim natura homines viam quandam atque rationem, magnas et obscuras causas explicandi, quam homines magna quadam vi ingenii praediti, partim beneficio naturae animadvertere, partim usu deprehendere solent. Hinc extitit ars, quae etiamsi regit artifices in dicendo, tamen in hoc, inicio traditur, non ut oratores efficiat, sed ut adiuvet adolescentes in legendis orationibus excellentium Oratorum, et in longis controversiis iudicandis. Neque enim tantum his, qui causas acturi sunt, praecepta proposita sunt, sed in commune voluerunt autores artis consulere omnibus. Nam etiam hi, qui non agunt causas, qui nihil scribunt, si tamen velint legere aut iudicare res magnas, ut religionum controversias, aut forensia negotia, via quadam atque ratione opus habent, ad intelligendas longas controversias. Nemo enim potest longas contentiones et perplexas disputationes animo complecti, nisi arte aliqua adiuvetur, quae ostendat seriem partium, et intervalla, et dicentium consilia, et viam tradat, res obscuras explicandi ac patefaciendi. Haec utilitas movit homines prudentes, ad excogitanda praecepta, ut in commune consulerent omnibus, et adolescentes, non tam ad recte dicendum, quam ad prudenter intelligenda aliena scripta, praepararent. Atque iidem videbant, ut aliarum rerum artifices, ita oratores imitatione fieri. Quare, si qui erant in turba discentium, quos natura ad dicendum idoneos finxerat, hos, postquam didicissent viam intelligendi et iudicandi disertorum orationes, in forum et ad causas deducebant, et iubebant in agendo magnos et excellentes oratores intueri atque imitari. Quare et nos ad hunc usum trademus Rhetoricen, ut adolescentes idiuvent in bonis autoribus legendis, qui quidem sine hac via, nullo modo intelligi possunt. Quod cum ita sit, satis apparet, haec praecepta necessaria esse omnibus. Deinde autores intellectos imitari, non difficile erit his, qui a natura ad dicendum adiuvantur. Etenim neque sine imitatione effici oratores possunt, neque imitatio sine praeceptorum cognitione procedit.

Eloquentia facultas est sapienter et ornate dicendi. Nam ad bene dicendum in primis requiritur perfecta earum rerum cognitio, de quibus oratio instituitur. Insania est enim, non eloquentia, de rebus ignotis et incompertis dicere. Cum autem rerum cognitio ad dicendum necessaria sit, oportebit oratorem harum artium, quae rerum scientiam continent, non esse rudem. Quid

enim de religione, de natura rerum, de iure, denique de ulla vitae parte dicit is, qui doctrina illa non instructus est, quae eas res continet?

Rhetorica vero est ars, quae docet viam ac rationem recte et ornate dicendi. Voco enim Rhetoricen haec praecepta, quae pueris traduntur, quorum cognitio, etsi necessaria est ad eloquentiam, tamen eloquentia praeter hanc artem, alia multa adiumenta, tum naturae, tum doctrinae requirit. Tenent enim praecepta docti omnes, in quibus multi sunt infantes, quibus tamen opus est hac arte ad iudicandum, quemadmodum et Dialectica ad iudicandum opus habent omnes. Ut autem dialecticae finis est, iudicare, Utrum in docendo apte consentiant omnia, item, in docendo sequi certam viam, ita et rhetoricae fines constituamus, iudicare de longa oratione, qualis sit partium series, quae sint praecipua membra, quae sint ornamenta, Item, in dicendo etiam, in his, qui non destituuntur a natura, efficere, ut oratio certas partes habeat, et res magnas non exponat breviter, ut dialectica, sed addat verborum lumen.

De officiis oratoris.

Cum oratio omnis rebus ac verbis constet, rerum prior esse cura debet, posterior verborum. Quinque igitur numerantur officia oratoris: Inventio, Dispositio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio. Primum enim dicturo, res seu inveniendae, seu eligendae sunt, et cum sint inquisitae, ordine explicandae. Versantur igitur inventio et dispositio circa res, elocutio vero circa verba. Nam ea, quae excogitavimus, et ordine apud animum disposuimus, postremo verbis significantibus exponenda sunt. Et in his tribus partibus fere tota ars consumitur. Itaque nos de aliis duabus partibus nihil praecipiemus, quia memoria parum admodum ab arte adiuvatur. Actio vero longe alia nunc est, quam qualis apud veteres fuit. Et quid maxime in agendo deceat, in foro discendum est imitatione. Videmus veteres maxime verecundiam in agendo probasse. Laudat enim Eschines Solonem, quod inter dicendum ne quidem manus extra pallium protulerit, significans sedatam minimeque concitatam actionem maxime decere.

Discrimen dialecticae et rhetoricae.

Tanta est dialecticae et rhetoricae cognatio, vix ut discrimen reprehendi possit. Quidam enim inventionem ac dispositionem communem utrique arti putant esse, ideo in dialecticis tradi locos inveniendorum argumentorum, quibus rhetores etiam uti solent. Verum hoc interesse dicunt, quod dialectica res nudas proponit. Rhetorica vero addit elocutionem quasi vestitum. Hoc discrimen etsi nonnulli reprehendunt, ego tamen non repudio, quia et ad captum adolescentium facit, et ostendit, quid rhetorica maxime proprium habeat, videlicet elocutionem, a qua ipsum rhetorices nomen factum est. Ac si quis subtiliter existimabit, intelliget hoc discrimen recte defendi posse. Si enim rhetorica non tantum versatur circa forenses et suasorias materias, sed in genere circa omnes materias, de quibus dicendum est, nullo modo poterit ab ea divelli dialectica, quae est ratio perfecte docendi. Saepe enim orator utetur hac via in docendo, ut Cicero in primo Officiorum, et in aliis multis disputationibus, praecepta dialectica sequitur in docendo, et addit elocutionem ex rhetorica. Et nostris temporibus idem faciunt homines eruditi et copiosi, cum docent homines de religione.

Veteres ita discernebant, rhetoricae tribuebant forenses et suasorias materias, dialecticae vero omnes quaestiones alias, de quibus certa quadam methodo et ratione docendi sunt homines. Iuxta hoc discrimen proprius dialecticae finis est docere, rhetoricae autem permovere atque impellere animos, et ad adfectum aliquem traducere, ut cum de natura virtutis disputamus, dialectica consulenda erit, quae quid sit virtus, et quas habeat causas, partes, effectus, ostendat. Cum autem ad virtutem colendam homines adhortamur, loci rhetorici sequendi erunt. Cum de natura poenitentiae dicimus, cumque docemus homines, quid sit poenitentia, quas habeat partes, sequenda erunt praecepta dialectices. Adhortatio autem ad poenitentiam, adhibet locos rhetoricos.

Sed quia ratione docendi rhetores non poterant carere, praesertim in materiis forensibus, ideo dialecticen etiam admiscuerunt suo operi. Nam finitivum statum, quem in iudicialibus materiis recensent, a dialecticis mutuo sumpserunt. Is status est ratio informandae methodi, quam tradit Aristoteles in *ἀναλυτικοῖς*. Accersunt ex dialectica et formam syllogismorum, et pleraque alia praecepta. Ita admixta dialectica rhetoricae, non potest ab ea prorsus divelli, etiam cum rhe-

toricae tantum forenses et suasoriae materiae, et laudationes tribuuntur.

De tribus generibus causarum.

In locis inventionis primum genera causarum distribuuntur, id hoc consilio fit. In tanta varietate negociorum, diversae quasi classes locorum faciendae fuerunt. Nam aliae materiae, alios requirunt locos. Ideoque, ne, si omnes loci in unum acervum congesti essent, difficilis esset electio, materiae discernuntur, ut cuilibet generi sui loci subiici possint, et deprehenso genere causae, quasi regione, statim sciat unusquisque, quibus locis tota res includi debeat. Quas autem utilitates praeterea habeat haec negociorum partitio, paulo post ostendemus, propositis exemplis.

Vulgo tria numerant genera causarum. Demonstrativum, quo continetur laus et vituperatio. Deliberativum, quod versatur in suadendo et dissuadendo. Iudiciale, quod tractat controversias forenses. Ego addendum censeo *διδασκαλικὸν* genus, quod etsi ad dialecticam pertinet, tamen, ubi negociorum genera recensentur, non est praetermittendum, praesertim, cum hoc tempore vel maximam usum in Ecclesiis habeat, ubi non tantum suasoriae conciones habendae sunt, sed multo saepius homines dialecticorum more, de dogmatibus religionis docendi sunt, ut ea perfecte cognoscere possint. Est autem *διδασκαλικὸν* genus, methodus illa docendi, quae traditur in dialectica, cuius particulam retinuerunt rhetores in statu finitivo. Est et demonstrativum genus, affine *διδασκαλικῷ* generi. Plaerumque enim est definitio, sed amplificata ornamentis oratoriis, ut tanquam pictura, ab imperitis magis conspici possit, ut si quis laudet leges, et de autoritate legum dicat, is definiet leges, et definitionem amplificabit. Psalmus, dixit dominus, recte in hoc genere ponetur, laudat enim Christum. Atque haec laudatio simpliciter definitio quaedam est, describit enim personam Christi, commemorat eius officia, exponit Dominum esse, qui a dextris Dei sedeat, hoc est, pari potentia cum Deo regnet, addit ubi proditurus sit, videlicet in Sion, quod superaturus sit hostes: Erit et sacerdos, inquit, per quem placabitur nobis Deus, Et addit: qualis sit futurus sacerdos, videlicet aeternus, non Leviticus, sed qui benedicat, qui annunciet remissionem peccatorum. Deinde describit supplicia impiorum, qui huic Domino adversantur. In fine subindicat etiam ipsum Dominum communes afflictiones subiturum esse, ex quibus tamen reviviscet. Si quis hoc modo animadverterit Psalmum esse descriptionem Christi, et singulas partes ad definitiones dialecticas sciat referendas esse, is plane intelliget Psalmum, et cum erit opus, ex definitionibus partium facile illustrabit omnia, et amplificabit. Sunt autem aliae multae species horum generum, quas enumerare non est opus. Facile enim est iudicare, quae species ad quod genus pertineant. Ad demonstrativum pertinet gratiarum actio, laudamus enim beneficium. Talis est oratio pro M. Marcello. Sub deliberativo ponendae sunt petitiones, commendationes, deprecationes, consulationes, obiurgationes, et aliae multae species, quas recenset Erasmus in ratione scribendarum Epistolarum.

Ad quid conducat nosse genus causae.

Ut sciant adolescentes, quando debeant consulere locos inventionis, primum hoc meminerint, locos non conferre ad inveniendum negocium, seu primam quaestionem. Tempora enim offerunt negocium, ut litigator defert negocium ad causidicum. Docenti in Ecclesia, certa materia in sacris literis praescripta est, quam explicare debet. In Epistolis scribendis variae occasiones, varia offerunt argumenta. Itaque non traditur ars, non traduntur praecepta de negotiis inveniendis, illa vero ultro se offerunt, ac fugientes etiam persequuntur, et ad hoc ars tota excogitata est, non ut per ludum ociosas materias quaeramus, sed ut graves, magnas et obscuras causas, quas offert nobis respublica, explicemus. Cum igitur negocium oblatum est, hic primum ars consulenda est, et inicio cogitandum, ad quod genus causae res pertineat. Ideo enim distincta sunt genera causarum, ne loci in turba diu quaerendi essent. Quare deprehenso genere causae, statim occurrent certi loci ad patefaciendam et tractandam materiam utiles.

Prodest autem ideo etiam intelligere genus causae, quia genere cognito, prospicitur finis orationis, hoc est, praecipua intentio, et summa consilii, seu ut vocant, scopus orationis. Plurimum autem refert in omni sermone, in omnibus negotiis, nosse finem, hoc est, quae utilitas ex oratione expectanda sit. Omnis enim oratio, aut ad docendum instituitur, aut praeter cognitionem habet alium finem, videlicet, quod aliquid fieri

iubet. Suasoriae orationes iubent aliquid fieri, ut si quis suadeat suscipi bellum Turcicum. Tales sunt et Psalmi generis deliberativi, qui vel praecepta dant, vel consolantur, vel deprecantur, hi petunt aliquid fieri. Verum generis demonstrativi finis est cognitio, ut cum Alexandrum laudamus, et res eius sapienter, fortiter ac foeliciter gestas, narramus, tantum docemus auditorem. Etsi enim exempla imitationis causa proponuntur, tamen in tali oratione nihil aperte postulamus ab audientibus, nisi ut huius viri sapientiam, virtutem ac foelicitatem contemplentur atque admirentur. Ita generis didascalici finis est proprius cognitio, ut si quis doceat, quid sit Evangelium, quomodo consequamur ut Deus reputet ac pronunciet nos iustos, quid sit fides, hic dicenti proprius finis propositus est, ut auditores doceat, etsi cognitio postea ad usum transferri potest, diversum tamen orationis genus est, quod docet, ab illo, quod deinde doctrinam ad usum transferri iubet. Graeci in omnium librorum initiis quaerunt, quae sit operis intentio, seu quis sit Scopus, ut ipsi loquuntur. Idem agunt rhetores, cum de genere causae quaerunt, quae sit orationis voluntas, quid postulet, Utrum cognitio sit finis orationis, an praeter cognitionem aliquid fieri iubeat. Haec in oratione perspicere atque animadvertere maxime prodest, ut intelligamus, quae nobis ex oratione utilitas exspectanda sit. Nec prius acquiescit animus auditoris non stulti, quam finem aliquem orationis animo prospexerit. Haec ideo pluribus verbi dixi, ut ostenderem, haec praecepta plurimum ad formanda acuendaque iudicia conferre. Caeterum adolescentes et hoc monendi sunt, interdum genera causarum misceri. Quanquam enim unumquodque negocium, ad unum aliquod genus causae principaliter referendum est, tamen saepe aliud genus, aliquid a locis alterius generis mutuatur, ut pro Archia, quanquam tota oratio principaliter ad genus iudiciale pertinet, multa tamen sumit Cicero ex locis generis demonstrativi, dum non de re, sed de persona dicit, cuius laudes in iudicio dignitatis exponi proderat. Et Demosthenes in suadendo multa sumit ex demonstrativo genere, dum invehitur in Philippum Macedonem.

De genere didascalico.

Si quis de hoc genere longiora praecepta desiderat, is ad dialecticam redeat, quae sola tradit perfecte docendi rationem. Nam dialectica proprie ars est recte docendi. Maxima autem vis, maxima utilitas est huius generis. Saepe enim homines de religione, de iure, de omni officio docendi sunt, ubi sine hac ratione patefieri res non queunt. Ac ne discere quidem ipsi, et recte complecti animo res difficiles et intricatas possumus, nisi hanc methodum sequamur, quae perfacilis est, siquis mediocrem exercitationem adhibuerit.

Sunt autem quaestiones duplices. Quaedam sunt simplices, ut cum de una voce quaeritur: Quid sit virtus. Quid sit poenitentia. Quaedam coniunctae sunt, ut, cum propositio aliqua confirmanda aut confutanda est, ut, oporteatne Christianum abiicere suas facultates.

Loci simplicis quaestionis sunt.

Quid sit.
Quae sint partes vel species.
Quae causae.
Qui effectus.
Quae cognata et pugnantia.

Hi loci consulendi sunt, cum docere de aliqua re homines volumus. Et assuefaciendi sunt animi, ut quaecunque res proposita fuerit, statim in hos locos intueantur, qui admonent, ubi quaerenda sit materia, aut certe quid ex magno acervo eligendum, et quo ordine distribuendum sit. Nam loci inventionis, tum apud dialecticos, tum apud rhetores, non tam conducunt ad inveniendam materiam, quam ad eligendam, postquam acervus aliquis rerum, vel ex alia arte, vel ex ipsis negotiis oblatus fuerit.

Prima in omni re definitio esse debet. Hanc iubet quaerere locus, quid sit. Sed interdum de appellatione prius disputatur, et constituenda est significatio vocabuli, constat enim innumerabiles esse *λογομαχίας* et rixas de vocabulis. Initio igitur, ne ambiguitas sermonis errorem pariat, certa vocabuli significatio constituenda est.

Ac praesertim in disputationibus theologicis observanda est phrasis sacrarum literarum, quia multis utimur Ebraicis figuris, quae, si non recte reddantur, multi errores sequuntur, ut Pelagius gratiam intelligebat tantum beneficium ostensae legis ad doctrinae. At Paulus longe discernit a lege gratiam. Vocat enim gratiam reconciliationem, hoc est, remissionem peccatorum et acceptationem divinam, cum qua coniuncta est donatio Spiritus sancti. Quare Pelagius turpiter cor-

rumpebat sententias Pauli. Sed quia copiosius traduntur praecepta de methodo, in nostris dialecticis libellis, hic ero brevior, tantum exemplum unum atque alterum adscribam.

Quid est virtus? Est habitus voluntatis, inclinans ad obediendum iudicio rectae rationis. Recenseo enim usitatam Philosophorum definitionem.

Quae partes? Dialectice possunt partes dici genus et differentia in definitione. Sed si quaeritur: Quae res existant in anima, quales motus sint, species enumerandae sunt. Nam diversae species sunt diversi habitus.

Species multae numerari possunt: Pietas, Iustitia, Fortitudo, Modestia etc.

Quae causae? Crebrae actiones honestae. Sed actionum causae sunt, rectum iudicium mentis, et voluntas adsentiens.

Qui effectus? Praemia a Deo proposita, iuxta illud: Honora patrem et matrem, ut sis longaevus super terram.

Quae cognata? Virtuti quae est habitus, cognata est φυσικὴ ἀρετὴ, bona inclinatio in natura.

Quae pugnantia? Simulatio virtutis, et turpitudo palam pugnans cum virtute, ut Neronis et similium flagitia.

Ita dialectica metas et summas ostendit, quae suppeditant maximam rerum copiam, si velis singulos locos integre explicare.

Aliud exemplum.

Quid est Poenitentia? Prius de vocabulo dicatur. In Ecclesia vocamus usitate poenitentiam, id quod dici posset, conversio voluntatis ad veram pietatem.

Est igitur definitio. Poenitentia est contritio et fides, qua credimus nobis remitti peccata propter Christum, quam fidem sequitur nova obedientia erga Deum.

Quae partes? Conversio vera habet duas partes, tanquam duplices motus animi, contritionem, id est, agnitionem peccati, seu terrores ac dolores, propter peccatum.

Altera pars est Fides, quae erigit et consolatur perterrefactas mentes, cum accipit remissionem peccatorum, donatam propter Christum.

Recte additur et tertia pars, quae tamen est effectus priorum, scilicet nova obedientia.

Quae causae? Diversorum motuum diversae sunt causae. Contritionis, id est, terrorum causae, sunt lex, arguens peccata, et Spiritus sanctus efficax per legem, et impellens voluntatem. Et voluntas adsentiens ac non repugnans Spiritui sancto, non ipsis peccatis indulgens, eaque repetens.

Fidei causae, sunt Evangelium annuncians remissionem propter Christum, et Spiritus sanctus efficax per Evangelium, ac impellens voluntatem. Et voluntas adsentiens et non repugnans Spiritui sancto.

Quae cognata? Contritioni cognata est virtus, quae vocatur timor Dei. Fidei cognata, Spes, Dilectio.

Quae pugnantia? Cum contritione pugnant securitas prophana, seu contemptus iudicii Dei, et simulatio dolorum. Cum fide pugnant desperatio et simulatio fidei, quae est prophana securitas et contemptus iudicii Dei.

Qui sunt effectus verae poenitentiae? Nova et spiritualis vita, pia opera, et quia voco effectus, omnia quae certo sequuntur, etiam hic numero vitam aeternam.

Aliud exemplum.

Quid est Fides? Primum significatio vocabuli consideranda est. Interdum fides significat noticiam historiae de Christo. Sed alias in Prophetis et Apostolis, fides significat fiduciam, qua assentimur promissionibus Dei, sic Paulus Roma. 4. palam affirmat se de fide loqui, qua assentimur promissioni, cum ait: Ideo ex fide, gratis, ut sit firma promissio.

Est igitur fides assentiri promissioni, in qua Deus pollicetur se nobis propicium fore propter Christum. Complectitur ergo haec fides, noticiam historiae, et fiduciam assentientem promissioni, ad quam historia referenda est.

Quae partes? Sicut oculorum motus non potest secari in partes, sic nec mentis aut voluntatis motus secantur in partes, sed tamen fides complectitur noticiam in intellectu, et voluntatem, quae vult et accipit beneficium oblatum, id est, assentiri promissioni. Species fidei discerni possunt, quia fides alias versatur circa promissiones beneficiorum corporalium, alias circa promissiones gratiae, et rerum aeternarum. Sed tamen promissiones beneficiorum corporalium, admo-

nent nos de altera promissione, quae est praecipua. Ideo pii semper in promissionibus corporalium beneficiorum, complexi sunt promissionem gratiae, seu reconciliationis.

Quae causae? Obiectum fidei est Misericordia promissa propter Christum, qua Deus nos pronunciat iustos, non propter legem aut dignitatem nostram aut opera nostra, sed propter Christum, quem voluit esse redemptorem nostrum. Et haec misericordia ostenditur nobis in Verbo, videlicet in Evangelio seu promissionibus, quae extant in Evangelio. Dixi de obiecto fidei, instrumentum quo fit in nobis, est ipsum Verbum. Causa efficiens, Spiritus sanctus, qui est efficax per Verbum, et impellit mentem et voluntatem hominis. Et voluntas adsentiens seu non repugnans.

Subiectum, in quo haec geruntur, est ipsa hominis anima, mens et voluntas.

Qui effectus? Voco effectus omnia, quae necessario veram fidem sequuntur.

Comitatur autem fidem ex pacto Dei iustificatio, id est, reconciliatio seu imputatio iusticiae. Haec potest dici proprium fidei seu correlativum, quia est quiddam quod necessario ex pacto Dei, fidem comitatur, quia non possumus aliter assentiri promissioni, nisi fide. Contingit igitur promissa reconciliatio, non propter aliquod nostrum opus, aut nostram dignitatem, aut nostras virtutes ullas, sed propter Christum, et tamen aliquid esse oportet, quo id beneficium accipiamus. Fide igitur accipimus. Quare non effectus fidei, sed proprium seu correlativum est iustificatio, id est, reconciliatio. Est etiam fides motus, quo accipitur spiritus.

Effectus vero numerari possunt tranquillitas et gaudium conscientiae, quia fide vincuntur terrores. Hunc effectum sequuntur invocatio et dilectio, quia invocamus et diligimus placatum. Et quia voco effectus, omnia certo sequentia, hic numero etiam vitam aeternam. Item omnes eventus, ut Ezechiae fidem sequitur liberatio.

Quae cognata? Spes expectans futuram liberationem, Invocatio, Dilectio.

Pugnantia. Simulatio fidei, Desperatio, Pavor impius.

Cum hoc modo res includuntur metis artis, certius comprehendi possunt. Et singuli loci suppeditant ingentem copiam rerum in explicando. Quare haec diligentia plurimum prodest, et ad iudicandas materias obscuras, et ad explicandas atque illustrandas. Nec dubium est, quin illa innumerabilia encomia methodi, quae sunt apud Platonem, hanc ipsam exercitationem nobis commendent, ad has metas revocandi quaestiones quas explicaturi sumus.

De coniunctis quaestionibus.

Loci coniuncti thematis fere sunt iidem, quos iam recensui. Nam omnis docendi ratio consistit in definitione, causis et effectibus. Ducuntur igitur argumenta in confirmando et confutando.

A definitione.
A causis.
Ab effectibus.
A partibus.
A pugnantibus.

Hi loci praecipui sunt in topicis, reliqui enim extra causam versantur, et magis amplificandi, quam docendi causa adhibentur. Itaque si confirmandum erit thema, quod non sit Christiani iusticia discedere a facultatibus, quaerenda est definitio praecipuae partis in hac propositione, videlicet, quid sit Christiana iusticia. Hinc ducetur argumentum.

A genere.

Christiana iusticia est res perpetua in spiritu, videlicet, nosse ac timere Deum, credere in Christum. Discedere autem a facultatibus, non est res aeterna, neque ad spiritualem vitam necessaria. Igitur Christiana iusticia non est discedere a facultatibus.

A causa, videlicet praecepto.

Evangelium, non abolet res politicas, sed multo magis confirmat et conservat. Tenere proprium necessaria res est in politia. Igitur Evangelium non praecipit discedere a facultatibus. Evangelium autem de iusticia Christiana praecepit, igitur non est iusticia Christiana discedere a facultatibus.

Verum nihil opus est per omnes locos vagari, neque vero quaelibet causa recipit omnes locos. Totam autem hanc methodi formam summa diligentia tradidimus in dialecticis. Quare hic breviter tantum admonendus fuit lector, ut in rhetoricis meminerit saepe ad dialecticen sibi respi-

ciendum esse, praesertim cum de aliqua re docere homines volet. Quo genere multum in Ecclesiis et in Scholis utendum est. Et suasoriae causae multa mutuantur a genere didascalico. Saepe enim in deliberando de aliquo communi loco prius disputatur, quam quid sit agendum constituitur. Ut cum de bello Turcico deliberamus, initio docendi sunt homines, quod Christiano liceat bella gerere, et Deus praeceperit magistratibus, ut latrocinia depellant, postea incitandi sunt principes ad bellum suscipiendum.

De genere iudiciali.

Veteres praecipue propter hunc usum excogitaverunt rhetoricen, ut praepararent adolescentes ad forum. Ideo tota fere rhetorica consumitur in his praeceptis, de tractandis controversiis forensibus. Nunc etsi imago quaedam veteris artificii reliqua est in foro, tamen causas agunt Iurisconsulti, qui adhibent multum ex sua arte plaeraque tamen a rhetorica mutuati sunt illi ipsi scriptores, quos legunt Iurisconsulti. Sed nos tradimus haec praecepta, vel ad iudicandas aliorum oratione, vel ut etiam instruamus adolescentes ad controversias in Epistolis tractandas, et ad ecclesiastica negocia. Nam disputationes ecclesiasticae, magna ex parte similitudinem quandam habent forensium certaminum. Interpretantur enim leges, dissolvunt *ἀντινομίας*, videlicet sententias, quae in speciem pugnare videntur, explicant ambigua, interdum de iure, interdum de facto disputant, quaerunt factorum consilia. Ideo hoc genus in his nostris moribus, etiam magnum habet usum. Sed ut genere iudiciali certi loci assignari possint, initio discernuntur status.

De statibus.

Nulla pars artis magis necessaria est, quam praecepta de statibus, in quibus hoc primum ac praecipuum est, ut in omni negocio, seu controversia diligenter consideremus, quis sit status, hoc est, quae sit principalis quaestio, seu propositio, quae continet summam negocii, ad quam omnia argumenta referenda sunt, velut ad principalem conclusionem. Nulla controversia intelligi, nihil ordine explicari, dici, aut percipi potest, nisi constituatur aliqua propositio, quae summam causae comprehendat. Ac saepe in concionibus indoctorum iudicari potest, quanta huius praecepti vis sit, ubi, postquam nulla certa propositio constituta est, de qua dicendum sit, oratio non magis cohaeret, quam illa apud Horacium pictura, in qua humano capiti cervicem pictor equinam addit etc. Ita interpretes Pauli, quia nusquam excerpebant ex ulla disputatione certam propositionem, nec videbant, quomodo ad unum aliquod caput accommodanda essent omnia argumenta, toto coelo a sententia aberrabant. Interdum etiam enarratio pugnabat cum autore. Quare diligenter assuefaciendi sunt adolescentes, in legendis disertorum orationibus ac disputationibus, ut statum quaerant, ut in scribendo ac dicendo propositiones constituant, et ad has argumenta accommodent. Praeceptum hoc leve ac puerile videtur in speciem, sed utilitatem habet maximam. Ac paucos invenies, qui in dicendo observent, qui consulant seipsos quid dicturi sint, quae sit futura negocii summa. Si quando amphoram instituunt, ut Horacii verbis utamur, currente rota tamen urceus exit.

Neque vero tantum status observandus est, sed quia vero quaelibet controversia, unum aliquem praecipuum syllogismum continet, qui maxime munit statum, is quoque dialectico more breviter excerpendus est, ut nuda ac brevia membra intuentes, rectius iudicare possimus. Quare rhetores indiderunt nomina partibus syllogismi. Status est conclusio. Nam conclusio est propositio principalis, post argumentationem repetita. Et statum alias vocant *κεφάλαιον,* vocant et *ὑπόθεσιν*, seu *ὑποκείμενον,* unde mansit nomen subiecti in scholis, pro materia et summa operis. Maiorem et minorem vocant *αἴτιον.* In his altera, de qua dimicatio est, et qua confirmata, conclusio fit plana, vocatur *κρινόμενον*, ut pro Milone status est. Milo Clodium occidit, *αἴτιον* est, vim vi repellere licet. Milo autem vim vi repulit. In his minor est incerta, quam si iudici probaverit Cicero, Milo vincet. Itaque in hoc syllogismo, minor est *κρινόμενον.* Interdum maior est *κρινόμενον.*

Evangelium non abolet politias.
Tenere proprium, est res politica.
Igitur Evangelium non vetat tenere proprium.

Hic maior est *κρινόμενον.* Nam homini imperito ostendendum est, quod Evangelium doceat de vita aeterna, et iustitia cordis erga Deum. Interim foris iubeat nos uti politicis ordinationibus, sicut cibo, potu, aëre, et aliis bonis Dei creatu-

ris. Probatio autem τοῦ κρινομένου, dicitur σύνεχον, quia totum syllogismum connectit.

Sunt autem tres formae statuum, quas per quaestiones discernunt. Status coniecturalis oritur ex quaestione, an sit, ut, pro Roscio quaestio est, an Roscius occiderit patrem. Status legitimus, in quo praecipua est definitio, oritur ex quaestione, quid sit, ut apud Paulum: Quid sit iusticia Christiana, Fide ne reputemur iusti, an opera sint iusticia. Status iudicialis oritur ex quaestione, quale sit factum, videlicet, iure ne factum sit, ut, iure ne Caesar interfectus sit.

De statu coniecturali.

Cum autem prima sit quaestio, an sit, initio de statu coniecturali dicemus. Singulis enim statibus, certi loci subiecti sunt. Sed quoniam locis argumentorum in confirmatione et confutatione maxime utimur, prius recensendae sunt partes orationis.

De partibus orationis.

Orationis partes sunt sex: Exordium, Narratio, Propositio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio.

Exordium est initium orationis, priusquam enim de re dicimus, praeparandi sunt animi audientium, ac vulgo ita scribunt haec tria in exordio efficienda esse, ut reddamus auditores benevolos, attentos et dociles. Fabius haec ad unum benevolentiae locum refert, qui profecto praecipuus est. Sicut enim in quotidianis congressibus colloquentes cum amicis, inicio nos commendamus, aut excusamus, cur eis negocium faciamus, ita in magnis causis decet prooemiis quibusdam, vel excitare vel invitare auditores. Et est quaedam humanitatis significatio, prius de nostro officio dicere, quam ad causam accedimus. Itaque benevolentiam alias a personis, alias ab ipsis negociis, si sint honesta et plausibilia, conciliamus. Sed locus usitatissimus hic est a personis sumptus, dicere de officio, vel nostro, vel iudicis, ut Cicero initio contra Verrem. Item, pro lege Manilia. Item, pro Archia, reddit rationem, quare has causas susceperit. Ordimur a laudibus eius, ad quem habetur oratio, ut Paulus in exordio Epistolae ad Romanos, initio fidem eorum praedicat. Cum respondemus adversariis, facilius est ordiri ex occasione, sicut Demosthenes queritur initio de Eschine, quod rem iniquissimam petivisset, ne adversario concederetur, ut pro se diceret. Haec querela maxime decebat in exordio.

Attentos reddimus, cum significamus nos de magnis et utilibus rebus dicere, ut ad Romanos: Non pudet me Evangelii. Est enim potentia Dei.

Dociles, cum et summam negocii breviter ostendimus, ut ad Romanos: In Evangelio patefit iusticia fidei. Sed non possunt numero comprehendi species exordiorum. Ordimur enim non tantum ab his locis, quos recensui, sed interdum a tempore, interdum a locis, interdum ab aliis circumstantiis. Hanc varietatem ostendent exempla Ciceronis. Illud unum precipue iudicavi monendos esse studiosos, maximam gratiam habere verecunda et summissa exordia, et procul fugienda esse grandia et tumida principia, qualia sunt Stacii, praesertim, cum et existimationi officient. Significant enim arrogantiam et confidentiam ingenii. Ideoque prudenter Horatius praecipit: Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem.

Decent in initiis et dubitatio, admiratio, ἀπροσδόκητον, votum, et similes figurae, ut nihil minus expectabam. Maxime vellem iudices, ut Sylla dignitatem suam retinere potuisset. Decent et affectus mitiores omnis generis, ut: Magnam mihi voluptatem attulerunt literae tuae. In magnis causis non solent exordia praetermitti, ne quidem ab Atticis, qui lege cogebantur, ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν dicere. Sed in Epistolis crebro praetermittuntur exordia.

De narratione.

Narratio est facti expositio, quae statim exordio subiicitur. Hanc sequi debet propositio, quae contineat summam rei. In disputationibus et suasoriis causis interdum non utimur narratione, nonnunquam et in iudiciis praetermittimus. Itaque prudentia est videre, quando postulet res narrationem. Propositio autem nunquam omitti potest. Haec praecipua pars est totius certaminis, et interdum multae propositiones ponuntur, sed ubi gradus per priores ad unam quandam principalem faciendus est, ut ad Romanos, initio proponit omnes esse sub peccato, gentes et Iudaeos. Deinde pervenit ad propositionem principalem, quod propter Christum iusti reputemur, cum credimus nobis propter eum placatum esse Deum, non propter nostra benefacta. Neque de disputatione iudicari potest, nisi hoc ordine propositionum animadverso. In vulgaribus concionibus

iure desiderari potest diligentia, quia non saepe proponunt concionatores summam eius rei de qua dicturi sunt, ea res facit, ut auditor incertus nusquam sciat, quid expectare debeat. Rhetores hoc loco, divisionis seu partitionis mentionem faciunt, hanc dicunt esse, cum propositionem ita constituimus, ut simul moneamus quae relinquere velimus, aut cum enumeramus, quam multae partes nobis tractandae sunt.

De confirmatione.

Confirmatio difficillima pars est oratorii operis, haec enim persuadere iudici debet, ut propositioni assentiatur. Etenim cum aliud nihil sit propositio, nisi conclusio confirmationis, non merebitur fidem propositio, nisi confirmatione propugnata fuerit. Nam ut Dialectici tradunt, labefactis praemissis, ruere conclusionem necesse est, ut quae sit velut fastigium seu tectum syllogismi.

At loci qui in Rhetorica traduntur, tantum admonent nos de rebus, unde sumendae sint res in quolibet genere causae, seu potius magno rerum acervo proposito, quid elegi debeat, quod ad propositum quadret. Deprehensis autem rebus seu materia argumentorum, tenenda est et forma quaedam argumentorum, de hac non satis perspicue praecipiunt rhetores. Itaque monendi sunt adolescentes, ut dialecticen consulant de forma argumentorum. Etsi enim liberior est oratio popularis, quam illi exiles et nudi syllogismi dialecticorum, tamen membra argumentorum eadem esse necesse est, quae in dialecticis traduntur. Ideoque ea, quae Cicero de syllogismo tradit, a dialecticis mutuatus est omnia. Caeterum orator vestit ea quasi habitu verborum, et in disponendo liberior est, quam dialecticus. In syllogismo plaerumque a minore inchoat argumentum, non saepe orditur a maiore. In enthymemate, dum interdum properat, relinquit consequens auditorum cogitationi, etenim natura cogit sumere formas argumentorum a dialecticis, et sic communis sermo minus aliquanto vinculis illis dialecticis astrictus est.

Coniecturalis status habet duos locos, voluntatem et facultatem, quoties igitur incides in orationem coniecturalis status, memineris eam totam in voluntatem et facultatem, tanquam in duo praecipua membra parciendam esse. In tota Miloniana disputatur partim de voluntate Clodii, quod voluerit Milonem interficere, partim de facultate, quod Clodius potuerit insidias facere, Milo non potuerit. Hi loci sunt ex natura ducti, nam in omnibus hominum factis necesse est voluntatem et facultatem concurrere. Itaque iidem loci maximam vim apud Iurisconsultos habent, qui multa ex praesumptionibus, id est, coniecturalibus argumentis iudicant.

Voluntas habet duas species. Altera vocatur impulsio, quae affectus continet, ut Clodius oderat Milonem, igitur cupiebat eum extinctum esse. Altera dicitur ratiocinatio, quae a finali causa sumitur, cum ducitur argumentum a spe commodi. Nam humanae mentes plurimum moventur opinione utilitatis, ut Clodio proderat Milonis interitus, Miloni non proderat Clodii interitus, ergo verisimile est, Clodium fecisse insidias. Ex hoc loco nata vox est Cassii, cuius saepe facit mentionem Cicero, quaerendum in iudicio, cui bono fuerit. Facultas continet signa et circumstantias. Signa sunt facta aut notae alicuius rei, iudicantur autem etiam communi sensu sine doctrina. Sunt enim vel causae vel effectus factorum. Facilis igitur est comparatio signi ad factum. Quaedam sunt antecedentia, ut, Milo duxit uxorem et liberos secum in Rheda, erga non est consentaneum, profectum eum esse ad pugnandum, nam pugnaturi non adducunt liberos in discrimen. Quaedam sequuntur factum, ut fugit, expalluit, erubuit. Circumstantiae sunt tempus, locus, apparatus, iuxta versiculum: Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. Et horum ratio a sensu communi petenda est, ut Cicero non fuit in urbe, cum Caesar interficeretur, igitur non interfecit Caesarem. Praeter hos locos sunt ἄτεχνα, quae propemodum ad signa pertinent, testes, chirographa, confessiones, de quibus Iurisconsulti diligenter praecipiunt.

De confutatione.

Confutatio est dissolutio argumentorum, quae obiiciuntur. Huius rei artificium magna ex parte sumendum est ex Dialecticis. Constat autem in dialectica triplicem rationem dissolvendorum argumentorum tradi. Prima est cum peccatum in forma argumenti deprehenditur, tunc enim reprehenditur consequentia. Iudicium autem de consequentia tantum ex dialectica petendum est. Nam et planiora sunt, et meliora, quae de consequentia tradunt dialectici, quam quae scripsit

Cicero de viciosis rationibus iudicandis, ubi voluit complecti dialectica praecepta eius rei. Cum autem peccatum in materia argumenti est, diluitur aut per distinctionem, aut per inficiationem. Ambigua distinguendo explicantur. Inficiatio autem habet eosdem locos, quos in confirmatione posuimus, voluntatem et facultatem, ut Cicero ostendit Miloni voluntatem et facultatem insidiandi Clodio defuisse. Negabimus igitur illa, quae obiiciuntur, et opponemus rationes, quae reddant verisimilem inficiationem. Et quia coniecturalis status plaerumque habet probationes non necessarias, sed tantum probabiles, ideo homines ingeniosi facile reperire possunt ex iisdem locis argumenta in utramque partem. Ac fere disputatio tota de signis est, hic valent homines callidi et copiosi, qui signa variae interpretari sciunt, et varias causas signorum quaerere. Nusquam enim verius est, quod dixit Euripides, quam in hoc genere, *ἀλλ' οἱ λόγοιςτε καταπαλαίουσιν λόγους*. Ratio rationem evertit, ut vulgo dicunt, rationes contra rationes.

Et propter contrariam signorum interpretationem, duo peculiares loci adduntur defensori. Inversio, cum docemus signum vel causam contra nos allatam, pro nobis facere, si occidissem non sepeliissem, Satius fuisset statim relicto cadavere fugere. Paulus in Galatis utitur hoc loco: Nunquid lex est adversus promissiones, siquidem auget peccata? Paulus respondet: Imo tunc esset adversus promissiones lex, si iustificaret. Nam si lex iustificaret, nihil esset opus nova promissione, quae gratis promittit iustificationem. Graeci vocant *ἀντίστρεφον*.

Absolutio est, cum interpretamur signum aut causam aliter quam adversarius, sepelii, sed misericordia commotus cum obiter praeterirem. Uterque locus oritur ex subtili causarum interpretatione et animadversione. Nam unius eventus multae et variae causae excogitari possunt.

De peroratione.

Peroratio est conclusio orationis, in qua repetitur propositio principalis. Tunc enim vocatur propositio, cum ante confirmationem collocatur. Conclusio vocatur, cum post confirmationem ponitur, ut fit in syllogismis apud dialecticos. Omnis autem peroratio constat duabus rebus, partim repetitione propositionis et potissimorum argumentorum, partim affectibus. Quales autem affectus deceant in unaquaque causa, sine praeceptis sciri potest, reo misericordia opus est, accusator studet odium inflammare. Porro ex quibus fontibus ducantur affectus, natura rerum consulenda est, quanquam, cum sine arte perspiciant assentatores, quibus rebus animi hominum capiantur aut irritentur, facile id quoque videbit orator. Nam urbanissime ac prudentissime dictum est, rhetoricam particulam esse *τῆς κολακευτικῆς*.

De iuridiciali statu.

Sicut coniecturalis status ex quaestione, an sit factum, nascitur, ita status iuridicialis ex quaestione, quale sit factum, oritur. Disputat enim, utrum iure aliquid sit factum, aut secus, itaque appellatur a Fabio qualitatis status. Graeci vocant *δικαιολόγικον*, quia de iure disputat, ut C. Caesar non est iure interfectus. Iustum est fures suspendere. Tales causae habent easdem partes orationis, quas supra recensui: Exordium, Narrationem, Propositionem, Confirmationem, Confutationem et Perorationem, ac caeterae partes non requirunt nova praecepta, tantum confirmatio ac confutatio habent novos locos. Sunt enim diversi loci diversorum statuum, quia vero hic status totus versatur circa iuris quaestionem. Ideo loci sumuntur a Iurisconsultis:

Natura.
Lex.
Consuetudo.

Aequum, bonum, iudicatum, pactum. Hi loci pertinent ad causam efficientem apud dialecticos. Ius est enim quod suscipitur impellente vel naturali iure, vel scripta lege. Quid sit ius naturae, quid lex scripta, quae consuetudo habet autoritatem, a Iureconsultis sumendum est. Nos olim addidimus locum religionis, sed in lege scripta comprehendi potest. Nam legis scriptae species sunt lex divina et lex humana. Sed addemus exemplum, in quo cerni poterit, quomodo propositione constituta, debeat se referre animus ad hos locos. Suntque ita exercenda ingenia, ut quacunque quaestione oblata, statim decurramus per omnes locos, et consideremus, ex quibus hauriri apta materia possit. Non enim semper omnibus locis uti possumus. Sed idonei quaerendi et amplificandi sunt.

Inicio, status negocii seu propositio constituenda est, ut Constantinus imperator recte fecit, quod bellum Licinio intulit, defendendorum

Christianorum causa, etiamsi cum Licinio foedere et adfinitati coniunctus erat.

Iam loci inspiciendi sunt, et videndum, qui conveniant huic causae.

A natura.

In omnibus materiis, in quibus de iure quaeritur, praecipue ius naturae et ius divinum considerentur, et in hac quaestione a iure naturae firmum et illustre argumentum ducitur.

Ius naturale est, suscipere defensionem contra iniustam crudelitatem, praesertim si sit manifesta, seu, ut vocant, notoria iniuria. Talem defensionem suscipit Constantinus, ergo recte fecit.

Hic syllogismus amplificandus est exaggeratione sceleris Licinii. Atrocius scelus est, trucidare sacerdotes et alios pios, quam reliqua latrocinia. Sevitur enim in homines peculiariter Deo consecratos. Et accedit haec impietas, quod tyranni non tantum hos miseros homines cupiunt e medio tollere, sed prorsus nomen Dei, veram religionem ad doctrinam delere et extinguere, ac penitus obruere gloriam Dei.

Adversus haec tanta scelera praecipue arma capere debent reges et principes, qui, ut Paulus ait, gerunt gladium, ut defendant bonos, et puniant iniustos.

A lege scripta.

Leges divinae et humanae praecipiunt regibus et omnibus magistratibus, ut defendant innocentes, ac maxime eos, qui propter relligionem adfliguntur.

Hic sententiae ex scripturis colligendae sunt de officio magistratuum, quales sunt apud Esaiam: Subvenite oppresso, iudicate pupillo. Et in Psalmo: Eripite adflictum de manu peccatoris.

Ab exemplis.

Pertinent ad iudicatum exempla probata. Honestum fuit Atheniensibus, suscipere defensionem liberorum Herculis adversus Eurysthea, quanto honestius est imperatori pio, suscipere defensionem sacerdotum.

Accedant amplificationes a poenis idolatrarum, Deus detestatur et odit idolatras. Ideo defensores impiorum cultuum, habebunt tragicos exitus. Sicut in primo praecepto minatur Deus idolatris, et historiae suppeditant multa exempla.

Tractandum et hoc est, quod ad principes pertineat cura retinendae verae relligionis, iuxta secundum praeceptum: Non assumes nomen Dei vane. Hoc praeceptum vetat tolerare blasphemias et impios cultus.

Confutatio.

Saepe confutatio plus suppeditat et disputationum et amplificationum, ut in hac causa. Multa enim obiiciuntur.

Primum obiici potest, quod in Evangelio prohibetur vindicta. Id explicandum est. Evangelium confirmat et approbat munus magistratuum. Ergo defensionem quae fit per magistratus, praecipit. Nec abolet ius naturae, sed approbat. Tantum igitur privatam vindictam et seditiones prohibet.

Secundo obiici potest de iure foederum.

An licuerit confoederato bellum inferre. Ad id respondendum est. In omnibus foederibus exceptam esse defensionem adversus notoriam iniuriam. Fuisset scelerata societas Constantini et Licinii. Si Constantinus propter foedus, quasi pactione quadam obligatus, passus esset grassari collegam et infinitam seviciam exercere.

Erant socii Lacedemoniorum Thebani, cum Lacedemonii Athenas cepissent. Et tamen Thebani adiuverunt Thrasybulum, repetentem patriam armis, contra Lacedemonios.

Erat enim manifesta crudelitas praesidii Laconici. Ita et Constantinus abrumpere societatem quae cum Licinio fuerat, necessario debuit.

Cedunt iuri naturae caetera pacta, ut subdito adversus dominum concessa est defensio, ad depellendam iniustam crudelitatem, si sit iniuria notoria.

Tertio obiici potest. At Constantinus alienos defendit, subditos Licinio. Quid ad eum pertinenebat, quomodo ille suam ditionem gubernaret? Respondeo: Etiam subditis, si sit manifesta sevicia, licet fieri supplices, implorare auxilia ab aliis, et suscipere eorum defensionem aliis regibus licet, ut Athenienses susceperunt defensionem liberorum Herculis.

Deinde non sunt alieni, qui nobis societate Ecclesiae coniuncti sunt. Praecipuum munus est summorum regum ac principum, tueri Ecclesiam, quam ob causam Esaias vocat reges, Ecclesiae nutritores, id est, defensores.

In iureiurando civium Atheniensium erant haec verba: Pugnabo pro sacris, et solus, et una cum aliis. Id exemplum a piis sumptum est. Atque ita debent sentire maxime principes pii, se arma gerere, ut veram doctrinam, qua gloria Dei ornatur, conservent.

In Psalmo dicitur: Ego dixi dii estis. Hanc appellationem Deus eis tribuit, ut res divinas tueantur, veram relligionem, iusticiam, et pacem.

Ita vides confutationem versari in explicatione quarundam iuris quaestionum, in collatione iuris naturae et foederum. In collatione iuris naturae, et officii subditorum. Proposui exemplum quaestionis iuridicialis, in quo apparet, ad causas non tantum rhetoricos libellos adferendos esse. Sed etiam illius ipsius iuris cognitionem, in quo versatur questio. Fient autem omnia pleniora, cum accedent ornamenta et affectus.

Defensori adduntur alii quidam loci, ubi defensio per se infirma est. Vocant autem concessionem, cum reus non excusat crimen, sed studet mitigare, et petit sibi veniam dari. Talis defensio seu concessio tres locos habet: Purgationem, translationem criminis, et deprecationem. Purgatio est, qua aliqua ex parte levatur culpa, videlicet, cum negamus dolo esse factum, ut feci errore, feci iratus, non feci animo ledendi. Haec sunt partim ex causis efficientibus, partim ex finalibus ducta, et habent excusationem etiam apud Iurisconsultos. Translatio criminis aliquanto probabilior est, quam purgatio, cum culpam conferimus in alios, ut feci iussus ab alio, promisi coactus metu, qui cadit in virum constantem. Hic locus magnam vim habet apud Iurisconsultos.

Deprecatio ad oratorem magis pertinet quam ad Iurisconsultos. Haec misericordiam petit, et versatur in locis affectuum. Commovent misericordiam, rei aetas, dignitas, vita modeste acta. Sumuntur argumenta et a clementia iudicis. Exempla extant apud Ciceronem pro Ligario. Nam in huius defensione, cum esset per se infirma, adhibendi fuerunt loci extranei, ut: Nulla de virtutibus tuis plurimis, nec gratior, nec admirabilior misericordia est. Homines enim ad Deos nulla re propius accedunt etc.

Peroratio in hoc statu, ut supra, habet duas partes, repetitionem propositionis et argumentorum quorundam, et idoneos affectus.

De statibus legalibus.

Hi maxime pertinent ad scholas et doctorum disputationes, ac magna ex parte ex dialectica iudicari possunt. Sunt autem:

Definitio.
Contrariae leges.
Scriptum et sententia.
Ambiguum.
Ratiocinatio.
Translatio.

Definitio est, cum aut de vocabuli interpretatione contenditur, aut quid sit res declarandum est. Magnus usus est definitionum in omnibus materiis theologicis et forensibus. Quare adolescentes diligenter exercendi sunt in doctrina definitionum, et assuefaciendi, ut et ipsi proprie et perspicue definiant cum opus est, et statim videre definitionum vicia possint. Id mediocri diligentia atque exercitatione assequi possunt, recte cognitis praeceptis dialecticis. Exempla suppeditat non modo lectio, sed etiam usus rerum. Magna hoc tempore quaestio est, an Missa seu Coena Domini sit sacrificium.

Hic exponendum est quid sit Sacrificium, quod cum intelligitur esse opus, pro aliis faciendum, ut mereatur eis remissionem peccatorum, sequitur sacerdotis opus, celebrantis coenam Domini, nequaquam esse sacrificium. Nam solius Christi mors precium fuit, quod caeteris merebatur remissionem peccatorum. Est autem impietas, transferre gloriam Christi in opus sacrificuli, sicut ad Ebreos scriptum est: Una oblatione consumati sumus.

Disputatur in Ecclesia, quid sit Poenitentia, hoc est, conversio hominis ad pietatem, quos motus contineat. Nos perspicuam definitionem tradere solemus, poenitentiam constare his partibus, Contritione et Fide, ut supra dictum est. Apud Ciceronem est exemplum in Norbani causa, quod sit crimen lesae maiestatis. In Epistola ad Romanos disputatur, quae res sit, propter quam iusti pronunciamur, id est, accepti coram Deo, hoc est, sintne nostra benefacta, iusticia, propter quam simus accepti Deo. Aut, an simus accepti propter aliud, scilicet propter Christum. Fide, hoc est, fiducia misericordiae propter Christum promissae.

Ita Paulus definit iustificationem.

Et hanc definitionem confirmat multis argumentis, quae partim sunt testimonia ex scripturis citata, partim sunt rationes ex causis sumptae.

Testimonia sunt: Credidit Abraham, et imputatum est ei ad iusticiam. Ergo fide consequimur, ut reputemur iusti.

Fides autem est fiducia promissae misericordiae, cum quidem agnoscimus nos indignos esse.

Aliud testimonium. Beati quorum remissae sunt iniquitates. Ergo, cum omnes oporteat accipere remissionem peccatorum, qui fiunt beati, necesse est fateri omnes, quod habeant peccata. Non igitur sunt iusti propria dignitate, non satisfaciunt legi.

Deinde a causa additur argumentum.

Promissionem gratiae oportet esse certam.
Promissio fieret incerta, si penderet ex conditione legis.
Ergo promissio non pendet ex conditione legis, sed gratis propter Christum fide contingit.

Minorem confirmat, quia lex semper accusat, seu, ut ipse ait, iram operatur, quia nemo legi satisfacit, quare non propter legem dantur, remissio et iustificatio.

Exordia et perorationes in hoc genere sequuntur communia praecepta, supra tradita.

Contrariarum legum status est, cum faciunt controversiam contrariae leges, quemadmodum saepe accidit, Graeci vocant hunc statum *ἀντινομίας*, ut, *ἀντινομίαι* sunt: Melius est nubere quam uri. Et Canon: Non liceat sacerdotibus uxores ducere.

Contrariae sunt: Non facies furtum, et mandatum, ut Hebraei spoliarent Aegyptios.

Confirmationes et confutationes ducuntur ex causis efficientibus. Lex enim habet autoritatem ab efficiente causa. Hinc sunt regulae. Lex inferior cedit superiori. Lex specialis derogat generali. Lex humana cedit divinae. Leges veteres corriguntur aut abrogantur novis. Ducuntur etiam confirmationes aut confutationes ex materia, hoc est, ex ipsis legibus, si cum ratione consentiant, aut pugnent cum ratione, si circumstantiae expendantur, quibus latae sint, et an ad hos casus recte detorqueantur etc. Et ex talibus regulis dirimuntur pleraeque legum controversiae. Lex inferior: Non facies furtum, cedit superiori, scilicet primo mandato. Deus enim novo mandato iusserat spoliare Aegyptios. Hinc Theologi regulam non inutilem sumpserunt. Secunda tabula cedit primae. Abraham immolaturus filium, solutus est secunda tabula per primam, quae cogit Deo obedire, quidquid is iusserit. Iehu capiens arma adversus regem suum, solutus est legibus secundae tabulae per primam, Deus enim novo mandato iusserat Iehu arma capere. Contrariae leges videntur: Ne reddas malum pro malo, et: Magistratus Dei minister est, et vindex ad iram. Hic altera sententia prohibet vindictam, altera praecipit, sed dirimitur controversia per regulam: Generi derogatur per speciem, et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est. Excipit autem scriptura magistratum a generali regula, in qua vindicta prohibetur. Itaque certum est, magistratui licere exercere vindictam, punire sontes, gerere bella. Consuetudo recipit in templis imagines, lex prohibet. Haec controversia dirimitur, quia nos non tenemur lege Moisi. Multa hoc modo iudicari possunt, quae longum esset recensere.

Ex scripto et sententia.

Frequentissime in foro, et in Ecclesiis, quaestiones sunt, scripti et voluntatis, quae oriuntur ex scripti obscuritate, aut ambiguitate. Graeci vocant hunc statum *ῥητοῦ καὶ διανοίας*. Huiusmodi controversiae sunt de his locis: Vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus. 2. Corin. 8. ut sit aequalitas. Item: Non iurabis. Nam Anabaptistae urgent verba, nec recipiunt ullam interpretationem. Nos addimus interpretationem, ut sententiam retineamus, Iurisconsultus vocat fraudem cum defenditur *ῥητὸν* contra *διανοίαν*. Loci huius status sumendi sunt ex dialectica: Definitio patefacit obscura, Divisio discernit ambigua, ad hos locos accedunt reliqui, ut loci causarum, effectuum, circumstantiarum et pugnantium. Tunc autem voluntas quaeritur, quando *ῥητὸν* est, aut obscurum, aut absurdum, ut in his verbis: Si quis castraverit se etc. voluntas quaerenda est. Nam *ῥητὸν* est absurdum. Sed in sacris literis hoc observandum est, ut in dogmatibus et praeceptis retineatur *τὸ ῥητὸν*, nisi impingat absurditas in aliquem articulum fidei, seu manifestum scripturae locum. Tunc enim recipienda est voluntas ex manifestis locis aliis collecta. Caeterum in dogmatibus ac praeceptis, non est discedendum

a verbis scripturae, cum absurditas tantum impingit in iudicium rationis.

Confirmationes et confutationes in ecclesiasticis negociis ducuntur ex testimoniis scripturae clarioribus. Interim tamen ex dialectica adhibenda est, quia saepe ex definitione, aut ex causis, quae sunt in scriptura, ratiocinari aliquid cogimur. Sed hic videndum est, ne connectantur male coherentia seu ἀνακόλουθα, seu ut dialectici loquuntur, ne malae consequentiae consuantur. Porro, quod ex claris testimoniis efficitur bona consequentia, id quoque clarum esse iudicatur. Ut scriptura manifeste probat magistratus, ergo probat etiam leges civiles, quamvis ab Ethnicis conditas, modo sint timori malo operi. Haec consequentia valet, quia lex nihil est nisi vox magistratus. Locus: Vade, vende omnia etc. non cogit discedere a facultatibus Christianos, quia alius locus aperte inquit: Praecipe divitibus etc. Hinc ex definitione argumentamur. Dives est, qui possidet proprium divitem esse licet, ergo et proprium possidere licet. Magna cum Iudaeis de scripto contentio est: Ipsi somniant regnum Christi mundanum, videlicet, quod recuperata patria, Hierosolymis regnaturi sint, nos defendimus sententiam, et opponimus clarum testimonium scripturae: Regnum Christi erit aeternum, at mundana regna non possunt esse aeterna, igitur mundanum regnum non potest esse Christi regnum etc. Sed non est opus recensere plura exempla, cum usus rerum multa quotidie offerat.

In foro et negociis, quae ratione iudicantur, absurditas est, si quid a ratione dissentit, aut recepto iure, et quia effici debet, ut adversarii opinio videatur absurda, leges et rationes afferendae sunt, quae ostendant eam cum iure et natura pugnare. Hic iterum eundem est nobis ad locos dialecticos, nam ex causis et effectibus colligitur aequitas. Est autem generale praeceptum, cuius maxime usus est in hoc genere controversiarum, ut excuciantur circumstantiae, ex his enim saepe venamur sententiam, et iudicamus, utrum scriptum et voluntas consentiant aut dissentiant. Vera est enim vox Hilarii: Circumstantiae illuminant dicta.

De ambiguo.

Controversiae ex ambiguo sunt, cum verbum aliquod generale aut ambiguum, parit dissensionem, ut in Canone. Sacerdos ducens uxorem, suspendatur. Ibi intelligunt quidam, ut ab arbore suspendatur. Alii mitius interpretantur, suspendi tantum esse feriari ab officio ad tempus. Hic status cognatus est superiori, habet autem hanc praecipuam regulam. Ambigua alia iudicantur ex Grammatica seu φράσι et figuris, ut: Non cognoscebat eam, donec peperit filium primogenitum. Nam particula donec varium habet usum in sermone. Alia iudicantur ex artibus, ex quibus sumuntur, ut: Non reddas malum pro malo, generalis sententia est, quae ex scriptura iudicatur, ex qua constat tantum privatam vindictam prohiberi, publicam non prohiberi. Caeterum et ad hunc statum adhibendi sunt loci dialectici. Nam ambigua definitionibus et divisionibus explicantur.

Ratiocinatio.

Ad hunc statum pertinent casus, qui cum non habeant certam legem, referuntur ad similia, aut ad cognata, cum quibus videntur connecti posse. Iurisconsulti multa iudicant ex similibus, quare huius status facile multa exempla invenias, ut: Non licet haeredibus pecuniam, civitati ad spectacula legatam, repetere, igitur nec legatum ad pios usus repetere licet. Reperiuntur huiusmodi controversiae et alias, ut si quis disputet, an liceat Christiano in foro causas agere, nullus locus est, qui expresse hoc concedat, sed ratiocinatione querendum est testimonium, sive ex cognatis, sive ex similibus. Evangelium approbat iudicia et iudices, ergo nec reliquos iudiciorum ministros improbat. Est autem causidicus iudicis minister, nam sine causidici diligentia, opera et voce, iudex non potest causam cognoscere. Ergo sicut iudicis officium, ita causidici functio probatur.

Si quaeratur, an liceat Christiano litigare in iudiciis, nullus locus aperte concedit, sed ratiocinando quaeritur testimonium. Licet uti aliis civilibus rebus, licet petere defensionem a magistratu armato adversus latrones, ergo multo magis licet a iudice inermi, auxilium ad retinendas facultates petere. Item, si magistratus est honori bonis, ergo iudex, cum defendit Christianum, non praebet ei occasionem peccandi, alioqui non esset ei honori, sed potius dedecori. In hoc statu plurimum valent loci communes. Nam ex his multa iudicantur et trahuntur. Pendet autem tota res a dialectica, cum ex causa, ex toto, ex genere

ducitur argumentum. Videndum est autem, ut sit in syllogismo bona consequentia. Cum similia afferuntur, videndum est, ut similitudinis eiusdem causae sint. Irenaeus eleganter dixit, haereticorum argumenta non magis cohaerere, quam si quis velit funem de arena nectere. Tales erunt in hoc genere ratiocinationes, si non fuerit adhibita dialectica, quae iudicat, utrum membra consentiant, utrum aliud ex alio necessario sequatur, ut scriptum est: Ecce duo gladii hic. Igitur a pontifice necesse est, omnes reges accipere regna. Haec non necessario cohaerent, sed infinita exempla quotidie offeret usus.

Translatio proprie est, quod Iurisconsulti vocant exceptionem, cum non respondetur ad rem, sed opponitur exceptio aliqua, ut quod non oporteat me coram hoc iudice causam dicere, quod adversario non debeat dari actio. De hac re nunc praecipiunt Iurisconsulti, quando prosit respondere ad rem, quando non prosit. Quanquam autem haec rhetorica non collegi praecipue ad usum forensem, tamen prodest huius status mentionem facere, ut admoneantur adolescentes, non semper de re respondendum esse. Sed ubicunque fieri potest, arte fugiendum esse iudicii periculum. Profecto enim sapienter dictum est ab Alcibiade, nec immerito abiit in proverbium *ἐξὸν φύγειν, μὴ ζήτει δίκην.*

De genere deliberativo.

Genus deliberativum versatur in suadendo ac dissuadendo, adhortando et dehortando, petendo, precando, consolando, et similibus negociis, ubi finis est non cognitio, sed praeter cognitionem actio aliqua. Huius generis plura exempla reperiuntur. Et plurimae scribuntur Epistolae quotidie pueris in hoc genere, cum ab amicis aliquid petunt.

Exordia fiunt in aliis causis.

Narratione utimur, cum res poscit. Verum in hoc genere saepe accidit, ut nihil adhuc gestum sit, quod narrare necesse sit. Propositio sequitur narrationem, et cum deest narratio, sola propositione utimur. Non enim omitti propositio ulla in causa potest. Ac plerumque, ut sit plenior sonus, propositio cum amplificatione recitatur, ut: Nullum bellum aut magis necessarium, aut magis pium, aut magis e dignitate vestra, Principes suscipere potestis, quam hoc bellum adversus Turcas, qui crudelissimum latrocinium his proximis annis in ipso Germaniae aditu, et in conspectu vestro exercuerunt, vobisque bellum denunciantes, exitium ac vastitatem universae Germaniae, huic imperio atque religioni Christianae interitum, vestris liberis atque coniugibus miserrimam servitutem minati sunt.

Loci argumentorum tres sunt:

Honestum.
Utile.
Facile.

In his comprehendimus etiam necessarium et possibile, qui ideo praetermittuntur in vulgaribus praeceptis, quia videntur esse *ἄτεχνοι,* nec indigere monitore. Nam impossibilia non veniunt in deliberationem. Necessitas autem non solum dubitantes hortatur, sed cogit etiam invitos. Verum quia hi duo loci, interdum non conspiciuntur ab omnibus. Ideo in arte admonendi sunt studiosi, ut quaerant eos in causis, ac proferant in lucem, et dicendo illustrent, ut si quis de studiis literarum dicet, non tantum ostendet, quam sint honesta, quamque utilia, sed si recte considerabit res humanas, inveniet etiam necessariam esse literarum scientiam, quia sine doctrina religionis et legum, non possunt teneri respublicae, neque haec civilis societas coli. Haec necessitas, quia non intelligitur ab indoctis, oratione patefacienda est.

Nascuntur autem hi loci: honestum, utile, et facile, in locis dialecticis: definitionum et causarum. Sed quia finis est actio, non cognitio, nomina habent a fine, ut animos ad agendum impellant. Expetimus enim bona, vel honesta, vel utilia, si tamen consequi possumus.

Honestas autem sumitur ex legibus divinis humanis, adeoque ex virtutum definitionibus. Pertinent autem leges ad causam efficientem. Movent enim hominum voluntates ad agendum. Eodem et virtutum definitiones pertinent, cum vere sint leges. Cum igitur honestas sumatur ex legibus et natura virtutum, oportet hos, qui hoc genus apte tractare volent, locis communibus copiose instructos esse, ut cum adhortabimur principes ad suscipiendum bellum contra Turcas. Primum de honestate docendi sunt, recitandae sententiae ex sacris literis, quae praecipiunt magistratibus tueri subditos, depellere latrocinia. Confutanda est superstitiosa quorundam persuasio, qui putant Christiano non licere militare, aut bella gerere. Haec disputatio non vulgarem do-

ctrinam requirit. Ostendendum est enim, quod Evangelium approbet magistratus, vindictam publicam, iudicia, bella, quod Evangelium sit doctrina de vita aeterna et spirituali, nec dissipet politias, sed multo magis confirmet. Iubet enim nos in hac vita corporali atque civili, uti politicis rebus omnibus, sicut hoc aëre, cibo, potu utimur. Interpretanda sunt et dicta quaedam Christi, quae videntur prohibere vindictam. Haec enim tantum privatam vindictam prohibent, non prohibent vindictam publicam, quae exercetur officio magistratuum. Alioqui enim dissentirent ab aliis locis, qui aperte approbant magistratus, et vindictam magistratuum. Ex hoc exemplo intelligi potest, locum honestatis maxime constare arte, quia hae disputationes magnam doctrinam optimarum rerum requirunt. Et saepe hic dialecticis locis utendum est, cum videlicet prius docendus est auditor quam adhortandus, ut fit in hac quaestione de bello.

Loci ab utili et facili fere sunt *ἄτεχνοι*. Nam utilitas saepe cernitur ab indoctis, quae cum est manifesta, exaggeranda erit oratione, ut contra Turcas, amplificanda est eorum crudelitas, dicendum, quantam carnificinam in victos exerceant, quam turpis et misera servitus impendeat his, qui non sunt interfecti. Facultas autem posita est in circumstantiis, in comparatione virium, temporum, locorum.

Dominantur in hoc genere exempla, ut si quis commemoret Carolum, Othonem, patriam adversus barbaros summa virtute defendisse, infinitam Hunnorum multitudinem, quae in Germaniam irruperat, delevisse. Imperator Fridericus Saracenos in ultimas terras, in Syriam usque persecutus est. Nos repellere dubitamus hostes, qui tam procul ex Thracia profecti, Germaniam ipsam populati sunt. Affectus etiam in his causis movendi sunt, qui cum in tota oratione varie spargendi erunt, tum in peroratione eligi debent hi, qui sunt acerrimi, nec procul petiti. Nam perorationes, ut in aliis generibus, continent repetitionem quorundam argumentorum et affectus.

Postquam hanc viam adolescentes cognoverunt, exempla proponenda sunt, quae longe clarius ostendunt, quid in hoc genere deceat, quam praecepta. Quae quidem ad hoc unum excogitata sunt, ut imperitis viam ostendant, ut intelligere exempla possint, et videre oeconomiam et ordinem omnium partium, et totius orationis formam animo complecti. Plena autem exemplis sunt Poëmata, Historiae, Epistolae. Sed ego velim praeceptores ex Livio eligere exempla, quae cum et propter rerum magnitudinem, et propter sonum orationis illustriora et graviora sint, magnam verborum et sententiarum copiam suppeditant.

Pertinent ad suasorium genus, et in sacris literis, Adhortationes, Consolationes, Deprecationes, ut in Psalmo, Miserere, saepe est repetita propositio ac petitio. Insertae sunt passim querelae. Argumentum ducitur ab honesto, quod misericordia Dei fiat illustrior, si agnoscat. Simile est loco utilitatis, quod promittit se vicissim gratum fore, praedicaturum hoc beneficium, redditurum vera sacrificia, scilicet spiritum contribulatum. Ita obiter alludit ad locum communem de sacrificiis, quod ceremoniae tantum sint signa verorum sacrificiorum. Semper autem finis quaerendus est. Adhortationes iubent aliquid agere. Consolationes iubent expectare auxilium a Deo. Deprecationes petunt aliquid nobis concedi.

De genere demonstrativo.

Demonstrativum genus continet laudationem et vituperationem, sed multum interest, utrum personae tractentur, an facta, aut res. Aliis enim locis utendum erit in laudatione personae, aliis in laude factorum et rerum.

Cum laudamus personam, ordine narramus historiam, et rerum seriem in dicendo sequimur. Sunt igitur loci personarum: Patria, Sexus, Natales, Ingenium, Educatio, Disciplina, Doctrina, Res gestae, Praemia rerum gestarum, Vitae exitus, Opinio post mortem. Hic ordo historiae magis decet in laudationibus, quam quod initio quidam, quasi in scholis philosophantes, partiuntur bona in tria genera, naturae, animi, et fortunae bona. Et cum ad haec capita, singulas partes historiae accommodare volunt, rerum ordinem confundunt. Caeterum loci illi communes, quare naturae bona, quare fortunae bona, laudem mereantur, quantum praestent animi bona dotibus fortunae prudenter historiae per occasionem intertexi debent.

Exordia in hoc genere liberiora sunt, ut in Epithalamiis aut Epicediis apparet. Interdum e pompa publica, interdum ab effectu aliquo, a que-

rela vel gratulatione inchoantur. Reliqua oratio perpetua quaedam historiae narratio est, in qua tamen praecipua decora amplificantur, et ad admirationem atque imitationem proponuntur. Sed quoniam extant exempla, in quibus ratio huius generis tractandi cerni potest, nihil opus est longioribus praeceptis. Isocrates reliquit laudationem Evagorae, Plinius Traiani. Extat et ab Erasmo scriptus Panegyricus, lectu dignissimus, de Philippo rege Hispaniae.

Sunt Psalmi quidam generis demonstrativi, qui describunt Christum, hi possunt haberi pro brevibus panegyricis, ut Psal.: Dixit dominus. Item Psal. 67.: Exurgat Deus. Pingit enim veluti triumphalem pompam regis, orditur ab imprecatione et gratulatione, nam hostibus Christi male precatur, gratulatur autem piis. Narratio continet pompam: Venit dominus, et ducit secum exercitus Evangelizantiam. Ex his sunt descripti Principes provinciarum, Apostoli et Episcopi, qui provincias afflictas et vexatas recreant. Ascendit dominus in altum, ducit in triumpho captivos distribuit dona militibus ac populis suis, minantur hostibus supplicia: Praecedit populus ac sequitur, qui canit triumphale carmen. Haec fere summa est Psalmi, quem si quis hoc modo ad artis praecepta conferet, planius intelliget et animadvertet, qui loci proprie ad Christum accommodandi sint, qui tribuant ei divinam potentiam.

Quamquam autem oratio in hoc genere perpetua narratio est, tamen incidunt interdum loci, qui habent aliquam disputationem, ubi confirmatione et confutatione utimur, ut si quis laudabit C. Caesarem, excusabit eum, quod bellum adversus patriam moverit, quia inimici, cum ei beneficium populi eriperent, priores bellum indixerint ac moverint, Quare non intulit patriae bellum, sed iniustam vim a suo capite depulit, cum Pompeius negaret se ullas conditiones pacis admissurum esse nisi allato ad se Caesaris capite.

Supersunt aliae species, cum factum, aut rem certam laudamus. In hoc genere omnes partes existere possunt: Exordium, Narratio, Confirmatio, Confutatio, Conclusio. Locos mutuamur ex genere deliberativo. Honestum, utile, facile, aut difficile, ut si quis laudet factum Impera. Lotharii Saxonis, qui Romanas leges, quae ad id tempus, post occupatam Italiam a Gotthis in bibliothecis latuerant, in forum revocavit, et constituit, ut in imperio ius ex illis legibus diceretur. Primum honestatis loco utemur, quod deceat principem efficere, ut respublica leges habeat optimas. Sumemus argumenta, non solum a Lotharii persôna, videlicet a principis officio, sed etiam a re, hoc est a dignitate legum Romanarum, quod plenae sint humanitatis, prudentiae ac iusticiae, quodque nulla gens unquam meliores leges, et magis consentientes naturae habuerit quam populus Romanus. Ab utili erit argumentum, quod certae leges muniant tranquillitatem publicam. Lotharius igitur utiliter consuluit reipublicae, quod ad omnem posteritatem civitates tranquilliores reddidit. Nam antea nullo certo iure utebantur civitates, sed magistratus pro suo arbitrio ius dicebat. Ea res, cum tyrannidi vicina sit, periculosa est civitatibus. Alibi habebant barbaricas leges, videlicet Salicas, hoc est aulicas leges Francorum, quae multa contra humanitatem constituebant. Quare etiam harum gentium mores reddidit mitiores Lotharius, propositis legibus humanioribus. Nam mores atque opiniones hominum magna ex parte imitantur leges. Hic conferri potest Lotharius cum veteribus legumlatoribus, cum Solone, cum Iustiniano. Habet hic laudem difficultas, quia pauci principes ociosi suscipiunt curam emendandarum legum, At Lotharius maximis occupatis bellis hoc egit. Possunt addi loci communes de nostrorum principum ingeniis, quod cum scientia reipublicae gerendae, prudentia, magnitudine animi, fide, ac iusticia, pares fuerint laudatissimis principibus apud Graecos et Romanos, minime sunt existimandi barbari. Ad hoc genus pertinent gratiarum actiones, in quibus beneficia commemorantur et amplificantur. Tales sunt orationes Ciceronis de suo reditu, et pro M. Marcello.

Eodem modo res laudantur, ut artes, Philosophia, Eloquentia, Leges, Medicina, Pax. Honestas sumitur ex causis efficientibus, videlicet, ab inventoribus, ut Philosophia est donum Dei. Sicut enim divinitus oculii lumen contingit, ita menti veritas, sed verum iudicium divinitus donatum est. Utilitas sumitur ex finibus. Philosophia ostendit praesidia vitae, disciplinam de moribus civilibus, leges, medicinam, numeros, mensuras, quae res omnes in hac tota vita maxime necessaria sunt. Interdum autem facilitas, interdum difficultas laudanda erit, idque ad consilium oratoris pertinet, considerare, quid deceat. Quod

quidem praeceptum, ut quid deceat animadvertamus cum in tota vita, tum vero in dicendo vel maxime requiritur. Nusquam enim magis lucet decorum, quam in dicendo, cum id sit praecipuum, ac maximum ac difficillimum operum humanorum omnium.

De locis communibus.

Breviter complexi sumus communissima praecepta de inventione, de quibus ingentia volumina Graeci composuerunt. Verum ego non admodum opus esse longioribus praeceptis in hac parte iudicio. Nam via quadam cognita, postea res non in libellis rhetoricis quaerendae erunt, sed tum a communi prudentia, tum ex aliis artibus sumendae. Etenim haec praecepta non tam ad inveniendum conducunt, quam ad eligendum idonea, cum res ex aliis artibus offeruntur. Deinde, cum imitatio magis efficiat eloquentes quam ars, praecepta traduntur adolescentibus ad hoc, ut adiuvent eos in legendis orationibus disertorum, quia aetas illa non potest longas causas animo complecti, nisi res et argumenta certis locis, quasi notis discernantur. Addemus autem ad inventionis praecepta unum quod maximam vim habet in omnibus disputationibus, videlicet, ut hypothesin transferamus ad thesin. Vocant autem hypothesin, negocium de quo controversia est, circumscriptum circumstantiis, ut, sitne bellum movendum adversus Turcas. Thesin vocant generalem quaestionem, ut, liceatne Christiano bella gerere. Facile autem iudicare potest, cum de Turcico bello dicendum est, omnia pleniora atque uberiora fore, si a specie ad genus oratio transferatur, et de magistratus officio, de bello in genere dicatur, quam pium, quam sanctum officium reges faciant, si has gentes divinitus ipsorum tutelae commissas, adversus Turcicum latrocinium defendant. Hoc praecipiunt apud Ciceronem Antonius et Crassus, ut consideremus, qui loci communes haereant in causa, quorum alii totam causam continent, in quibus thesis versatur, alii incidunt obiter. Ac thesis illa, cum habet peculiarem interdum in oratione locum, tum verba et sententias gignit in omnibus partibus orationis. Et praeter hanc varie alluditur ad alios locos, qui obiter incidunt, ut, Cicero pro Milone, cum dicit Clodium Deo propter violatas religiones, poenas dedisse, alludit ad locum communem, et breviter probat Deum esse, et hunc mundum a Deo gubernari. Sed sumamus exempla ab ecclesiasticis concionibus, quae prorsus ociosae erunt, nisi ad praecipuos locos doctrinae Christianae referantur. Si quis enarret historiam Davidis, quomodo propter admissum adulterium a Propheta obiurgatus sit, locus communis erit de poenitentia. Etsi enim et de adulterii turpitudine multa dici possunt, tamen delectus adhibendus est locorum, et excerpendus is, qui maxime proprius est doctrinae Christianae. Porro in hac historia, omnes poenitentiae partes, egregie depictae sunt. Habet enim non solum obiurgationem, sed etiam absolutionem, quam in sacris historiis praecipue quaerunt piae mentes. Ac Christus ipse docet nos hoc artificium, qui saepe transfert hypotheses ad theses, ut cum excusat Apostolos de violata traditione Pharisaeorum, incipit in genere de traditionibus illis concionari. Cum adfertur ad eum historia de crudelitate Pilati, gravissimam concionem habet de poenitentia, Lucae 13. Adhibentur autem loci communes, et ad probandum et ad amplificandum. Etenim fere in omni probatione, maior nascitur ex aliquo communi loco. Idque diligenter observent studiosi, ut sciant, ubi sit usus locorum communium, quos qui prudenter eligit, is demum poterit et τὰ κοινὰ καινῶς, cum volet, et quod difficilius est τὰ καινὰ κοινῶς tractare. Ac voco locos communes, non tantum virtutes et vicia, sed in omni doctrinae genere praecipua capita, quae fontes et summam artis continent. Neque tamen omnibus ubique utimur. Sed unusquisque sciat se debere suae artis, praecipuos locos tenere, ut cum aliqua de re dicendum erit, statim offerant se idonei loci. Quidam putant se locos communes tenere, cum de variis rebus coacervatas sententias habent, quas passim ex poëtis et oratoribus excerpserunt. Et quia iudicant hanc coacervationem insignium dictorum, perfectam esse doctrinam, nihil habent consilii in legendis autoribus, nisi ut inde tanquam flores, dicta quaedam decerpant. Interim nullam artem perfecte discunt, nullum scriptum totum intelligunt, nusquam totum orationis genus considerant. Hoc studium exiguam habet utilitatem, et hoc nomine plurimum nocet, quia in stultis, doctrinae persuasionem parit, qua nihil est perniciosius. Sciendum est igitur, ita locos communes recte cognosci, si artes illae, in quibus versantur, perfecte cognitae fuerint. Et ut locos communes apte in causis intertexere possimus,

opus erit perfecta eorum cognitione. Verum quia in civilibus negociis saepe existunt disputationes de virtutibus, de vitiis, de fortuna, de legibus, de consuetudine. Ideo rhetores horum locorum precipue mentionem faciunt, qui tamen neque perfecte intelligi, neque copiose ac varie tractari possunt, nisi cognitis illis artibus, in quibus versantur. Quare necesse est ad bene dicendum addere studium omnium maximarum artium, philosophiae, doctrinae religionis, iuris et historiarum.

Interim tamen hoc studium colligendi dicta scriptorum, habet aliquam utilitatem, praesertim in adolescentia. Habent enim multa lumina verborum et multas figuras, ut elegans metaphora est in versu de experientia. Discipulus est prioris posterior dies. Neque solum propter venustatem citantur, sed etiam propter autoritatem, habent enim velut pondus testimonii, quia a magnis viris proditae sunt, sicut Virgilius Ennianos versus suo poëmati propter gravitatem inseruit. Et Cicero multa citat, ut quomobrem ἐπιχαρμεῖον illud teneto nervos atque artus esse sapientiae, non temere credere. Ad haec plaeraque dicta continent gravissima praecepta, quare non solum ad ornandum, sed velut leges atque oracula ad confirmandum proferuntur, quale illud est apud Livium, de non mutanda forma reipublicae, et quod praesentia incommoda dissimulanda sint, quia mutatio maiora mala paritura sit. Nota mala inquit optima, quod a Plauto sumptum est, et Graeci μὴ κινεῖν κακὸν εὖ κείμενον. Interdum etiam breve aliquod dictum, ita rem definit, ut magis ostendat eam, quam prolixe disputationes Philosophorum, ut definitio legis apud Demosthenem, Quare haec diligentia colligendi sententias, non solum verborum copiam alit, sed nonnihil etiam ad rerum cognitionem conducit. Sed tamen ut copiose ac varie tractari loci communes possint, accedere oportet ex ipsis artibus perfectam doctrinam. Caeterum ad colligendas sententias etiam adhibenda est ratio quaedam. Nam et memoria adiuvabitur, cum ordine distribuerimus eas in certas classes, et haec distributio rerum inter se ordinem ostendet. Est autem et haec quaedam pars eruditionis, rerum ordinem, initia et progressiones videre. Optima autem in distribuendo oeconomia erit, si sequemur artium discrimina. Cavendum est enim, ne confundantur artes, sed observandum, qui loci sint theologici, qui sint philosophici. Ac philosophici possunt peti ex partibus hominis, ratio, artes, prudentia, virtus, affectus, consuetudo, corpus, forma, aetas, fortuna, divitiae, oeconomia, coniugium, educatio liberorum, politia, magistratus, lex, bellum, pax. Facile est autem genera partiri, et videre, quae sententiae, quae exempla, quae similitudines, in qualibet specie collocari debeant. De hac ratione annotandi, extat Rodolphi Agricolae Epistola, quam velim adolescentibus proponi ad verbum ediscendum.

De affectibus.

Ut loci communes sparguntur in orationem, ita affectus oportet ac motus quosdam orationi addere. Affectus autem oriuntur ex locis expetendorum ac fugiendorum, quos in genere suasorio et demonstrativo recensuimus, videlicet ex honesto, turpi, utili et inutili, Nam honesta atque utilia merentur amorem. Turpia, abhorrentia natura, iniusta, damnosa, oderunt homines. Misericordiam movet calamitas seu fortuna indigna, aetate, genere, virtute. Hinc intelligi potest, in qualibet oratione affectus in iis partibus existere, in quibus tractantur loci communes de virtutibus et vitiis. Sed tamen illi ipsi loci, certum genus verborum requirunt. Nam alii affectus sunt leniores, qui vocantur ἤθη, qui blandis verbis efferuntur, quae significationem humanitatis atque officii praebent, quale hoc est apud Virgilium: Omnis in Ascanio cari stat cura parentis. Familiaris est exordiis epistolarum et orationum, commemoratio officii, in qua decet nos animorum sensus atque inclinationes, quae ἤθη vocantur, exponere, ut ad Lentulum: Periucundae mihi fuerunt literae tuae, ex quibus intellexi te perspicere meam in te pietatem. Alii sunt affectus vehementiores, qui dicuntur πάθη. In his utendum est atrocibus et tragicis verbis. Ducuntur autem ex omnibus locis dialecticis amplificationes, ad impellendos animos, exaggerata vel dignitate, vel turpitudine rei, ut ab exemplo Livius in Plemiuium. Nec hominis quidquam est praeter figuram et speciem, neque Romani civis praeter habitum vestitumque, et sonum latinae linguae, pestis ac bellua immanis, qualem fretum quondam, quo ab Sicilia dividimur, ad perniciem navigantium circumsedisse, fabulae ferunt. Sed in primis valent hypotyposes, cum signa et gestus commemorantur, cumque imago aliqua in oculis incurrit,

quae vim oculis atque animo affert, ut apud Virgilium de Mezentio. Mortua quinetiam lugebat corpora vivis. Et hoc genus infinita exempla extant apud Poëtas et Historicos.

De dispositione.

Cicero nullam partem scribit plus ad victoriam conducere, quam dispositionem. Cum enim maxima vis sit opportunitatis, plurimum refert, quo loco singula dicantur. Illud certe constat ordinem orationis ad rerum perspicuitatem plurimum conferre. Quare et in legendis aliorum orationibus magnopere prodest auditoribus, dispositionem ostendere, quod hac animadversa, omnia facilius percipiantur. Cum enim imperiti non possint longas et difficiles disputationes intelligere, si semel decurrant oculi per universum corpus orationis, necesse est ordinem, regionesque partium ostendere, ut singula membra considerari queant, et iudicari quomodo consentiant. Atque haec diligentia quantam habeat utilitatem, exempla demonstrant. Quantum enim lucis attulimus Epistolae Pauli ad Romanos, ostensa dispositione, quam qui non animadverterunt, adeo non intellexerunt Paulum, ut qua de re ageret, ne suspicari quidem potuerint. Ubi proponat, ubi disputet, ubi desinat, non videbant, itaque velut hospites in ignota regione errabant, si quando in eius disputationes inciderant.

Porro haec pars artis, cum quidem sit utilissima, non perinde difficilia praecepta habet. Nam ea quae tradunt rhetores perquam levia et puerilia sunt, ut primo loco dicatur exordium, deinde narratio, hanc sequitur propositio, de qua dimicatio est. Deinde confirmatio, postea confutatio. Extremus locus tribuitur perorationi. Ac profecto mirum est, cum hunc ordinem in dicendo natura ostendat etiam indoctis, tamen homines literarios interdum harum partium seriem in scriptis aliorum iudicandis, non videre. Neque tamen ita accipi debent haec praecepta, tanquam leges de rebus capitalibus in aes incisae. Cedunt enim interdum utilitati. Nam et Cicero quaedam praeiudicia tractat in causa Milonis ante narrationem. Et pro Sylla confutatio praecedit confirmationem. Quam prudenter distribuit Demosthenes *περὶ στέφανου*, in longa et multiplici causa omnes partes, suo quodam usus consilio, cum iisdem de rebus accusator Aeschines, longe alium ordinem instituisset. Et haec in legendis doctorum orationibus, *οἰκονομία* consideranda est, non solum ut aliena scripta rectius intelligamus, sed ut nos quoque discamus videre in nostris causis, quid quo loco plurimum valeat, quae deceant in aditu, quae res velut in prima acie plurimum profecturae videantur, quae debeant in turba latere noceant. Haec non possunt in arte tradi, Nemo enim omnia tempora atque negocia complecti potest. Sed exempla admonere et acuere studiosos possunt, ut quid deceat observent, et cum ad causas accesserint, se ipsi consulant, cum de ordine, tum de aliis multis rebus. Multa enim in omnibus contentionibus a nobis ipsis petere cogimur, ad quae doctrina atque exercitatione praeparare nos statim a prima puericia debemus.

In disponenda narratione rerum seriem plaerumque sequimur, perinde, atque fit in historiis. Atque haec fere sunt quae docent rhetores de dispositione, cum quidem aliarum partium dispositio multo difficilior sit. Non enim temere in dicendo eundum est, ut dici solet, quo pedes ferunt. Sed prospiciendus est finis aliquis quasi meta, quo certo itinere perveniamus.

Tradam igitur unicum praeceptum, idque breve, quod ostendet viam, quomodo partes in principiis atque in contentione disponantur, quam viam, si anima adverterint adolescentes, plurimum adiuvabuntur, et in inveniendo, et in disponendo, et in iudicandis aliorum scriptis. Est autem hoc praeceptum, ut meminerint in principiis et in contentione argumentationes existere, quarum necesse est ea esse membra, quae traduntur in dialecticis, quod ut plane perspici possit, addemus exempla. Ac primum de exordiis sciendum est, raro in exordiis syllogismos esse, sed plaerumque ea constare enthymematis, quae nunc ita appellantur.

Initio ponitur aliqua sententia, tanquam exordii propositio, cui postea subiicitur ratio. Ita absolutum est Enthymema, sed inchoatum a consequente. Fere enim in sermone probationi anteponitur propositio. Porro antecedens probatio est, consequens propositio. Deinde interdum sequitur, aut alia probatio, aut amplificatio, aut adversativa. Quare et Graeci docuerunt, exordium quatuor sententiis contineri. Quanquam enim saepe plura sunt membra, tamen significare voluerunt, exordii partes debere quasi argumentationem apte cohaerere. Prima pars *πρότασις* est. Secunda *κατασκευή*. Tertia *ἀπόδοσις*. Quar-

ta *ἀξίωσις*. Etsi autem non omnia exordia similia sunt, tamen pleraque Cicero hoc modo componit. Pro Archia initio ponit *πρότασιν*. Si quid in dicendo possum praecipue Archiam eloquentia mea tueri debeo. Sequitur *κατασκευὴ*, quae est ratio propositionis, quia Archias adiuvit haec mea studia. Deinde *ἀπόδοσις*, conclusio enthymematis. Si mea eloquentia aliis profuit, quanto magis isti prodesse debet, a quo excitata est. Hic inseritur adversativa, sed miretur aliquis, quomodo orator a poëta adiuvari possit. Hanc quoque absolvit uno enthymemate, quia artes inter se cognatae sunt. Deinde *ἀξίωσις*, petitio, ut se de causa dicentem, audiant. Nec huius formae valde dissimilia sunt alia exordia. Interdum propositioni statim opponitur adversativa. Interdum inseruntur quaedam breves explicationes, ut pro Marcello *πρότασις*. Cum hactenus tacuerim, nunc redeundum est mihi ad veterem dicendi consuetudinem, *κατασκευὴ* quia beneficium Caesaris non possum tacitus praeterire, *ἀπόδοσις*. Nam absente Marcello carebam socio huius laboris, nunc eo restituto libenter redeo ad pristinam dicendi consuetudinem. Hic accedit amplificatio per translationem. Hoc beneficium Caesaris ad rempub. pertinet. Significat enim Caesarem velle rempublicam conservare. Neque multo aliter disposuit Demosthenes exordium *περὶ στέφανου πρότασις*: Peto, ut mihi concedatis, secundum leges, ut pro me dicam, nec assentiamini adversario. Sequitur exaggeratio periculorum et quaedam brevis occupatio. Postea *κατασκευὴ* res ad me pertinet. Deinde *ἀπόδοσις*: Peto, ut me audiatis sicut leges praecipiunt. Et accedit amplificatio ex interpretatione legis. Ad Roma. *πρότασις*: Gratulor vobis cognitionem Evangelii, et optarim mihi contingere, ut coram vos docere possim. Adversativa, sed hactenus non licuit, verum opto, ut aliquando liceat mihi ad vos proficisci. *κατασκευὴ*, quia debitor sum Graecis et Barbaris. Alia ratio, in qua inest quaedam occupatio: Nec pudet me Evangelii.

Confirmationes et confutationes partim syllogismis, partim enthymematis constant. Verum illud sciendum est, orationem et si habet certas regiones, tamen et liberiorem et pleniorem esse, quam sunt illi concisi ac nudi dialecticorum syllogismi. Plerumque autem a minore inchoatur argumentatio, ut pro Celio. Audistis cum pro se diceret, audistis antea cum accusaret, genus orationis, facultatem, copia sententiarum atque verborum, quae vestra prudentia est, perspexistis, atque in eo non solum ingenium eius elucere videbatis, quod saepe etiam, si industria non alitur, valet tamen ipsum suis viribus, sed inerat, nisi me forte propter benevolentiam fallebat, oratio, et bonis artibus instituta, et cura et vigiliis elaborata. Haec minor est. Sequitur maior. Atque scitote iudices eas cupiditates, quae obiiciuntur Celio, atque haec studia de quibus disputo, non facile in eodem homine esse posse. Et in hoc communi loco Cicero aliquantisper commoratur. Conclusio vero in proponendo recitata est. In Celio nulla reperietur luxuries. Comparent igitur syllogismi membra, quae etsi certa regione circumscripta sunt, tamen non tam angustis finibus inclusa cohercentur, ut dialecticorum syllogismi, qui propter brevitatem in pugna non satis virium habent. Raro a maiore inchoatur syllogismus, ut pro Milone. Maxima illecebra peccandi impunitatis spes est, haec fuit in Clodio, non in Milone. Sed plus enthymematum est in omnibus orationibus, quae facile agnosci et iudicari possunt, ut pro Milone. In nobis est quaedam mens, quae ciet atque agitat corpus. Ergo multo magis ille perpetuus naturae motus, mente quadam aeterna regitur. Sunt et haec enthymemata. Clodius oderat Milonem, igitur credibile est, eum fecisse insidias. Facile igitur intelligent studiosi, quomodo in prooemiis et in contentione partes collocari atque distribui debeant, si dialectica praecepta animo intuebuntur, et tamen in vestiendis et ornandis sententiis, oratorum consuetudinem sequentur. Atque has quasi regiones dialecticorum, praecipue mihi videntur observare Demosthenes et Cicero, quos habuisse maximam ordinis curam, res ostendit ipsa. Plurimum autem et inveniendo adiuvabuntur studiosi, si meminerint posita aliqua propositione, deinde non procul ab ea discedendum esse, sed quaerendum esse eius propositionis vel rationem, vel amplificationem, vel adversativam. Nam hae cum in vicinis locis nascantur, ultro se offerent, praesertim his, qui mediocri exercitio styli ita se assuefecerunt, ut cum aliquid instituunt, percurrere animo vicinos locos possint. *Τέλος*.

LIBER SECUNDUS.

De Elocutione.

Inventionem ac dispositionem sequitur in arte Elocutio. Prima enim de rebus deliberatio est, quae cum excogitatae atque inventae sunt, deliberandum est, quo ordine sint explicandae. Magna enim vis est ordinis, cum in aliis rebus tum maxime in docendo, et quod in Oeconomia Xenophon scribit *οὐδὲν οὕτως οὔτε εὐχρήστον οὔτε καλὸν ἀνθρώποις ὡς ἡ τάξις,* hoc in oratione maxime cerni potest, quae, si rebus ordo desit, simpliciter est sine mente sonus. Neque vero non extant multa huiusmodi confuse et perturbate scripta, fere in omnibus artibus, quae quantum remorentur discentes, non est obscurum. Tertia deliberatio de verbis est, quo genere orationis res a nobis excogitatae, exponendae atque illustrandae sint. Est itaque elocutio, quae dilucida et perspicua oratione res exponit. Neque vero minus in hac parte, quam in caeteris elaborandum est. Nam res sine lumine verborum intelligi nequeunt, quare initio huius operis error illorum reprehendendus est, qui contemnunt elocutionis praecepta, et falso arbitrantur eloquendi rationem non necessitatis causa, sed ad inanem ostentationem excogitatam esse. Hic error in causa est, quare et olim dicendi studia intermissa sint, et nunc negligantur, qua ex re infinita extiterunt incommoda. Postquam enim dicendi ratio neglecta est, artes omnes confuse et obscure tradi ceperunt, quia percipi res nequeunt, nisi verbis expositae significantibus ac notis. Ad haec ita coniuncta haec sunt natura, ut qui in elocutione negligentes sunt, multo sint in dispositione negligentiores. Et quia rationem loquendi non attendunt, saepe in rebus iudicandis, quae non perspici possunt, nisi cognito genere orationis, hallucinantur. Si quis volet, sumat exempla vel a Theologis vel a Iurisconsultis, sunt enim ubique obvia. Quare ita sentiendum est, totam eloquendi rationem necessitatis causa excogitatam esse, quia certo genere orationis opus est, ad explicandas animorum cogitationes. Quis enim dubitat verba notas esse rerum, quae ut semper intelligantur, debent esse certae? Saepe etiam necessitas postulat aliquid exaggerari et amplificari, ut illi quos docemus intelligant, rem esse maximi faciendam. An qui de religionibus aut de legum et magistratuum dignitate vulgus docet, non studebit efficere, grandi sono orationis, ut hae res tantae videantur aliis esse, quantae re ipsa sunt. Pictores efficiunt ut alia videantur humiliora, alia magis emineant, et sint excitatiora, quanto magis in dicendo idem faciendum est, cum bona pars vitae regatur oratione, et saepe de maximis rebus homines docendi sint. Quid, quod illi, qui maxime contemnunt rhetoricen, tamen affectant huius artis laudem. Cogit enim eos natura rerum, ut verbis illustrare aut amplificare ea, quae tractant, conentur. Hic vero, quam inepte rhetoricantur, quanto foelicius hoc facerent, si artem a prudentissimis hominibus ad eum usum traditam adhiberent. Ac si tantum voluptas captaretur ex hoc studio, tamen esset res liberalis, ac maxime digna homine bene dicendi cura. Nulla res enim, nullus cultus, magis ornat hominem, quam suavis oratio. Neque musica dulcior aut iucundior auribus, aut mente percipi ulla potest, quam aequabilis oratio, constans bonis verbis ac sententiis. Quare, si quem nulla voluptate talis oratio afficit, is longe a natura hominis degeneravit. Verissima sunt quae dico, et ostendere possem exempla hominum, qui haec studia contemnunt, quorum feri mores ostendunt, quantum ab humanitate absint. Ac nisi longum esset, ostenderem pluribus verbis haec studia faciendae orationis, mores reddere mitiores. Sed haec encomia artis, putant aliqui in scholis magis ex more dici, quam quod res ita se habeat. Verum olim inter ipsa negocia comperietis has laudes harum artium, non esse temere confictas. Ac ut redeam unde digressus sum, Si tantum voluptati serviret elocutio, tamen non esset negligenda tam suavis musica. Nunc ut ceterae artes primum inventae sunt, propter necessarios usus, usum autem secuta est alicubi voluptas. Ita hanc artem coëgit initio quaerere necessitas, erat enim certum sermonis genus eligendum quod intelligeretur. Erat interdum aliquid amplificandum et exaggerandum. Postea ut gratior usus esset, aliquid etiam voluptati aurium datum est. Quidam disputant in gravi oratione, indecorum esse ornatum, quem-

admodum in matrona honesta fucus detestabilis est. Sed hi falso putant oratorium ornatum fucum esse praeter naturam accersitum. Nativa facies est orationis, de qua hic praecepta traduntur. Hanc qui corrumpunt, monstrosam efficiunt orationem, ut pictores monstrosas formas pingunt, cum naturam non recte imitantur.

Tres partes elocutionis.

Universa eloquendi ratio consistit in tribus rebus. Primum in sermone grammatico. Deinde in figuris. Tertio in amplificationibus. Crassus apud Ciceronem libro tertio requirit in elocutione quatuor partes, ut latine, ut dilucide, ut ornate, ut apte dicatur. Ego idem verbis nonnihil mutatis trado, et ut Ciceronis sententia melius intelligi possit, et ut cognatio grammatices cum rhetorica cerni queat. Ut enim praecepta de inventione multum a dialectica mutuantur, ita elocutio plurimum sumit a grammatica. Nam latine et dilucide loquendi ratio in grammatica traditur. Ornate vero loquendi duas habet partes apud Ciceronem, Figuras et amplificationes. Apte loqui est decorum observare.

Est itaque prima elocutionis pars sermo grammaticus, qui constat verbis usitatis, propriis et significantibus, quae iuxta grammaticae praecepta, certa ratione coniungi et construi debent. Cum igitur res elegimus, et disposuimus in animo, prima erit cura, ut eas grammatico sermone efferamus. Non enim potest intelligi oratio, si constet verbis ignotis et alienis a consuetudine bene loquentium, aut si constructio viciosa sit. Primum igitur adolescentes praestare debent, ut magnam copiam grammatici sermonis habeant in promptu, neque enim exigua laus est, propriis verbis, etiam sine alio ornatu, nudas res explicare posse. Quemadmodum fit plerumque in Comoediis et Epistolis. Et multi oratores in foro quondam hoc uno genere dicendi contenti fuerunt, quemadmodum Lysias, et alii, qui tenue quoddam filum orationis amaverunt. At nostris temporibus satis magna laus est, hanc facultatem grammatice loquendi consequi. Nam in his moribus, et in alia lingua, pauci reliquas virtutes elocutionis addere possunt. Ut videlicet figuris utantur non ineptis aut tempestivis, aut magna cum gravitate, et magna vi aliquid amplificent. Facile est enim iudicare, quantum eloquentia istorum, qui nostris temporibus maxime clari sunt, in illis gravioribus virtutibus claudicet. Quare confirmandi sunt adolescentes, ut sciant se multum profecisse, cum hoc assecuti sunt, ut non destituat eos copia grammatici sermonis, etiamsi perfectius quidem efficere non possunt. Voco autem grammaticum sermonem, qui non solum verbis latinis constat, et Syntaxin habet consentientem puerilibus regulis. Sed etiam in quo phrasis et vocum coniunctio imitatur consuetudinem eorum, qui eleganter et vere latine, et non moleste locuti sunt. Haec de re infra plura dicemus, cum de imitatione disputabimus. Itaque cum summam laudem in dicendo habeat perspicuitas, in primis adsit copia proprii sermonis, qui res sine ambiguitate, signate exprimat. Fugienda est in sermone peregrinitas, et illam licentiam gignendi novum sermonem, nullo modo permittamus nobis, qua in scholis immodice utuntur. Tametsi alicubi peregrinis vocabulis utendum est, Alia forma nunc est imperii, Religio alia est quam Ciceronis temporibus. Quare propter rerum novitatem interdum verbis novis ut convenit, quae tamen usus mollivit, quem penes arbitrium est, et vis et norma loquendi. Interim tamen tota orationis structura et phrasis, non abhorreat a latina consuetudine, alioqui enim non poterit intelligi. Plerunque etiam isti, qui novum sermonis genus fingunt, res amittunt. Ut enim novum sermonem excogitant, ita novas res somniant, dum inepte affectant laudem subtilitatis. Et tamen res illae inspectae, nihil esse deprehenduntur nisi inania somnia. Quia notae res omnes verbis exponi notis et significantibus possunt. Exempla extant infinita in omnibus artibus, ubi saepe inepte finguntur nova vocabula, ut realitas obiectiva, subiectiva, apud Scotistas. Olim Platonici, non intelligentes Platonem, meras nugas de ideis finxerunt, finxerunt et virtutes purgativas, et nescio quas praeterea. Hos imitatus Dionysius, non minus fuit ineptus, cum de nulla re gravi lectorem doceat, tamen illo inusitato genere orationis mirificam expectationem de se concitat apud imperitos. Inepta sunt et illa a Stoicis conficta *προηγμένα ἀπὸ προημένα*. Amaverunt tale dicendi genus et haeretici, ut Valentinianus excogitavit quadrigas *αἰώνων*. Nec minus sunt inepti Iudaeorum Cabalistae, quae novis verbis repertis, mira mysteria promittunt, cum meras nugas doceant, et nostro tempore Anabaptistae, prodigiosis figuris utuntur. Tali orationi vix unquam

subsunt res ullae cognitione dignae aut utiles. Quid quod etiam de naturis et moribus ex genere orationis iudicari solet. Certissimum enim iudicium est monstrosae mentis, oratio monstrosa, quare diligenter fugiendum est genus sermonis inusitatum. Quia vero tota nobis latina lingua, nunc non a populo, sed ex libris discenda est, certa aetas authorum eligenda est, cuius imitemur consuetudinem, ut certum sermonis genus, quod semper intelligi possit, quia habet exempla nota et probata, nobis comparemus. Cum autem optima et maxime perspicua sit oratio, qua Ciceronis aetas usa est, discemus linguam ab eius aetatis scriptoribus, aut qui non longe ante Ciceronem, aut postea extiterunt, ut a Terentio, Cicerone, Caesare, Livio. Sed de hac re iterum dicemus, cum nostram de imitatione sententiam exponemus.

De figuris.

Prima cura debet esse proprii sermonis, quo maximam orationis partem constare oportet. Interdum tamen aut necessitatis aut decoris causa aspergendae erunt figurae. Nam ubi desunt propria, cogit inopia ex vicino alias voces mutuari, ut in vitibus gemmam dicunt Latini, et Graeci ὀφθαλμὸν, quemadmodum et Germani, quia proprium deest. Nam initio necessitas peperit figuris, ubi propria deerant. Tunc etiam aliud sumere decet, cum etsi habeas proprium, tamen significantius est aliud, figurate dictum, ut inflammatus ira, pro irato, hoc enim levius est. Invadunt urbem somno vinoque sepultam, significantius est, quam si dixisset sopitam. Porro, ut plurimum afferunt gratiae figurae in loco, et parce usurpatae, ita viciosissima et ineptissima oratio est, in qua bene nihil simpliciter dicitur. Seneca scribit Portium, latronem dixisse, Summam esse dementiam, detorquere orationem, cui rectam esse liceat. Haec vox significat quantopere immodicum figurarum usum veteres oderint.

De tropis et schematibus.

Graeci vocant τρόπους, cum vox a propria significatione ad rem similem aut vicinam vertitur, ut Demosthenes inquit, Philippum magnitudine rerum gestarum ebrium esse, hic apparet, non retineri propriam significationem ebrietatis.

Σχῆμα.

Σχήματα vocant quasi gestus orationis, in quibus non est necesse mutare significationem vocum, ut in interrogatione. Quo mihi fortuna, si non conceditur uti? Nos prius recensebimus tropos, quos tamen non est necesse subtiliter discernere, sed metaphorae nomine saepe etiam in aliis speciebus utimur.

Τρόποι sunt:

Μεταφορά.
Μετάληψις.
Συνεκδοχή.
Μετωνυμία.
Ἀντωνομασία.
Ὀνοματοποιΐα.
Κατάχρησις.

Μεταφορὰ est, cum propter similitudinem transfertur vocabulum a propria significatione, ut ferreum pectus, pro eo, quod flecti ante terreri non potest. Cicero miris laudibus vehit hoc genus, et vocat brevem similitudinem. Nam similitudine declaratur ea res, quae per metaphoram significatur. Valet autem omnis collatio ad augendam perspicuitatem, praesertim si admoveatur similitudo ad sensum. Quantum dignitatis addit apibus Virgilius, cum ait: Ipsae regem parvosque Quirites sufficiunt. Nam cum vellet sobolem dicere, mutuatur nomen populi, et quidem Romani omnium gentium victoris, ut dignitatem exigui insecti augeret. Similitudo autem est, quod apes habent suam quandam rempublicam. Et Romana respub. omnium optime constituta erat.

Μετάληψις dicitur, ubi non transfertur nomen a simili, ut supra, sed sumitur a causa aut effectu, ut pallida mors, quia facit pallere corpora. Vinum calidum, quia calefacit corpora. Immoritur studiis et amore senescit habendi, id est, consumitur. Laetum Evangelium, quia parit laeticiam. Tristis lex, quia terret et tristiciam adfert. Ego sum resurrectio et vita, id est, resuscitator et vivificator. Fortasse grammatici dixerint haec esse metonymias, sed non sunt superstitiose discernendae figurae. Ego nomina sumpta a causis aut effectibus, Graecorum more, in hac figura colloco, ac maius quoddam intervallum et discrimen facio inter metalepsin et metonymiam, quam alii faciunt, ut facilius agnosci et discerni possint.

Συνεκδοχὴ comprehensio dicitur, cum vel totum parte comprehendimus, ut mucronem dicimus pro gladio. Animam pro animante seu homine, ut Omnis anima subdita sit potestatibus,

Tecta, pro aedificiis. Vel cum pro parte totum dicimus, ut cum dicimus aliquid factum esse, quod fieri coepit, ut mortui peccato, qui coeperunt mori. Sic dicimus exercitum esse caesum, quia plurimi interfecti sunt. Sic dicimus populum Dei sanctum esse, quia aliqui sunt sancti. Vel cum continens pro contento sumitur, ut, epotos cados pro vino epoto. Vel materia pro toto, ut, ferrum pro gladio. Vel prius, aut posterius, ex quo caetera intelligi possunt, ut, concutere muros pro oppugnatione. Oculi Domini super iustos, id est, cura, quia diligenter consideramus, et intuemur illa, quae curamus. Vultus Domini super facientes mala, id est, ira, Nam irati vultu minantur. Huiusmodi figurae infinitae sunt in sacris literis.

Μετωνυμία, partim metalepsi, partim synecdoche cognata, verum videtur mollior figura esse, quam illae. Nam vicinum nomen pro vicino sumitur, ut signum pro signato, ut sceptra pro regno, fasces pro imperio, claves pro officio vel potestate, toga pro pace. Hic est agnus Dei, id est, victima, est enim nomen speciei pro genere scil. victima. Et agnus peculiariter significabat Christum, qui erat futurus vera victima. Metonymiae dicuntur etiam, cum inventorum seu autorum nomina sumuntur pro rebus, ut Bachus pro vino, Ceres pro frugibus, Mars pro bello, Moses pro lege, Christus pro Evangelio. In sacris literis variae sunt metonymiae, et in his nonnullae ignotae aliis linguis, ut calix pro sua cuiusque portione, et deinde ulterius transfertur, ac pro afflictione accipitur, unctus pro rege. Nam hae minus durae sunt, virga pro castigatione, crux pro afflictione, iudicium pro poena.

Ἀντονομασία. Cum definitionem aut etymologiam aut descriptionem, pro aliquo nomine ponimus, ut pro Homero Poëtam, pro Christo Salvatorem, pro Aristotele Philosophum, pro ira bilem effervescentem. Pro ambitione dixit Ovidius, Nec levis ambitio perfusaque gloria fuco. Pro avaricia, Magnarumve fames sollicitavit opum. Quanquam autem non idem decet in carmine et soluta oratione, tamen et haec admittit interdum descriptiones, ut cum Cicero pro coniuratione dicit: domesticum latrocinium, pro improbis civibus: pestem et strumam civitatis. Et Paulus ornatissime pro lege dicit *χειρόγραφον* contra nos scriptum.

Κατάχρησις. Verbi abusus est, ut parricidam dicimus pro eo, qui propinquum occidit. Gratiam dicunt Theologi, non tantum pro favore, sed etiam Graeco aut Ebraico more pro beneficio aut munere. Sed in sacris literis multa similia exempla extant, quia interpretibus non licuit ubique Graecam aut Ebraicam phrasin mutare. Est et *κατάχρησις* quam singulari consilio interdum usurpamus, ut cum pro virtutibus vicina vicia, aut econtra tradimus, ut pro crudelitate severitatem, pro avaricia parsimoniam.

Ὀνοματοποιΐα nova confictio est nominis, ut bombarda.

Iure recensentur inter tropos *ὑπερβολὴ* et contraria extenuatio. Sed de his infra de amplificatione dicemus.

Ἀλληγορία non est in verbo sed in sententia, cum aliqua res significatur similitudine quadam, ut, Ne obiicias margaritam porcis, hic in nulla voce tropus ullus est, sed tecte aliud quiddam hac similitudine significavit. Nam *ἀλληγορία* eiusmodi est collatio, in qua simile ostenditur, nec tamen additur expresse altera pars collationis, seu ut dicam aliter, allegoria est mutilatum enthymema. Quintilianus vocat perpetuam metaphoram, gratum in oratione usum habet, parce usurpata, ut, Non profecturis littora bobus arat, Non datur ad musas currere lata via, Virtutem posuere dii sudore parandam. Si crebra fuerit, reddet orationem obscuram et ineptam. Itaque sunt ineptissimi, qui in sacris litteris omnia transformant in allegorias.

De quatuor sensibus sacrarum literarum.

Sed quoniam huius rei mentio obiter incidit, duxi etiam adiiciendam esse quarundam vocum interpretationem, quae alicubi occurrunt in Theologis. Quidam enim inepte tradiderunt quatuor esse scripturae sensus: Literalem, Tropologicum, Allegoricum et Anagogicum. Et sine discrimine omnes versus totius scripturae quadrifariam interpretati sunt. Id autem quam sit viciosum facile iudicari potest. Fit enim incerta oratio, discerpta in tot sententias. Sed has nugas commenti sunt homines illiterati, qui cum nullam dicendi rationem tenerent, et tamen viderent scripturam plenam esse figurarum, non potuerunt aptae de figuris iudicare. Itaque coacti sunt novam quandam rhetoricam comminisci, ut cum interpreta-

bantur hanc sententiam: Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Primum historiam aliquam quaerebant. Nec libet recitare, quam absurdas et intempestivas interdum historias affinxerint, ut in hoc loco plane corrumpitur germana sententia: Si quis finget Davidem habuisse sacerdotium, hoc est, pacato regno, perfecisse sicut bonos principes decet, ut etiam sacerdotium recte constitueretur, doctrinam emendasse, et cultus ordinasse, Psalmos composuisse, distribuisse Sacerdotum et Levitarum officia.

Haec sunt in principe digna laude, sed interpretatio ad hunc Psalmum non quadrat. Non enim propterea David est sacerdos, Et nominatur Sacerdotium Melchisedech, ut significetur novum ministerium, dissimile Levitico, futurum esse.

Sed quamcumque historiam affinxissent, deinde addebant *τροπολογίαν*, quae transferebat historiam ad mores, sicut David imitatus est Melchisedech, ita nos imitemur eius liberalitatem, iuvemus hospites, pauperes. Hanc translationem ad mores vocabant *τροπολογίαν*, cum quidem in hac voce errarent, aliud enim significat *τροπολογία*, videlicet, non sermonem aut interpretationem de moribus, sed in genere quidquid figurate effertur, ut: Calicem salutarem accipiam, id est, perferam adflictiones atque aerumnas. Nam *τρόπος* hoc loco significat mores, sed vocem versam a nativa significatione ad vicinam.

Tertio loco allegoria sequebatur, quae pertinebat ad Ecclesiam, aut si quis dexterius tractabat ad Christum, ut: Tu Christe es sacerdos secundum ordinem Melchisedech, referebantque id tantum ad coenam Domini.

Quartus locus addebat *ἀναγογὴν*, quae erat interpretatio de coelesti statu. Tu eris sacerdos, id est, pius erit beatus in coelo, Deum tanquam sacerdos celebrabis.

Errant autem et in hac voce, cum dicunt *ἀναγωγίαν* pro *ἀναγωγὴ*, significat enim *ἀναγωγία* petulantiam, seu feritatem morum, ab *ἀναγωγὸς*, quod est intractabilis et petulans.

Dionysius figuram nominat *ἀναγωγὴν*, neque tamen apud hunc aliud est, quam allegoria, quam quidem et ipse immodice praedicat. At nostri Theologi fuerunt ineptiores, qui, ut longius etiam a sententia grammatica discederent, ultra allegoriam finxerunt anagogen, quae transferret rem ad coelestia, ut Ierusalem historice significet urbem eius nominis, Tropologicae rempub. bene constitutam, Allegoricae Ecclesiam, Anagogice vitam aeternam seu coelestem. Et hoc modo omnes versus prodigiosa metamorphosi quadrifariam interpretabantur, quantumvis interdum dictum aliquod repugnaret illi metamorphosi.

Caeterum nos meminerimus unam quandam ac certam et simplicem sententiam ubique quaerendam esse iuxta praecepta grammaticae, dialecticae et rhetoricae. Nam oratio, quae non habet unam ac simplicem sententiam, nihil certi docet. Si quae figurae occurrent, hae non debent multos sensus parere, sed iuxta consuetudinem sermonis unam aliquam sententiam, quae ad caetera quadret, quae dicuntur. Et ad hunc usum haec pueris doctrina de figuris et omni ratione dicendi reperta est, ut discamus iudicare de sermone, et unam aliquam ac certam sententiam ex qualibet oratione colligere. Proinde in sacris literis illa sententia retinenda est, quam consuetudo sermonis parit, haec certo docet conscientias de his rebus, quae ibi traduntur, Ut in isto loco quem citavimus: Tu es sacerdos etc. Initio tota narratio percurrenda est, et quaerendae circumstantiae, quis loquatur, de qua persona loquatur. Hic reperiemus pleraque membra nihil pertinere ad Davidem, sed ad quendam perpetuum regem, qui novo quodam sacerdotio fungetur, antiquato Levitico. Constituendum est igitur, quod hic Psalmus de uno ac solo Christo loquatur, et literalis sensus seu historicus in hoc versu erit de Christi sacerdotio. Nunc qui volet explicare, non accersat allegorias, sed hanc causam seu literalem sensum de sacerdotio Christi, referat ad locos communes, et de his ordine dicat, iuxta dialecticae praecepta: Quid sit sacerdotium, Quid effecerit Christi sacerdotium, Quod nostra iusticia, nostris victimis, nostro cultu, non possimus placare Deum sed Christi sacrificio placatus, donet nobis iusticiam, pacem, vitam aeternam. Hoc modo literalis sensus illustratus, per definitionem sacerdotii, magnopere iuvat bonas mentes, ac in locis communibus delectus adhibendus est, ubi ad Evangelium referenda res sit, ubi ad Decalogum seu praecepta de moribus. Nam aliud in alio argumento decet, Extremi tamen loci hi sunt, Lex seu Decalogus, et Evangelium, intra quos versari oportet hos, qui interpretantur scripturam.

Verum hic interroget aliquis, an nusquam aliis sensibus locus sit. Ad hoc respondeo: Si omnia sine discrimine velimus transformare in varios sensus, nihil habebit certi scriptura, Itaque iure reprehenditur Origenes, qui omnia quantumlibet simpliciter dicta, tamen in allegorias transformat. Haec interpretandi ratio maxime labefacit ratio autoritatem scripturae. Nam et Porphyrius hoc nomine irrisit Christianam doctrinam, et scripsit eam nihil habere certi, siquidem non aliter atque fabulae poëtarum, in alios quosdam sensus, praeter grammaticum, omnia transformanda essent. Itaque plerumque uno sensu grammatico contenti esse debemus, ut in praeceptis et promissionibus Dei. Illud vero maxime ridiculum est, quod in concionibus vel Prophetarum, vel Christi, item in disputationibus dogmatum ut in Epistola Pauli quatuor sensus finxerunt.

Caeterum, quaedam facta extant in sacris literis, et ceremoniae quaedam, quae ad id institutae fuerunt, ut aliud quiddam significarent. In his est allegoriae locus. Quanquam ne hic quidem anxie quaerendae sunt, quia ut maxime eruamus aptas allegorias, tamen in controversiis non pariunt firmas probationes, tantum velut picturae reddunt illustrius, id quod ex aliis certis locis probatur.

Sunt autem huius generis pleraque facta, ut historiae Ionae, qui post triduum revixit. Mactatio agni in Paschate, Adoratio ad propiciatorium, et aliae ceremoniae.

Porro hic non est abiiciendus literalis sensus, sunt enim mandata Dei, quae non licuit mutare sine autoritate divina, sed ipsa facta et mores conferuntur cum aliis rebus similibus, quae alibi simpliciter et sine figuris propositae sunt. Nam ea quae acciderunt ante patefactum Evangelium, aliquid de Evangelio significabant, quare in Evangelii sermone resistere nos oportet, nec praeter grammaticum sensum, novam doctrinam quaerere. Itaque allegoria sequitur literalem sententiam, ubi res similes ad literalem sensum, velut ad exemplum, aut imaginem comparare possumus, sicut in apologis enarrandis, mores tyrannorum ad luporum ingenia conferuntur, aut astuti ad vulpeculam.

Semper autem versabitur allegoria in sacris literis, inter locos praecipuos doctrinae Christianae, refertur enim ad regnum Christi, ad poenitentiam, ad gratiam, ad fidem in Christum, ad doctrinam de cruce, ad orationem, ad officia charitatis. Nam in his rebus acquiescit mens Christiana, neque restat alia melior doctrina quaerenda. Quare nihil opus est allegoria, ubi Prophetae claras promissiones de Christo tradunt, aut claras sententias de fide, de poenitentia, de cruce, de officiis charitatis.

Neque vero cuiusvis est artificis, dextre tractare allegorias, aut videre ubi deceant. Nemo enim erit idoneus artifex huius rei, nisi perfectam cognitionem habeat istorum locorum, qui sunt in doctrina Christiana praecipui, quos paulo ante recitavi. Christus alicubi alludit ad historiam Ionae, interpretatur et serpentem exaltatum in deserto. Paulus in Corinthiis velum interpretatur, quo facies Moisi tecta fuit. Hos videmus versari intra locos illos, quos nominavi, et maximas res quasi pictas imaginibus ostendere. Afferunt enim in loco adhibitae, et gratiam et lucem orationi, ut si quis in commendatione linguarum et artium comparet ad cophinos, in quos colligebantur reliquiae quinque panum, disciplinas humaniores. Cum enim panes significent verbum Dei, cophini significabunt linguas et artes, quibus inter homines asservatur verbum Dei. Non igitur aspernandae erunt homini Christiano disciplinae humaniores, cum sint vasa, in quibus coelestis doctrina conservatur. Aut si quis dicturus de duplici iusticia, civili et spirituali, dicat tabulas Moisi, intus et foris scriptas fuisse, ut significaretur, eas partim de iusticia cordis coram Deo praecipere, partim de externa ac civili iusticia. Aut ideo duas fuisse tabulas, quia prior iusticiam spiritualem, qua proprie cum Deo agimus, continet, altera praecepta de vita corporali ac civili. Prior continet Theologiam, seu vitam spiritualem. Secunda Politica est. Itaque hae tabulae complexae sunt totam hominis vitam.

Extant Lutheri commentarii in Deuteronomium, et in quosdam Prophetas, qui ostendunt, quid in hoc genere enarrandi maxime deceat. Hic non traduntur solae allegoriae, sed prius historia ipsa transfertur ad locos communes fidei et operum, deinde ex locis illis nascuntur allegoriae. Sed hanc rationem nemo imitari sine excellenti doctrina potest. Et cum proclive sit in hoc genere a via deerrare, monendi sunt imperiti, ut omissis allegoriis, versentur sedulo in aliis locis scripturae, ut autoribus, ubi sine figuris plane

traditur summa doctrinae Christianae, Non allegoriae intempestive adhibitae perniciosos errores pariunt.

Est autem alia quaedam ratio ex scripturis, ratiocinandi aliquid, ut cum ex verbis Genesis tertio ratiocinamur, Christum venturum esse, qui diabolum superaturus sit, et regnum diaboli eversurus, abolito peccato et morte. Textus enim aperte dicit de regno diaboli, quod sit insidiaturus humani generi universo, Sed venturum semen, ut caput diaboli conculcet, ergo Christus regnum diaboli, peccatum et mortem abolebit.

Item, Christus est verus sacerdos, igitur vere placabit patrem. Hoc ex definitione sacerdotis sumitur, nam hoc officium continet definitio sacerdotis, videlicet, placare Deum.

Item, Davidi promittitur regnum aeternum, ergo Christi regnum erit regnum spirituale, non civile, quia res publicae corporales non possunt esse aeternae.

Esaiae 53. scribitur, Christum moriturum esse, et eodem loco vaticinatur Propheta, futurum ut eripiatur a morte. Hinc ratiocinamur, Christum resurrecturum fuisse a morte.

Christus approbat magistratum, igitur approbat iudicia, militiam, et omnia civilia officia. Haec ratio argumentandi longe praestat allegoriis, et ad docendum accommodata est, quia gignit plaerasque firmas probationes, ideo et Christus saepe ea utitur, disputat, se a Davide dici Dominum, hinc gravissimam sententiam vult effici. Nam si Christus tantum regnum corporale habiturus fuisset, non fuisset Dominus Davidis, sed minor etiam isto, quia filius erat. Nunc non solum maior et clarior rex dicitur, sed Dominus divinitus missus, placaturus patrem, et liberaturus nos a peccato et a morte. Ergo Christus habebit non regnum mundanum, sed spirituale, reddet nobis vitam aeternam. Epistola ad Ebraeos plena est talium argumentorum, ut Pontifex quotannis sacrificabat pro peccato, igitur peccatum non est abolitum oblatione Pontificis, quia quotannis recurrebat. Tales argumentationes non sunt allegoriae, non enim abiicitur sensus grammaticus tanquam umbra, aut figura alterius rei, sed pariter antecedentis et consequentis sententias retinere necesse est, et argumentatione quasi per gradus a priore ad posteriorem pervenimus. Neque hic simile confertur ad simile, sed ducuntur argumenta ex causis, ex effectibus, ex definitionibus, ex contrariis et aliis locis dialecticis. Verum observandum est, nequid mala consequentia attexatur scripturis, neve coniungamus membra ἀνακόλουθα, et non necessario cohaerentia. Nam Iudaei et haeretici, dum sententias non necessario cohaerentes mala consequentia conglutinant, multas impias opiniones gignunt, sicut Irenaeus inquit, haereticos restim nectere de arena, quia male cohaerentia membra in argumentando connectunt.

Porro allegoria magis locum habet in factis enarrandis, at hac ratione argumentandi utendum est in dictis explicandas, in prophetiis ac promissionibus.

Verum et in factis valet argumentatio, cum exempli causa factum proponimus cum aliqua figura, ut, Daniel obiectus est leonibus propter verbum Dei, ita et nos oportet propter verbum Dei perpeti acerbissima odia hostium. Hic quaedam similitudo ostenditur, comparatur rabies hostium Evangelii ad leonum truculentiam. Hoc genus argumentorum vocabant olim τροπολογίαν abutentes vocabulo. Nos in tali collatione non dicimus novum esse sensum exempli, sed dicimus argumentationem esse, in qua iuxta dialecticae praecepta res inter se cognatae aut similes conferuntur. Hoc modo multa ratiocinatur Christus in Evangelio ex parabolis.

Haec duxi hoc in loco, de quatuor sensibus dicenda esse, ut admonerem unam aliquam, ac simplicem, et certam sententiam in singulis locis quaerendam esse, quae cum perpetuo contextu orationis, et cum circumstantiis negocii consentit. Nec ubique licet allegorias quaerere, nec temere aliud ex grammatica sententia ratiocinandum est, sed videndum, quid in unoquoque loco deceat, nec pugnantia fingenda sunt cum articulis fidei.

Numerantur allegoriae species αἴνιγμα, quod quia est obscurius, non decet in oratione, Poëtae alicubi utuntur, ut Hesiodus, dimidium plus toto.

Item εἰρωνεία, quae est dissimulatio quaedam, cum id, quod reipsa detrahimus, prolixe concedimus in speciem, ut: Verres homo sanctus et diligens. Magna est autem varietas ironiarum, quae melius ex quotidianae vitae consuetudine, quam ex praeceptis cognosci possunt. Interdum admiratio, interdum querela, alicubi deprecatio, alicubi contemptus, ut, quid est veritas? Deni-

que varii affectus ac gestus adhibentur ad ironiam. Magnam autem in loco gratiam habet, delectat enim acumen in salse dictis, et tecta vituperatio semper venustior est quam apertum convicium.

Vocant *σαρκασμὸν* cum hostis calamitatem exprobrat hosti, ut, En agros, et quam bello Troiane petisti, Hesperiam metire iacens. Talia sunt: Ave rex Iudaeorum. Si filius Dei es, descende de cruce. Verbum *σαρκάζειν* significat rictum irritati canis, hinc translatum est ad exprobrationem, ut significet irridere cum quadam irae significatione, qualis est rictus irritati canis.

Vicina est ironiae *μίκησις*, cum alterius gestum repraesentamus, aut recitamus verba. Talia sunt apud Paulum in Colos.: Ne attingite, ne gustate, ne contrectate.

Est et proverbium allegoriae species, quia fere nata sunt proverbia ex similitudine, ut Catulae dominas imitantur. Qua similitudine significamus familiam abire in mores domini. In Salomone multa sunt huiusmodi: Qui dissipat sepem mordetur a colubro, id est, Qui veterem formam reipublicae labefacit ac dissolvit, is accersit sibi exitium. Sicut enim serpentes penetrant in hortum, rupto pariete, ita conceditur improbis licentia grassandi in rebus publicis, postquam autoritas legum novo exemplo labefactata est.

Possunt inter allegoriae species et Apologi numerari, cuiusmodi sunt Aesopi. Item fabulae poëtarum, ut apud Homerum Cyclopes, qui significant allegorice homines barbaros, qui in illo littore exercebant latrocinium, Monstrosa corporis moles convenit barbaris et feris moribus. Oculus, opinor, significabat formam galeae, quae olim ita fiebat, ut unam in fronte tanquam fenestram haberet. Hoc genus interpretationis vocant *μυθολογίαν*. Neque vero inutile fuerit, interdum proponere talia argumenta adolescentibus, ad acuenda et exercenda ingenia. Ad hunc usum arbitror initio, Christophori imaginem confictam esse, quae significat doctorem Evangelii, is enim Christum gerit, monstrandum aliis hominibus. Oportet autem in tali viro magnum animi robur esse, ideoque pingitur magna corporis moles. Nam infinita pericula subeunda sunt docenti Evangelium, quare et iste heros per mare ac medios fluctus incedit, et undique circum eum natant variae beluae, minantes ei exitium. Puer quem gerit exiguus est, nam potentia Christi aliquando perexigua videtur, laborant et periclitantur Apostoli, nec videntur adiuvari a Deo. Et queritur Christophorus, inusitatum pondus esse. Puer ipse opprimit baiulum. Saepe enim Deus ipse videtur adversari ac irasci, et terret pios, ac pene ad desperationem adigit. Interim tamen erigit se Polyphemus iste, ac sustentat se quadam arbore, hoc est, sancti in terroribus sustentant et erigunt se verbo Dei. Et illa arbor primum arida, postea florere incipit. Nam doctrina parit multos bonos fructus, servat et doctorem et Ecclesiam, quanquam impii iudicant doctrinam inanem et inutilem esse. Praeit autem in littore senex cum lychno. Is significat Prophetas, qui ante Christum natum de eo vaticinati sunt, et testimonio suo nos confirmant. Neque vero deest victus piis, tametsi impii ubique cupiant eos perditos esse, ideo secum in pera piscem ac panem gerit. Vides quam apte in hac pictura significatum sit, qualem esse, et quid sustinere Christianum ac praecipue doctorem Evangelii oporteat. Merito igitur laudata est imago, et in omnibus picta templis, non ut per superstitionem coleretur, sed ut nos admoneret nostrorum periculorum.

De schematibus.

Supra dixi vocari Tropos, cum vocis significatio ad vicinum quiddam transfertur, ut cum vulgo dicimus crucem pro calamitate. Sed *σχῆμα* est gestus, in quo non est necesse vocis significationem mutari, ut cum dicit poëta: Tuta frequensque via est per amici fallere nomen, Tuta frequensque licet sit via crimen habet. Hic ubique retinetur propria verborum significatio, et cum res sine repetitione dici potuisset, tamen plus gratiae habet oratio propter repetitionem. Rhetores partiuntur schemata in *σχήματα λέξεως* et *σχήματα διανοίας*, Nam alias in positu verborum gestus est, alias gestus est mentis potius quam verborum. Gestus est in mente, ut cum significat aliquis se dubitare, se mirari. Nos omissa hac subtili ac tenui partitione, tres figurarum ordines faciemus.

Primus omnino ad grammaticos pertinet, de situ verborum, aut de emphasi ac luce vocabuli, Et ad hunc ordinem tropi, quoque pertinent, qui excogitati sunt, ut res quasi picta similitudine quadam fieret illustrior.

Secundus ordo proprie non ad verba, sed ad mentem seu sententiam pertinet. Sunt enim figurae quae addunt motum orationi, ut interrogatio, admiratio, dubitatio, querela etc.

Postremus ordo maxime ad oratorem pertinet, qui continet rationem amplificandi, hoc est, figuras, quae augent orationem, et longiorem atque ampliorem efficiunt.

Primus ordo figurarum.

Grammatici recensent figuras, primum pronunciationis, ut Syncopen, numum pro numorum, deinde Constructionis, ut: turba ruunt. Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus aras. Hoc modo perturbatam constructionem vocant hyperbaton. Sed has figuras praetermittam, sunt enim a grammaticis discendae. Aliae tantum in rhetorica traduntur, tametsi et ipsae ad grammaticos pertineant, ut Repetitio. Haec multas species habet et varia nomina, quia alias repetitio fit initio, alias in fine. Nos erimus contenti nomine generis in omnibus speciebus. Constat Verrem rempublicam venalem habuisse, constat, Uni uni odiisque viro. Utuntur autem repetitione non temere ubique. Sed cum aliquid vehementius urgent et cupiunt efficere insignius, quod quidem variis de causis accidit.

Vicina est repetitioni Copulatio, ut: ad illum diem, Memmius erat Memmius. In hac figura posterius est descriptio prioris, nam in priore tantum persona, in posteriore qualitas significatur, ut: in hoc tumultu consul erat consul, id est, erat fortis et constans, qualem decet esse consulem. Graeci vocant *πλοκήν*.

Traductio repetit eandem vocem alio casu. Qui nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute non potest vitam colere. Apud Ciceronem pro Murena: Sit denique in civitate ea prima res, propter quam civitatis est omnium princeps, Magnum habet usum in enthymematis, ex quorum natura oritur, Propter virtutem nobilitas in laude est, igitur virtus magis laudari meretur quam nobilitas. Cicero in Orat.: Cum gratiae causa nihil facias, tamen omnia grata sunt. Est autem *ταυτολογία*, cum eadem vox odiose sine singulari emphasi iteratur.

Articulus, cum multa sine coniunctione cohaerent, ut: veni, vidi, vici. Ferte citi flammas, date tela, impellite remos. Est et exemplum apud Paulum ad Roma. 1. Cicero aliquando dissolutum vocat. Graeci nominant *ἀσύνδετον*, et *διάλυτον*.

Πολυσύνδετον dicitur contrarium schema, ubi oratio multis coniunctionibus cohaeret, ut: Athamasque Thoasque.

Similiter cadens in nominibus dicitur, cum simili sono casuum desinunt commata aut cola, ut: Caesar Carolus, nulli superiorum imperatorum, secundus est ullo in genere virtutis, plerosque autem vincit, magnitudine foelicitatis, nec deest illi laus eximia bonitatis. Graeci vocant *ὁμοιόπτωτον*.

Similiter desinens, dicitur in verbis aut aliis vocibus, cum simili sono desinunt commata, aut cola, ut: audacter facere, contumeliose dicere. Graeci vocant *ὁμοιοτέλευτον*.

Hypallage est, quoties oratio ordine rerum converso effertur, poëtis familiarior, ut apud Virgilium: Dare classibus austros, et apud Ciceronem: Non vidimus in urbe gladium vagina vacuum.

Agnominatio, cum similitudine literarum deflectimus vocem in contrarium, ut Inceptio est, amentium non amantium. Magistratus est illi oneri potius quam honori. Graeci vocant *παρονομασίαν*, cuiusmodi sunt: ex oratore arator, ex theologo mataeologus.

Vicina est huic *ἀντανάκλασις*, cum idem verbum non nihil mutatum aut mutata significatione repetitur, ut iucundum est amare, si curetur ne quid insit amari. Fit et in talibus: Oppugnari pecunia potest bonus vir, expugnari non potest.

Ἔκλειψις cum deest aliquis casus, ut: egone illam? quae me? quae non? Plaeraque istiusmodi imperfecta membra Graeci vocant *ἀνανταπόδοτα*, hoc est non reddita, ut in Galatis: Ne libertatem in occasionem carni, deest enim: detis.

Est et cognata Reticentia, quam vocant *ἀποσιώπησιν* cum propter affectum aliqua sententiae pars praeciditur, aut sermo interrumpitur, ut Virgilius: Quos ego? sed praestat motos componere fluctus.

Secundus ordo figurarum.

Interrogatio notior figura est, quam ut opus sit eam prolixe describere. Virgilius: Quis novus hic nostris successit sedibus hospes? Hic per se

quisque observabit, quam multiplicem vim instandi, indignationis et similium affectuum habeat interrogatio.

Subiectio, cum ipsi respondemus nostrae interrogationi: Quid igitur, peccabimus, quia non sumus sub lege? non. Subiectio ἀνθυπάφοραν continet, de qua infra dicemus.

Exclamatio, quale illud est: O tempora, o mores! Hei mihi qualis erat quantum mutatus ab illo. Huc pertinent imprecationes. Item obtestationes: Per ego has lachrimas dextramque tuam te. Item, ominationes, ut Virg.: Turno tempus erit magno cum optaverit emptum, Intactum Pallanta.

Dubitatio. Graeci vocant ἀπορίαν cum dubitare et nescire nos aliquid significamus. Exemplum est in exordio apud Ciceronem de perfecto Oratore.

Cognatum est παράδοξον seu inopinatum, ut: Nunquam credidi fore iudices, ut reo Scauro, ne quid in eius iudicio gratia valeret. Ac formae multae sunt huius generis. Est enim admiratio, ut miror, quomodo tibi in suspicionem venerim. Item ἀδύνατον, quo saepissime in omni sermone utimur. Non possum verbis consequi, quantum literae me tuae delectaverint. Poëtae abundant exemplis, ut: Non mihi si linguae centum sint, oraque centum, Ferrea vox, omnes scelerum comprehendere formas etc.

Communicatio, cum adversarium ipsum consulimus, aut cum iudicibus deliberamus, ut: Cedo si vos eo loco essetis, quid faceretis aliud? Ita Demosthenes interrogat Aeschinem, interrogat et iudices, quid faciendum fuerit cum Philippus transisset in Atticam cum exercitu, an fuerit ultro proiicienda libertas, et urbs dedenda? Hic locus plurimum ad victoriam prodest. Extorquet enim quasi tacitam confessionem. Neque alibi vehementius urget Aeschinem, quam in ea parte orationis, obiicit ei, quod tunc cum dandum esset consilium reipublicae non dissenserit, nunc postquam secus evenit, reprehendat. Id dicit esse non oratoris, sed sycophantae, non in tempore monere, sed post factum consilia reprehendere. Est vicina huic figurae et commemoratio seu vera seu ficta tacitae opinionis iudicum, ut apud Ciceronem pro Milone: Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis etc. Est et vicina permissio, cum quaedam non explicamus, sed aestimanda iudicibus relinquimus, aut etiam adversariis.

Praeteritio παράλειψις, cum simulamus non aliquid relinquere, aut omittere, quod maxime obiicimus, ut non dicam pro quantis beneficiis talem mihi gratiam reddideris.

Aversio ἀποστροφὴ multiplex est et maximam vim habet, cum persona mutatur in oratione veluti appellandi alicuius causa, ut: Vos enim iam ego Albani tumuli atque luci. Virgil.: Ne pueri, ne tanta nimis assuescite bella, Neu patriae validas in viscera vertite vires.

Licentia παρησία, cum apud eos, quos vereri debebamus, quasi liberiorem personam induimus, aut in commonefaciendo, aut in obiurgando, ut Cicero pro Sexto Roscio queritur de licentia nobilitatis, in Syllae victoria. Idcirco ne experrecta nobilitas armis atque ferro rempublicam recuperavit, ut ad libidinem suam liberti servulique nobilium bona, fortunas vestras, nostrasque vexare possent. Et in Verrem dicit de publica infamia iudiciorum. In hoc genere crebrae extant obiurgationes populi Atheniensis apud Demosthenem, ut: ὁρᾶτε γὰρ ὡς ἐκ τοῦ πρὸς χάριν δημηγορεῖν ἐνίους εἰς πᾶν προελήλυθε μοχθηρίας τὰ παρόντα πράγματα. Neque vero opus est multis exemplis, cum concionatores horum temporum in templis sine modo utantur hoc schemate. Sed est quoddam genus cum quadam simulatione libertatis aut nostra, aut aliorum errata ita reprehendimus, ut figurate adulemur, quale illud est pro Ligario: M. Cicero apud te defendit alium in ea voluntate non fuisse, in qua seipsum confitetur fuisse. Item suscepto bello Caesar, gesto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, iudicio meo, ac voluntate ad ea arma profectus sum, quae erant sumpta contra te. Haec ideo commemorantur, ut clementia collatione errati exaggeretur. Sed est venustissimum exemplum apud Herodotum. Cum Cambyses vituperatus propter ebrietatem, Senatum Persici regni convocasset, ac Principes iussisset palam dicere, Siquid in eo reprehendendum putarent, cum res tantas gessisset. Hic cum ordine singuli amplissimis laudibus Cambysen propter metum ornassent, ac patri Cyro praetulissent, quia Aegyptum Cyri regno adiecisset. Tandem Croesus iussus dicere, reprehendit aliorum orationes, inquiens nondum esse parem Cyro Cambysen, quia Cam-

byses nondum talem filium regno genuisset, qualem reliquit Cyrus. Haec figurata reprehensio plus habuit adulationis, quam aliorum magnifica encomia, Et inanem ridet barbarici tyranni vanitatem. Varie utuntur homines astuti, cum hac figura, tum aliis, eaque varietas cum arte comprehendi non possit, in quotidiana vitae consuetudine observanda erit, quam tamen deprehendent facilius, si qui ab arte adiuvantur, ubi locus ostenditur, et unius atque alterius formae exempla traduntur, ex quibus iudicari vicina possunt. Sicut enim nulla arte gestus omnes corporis comprehendi possent, ita nec orationis gestus ac motus omnes numerare queunt.

Tertius ordo figurarum.

In tertio ordine collocavimus eas figuras, quae augent orationem, et reddunt locupletiorem. Sicut autem hoc eloquentiae summum opus est, alia amplificare, alia extenuare, ita difficile est imperitis huius rei efficiendae viam atque rationem videre. Itaque cum legunt disertorum orationes, mirantur unde sumpserint una de re tantam sententiarum ac verborum copiam. Figurae supra traditae, etiam ab indoctis facile iudicari possunt, sed amplificatio singularem requirit artem atque usum. Ad hanc rem scripti sunt utilissimi libri De copia Erasmi, quorum prior continet figuras, quibus verba variantur. Posterior continet figuras, quae maiorem rerum copiam suppeditant. Idem nos in hoc tertio figurarum ordine docebimus, quomodo crescat oratio, partim verbis, partim etiam rebus aucta. Sed nos breviores erimus, quia omnibus in manu sunt Erasmi libelli, quorum quidem mentionem et ob hanc causam hoc loco fecimus, ut obiter admoneremus imperitos, qua in parte rhetorices praecipue usus sit illorum Erasmi praeceptorum. Cum enim res inventae atque dispositae sunt, quae negotii substantiam continent, postea videndum est, ubi pluribus verbis in una re utendum sit, ut verbis tanquam pictae et illuminatae res fiant illustriores. Deinde ubi etiam prosit plus addere rerum. Horum alterum docet Erasmus efficere priore libello, alterum posteriore.

Observet autem studiosus lector figuras omnes, praesertim has, quae augent orationem ex locis dialecticis oriri, ad quos si quis prudenter sciet eas referre, plaeraque in causis subtiliter et acute iudicare, et definitas negotii regiones melius videre poterit. Nam iidem loci cum confirmandi aut confutandi causa adhibentur, argumenta sunt ac nervi, ut vocant. Cum adhibentur illuminandi causa, dicuntur ornamenta. Ac plaeraque non tantum ad pugnae speciem comparata sunt, sed argumentis pondus addunt.

Est autem haec prima et praecipua augendi ratio, transferre ὑπόθεσιν ad θέσιν, hoc est, transferre causam ad locum communem, qua de re saepe praecipit Cic. et nos supra diximus. Quomodo autem hoc fieri conveniat, in exemplis facilius, quam in praeceptis cerni potest, si tamen admonitus lector sciet, se debere considerare, quod res ad locum communem referatur. Varie enim intertexuntur causis loci communes, alias fit hoc aperte et prolixe, alias fit breviter et dissimulanter. Estque mediocris cuiusdam tum usus, tum prudentiae, videre quid in hac re deceat, et ubi recipiat oratio locos communes. Si de bello Turcico dicendum sit, duo sunt praecipui loci communes, in certis partibus aperte tractandi, caeterum ita spargendi sunt in totam orationem, ut ad eos alludere dicentem intelligi possit. Sunt autem hi loci. Prior est, pium ac necessarium officium esse christiani principis, bello defendere suos, ac tueri civilem statum religiones ac leges. Altera est de immanitate gentis Turcicae, quanta sit in illa barbarie impietas adversus Deum, quanta crudelitas atque immanitas adversus homines. Ex his quasi fontibus non ornamenta tantum, sed etiam probationes sumuntur. Nam locus communis continet maiorem in principali syllogismo causae. Itaque in ea parte orationis, quae maiorem exponit, aperte tractandus atque ornandus est locus communis. Id fecit Cicero, cum saepe alias, tum pro Milone, ubi exaggerat vim legis naturae, quod liceat vim vi repellere. Nam ex illa lege sumitur maior in probatione. Isocrates bonam partem operis consumit in locis communibus. Sed hoc illum magis decuit, quia nonnihil a veritate actionum recedunt Panegyrici. In foro ac negociis verecundior esse debet ornatus. Non raro tamen Demosthenes, et si nemo verecundius dixit, integros locos communes tractat, ut cum hanc maiorem sui syllogismi exponit, probaturus se honeste consuluisse. Semper Athenienses servitutem non solum a se, sed etiam a tota Graecia, quamlibet magno cum periculo depulerunt. In hac sententia diu commoratur, eamque cum

exemplis, tum aliis figuris amplificat. Narrat Cyrsilum, cum Xerxes bellum Graeciae intulisset, utilia quidem, sed indigna Atheniensium gloria suadentem, adeo non permovisse Athenienses, ut non solum ipsum cives, sed etiam uxorem eius mulieres lapidibus obruerint. Et addit causam facti *οὐ γὰρ ἐζήτουν οἱ τότε ἀθηναίοι οὔτε ῥήτορα, οὔτε στρατηγὸν οἱ ὅτου δουλεύσευσιν εὐτυχῶς, ἀλλ' οὐδὲ ζῆν ἠξίουν εἰ μὴ μετὰ ἐλευθερίας αὐτοῖς ἐξέσται τοῦτο ποιεῖν, ἡγεῖτο γὰρ αὐτῶν ἕκαστος οὐχι τῷ πατρὶ καὶ τῇ ματρὶ μόνον γεγένησθαι, ἀλλὰ καὶ τῇ πατρίδι.* Haec omnia nascuntur ex collatione utilitatis et honestatis, ex officiis boni civis, et ut dialectice loquamur, ex causis finalibus, quod homines ad honestatem procreati sint, non ad turpitudinem, quod cives libertatem tueri deceat, quia in servitute non possint sine turpitudine vivere, cum servitus non regatur iure ac legibus, sed ex libidine illorum, qui multa iniusta imperant. Apud Livium Annibal petens a Scipione pacem, argumentum sumit ex loco communi, de fortunae inconstantia, quod maxime fallere soleat, si initio nimium blanda fuerit. Et hunc locum spargit in totam orationem. Nam in aliis partibus orationis, ubi non tractatur aperte locus communis, tamen obiter admonendus est auditor, ut animum suum eo referat, et utendum verbis quibusdam in loco communi natis. Omnis enim ratio persuadendi ac movendorum animorum, sumitur ex illis locis, qui continent virtutis officia, et vitae casus. In Epiphonematibus vero et in Epilogis repetuntur loci communes magis aperte. Ut apud Livium in oratione Fabii ad L. Aemylium Cos.: A veritate laborare nimis saepe ius aiunt, extingui nunquam gloriam qui spreverit, veram habebit, Sive timidum pro cauto, tardum pro considerato, imbellem pro perito belli vocent. Malo te sapiens hostis metuat, quam stulti cives laudent. Incidunt autem et subinde propter varietatem circumstantiarum multi loci communes, in eandem rem, quos non videre, non animadvertere in agendo flagitium est, ut quamvis nos duos de Turcico bello locos posuerimus, tamen aliter agenda res erit apud Germanos principes, quam apud alias nationes. Nam et si hoc est commune officium omnium regum ac principum tueri religiones, ac disciplinam civilem, tamen aliis satis est tueri regna patria. Sed Germani cum habeant summum imperium, debent sentire commissam sibi tutelam universae reipublicae Christianae. Et sicut aliis regibus autoritate ante stat imperator, ita publici consilii dux atque autor esse debet, et alios reges cessantes, ad societatem tantae rei exuscitare. Hic, ut vides, persona parit novum locum communem, quid imperatori conveniat, praeter commune regum officium. Et addenda sunt *πάθη*, quale hoc est ex consequentibus. Quam sint Germani principes rationem reddituri Christo, cum in illo terribili iudicio, coget eos causam neglecti officii dicere, si non dent operam, ut impiam et miseram servitutem, tum a se, tum ab exteris nationibus depellant? Haec propter rerum magnitudinem facile possunt augeri. Sed cum exempla ubique se offerant, nolumus esse longiores. Haec vero recitavimus, ut adolescentes facilius animadvertere similia in scriptis disertorum possent, et quandam huius rei efficiendae rationem ex ipsis exemplis discerent. Cicero in perfecto Oratore scribit, has duas partes in oratione maxime actuosas esse, videlicet *θέσιν* et *αὔξησιν*. *θέσις* est, ut dixi, locus communis ex quo praecipua probatio oritur, *αὔξησις* etsi et ipsa ex loco communi sumitur, tamen magis in ea parte versatur, quae dicitur minor in syllogismo, ut in nostro exemplo exaggeranda sunt ea, quae inflammant animos contra Turcas, videlicet Turcicae gentis impietas atque crudelitas, quod religionem delere conentur, quod crudelissimi sint in victoria, quod infantes a complexu matrum abstractos mactare soleant, quod nulla aetatis aut sexus discrimina observent, quod miseras puellas, pueros, mulieres abstrahant ad foedissimas libidines, quod postea miserrima servitus perpetienda sit his, qui sub Turcis vivunt, ubi religio Christi deleta sit, ubi nullae sint honestae leges, ubi turpissima exempla quotidie versentur ob oculos, ubi liceat cuilibet gregario militi ad stuprum abripere optimi cuiusque uxorem ac liberos. Quanto satius est semel fortiter in acie mori, quam tali conditione vivere. Haec omnia proprie ad minorem syllogismi pertinent. Etsi *θέσις* etiam, seu maior syllogismi, suam habet *αὔξησιν* et amplificationem. Sed quoniam minor est propria causae et personarum, *αὔξησις* in hac parte dominatur, quae tamen et ipsa tum ex thesi, tum ex aliis locis, quos persona parit, oritur.

Cum autem supra dixerim ex locis dialecticis ortas esse figuras sententiarum. Sunt enim iidem docendi atque ornandi loci, addemus titulos, ut

aliquo modo agnosci cognatio possit. Utimur autem in hac comparatione locorum dialecticorum et figurarum elocutionis non nimis subtili ac superstitiosa ratione. Satis est enim ad eam rem adhibere mediocrem quandam prudentiam, et aliqua ex parte cognationem videre, ut fontes ornamentorum et negociorum regiones animadverti queant. Nimia subtilitas in artibus remoratur discentium studia, ac ne iudicari quidem a pueritia potest.

Ex definitione.

Primum amplificamus aut extenuamus singulis verbis. Amplificamus per auxesim, cum verbo utimur, quod rei magnitudinem superare videtur, ut pro conviciari debacchari, pro errato scelus. In hac re tropi dominantur, quia enim pingunt res per se similitudines, illa simulachra incurrentia in oculos, efficiunt res conspectiores, ut cum pro stolido, asinum dicimus. Et Virgilius: Invadunt urbem somno vinoque sepultam. Plenius est enim, quam si dixisset, somno et vino oppressam. At hyperbole dicitur, cum res iusta altius attollitur, ut: It clamor coelo.

Extenuamus per *ταπείνωσιν* seu *μείωσιν*, id est, diminutionem, ut cum dicimus perstringere pro vulnerare, pro sevitia iracundiam, pro scelere erratum. Oportet enim nosse oratorem pondera verborum ac videre quid in singulis locis deceat. Pericles dicitur in concionem ascensurus, optare solitus, ne quod ei verbum in mentem veniret, quo populus offendi posset. Ita et nos diligenter expendere convenit, quae verba, in qualibet causa prosint, quae noceant.

Interpretatio Graece *συνωνυμία*. Fabius vocat congeriem verborum, cum multa verba pene synonyma coniungimus, ut Turci crudelissime trucidant et mactant infantes. Hic non accidit plus rerum, tantum crescit numerus verborum. Poterat eadem significatione dici: Turci crudeliter occidunt infantes.

Livius: Tempus est opulenta vos ac ditia stipendia facere, et magna operae precia mereri. Fit enim et pluribus verbis synonymia, cum oratio exponitur oratione, ut pro Archia. Si quibus regionibus vitae spacium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas, nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur, nec toties de vita ipsa dimicaret. Hic eadem sententia subinde aliis verbis effertur. Decet autem in posterioribus verbis *ἔμφασιν* esse maiorem.

Expolitio vicina est synonymiae, quae eandem sententiam, commutatis verbis explicat, sed aliquanto longius accersit interpretationes, videlicet non solum a verbis vicinis, sed a rebus cognatis, quae quasi ratiocinatione idem efficiunt, ut apud Lucanum:

Bella per Aemathios plus quam civilia campos.

Initium simplex est, caetera a genere delicti ab hypotyposi aciei, pugnae atque armorum sumuntur.

Iusque datum sceleri canimus, populumque potentem.
In sua victrici conversum viscera dextra,
Cognatasque acies et rupto foedere regni,
Certatum, totis concussi viribus orbis,
In commune nefas, infestisque obvia signis,
Signa pares aquilas, et pila minantia pilis.

Et Ovidius multis versibus hanc unam sententiam subinde repetit. Vulgus anteponit utilitem honestati, affirmative ait:

Cura quid expediat prior est, quam quid sit honestum.
Et cum fortuna statque caditque fides.

Deinde negative:

Nec facile invenies multis e milibus unum,
Virtutem precium, qui putet esse sui.
Ipse decor recti, facti si praemia desint,
Non movet et gratis poenitet esse probum.
Nil nisi quod prodest carum est, en detrahe mente,
Spem fructus avidae, nemo potendus erit,
Ad reditus iam quisque suos amat, et sibi quid sit,
Utile, sollicitis computat articulis.

Utimur hac figura ubi prodest commorari in aliqua re, ac diu detinere auditorem, in eius rei cogitatione, ut aut doceatur, aut moveatur. Quanquam non hoc tantum loco utendum erit, sed addendae etiam ex aliis locis amplificationes. Sicut autem in picturis alia excitanda sunt, alia occultanda, et quasi procul ostendenda, ita in oratione singularis prudentia est videre, quid debeat eminere, quid conducat tegere, et breviter in transcursu indicare. Aeschines hanc sententiam: Is qui suos non amat, non potest amare rempublicam, aliquoties repetit, paulum admodum mutatis verbis: *ὁ γὰρ μισότεκνος καὶ πατὴρ πονηρὸς οὐκ ἄνποτε γένοιτο δημαγωγὸς χρηστὸς,*

οὐδὲ ὁ τὰ φίλτατα καὶ οἰκειότατα σώματα μὴ στέργων, οὐδέποτε ὑμᾶς περὶ πλείονος ποιήσεται ἢ τοὺς ἀλλοτρίους, οὐδέ γε ὁ ἰδία πονηρὸς, οὐκ ἄνποτε γένοιτο δημοσία χρηστὸς, οὐδ᾽ ὅστις ἐστὶν οἴκοι φαῦλος, οὐδέπω τ᾽ ἦν ἐν μακεδονίᾳ κατὰ τὴν πρεσβείαν καλὸς κἀγαθὸς, οὐ γὰρ τον τρόπον, ἀλλὰ τὸν τόπον μετήλλαξε.

Definitio prorsus hic significat idem quod dialecticis. Ut enim in probando plurima ac firmissima argumenta ex definitionibus, ita in ornando saepe aperte ponitur definitio, ut Demosthenes legem definit contra Aristogitonem. Aeschines definit bonum civem versantem in republica. Cicero in lege Agraria definit popularem consulem, pro lege Manilia definit imperatorem, pro Sextio definit optimates. Et multae sunt breves definitiones in ornamentis, in quibus virtutes a vicinis viciis discernuntur, ut: Fortitudo est, quae cum honesta ratione suscipit periculum. Non est fortitudo, sed temeritas, sine honesta ratione periculum adire. In Pisonem interpretatur furias: Nolite enim putare P. C. ut in scena videtis, homines consceleratos impulsu deorum, terreri furiarum tedis ardentibus, Sua quenque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat. Hae sunt impiorum furiae, hae flammae, hae faces. Pro Coelio: Aliud est maledicere, aliud accusare etc. Est et hoc ex definitione sumptum. Magistratus Dii appellantur, nam Dei appellatio est definitio quaedam magistratus, ergo debent res divinas in terris, scilicet leges et religiones tueri.

De divisione.

Distributio Graece *μερισμὸς* cum totum in partes aut membra partimur, ut: Tota res publica periclitatur. Principum autoritas labefactatur, Optimatum consilia repudiantur, Plebs non patitur se iure ac legibus regi. Sine scientia literarum non possunt teneri respublicae. Non enim possunt tradi religiones, retineri leges et civilis disciplina sine literis. Facile est, infinita huius formae exempla reperire. Cicero: Haec studia adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium et solatium praebent. Pertinet huc et *διάλυσις*, ut iudices partim gratia, partim pecunia corrupti sunt.

Congeries quando plures species coacervantur, ut apud Salustium de Catilina: Animus audax, subdolus, varius, cuiuslibet rei simulator ac dissimulator, alieni appetens. Est et Roma. 1.: Plenos omni iniustitia, malicia, dolis etc. Plenae sunt enim sacrae literae ornamentorum omnis generis. Graeci vocant *συνάθροισμον*, quam nos congeriem appellamus.

Incrementum est cum non eiusdem significationis verba coniungimus, sed per gradus ab infimis ad summa imus, ut percussit, sauciavit, occidit. Scipio apud Livium: fudi, fugavi, Hispania expuli. Hoc schema imitatur ordinem causarum et effectuum. Neque fit tantum in singulis verbis, sed etiam pluribus membris, ut apud Ciceronem: Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, parricidium necare. Sacrilegium est diripere ac dissipare bona Ecclesiarum, parricidium est fame necare miseros pastores, quibus ex illis bonis victus debebatur.

Ex causis.

Αἰτιολογία est cum causam recitamus, ut: Si quid est in me ingenii iudices, iure repetit Archias fructum meorum studiorum. Sequitur ratio, quia Archias fuit mihi autor suscipiendi haec studia. Huc pertinet *δικαιολογία*, cum aliquam officii rationem exponimus, aut excusationem, quod videlicet iure, quod honeste faciamus, ut quanquam est amicus, tamen decet amicitiae veritatem anteferre. Talia sunt et ornamenta, quae ex cuiusque officio sumuntur, quo genere plurimum utimur, ut: Episcopi est sanare et explicare dubitantes conscientias, non armis Ecclesias dissipare.

Affine est *ἀναγκαῖον*, cum allegatur necessitas, quae, ut constat, singularem vim deliberationibus habet, ut in concione Annibalis libro primo secundi belli Punici. Illis timidis et ignavis esse licet, qui receptum habent, vobis necesse est fortibus viris esse, quibus ad effugium nihil est reliquum. Cum impossibile sit res publicas retineri sine literarum scientia, necesse est magistratus, studia literarum excitare atque conservare.

Translatio *μετάστασις* vocatur, cum alicuius rei causa confertur in locum digniorem, aut magis profuturum dicenti, ut Cicero pro Marcello hortatur Caesarem, ut tueatur vitam, non tantum sua causa, sed reipublicae causa, quia maxime expediat reipublicae ipsum vivere. Tale est hoc, quo nos saepe utimur. Haec studia literarum non tantum ad privatam utilitatem pertinent, sed ad

rempublicam. Nam haec tractatio literarum togata quaedam militia est. Sicut enim foris defensio reipublicae armatis exercitibus commissa est, ita domi custodia reipublicae, literatis mandata est, qui religiones docent, et exercent iudicia, quibus rebus pax domi continetur. Translatio est apud Livium, ubi Scipio causam seditionis a multitudine in paucos confert. Multidudo omnis sicut natura maris per se immobilis est, ut venti et aurae cient, ita aut tranquillum, aut procellae in vobis sunt, et causa atque origo omnis furoris penes autores est: Vos contagatione insanistis. Transfert et Demosthenes eventum belli in fortunam, et quemadmodum gubernatori, qui somno consilio navim regens, vi tempestatis superatus sit, naufragium imputari non debet, ita sibi eventum belli negat imputandum, qui summo consilio summaque fide rempublicam administraverit. Est et apud Paulum translatio Cap. 7. ad Roma. Cum dictum esset lege augeri peccatum, postea confertur causa in naturam peccatricem, non in legem, quia lex bona est.

Huc pertinet color. Non enim idem significat color quod schema, ut vulgus putat. Sed color est species figurae, significat enim narrationem verisimiliter fictam, ut cum fingimus, quid aliquis opinetur, quid dixerit, quid fecerit. Cum causam alicuius facti nobis commodam fingimus. Sic fingit Cic. Clodium dixisse triduo periturum Milonem, cum ipse ad Atticum scribat triduo periturum Clodium. Poëtae pleni sunt huiusmodi narrationib., quia res fictas describunt. Sumuntur autem colores ex circumstantiis, ex gestu, ex causis, ex signis consequentibus aut praecedentibus. Ovidius sumpsit ex consequentibus cum ait: Arma viri fortis medios mittantur in hostes, Inde iubete peti, q. d. hoc erit signum uter dignior sit, uter virtute praestet.

Et huc pertinet calumnia, qua recte dicta ac facta depravantur, de qua tametsi praecepta extant in sophisticis syllogismis Aristotelis, tamen haec tempora habent artificium multo callidius, quod multis opes ac dignitatem parit. Tota res ex loco causarum et signorum interpretatione, et exemplis vafre detortis ducitur. Nam in recte factis, malas causas hoc est, prava consilia quaerunt, insidiose aucupantur signa, quae varie exponi possunt, ut Pharisaei interpretabatur Christum affectare regnum, quia patiebatur multitudinem ad se confluere, discendi causa. Item mores transferebant ad vicina vicia, quia Christus communi more vivebat, accusabant eum intemperantiae. Ad haec adhibenda est diligentia, ut benefactis dissimulatis aut extenuatis, errata exaggerentur in immensum. Sicut vulgus solet de magistratibus iudicare, quod ingentia beneficia non videt, videlicet quod pacem conservant, atque ocium suppeditant ad educationem atque institutionem sobolis, ad res domesticas retinendas, augendas, atque ornandas. Interim siqua levia errata inciderint de magistratuum negligentia, tragice conqueruntur. Sed in tanta improbitate hominum infinita exempla suppeditat usus vitae.

Gradatio *κλίμαξ* cum per gradus itur ab aliis ad alia, ita ut semper proximum verbum repetatur, ut: Secundae res pariunt negligentiam, negligentia temeritatem, temeritas evertit homines. Apud Paulum est: Tribulatio patientiam affert, patientia probationem, probatio spem. Diximus autem in dialecticis hoc modo connecti causas et effectus, genera et species.

De contrariis.

Contentio *ἀντίθεσις* cum per contraria amplificamus, seu declaramus aliquid. Nam collatio contrariorum magnam vim habet ad illustrandum. Fit autem singulis verbis, ut non est vera, sed falsa gloria, vulgo placere. Aut integris orationibus, ut: Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes. Pellitur e medio sapientia, vi geritur res. Donec eris foelix, multos numerabis amicos. Tempora si fuerint nubila, solus eris. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Si spiritu facta carnis mortificabitis, vivetis. Varie conferuntur contraria, sed nos uno titulo antithesis plerasque alias species comprehendimus. Nam illa nimis exiliter concisa specierum partitio obscura est.

Commutatio *ἀντιμεταβολή* seu *μετάθεσις* fit contrariis transpositis, ut: inimicis te placabilem, amicis inexorabilem praebes. Labor est etiam ipsa voluptas. Esse oportet ut vivas, non vivere ut edas. Si Evangelium approbat civiles mores, consequitur, ut hi, qui civiles mores improbant, Evangelii autoritatem graviter laedant.

Inversio, cum ostendimus pro nobis facere argumentum quod contra nos detorquetur, ut: Sepeliisti, igitur occidisti. Potest inverti: Imo si occidissem, non sepeliissem. Nam qui in via publica apud cadaver commoratur dum sepeliat, ubi

credibile est homines interventuros esse, hunc non esse sibi male conscium, ista animi securitas declarat. De hoc genere supra dixi, contrarias interpretationes ex causis et signis sumi.

Communicatio συνοικείωσις cum idem contrariis tribuitur, ut pariter in imperio nimia severitas, et nimia lenitas crudelitas est, quia nimia levitas alit audaciam improborum, et licentiam seviendi in bonos concedit.

Correctio ἐπανόρθωσις tollit quod dictum est supponens aliud magis idoneum, ut pro Milone, quas ille leges, si modo leges nominandae sunt, ac non faces urbis et pestes reipublicae.

Reiectio ἀποδίθωξις cum aliquid reiicimus tanquam indignum, aut intempestivum, ut quid attinet hac de re dicere, cum ad praesentem causam nihil faciat. Utimur ἀποδιώξει, si quando prave aliquod argumentum eludimus, quo agitatum redderet causam suspectam. Incurrunt enim et in bonas causas interdum loci duriores, quos non prodest agitare.

Occupatio προκατάληψις est, cum respondemus tacitae obiectioni, ut vulgo dici solet, hoc est, cum ipsi animadvertentes, quid obsit nobis, prius id diluimus, quam obiici possit. Necessaria figura est, et singularem prudentiam requirit. Videndum est enim quae sint hominum tacita iudicia, quo propendeant animi, quid offendat, quid probetur. Utimur igitur occupatione, cum emendamus aliquod dictum, aut mitigamus vel tecte vel palam. Et locum habet in tota oratione, sed in exordiis saepius utimur, ut pro Archia. Ac ne quis a nobis hoc ita dici miretur, quod alia quaedam in hoc facultas sit ingenii etc. Reddit enim rationem quare dixerit se a Poëta adiutum esse, cum Poëtica longissime distet a forensi oratione.

Concessio, cum quaedam largimur adversario, ut reliqua magis exaggerari possint, ut: Esto vera sint dogmata, quae doces, at quomodo hoc excusari potest, quod mutatis ritibus Ecclesiae tanti schismatis autor extitisti? Plus est autem in schismate mali, quam boni in illis dogmatibus. Hic ostendendum erit defensori, quod illa dogmata necessaria sint Ecclesiae, et causa schismatis transferenda in hos, qui iniuste damnant. Graeci vocant παρομολογίαν, propemodum confessionem.

Παραδιαστολὴ cum ita aliquid conceditur, ut vicinum quiddam detrahi possit, ut veritas laborare potest, opprimi non potest. Fabius contator est, negligens non est.

Formae respondendi sunt, cum aut simpliciter respondetur ad interrogationem, aut tollitur quaestio, opposito argumento firmiore, ut: Difficilis labor est exercendi styli, sed habet plurimas ac maximas utilitates. Habet aliquid incommodi mutatio rituum, sed plus habent incommodi falsa dogmata, Graeci vocant ἀνθυποφορὰν et ἀντεισαγωγήν.

Ex similibus.

Comparatio maximam vim habet in amplificando. Res enim omnes crescunt aut decrescunt per collationem. Huc pertinent loci dialectici ex pari, ex maiore, ex minore, exempla, Apologi, parabolae εἰκόνες, ut cum lupum dicunt pro malo doctore. Ubique sunt obvia horum locorum exempla, et facile agnosci possunt. Ac loci ipsi in dialectica satis tractantur, quare hic nihil opus est eos prolixe explicare.

Προσωποποιΐα cum persona fingitur, ut apud Virgilium Fama, aut cum rei inanimatae sensum tribuimus, ut: Vos albani tumuli.

Sermocinatio διαλόγισμος, cum orationem personae alicui tribuimus, ut si quis fingat Maximilianum in oratione adhortari Carolum Imperatorem ad componenda Ecclesiae dissidia.

A genere.

Sententia γνώμη continens praeceptum de moribus, aut dictum de aliquo vitae casu, ut apud Ciceronem: Vultu saepe laeditur pietas. Item: Posteriores cogitationes, sapientiores. Ducuntur a genere, scilicet a loco communi, a virtute, a fortuna, a prudentia et similibus. Admonuimus autem supra probationes ex talibus locis sumi. Nam maior in syllogismo, saepissime est aliqua communis sententia. Itaque ornamenta hinc etiam sumi necesse est. Huc pertinent leges, proverbia et dicta clarorum virorum quae vocant κρίσεις, quale est dictum Catonis: Radices virtutum amaras esse, fructus dulces.

Epiphonema est amplificatio honestatis, seu dignitatis, utilitatis, facultatis, difficultatis, in fine addita ad augendam admirationem. Interdum etiam causam facti continet, magnam omnino vim habet. Admonet enim vel quid agatur, vel quanta res agatur, quia transfert eam ad locum commu-

nem, quo cum collata praesens causa fit splendidior. Nonnulli breviter dicentes fere omittunt epiphonemata, hi non intelligunt, quam infirma sit oratio, detracto hoc ornamento. Fiunt autem epiphonemata per particulas comparativas et demonstrativas, ut: Hoc est vere regem esse, consulere utilitatibus populi. Adeo nihil est satis tutum adversus calumnias. Adeo a teneris consuescere multum est. Tantae molis erat Romanam condere gentem. Quis non in tali aula cupiat vivere, quae verius academia, quam aula dici possit. Et per exclamationes, unde nomen videntur initio accepisse, ut pro Ligario: O clementiam admirabilem, atque omnium laude, praedicatione, literis, monumentisque decorandam. Et huiusmodi multa reperies apud Ciceronem, ut: O rem non modo visu foedam etc.

Noëma differt ab epiphonemate. Etsi enim est allusio ad sententiam aut locum communem, tamen non effert sententiam generaliter. Sed verba sumit ex loco communi, quae ad praesentem causam accommodat, ut tecte ad locum communem alludere intelligatur, ut: Bene collocavi beneficium, cum in virum optimum, cum in hominem gratum contuli. Fortisque viri tulit arma disertus. Insunt latentia quaedam enthymemata. Et profecto danda est opera, ut oratio abundet huiusmodi verbis sententia tinctis, ut Fabius ait.

Ex circumstantiis et signis.

Hinc vero plurimae oriuntur amplificationes ex descriptionibus locorum, temporum, personarum, habitus corporis, et gestuum. Et alia sunt signa praecedentia, alia consequentia etc. Talis est ex signo mira extenuatio apud Livium, ubi Annibal ait Scipionem adeo non nosse exercitum suum, ut si utrique exercitui signa detrahantur, dubitaturus sit, utrius imperator sit. Non nosse exercitum, signum est imperiti ducis.

Et circumstantiis oritur *ὑποτύπωσις* ubi res ita narratur, ut videatur quasi oculis subiecta. Id fit, cum diligenter persequimur circumstantias. Cicero pro Milone: Si videretis haec picta etc. Pingit enim Milonem in Rheda penulatum cum uxore et parvis liberis. Clodium vero armatum, sedentem in equo, pugnantem ex loco superiore etc.

Ex circumstantiis oriuntur et *παθοποιΐαι*, ut exclamationes, deprecationes, vota, ominationes, de quibus in libellis de Copia praecepta extant, quam ob causam nos breviores sumus, et de affectibus supra diximus.

Est et figura ad ordinem orationis necessaria, quae nominatur transitio, cum monemus quid dictum sit, et quid restet. Hactenus dixi quantum insit turpitudinis in ebrietate. Nunc exponam quantum noceat valetudini. Breviter redigit in memoriam et quid supra dictum sit, et proponit, quid in reliqua oratione expectandum sit.

Est et *παρένθεσις* brevis interpositio, declarandi causa inserta, quam non ignorant Grammatici, ut: Tam Venus ocia amat, finem qui quaeris amori (cedit amor rebus) res age, tutus eris.

De imitatione.

In ipso vestibulo huius operis admonui praecepta inventa esse, non ut eloquentes efficerent, sed ut viam ac rationem ostenderent adolescentibus iudicandi de disertorum orationibus. Nam imitatio, si natura non repugnet, sicut aliarum rerum artifices, ita et eloquentes efficit. Cognitis igitur praeceptis, proponat sibi quisque disertorum exempla, in quae toto animo, totaque mente intueatur, ut ea effingat, atque exprimat. Si quis est enim, qui iudicat imitationem, cum in aliis artibus maximam vim habeat, in una eloquentia inutilem esse, huius error non solum gravissimis doctorum testimoniis, sed plane sensu communi revellitur. Nam quod quaedam inter disertos controversiae sunt de imitatione, disputatio est, non utrum imitatio necessaria sit, sed de partibus artis dissentiunt, quarum videlicet partium imitatio necessaria sit. Ego itaque ut ostendam adolescentibus quomodo instituere animum ad imitandos bonos autores debeant, breviter exponam meam de tota re sententiam, quam spero studiosis iuvenibus non inutilem futuram esse. Saepe autem diximus eloquentiam ac verbis contineri, rerum autem inventionem ac dispositionem esse, elocutionem ad verba pertinere. Quare initio sciendum est generalem quandam imitationem rerum esse, quam ideo sic vocamus, quia bonos omnes in inventione a dispositione rerum imitari licet. Observabit enim diligens lector, quibus ex locis boni autores ducant exordia, unde sumant amplificationes, quomodo tractent locos communes et affectus, quomodo concilient animos, quomodo perturbent, quam tempestive ac parce aspergant

sententias, quam diligenter conservent decorum, quanto consilio disponant partes in causis. Ubi praeparent auditorem, ubi narrent, ubi disputent, ubi refutent adversarium, quomodo in epilogis addant motus et affectus orationi. Itaque etsi unus Cicero maxime excellit etiam in his virtutibus, tamen alii quoque non solum Latini, sed et Graeci exercere et acuere studiosos possunt, si locos atque consilia eorum in inveniendo ac disponendo imitentur. Et interdum gloriosum erit res easdem ab illis sumptas ad nostras causas apte transferre. Quemadmodum multa videmus Ciceronem ab Isocrate, a Platone et a Demosthene sumpsisse. Quanquam hoc magis praestandum est, ut discamus similia exemplorum gignere, sicut boni pictores non mutuantur, sed imitantur formas ac gestus virorum corporum.

Est et generalis quaedam imitatio elocutionis, quod ad grammaticum sermonem attinet, qui non solum latina verba, sed etiam phrasin latinam requirit. Cum enim hoc tempore tota nobis latina lingua ex libris discenda est, facile iudicari potest in hac parte necessariam esse imitationem, ut certum sermonis genus, quod ubique et omnibus aetatibus intelligi possit nobis comparemus. Quis enim intelligit istos, qui genuerunt novum quoddam sermonis genus, quales sunt, Thomas, Scotus, et similes. Certa igitur aetas autorum eligenda est, qui propriissime et purissime locuti sunt. Ac fere fit, ut prudentissime loquantur etiam, qui dicunt purissime. Quare ab his non tantum sermo, sed interim res quoque cognitione dignae sumi queunt. Constat autem Ciceronis aetate, eloquentiam Romanam perfectam fuisse. Proinde totum illud seculum nobis imitandum proponamus, videlicet Ciceronem, Caesarem, et paulo superiorem his Terentium, et aliquanto inferiorem Livium. Plauto etiam nihil facilius est. Legendus est et Salustius. Sed in his cum antiqua et obsoleta quaedam verba extent observandum est, quid receperit Cicero, quem velut Aristarchum scriptorum omnium, nobis constituamus. Plinius rerum vocabula nobis conservavit, etsi genus sermonis non probatur. Quintilianus videtur studium proprii sermonis maximum habuisse, nec dissimulat se conatum homines amantes iam corrupti sermonis, ad veterem proprietatem revocare. Ab his igitur autoribus lingua nobis discenda est, cum his colloquendum. Neque tantum singula verba a seculo illo mutuemur, sed phrasin, hoc est, iuncta verba, qualia sunt: dare damnum, facere damnum, dare verba, dare in casum rempublicam, capio dolorem. Non enim dicimus: cepit me dolor, et hoc genus infinita. Neque enim quaelibet voces coniungi solent. Consuetudo igitur Romana in verbis iungendis imitanda est. Nam et graeca et latina lingua, initio ita corruptae videntur, cum exterae nationes una cum imperiis eas linguas acciperent, et verbis quidem bonis uterentur. Neque enim alia audierant, sed in iungendo peccarent. Inusitatus enim verborum concursus, non solum confragosam et obscuram orationem, sed prorsus novam linguam parit. Itaque quod Caesar dixit inusitatum verbum non aliter atque scopulum fugiendum esse. Idem de verbis contra consuetudinem iunctis, praecipi iudicemus. Idem et de metaphoris sentiendum est, quarum novitas et ambiciosa est, et orationem reddit obscuram. Et supra diximus, verecundum usum huius generis esse debere. Nam oratio magna ex parte proprio sermone constare debet. Non igitur discedamus a Ciceronis aetate, a qua, si verba, phrasin et figuras sumemus, oratio erit plana, aequabilis et perspicua, nihil habebit ambiguum, aut ambiciose affectatum, quod vitium non solum in oratione offendit, sed etiam prodit ingenii vanitatem. Itaque de hac generali imitatione phrasis, recte iudicant nonnulli bonos omnes imitandos esse. Nam sermonem melius discimus, cum pluribus colloquentes, si tamen emendate loquantur. Non enim numero inter bonos, aut illos ineptos antiquitatis amatores, qui horribile quoddam sermonis genus habent, quod Ciceronis aetate prorsus exoleverat, aut hos, qui post Quintiliani tempora extiterunt, qui iudicio lapsi, summam ingenii laudem crediderunt esse, nihil simpliciter ac proprie efferre, et figuras gignere quam maxime prodigiosas, quo genere delectati sunt Apuleius, Sidonius, et alii multi. Iurisconsultis vero merito tribuitur laus proprii sermonis, quare etiam si propter rerum cognitionem non legerentur, tamen propter latinae linguae proprietatem legendi erant.

Sed praeter hanc generalem imitationem inventionis, dispositionis, verborum, phrasis et figurarum, specialis quaedam est imitatio Ciceronianae compositionis, de qua inter doctos quaedam controversia est, utrum operae precium sit in ea imitanda elaborare. Est enim peculiaris

quaedam collocatio membrorum orationis apud Ciceronem, quae non solum aequabiliorem reddit orationem, sed plurimum etiam ad perspicuitatem conducere videtur. Atque ego ita statuo illam ipsam componendi rationem, ut caeteras artes, initio, propter necessitatem, aut certe insignem utilitatem desideratam atque animadversam esse. Postea deprehensa via, secuta est utilitatem voluptas. Multa enim non ferenda vicia deprehenduntur in his, qui incomposita dicunt. Primum coacervant sententias male cohaerentes, et in his ipsis saepe grammaticum vocum ordinem perturbant hyperbatis. Huius rei exemplum est videre in exordio Plinianae praefationis, cuius membra in mea paraphrasi partim exemi, partim ordine disposui, ut principalis sententia clarius conspici atque intelligi posset. Apud Salustium in orationibus extant gravissimae sententiae, de causis maximarum mutationum publicarum. Et hae verbis efferuntur optimis, et tamen oratio non satis dilucida est. Neque vero defuit homini perito, et versato in republica iudicium, aut patrius sermo, sed compositio deest. Quare cum sententiae quasi truncatae atque interruptae recitentur, fit oratio subobscura. Deinde crebro accidit, ut hi qui dicunt incomposita, relinquant imperfecta et mutila argumenta. Alicubi antecedens reperias sine consequente, utar enim dialecticis appellationibus, quae sunt notae omnibus. Hoc in Pliniana praefatione fit aliquoties, nam ibi antecedens est. Quam plurimum interest, sortiatur aliquis iudicem an eligat, multumque apparatus interest apud invitatum hospitem et oblatum. Deinde relinquitur imperfectum argumentum, quare intelligi nisi ab attento lectore non potest. Erant enim addendae conclusiones in hanc sententiam. Cum invitatus hospes maiorem apparatum requirat quam casu oblatus, ego iure reprehendi queam, quod cum te ad hos libros legendos ultro invitavi, non praestiti ut tuo iudicio satisfacerent. Sed plus negocii fuerit alteram similitudinem absolvere. Quid? quod idem autor non solum argumenta relinquit imperfecta, sed etiam in grammatica constructione quaedam relinquit ἀνανταπόδοτα, quod viciosissimum est. Sunt et alia incompositae orationis incommoda, sed ego illa recitare volui, quae adolescentes iudicare facile possent. Multum igitur ad rerum perspicuitatem diligentia componendi confert. Quanquam autem in tanta varietate ingeniorum, alium natura ad aliud dicendi genus ducat, et his nostris temporibus perfecta eloquentia sperari non possit, tamen generalia quaedam praecepta trademus, non tantum his, qui solam Ciceronis compositionem imitaturi sunt profutura, sed ut mihi quidem videtur necessaria, quocunque in genere dicendi versemur. Quae tamen si quis observaverit, facilius intelliget Ciceronis compositionem, quae cum longe sit optima, praeclare facere iudicandi sunt, qui summa cura, summoque studio effingere eam conantur. Etsi enim ea in re ipse non elaboravi, nemo enim monebat aut norat ista, me adolescente, et postea meo quodam fato incidi in quaedam negocia, quae ad haec studia colenda non tantum mihi quantum vellem temporis concedunt, tamen ad officium meum pertinere existimo, ut quae sunt optima pro virili demonstrem. Nam Politianus parum liberaliter facit, qui videtur ideo deterrere alios ab imitatione Ciceronis, quia cum se natura ad aliud dicendi genus deduci intelligeret, iudicio videri voluit, id quod ipse consecutus non esset, improbare. Ego vero ita statuo, artificium faciendae orationis non valde dissimile esse Poëticae. Ut autem stultissimum fuerit ei, quem velis elegiam scribere, Horatii odas aut satyras potius proponere, quam Ovidium aut Tibullum, ita imprudenter iudicare arbitror istos, qui in facienda oratione nihil interesse putant, quos autores sequantur. Nam ut illi elegiae studioso plurimum legendi erunt elegiaci poëtae, et quidem praestantissimi, et elaborandum erit, ut aliquam illorum similitudinem consequatur, ita in soluta oratione legenda erunt optima exempla, et efficiendum, ut horum quasi colorem ducat oratio. Quanquam autem multi propter imbecillitatem ingeniorum et naturae dissimilitudinem in imitatione Ciceronis successus parum secundos habeant, tamen illi ipsi longe plus proficient in Cicerone legendo, quam si deteriora exempla sequerentur. Quamvis enim isti aridi non poterunt effingere divinam illam compositionem, quam etiam Romanis temporibus nemo aequalium Ciceronis, qui quotidie dicentem audiebant exprimere potuit, tamen hoc assequentur, ut oratio sit aequabilior et uberior. Et sunt aliae virtutes infinitae Ciceronis, quarum vel umbram referre non exigua laus erit, atque ego vel obscura lineamenta Ciceronis malim, quam nativam Politiani aut Gellii faciem. Cur autem prudens praeceptor nactus ingenium foecundum et copiosum, non

hortetur, non incitet, ut complecti Ciceronem et in eum tota mente, totoque animo intueri et ad ipsius exemplum, totum se componere studeat, ut, quantum ingenio, industriaque consequi poterit, non tantum ab eo verba ac phrasin sumat, sed etiam effingat compositionem. Qua in re successus non est desperandus his, qui mediocriter a natura adiuvantur. Neque ego ab aliis bonis autoribus hunc imitatorem arcendum puto, nam ab his quoque adiuvabitur, verum ut a poëtis orator, aut a pictoribus statuarius. Quanquam enim statuarius, multum ab arte vicina ad suum usum transferre poterit, tamen ita erit intentus in artis suae exemplum atque ideam, ut observet, quae cum illa idea consentiant, ne procul ab ea discedat. Neque vero is imitari Ciceronem dicendus est, qui excerptas ex illo sententias ac versus, quasi Centones consuit, quemadmodum facere nonnullos videmus. Sed ἕξιν sibi quisque faciat, ut ultro se Ciceronis verba offerant, quae cum ita coniungimus, ut res nostras explicent, tamen collocatio et series partium debet habere quandam Ciceronis similitudinem. Caeterum ut Virgilius ab Homero multos versus sumpsit, ita decebit et nos interdum aliquod membrum aliunde mutuari, si tamen habeatur ratio decori. Serviendum est enim temporibus ac locis, quemadmodum Virgilius, etsi ad imaginem Homeri se totum composuit, tamen illa prudenter vitavit, quae Romanis moribus non congruebant. Ac ne verba quidem repudiabit imitator, quamvis ignota Ciceroni, quae causa postulat, ut in controversiis theologicis utendum est appellationibus Christi, Ecclesiae, fidei pro fiducia, et aliis similibus, Quia enim res illas a sacris literis mutuamur, sermonem illarum eo nos sequi oportet, ne res dissentientes a scripturis afferre videamur. Quare merito ridentur inepti quidam, qui pro fide persuasionem, pro Evangelio coelestem Philosophiam, et alia similia dicunt, in quibus saepe fit, ut Germanam significationem illarum vocum quas aspernantur non reddant. Id non est illustrare res difficiles dicendo, sed obscurare atque corrumpere. Quid quod isti somniant imitationem, non phrasi et collocatione, sed in singulis verbis esse? qua in re pueriliter errant. Nam Cicero etiamsi interdum verbis utebatur ignotis populo Romano, multa enim a Philosophis et ex Graecis historiis sumit, tamen Ciceroniano more dicebat. Collocatio enim et universum corpus orationis Ciceronem referebat.

Cum igitur eloquentiae studiosi praecipue in hac parte elaborare debeant, ut Ciceronem imitentur atque effingant, praecepta quaedam adscribemus, ut intelligere compositionem studiosi facilius possint. Legent enim Ciceronem libentius et propius exprimeut, si virtutes intelligent. Et quoniam de imitatione locorum inventionis, de similitudine dispositionis, item verborum et phrasis diximus, reliquum est, ut viam quandam componendi ostendamus.

Primum in compositione praeceptum est, ut sit iustus ordo sententiarum, quem quidem in narratione seu expositione facti servare facile est. Verum in exordiis et in probationibus servare difficilius est. Primum autem poni solet aliqua propositio suae cuiusque partis in oratione. Deinde subiicitur ratio, postea sequitur rationis expositio, aut amplificatio, interdum sequitur simile aut dissimile, aut adversativa, quae quasi novae orationis initium est. Et in his partibus perpetuo versatur Ciceronis oratio. Alii coacervant sententias longius inter se distantes, et plaerasque relinquunt quasi truncatas, et nonnunquam admiscent alienas. At Cicero apte complectitur omnia, quae ad rem pertinent, eaque ita connectit, ut inter se membra proxime cohaereant, velut dialecticae probationes. Et dum inter haec septa cohercet orationem, nihil intempestive intertexit alienum, et inchoatas sententias absolvit et exaedificat. Exemplum sumemus ex oratione notissima pro Archia, ubi prima exordii propositio est. Debeo Archiae reddere gratiam ex hac facultate dicendi. Haec est enim summa propositionis, quam vestivit Cicero quibusdam ornamentis, ut sonus esset plenior. Sequitur ratio, quia Archias adiuvit haec mea studia eloquentiae. Deinde sequitur conclusio argumenti per comparationem. Ergo si aliis eloquentia mea opem tulit, maxime debet isti opem ferre, a quo adiuta est. Postea sequitur adversativa, continens novum locum, novam propositionem. Non est alienum, oratorem a poëta adiuvari. Ratio, quia omnes artes inter se cognatae sunt, quare alia adiuvat aliam. Postremo sequitur alia adversativa. Quanquam autem hic ordo sententiarum magis ad inventionem aut dispositionem, quam compositionem pertinere videtur, quae est in quadam concinna collocatione verborum, tamen si quis recte considerabit, intelliget universae compositionis fundamentum esse, iustum sententiarum ordinem. Nam abs-

que eo nullae periodi cohaerebunt, quod incomponendo praecipue fieri oportet. Plurimum autem prodest ad intelligendum Ciceronem, hoc modo distribuere sententias, et videre unde nascantur, et quomodo consentiant. Quod si quis animadverterit, scribet et ipse melius cohaerentia.

Proximum autem praeceptum est, ut sententiae illae in magna parte orationis illigentur periodis. Quid autem sint periodi, quid *κῶλα* quid *κόμματα*, tradunt grammatici. *κῶλον* enim est unica integra sententia, ut quae homines arant, navigant, aedificant, omnia virtuti parent. *κόμμα* pars est coli, ut navigant, aedificant. Periodus autem constat minimum ex duobus colis.

Dicitur autem periodus seu latine circuitus aut circumductio, quia colligit plures sententias, particulis rationalibus, causalibus, relativis, comparativis, adversativis, interdum etiam copulativis. Exempla sunt ubique obvia apud Ciceronem. Quanquam mihi semper frequens conspectus vester multo iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus Quirites, tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas, sed meae vitae rationes, ab ineunte aetate susceptae prohibuerunt. Turpe est Stoicis ignorare Zenonis decreta, quanto turpius et indignius est Christi decreta nescire Christianos? Pro Archia: Etiam illud adiungo saepius ad laudem atque virtutem, naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Pro Marcello: Tantus est enim splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi et consilii dignitas, ut haec a virtute donata, caetera a fortuna commodata esse videantur. Haec exempla recito, ut adolescentes discant, non illas tantum periodos dici, quae inchoantur a circumductionibus, sed etiam per adversativas, per comparationes apte connecti plura *κῶλα*. Est et simplicius quoddam genus, quod Demetrius vocat historicum, quale est hoc: Inferimus bellum, infestisque signis descendimus in Italiam, tanto audacius fortiusque pugnaturi, quanto maior spes, maiorque animus inferentis est vim, quam arcentis. Initium non habet particulam circumducentem, ideoque simplicior esse forma videtur. Huius generis sunt et haec. Suscepit iniunctam legationem, ut principi quemadmodum debere se iudicabat, morem gereret. Alia forma quae initio habet circumductiones videtur esse volubilior, et ut inquit Demetrius, efferri ore rotundo et circumacta manu. Has tamen formas proposui, ut varietatem periodorum studiosi facilius agnoscerent.

Ordo sententiarum, de quo paulo ante dixi, res perspicuas reddit, at periodi forma prodest ad connectendas sententias, et addit pleniorem sonum orationi. Danda igitur erit opera imitatori, ut in periodis faciendis Ciceronis exempla effingat. Neque tamen constat oratio tota periodis. Sunt enim interdum singula cola, velut intervalla, inter periodos ponenda. Et exordia ac syllogismi magis recipiunt periodos quam narrationes, quae magna ex parte habent cola. Contentiones vero ac disputationes rarissimas habent periodos. Constant enim brevibus quibusdam membris quasi aculeis. In narrationibus facile est agnoscere seiuncta *κῶλα*, ut Milo domum venit, calceos et vestimenta mutavit, paulisper dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est, obviam fit ei Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus. Pro Cluentio: Frater mortuus est, haeredemque Magium reliquit, postea Magia mortua est. In talibus siquis *κῶλα* connecteret, rerum seriem corrumperet. In contentionibus, ut pro Ligario: Quid enim Tubero tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat, cuius latus ille mucro petebat, qui sensus erat armorum tuorum, quae tua mens, oculi, manus, ardor animi, quid cupiebas, quid optabas? Plenae sunt disputationes in philosophicis libris, brevibus membris, ut: Minime mirum id quidem, Nam efficit hoc Philosophia, medetur animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Nondum absolvimus praecepta compositionis. Nam quae hactenus tradidimus, etsi a Cicerone fiunt accuratissime, tamen et alii boni scriptores reperiuntur, qui non omnino negligentes sunt in ordine sententiarum et qui aliquo modo periodos faciunt. Verum ad haec addit Cicero duas res, quae sunt ipsius maxime propriae, scilicet, quod verbis ornat singula membra, pene ut fit in poëmatis. Et quia haec ornamenta periodum explent, efficiunt concinnum et numerosum quiddam. At stultum est nunc de numeris praecipere, cum sonus linguae latinae hoc tempore non sit nativus. Illud tantum hortabor, in quo copiae laus est, ut ornare sententias verbis imitator discat. Quod cum faciet, oratio erit uberior ac mollior. Pe-

riodum sponte sequuntur numeri. Pro Archia poterat Cicero simpliciter dicere: Debeo Archiae reddere gratiam ex hac facultate dicendi. Sed vide quomodo ornaverit, extenuat vires suas, si quid est ingenii quod sentio, quam sit exiguum etc. Deinde partitur facultatem in tria membra, in ingenium, exercitationem, et doctrinam. Nam his tribus rebus artes continentur. Illud sciet etiam imitator, quod modus in ornando observandus sit. Nihil enim odiosius est inani ostentatione ornatus, qui nunquam debet videri ociose accersitus, sed ad illustrandam causam, necessario adhibitus esse.

Haec si studiosi in lectione Ciceronis observabunt, meo quidem iudicio rectius intelligent autorem optimum, et virtutes omnes propius aspicient. Neque vero haec utilitas exigua iudicanda est, etiam si non procedat imitatio. Et tamen si conniti volent isti, qui adiuvantur a natura, intellectas virtutes, aliqua ex parte effingere poterunt. Quod si haec diligentia componendi nihil nisi puerilem ostentationem ingenii haberet, non esset, cur huius partis imitationem valde requirendam putarem. Sed cum maximas afferat utilitates, digna mihi res videtur, in qua si qui non destituuntur ingenii viribus, elaborent. Fit enim oratio magis dilucida, si apte cohaereant sententiae, si non relinquantur imperfecta membra, aut argumenta, si extent atque emineant ille partes, quas praecipue conspici prodest, si quis ornatus quasi vestitus accesserit, si mediocria sint periodorum spacia, si non sint dissipatae periodi hyperbatis. Verissimum enim illud est, quod scribit Cicero, veram speciem ac pulchritudinem cum utilitate coniunctam esse, cuius rei tum in natura, tum in artium operibus, maximeque in aedificii infinita exempla ostendi possunt.

Nam illa in aedificiis apta partium proportio non minus habet utilitatis, quam decoris. Quare existimandum est et hanc harmoniam collocationis oratione, non solum propter venustatem, sed etiam propter certam utilitatem animadversam esse. Idque ex eo intelligi potest quod videmus homines prudentes, sed rudes harum nostrarum artium, summa diligentia componere et struere orationem, qui id faciendum putant, non voluptatis, sed necessitatis causa, videlicet, nequid confuse, nequid obscure, nequid intempestive, aut alieno loco dicant, nequa relinquant mutila et pendentia membra. Denique non solum perspicuitatis, sed etiam dignitatis rationem habendam esse in scribendo sentiunt.

Atque hi partim usu cognoverunt, partim sine doctrina, vi ingenii perspiciunt, in magnis et gravibus causis, orationem perspicuam et in qua aliquid dignitatis sit requiri. Quod cum ita sit, cumque natura ducat homines prudentes ad componendam orationem, decet eruditos perfectum aliquod exemplum collocationis quaerere, ad quod se in facienda orationem referant. Turpe est enim eruditis, neque vim huius rei intelligere, neque rationem requirere, cum harum artium rudes perspiciant, et quanta vis sit compositionis, et iudicent res magnas sine hac diligentia explicari non posse. Mira autem ingenii fiducia est, in hac parte longe difficillima repudiare exempla, atque aspernari imitationem, cum in aliis levioribus artibus homines sine exemplis atque imitatione parum proficiant. Et vulgo ita dici solet: Sibi quenque pessimum esse magistrum, quod non solum in artibus, sed in moribus et in omni vita cernimus. Cum igitur haec ars sine exemplo atque imitatione perfici non possit, et inter peritos constet perfectissimam esse Ciceronis compositionem, praeclare facere iudicandi sunt, qui hunc autorem sibi proponunt, ut cum alias eius virtutes, tum etiam collocationem effingant.

Cum enim omnino aliqua collocandi atque ornandi ratio necessaria sit, id quod experiuntur in magnis causis etiam illiterati, prudentia est exemplum eligere optimum. Nam et Cicero propterea videtur melius composuisse quam caeteri, quia excellentes artifices imitatus est. Secutus est enim exemplum Isocratis, cum alii contenti vulgari quadam forma orationis, nihil melius quaererent, aut perfectius. Neque ab hac sententia eo deducor quod magni extiterint oratores, qui non composuerunt more Ciceronis. Neque enim similis est Lysiae compositio Ciceronianae. Ego vero non ignoro dissimiles esse in componendo magnos autores. Ac ne Cicero quidem eodem modo componit omnia. Verum hoc habent commune excellentes artifices omnes, quod sententias ordine distribuunt, etiamsi periodos non eodem modo faciunt. Deinde quod aliqua membra verbis illuminant. Et hac in re praecipue excellunt hi, qui vocantur Attici, quod efficiunt ut apte cohaereant sententiae, etiamsi periodis non

devinciunt. Nam ex bonis et praestantibus autoribus nemo tam ignavus fuit, ut sine omni cura collocationis orationem congereret. Ac Cicero etiam cum non admodum accurate texit periodos, est enim liberior oratio in Epistolis et philosophicis libris, tamen hoc nomine superat alios, qui nullam adhibuerunt in componendo curam, quod cavet, ne concurrant sententiae longius distantes, aut male cohaerentes, aut nequid relinquatur imperfectum. Haec non cavent Salustius, Seneca, Plinius, et alii recentiores. Quare etiamsi non omnes compositionis partes effingemus, tamen illum sententiarum ordinem atque absolutionem magis poterimus in Cicerone, quam in aliis cernere. Ac si quem omnino delectant incomposita, nullius oratio apud Latinos aequabilior est quam Ciceronis, etiam cum se eximit ex illis vinculis artis, de quibus ipse in perfecto oratore praecipit. Rectius igitur hunc imitabimur quam alios, aut tristes, horridos, concisos, aut supinos et longius iusto fluentes, et plenos hyperbatis, et qui temere sententias congerunt. Nos adolescentuli incidimus in Policianum et posteriorem Plinium, quorum nos invitabant subtiles argutaeque sententiolae, quibus abundat uterque, delectabant in his et alii quidam flosculi, habent enim dicta quaedam belle detorta, sed argutiae illae sententiarum et belle dicta mirum in modum amantur a iuvenibus et imperitis, et placent in schola ludentibus, sed in seriis negociis nihil est ineptius atque inanius illis affectatis argutiis. Quid autem assecuti sumus horum lectione? Primum aridiores facti sumus, cum natura parum uberes essemus, deinde illas inanes argutiolas, quas praecipue auferebamus, postea intelleximus nobis abiiciendas ac dediscendas esse. Quanto melius consuluissent nobis praeceptores, si et ad Ciceronis lectionem discipulos assuefecissent et docuissent, non solum verba ex Cicerone excerpere, sed etiam phrasin imitari, et totam orationis formam, hoc est, sententiarum ordinem atque ornamenta effingere. Ego itaque non tantum in schola, sed magis usu rerum doctus comperi nullius generis imitationem, plus conducere his, quibus res seriae et magnae tractandae sunt, quam orationis Ciceronianae. Et instruxit artifices cuiuslibet generis Cicero, quia non solum orationes et Epistolas reliquit, sed etiam disputationes. Nec difficile erit intelligere lectori non stulto, si in haec exempla intuebitur, quid in quolibet genere deceat, qualis oratio conveniat Epistolis, quas saepe de maximis rebus et ad summos principes scribimus, qualis oratio in narrationibus, laudationibus, in vituperationibus, qualis in disputationibus probetur. Quare studiosi omnes adhortandi sunt, ut quam plurimum legant Ciceronem, et ab eo primum verba ac phrasin mutuentur. Deinde consilia eius in inveniendo ac disponendo considerent. Postremo totam orationis formam, hoc est, sententiarum ordinem, exornationum copiam, atque modum quantum ingenio ac studio consequi poterunt, imitari conentur. Ut enim Elegiacus ille, de quo supra dixi, sine controversia melior evadet ex Ovidii lectione, quam si legat Odas Horatii, et Heroicus scribet foelicius, si sequetur Virgilii proprietatem, et in ordinandis atque absolvendis membris oeconomiam, quam si Lucanum aut Statium, qui sunt improprii, inflati et obscuri, imitetur. Ita dubitari non debet, quin ille noster imitator ex lectione Ciceronis melior quam ex aliis autoribus futurus sit. Cum enim in poëtica maximam vim esse imitationis appareat, dubitari non debet, quin et in hac vicina arte plurimum polleat. Tanta est enim inter has cognatas artes similitudo, ut plaerique illustriores loci Ciceronis ac Livii, si recte existimemus, poëmata iure dici possint.

De tribus generibus dicendi.

Plurimum etiam conducit ad iudicandum, agnoscere diversa genera dicendi. Nam ingeniorum dissimilitudo, diversas formas, seu ut Graeci nominant χαρακτῆρας operum, non solum in hac arte, sed in plaerisque aliis peperit. Et tamen certi quasi gradus animadversi sunt, intra quos hae formae consistunt, videlicet humile genus, et illi oppositum grande. Tertium est mediocre, quod primo genere plenius est, et tamen aliquantulum a summo abest, in picturis facile deprehendi hae differentiae possunt. Durerus enim pingebat omnia grandiora, et frequentissimis lineis variata. Lucae picturae graciles sunt, quae et si blandae sunt, tamen quantum distent a Dureri operibus, collatio ostendit. Matthias quasi mediocritatem servabat. Miscentur autem haec genera inter se, sicut musici tonos miscent. Nam et illi qui sunt tenuiores, interdum aliquid efficiunt plenius. Et in eodem tempore alii loci grandes sunt, alii exiles, iuxta rerum varietatem, de quibus dicitur.

Humile genus non assurgit supra quotidianam loquendi consuetudinem, proprietatem sermonis mira sollicitudine custodit, et studet signate res efferre verbis quam maxime propriis. Non amat crebras figuras, libenter utitur metaphoris, sed non procul accersitis, verum sumptis ex quotidiano sermone. Nihil admodum amplificat, sed tota orationis species verecunda est, et ad dissimulationem composita, et quasi de industria fugitans ornatum. De re prudenter et ordine disputat, nec fere a proposito discedit, et ipsa simplicitatis specie insidiatur auditori. Circumductiones habet paucissimas, refert enim quotidiani sermonis negligentiam in collocatione verborum. Artifex huius genus Terentius est apud nos. Hic character est orationis et in Erasmi colloquiis. Et Cicero in philosophicis disputationibus et praeceptis fere sequitur hoc genus. Est enim ad docendum maxime accommodatum. Scriptores vocant Atticum, et si Cicero contendit Atticos etiam grandiores esse quam sit oratio in comoediis. Neque id dissimulari potest, nam Demosthenes et Aeschines sunt grandiores. Et apud nos Caesar sublimior est, qui quidem vere Atticus iudicandus est. Etsi autem interdum pleniore sono utuntur Attici, tamen haec prima forma horum propria fuit, quia propriissime loquebantur, et verecundiores erant in ornando reliquis gentibus, et quidquid erat ineptum et intempestivum summa diligentia vitabant. Viciosi sunt in primo genere breves quidam ac ieiuni, horridi et obscuri, qualis est in orationibus alicubi Salustius.

Grande genus, et si magna ex parte proprio sermone constare debet, tamen metaphoras habet crebriores, ac longius petitas, copiose amplificat adhibitis omnibus figuris, et quasi de industria ostentat ornatum. Hoc genus magna cum laude secutus est Livius. Et Cicero utitur eo in plaerisque orationibus, ut in Verrinis, et in Catilinam, in Pisonem, pro Milone. Et quidem addit accuratam compositionem, quae maxime in hoc genere requiritur. Neque vero ubique usus est hac forma Cicero, sed gravioribus causis addit sonum maiorem. In aliis levioribus negociis medium adhibet genus, interdum in docendo contentus est humili genere. Facile autem agnosci grande genus potest. Utitur enim verbis atrocibus ac tragicis, terribiles gestus pingit, ut apud Virgilium mors Didonis describitur. Viciosi sunt in hoc genere, tumidi et inflati, qui nimis grandes videri cupiunt, qui nihil proprie efferunt, sed perpetuas habent periphrases, et prodigiosas metaphoras. Hi vocabantur olim Asiatici. Nam in Asia cum sermonis genus haberent corruptum et improprium, tamen affectabant eloquentiae laudem ostentatione immodici ornatus. Ab hoc genere semper in primis abhorruerunt sana ingenia. Medium genus vix a grandi discerni potest. Non enim multum ab illo distat, copiosum est, et abundat figuris, sed in amplificando aliquantulum resistit infra grande genus. Ovidius fere talis est. Et pleraeque Ciceronis Epistolae et orationes, quidam etiam libri philosophici ad hanc formam pertinent. Pertinent ad eam et Erasmi pleraeque declamationes. Maxime vero prodest cognoscere duo extrema genera in imitando, ut virtutes dissimilium autorum, quos legimus, melius perspiciamus, et ut unusquisque observet ad quod genus natura magis appositus videatur, ut aridi uberiora scripta legentes, adiiciant aliquid viribus suis tumidi vero ac supini moderentur naturam, et assuefaciant se ad proprietatem lectione istorum, qui Attici vocantur, quorum maxime propria est oratio.

Τέλος.

V.

DIALECTICA PH. MELANTHONIS.

Mox postquam rhetorices praecepta ediderat, Melanthon conscripsit et edidit *Dialecticam*.

Sunt autem distinguendae *tres* huius libri formae, quarum *prima* a. 1520., *secunda* a. 1528. et *tertia* a. 1547. prodiit.

Prima forma anni 1520. sic inscripta est:

„Compendiaria dialectices ratio. Lips. apud Melch. Lottherum, anno M. D. XX. 4." Auctoris nomen in titulo non conspicitur, sed legitur in dedicatione ad Schwertfegerum, cui librum inscripsit. Dedimus eam in Epistolis Vol. I. p. 152. et cum ea conferenda est epistola ad Bernhardum Maurum (Vol. I. p. 62.), in qua Melanthon de cognatione, quae rhetoricen et dialecticen intercedit, exposuit.

Recusus est hic liber Basileae apud Valent. Curionem, 1521. m. April.
Lipsiae 1521. apud Val. Schumann.
Haganoae ap. Io. Secerium, 1521.
Basileae per Adamum Petri, 1522. mense Ianuar.
Parisiis ap. Simon. Colinaeum, 1522.
Argentorati ap. Ioh. Hervagium, 1523.
Basil. apud Thom. Wolff, m. Aug. 1523.
Augustae Vindelic. 1523.

et saepius.

Secunda forma.

De ea Melanthon ad Camerarium (Vol. I. p. 1084.): „Dialectica mitto, quae nuper recognovi, et posteriores duos libellos retexui, et ita tractavi, ut totam artem complexum me esse putem." Initium perpoliendi libri fecerat Melanthon iam a. 1527. Nam in Ep. d. 2. Iul. 1527. scripsit: „ego διαλεκτικὴν perpolio, nunc enim pueris meis trado." *Mylius* in chronologia librorum Melanthonis dixit, prodiisse hanc novam editionem dialectices, quam Guil. Reiffensteinio dedicaverat (vid. Vol. I. p. 1079.), anno 1528., sed mihi videbatur Melanthon eam anno 1529. edidisse, ut in Vol. I. Epist. p. 1074. nota **), et ibid. p. 1079. legi potest, neque putabam in eo errasse, quum Melanthon ipse in dedicatione rhetorices editae a. 1531. et filiis Reiffensteinii inscriptae, scripserit, se *ante biennium* patri eorum dialecticen dedicasse. Quum autem ex anno 1529. nullam dialectices editionem commemoratam novi, sed prostat editio emendata ex anno 1528., velim nunc accedere ad sententiam Mylii, et puto ea, quae Melanthon in Epistolis d. 10. Iun. et d. 24. et 26. Iulii 1529. dixit, referenda esse ad editionem, quae Vitebergae excusa est, quam vero a nemine commemoratam vidi.

Prodierunt nempe:

„Dialectices Phil. Mel. libri quatuor ab auctore ipse de integro in lucem conscripti ac editi. Item Rhetorices praeceptiunculae doctissimae." Hagan. per Ioann. Secerium, 1528. mense Aug. 8. — Recusus est liber: Phil. Mel. dialectica, ab authore adaucta, ita ut in multis veterem non queas agnoscere. Paris. ap. Io. Steph. 1528. m. Nov. 8.

Porro: De dialectica libri IV. Phil. Melanchth. Witeb. 1531. 8.

Ph. Mel. dialectica, iam recens aucta ab autore et multo explicatius quam antea tractata. Paris. ap. Simon. Colinaeum, 1532. 8.

Ph. M. de dialectica libri quatuor recogniti. Witeb. ap. Ioh. Clug, 1533. 8.

— ibid. excud. Ioann. Crato, 1533.

— ibid. per Ioh. Clug, a. 1536.

— Lipsiae 1536.

— Argentorati 1542.

Denique hanc secundam libri formam edidit et auxit Melanthonis discipulus Paulus Eberus: „Dialecticae praeceptiones collectae a Philippo Melanthone. Accesserunt ceteris editionibus, Regulae consequentiarum, Regulae de causis, Item Formae Distinctionum. Initio et locus Thucydidis insignis additus est. Vitebergae anno M.D.XLIIII." 8. — In praefatione Eberus: „scio, ait, autheri ipsi hanc sylvulam non placere, et si otium esset retexeret. Sed interim rursus edidimus, et regulas consequentiarum, Causarum partitionum et formas distinctionum de ipsius sententia addidimus" etc. — Recusus est hic liber Lipsiae 1542. 8.

Tertia forma.

Prodiit anno 1547. Vid. Mel. Epist. data d. 25. Ian. 1547. Inscripta fuit Ioanni Camerario, filio Ioachimi, d. 1. Septb. 1547., vid. Epist. Vol. VI. p. 653 sqq., et absoluta est exeunte mense Sept. Emebatur hic liber tanta cupiditate, ut Melanthon ad Ioannem ministrum suum iam d. 18. Oct. 1547. scriberet: „Vendita sunt tria millia exemplorum a dialectices. Nunc recuditur et emendatione indiget." Vid. etiam Ep. d. 10. Nov. ad Casp. Aquil. (Vol. VI. p. 722.). — Ad Io. Aurifabrum (Vol. VI. p. 725.) scribit: „In dialecticis *περὶ συνεκτικοῦ*, in loco causarum a me erratum est. Mutavi eum locum, etsi ne nunc quidem mihi aut tibi satisfactum est." Hanc alteram et emendatiorem editionem Melanthon iam die brumae 1547. misit Baumgartnero (cf. Vol. VI. p. 749. 750.). Etiam haec altera editio tam cito vendita est, ut ineunte anno 1548. eadem tertio prodiret. Vid. Ep. d. 26. Febr. 1548. ad Collinum.

Inscriptus iam est liber sic:

„*Erotemata dialectices*, continentia fere integram artem, ita scripta, ut iuventuti utiliter proponi possint. Edita a Philippo Melanthone. Viteb. 1547." 8.

Recusus: „Erotemata dialectices — — proponi possint, edita a Ph. M. post tertiam editionem. Lips. ex offic. Valentini Papae 1549. 8.

— — Viteb. 1550. 8. 1 Alph. 6 pl. et 1553.

— — Lipsiae 1550. — item 1552. — ib. 1580. — ib. 1584.

„*Σωματοποιια διαλεκτικη*. Corpus discendi doctrinae s. Erotemata dialectices Melanthonianae. Auctore Valent. Erythraeo. Argentor. 1574." fol.

„Erotemata dialecticae et rhetoricae Ph. Mel. et praeceptionum ex Erasmi Roterod. de copia verborum et rerum, iam primum ad usum scholarum (trivialium) breviter selecta et contracta per Luc. Lossium. Anno 1583. 8. Francof." 21 pl.

In operibus Melanth. Basil. T. III. p. 172. (qui prodiit a. 1541.) data est secunda libri forma. Nos dedimus formam tertiam ex editione quae prodiit Lipsiae 1580.

„*Erotemata Dialectices*, continentiae fere integram artem, ita scripta, ut iuventuti utiliter proponi possint, Edita a Philippo Melanch. Lipsiae." (In fine:) Lipsiae, imprimebat Ioannes Steinmann Anno M.D.LXXX. (411 p. 8.)

Iohannis Stigelii.

Fama fidem fecit, Minoidos atria Cretae,
  Irremeabilius plena fuisse dolis.
Saepe quis ambages intrans fraudesque viarum,
  Nequaquam fallax inde relegit iter.
Solus ad Aegides comitantia fila secutus,
  Dicitur ambiguas isse, redisse vias.
Sic nisi te reliquas Dialectica ducat in artes,
  Semper in ambiguum te trahet error, iter.
Haec oculis hominum nebulas abstergit, et illos
  Seiuncta a falsis cernere vera docet.
Haec caput Aonias cupienti efferre per artes,
  In dubiis praebet fila sequenda viis.
Dum potes et licitum est, haec arripe fila iuventus,
  Praebeat ad Musas haec Ariadna viam.
Quod si in vere tuae neglexeris indolis illam,
  Nulla tibi autumni tempore messis erit.

V.

EROTEMATUM DIALECTICES

LIBER PRIMUS.

Quid est Dialectica?

Dialectica est ars seu via, recte, ordine, et perspicue docendi, quod fit recte definiendo, dividendo, argumenta vera connectendo, et male cohaerentia seu falsa retexendo et refutando.

Quod est proprium Dialectices opus seu officium?

Recte, ordine, et perspicue docere. Hic quanta sit huius operis utilitas et dignitas, consideretur. Cum homines praecipue conditi sint ad agnitionem Dei, ad intellectum et officia virtutum, et ad considerationem naturae, de his tantis rebus docere homines, praecipuum generis humani opus esse manifestum est.

Partes autem huius operis seu officii sunt quatuor: Definire, dividere, argumenta vere connectere, et male cohaerentia seu falsa dissolvere, et falsitatis causa monstrata, errantem deducere ad normas certitudinis, quae vocantur *κριτήρια* de quibus infra dicemus, ubi convictus audit se divina voce condemnari.

Unde nomen est Dialectices?

Latinis usitata vocabula sunt disputo et dissero, quod est in colloquio cum altero collatis argumentis placide aliquid quaerere, seu ordine explicare. Suntque honestissimae rei appellationes honestae et dulces. Ac longe aliud significant altercari et rixari, quam disputare. Lingua Germanica altercationes aut rixas una voce nominare potest, zancken. Sed disputatio alia res est, nec exprimi uno vocabulo Germanice potest, sed potest reddi hac periphrasi, sich mit einem andern unterreden. Quod autem Latinis est disputo vel dissero, id Graecis est *διαλέγομαι*, colloquor cum alio collocatis opinionibus. Inde est nomen *διαλεκτική*, cuius si quaerimus Germanicam appellationem, sit sane unterredkunst, vel unterrichtkunst, quia est ars recte docendi alium, tanquam in colloquio, in qua collatione argumentorum aliquid investigatur.

Circa quas res versatur Dialectica?

Circa omnes materias seu quaestiones, de quibus docendi sunt homines, sicut Arithmetica versatur circa omnes res numerandas. Et magna cognatio est Dialectices et Arithmetices. Deus indidit naturae intelligenti noticias numerorum, ut res discernat. Necesse est enim discrimina rerum aliqua agnosci, nec omnia confundenda, et in unum chaos miscenda sunt. Necesse est scire, aliud esse Deum, aliud creaturas, aliud substantias, aliud accidentia, aliud esse Deum, aliud hostem Dei diabolum. Postquam autem Arithmetica numeravit res, accedit Dialectica, et distinctis rebus nomina diversa et definitiones attribuit, quaerit membra, partes, causas, effectus, et alia quae accedunt. Deinde in ratiocinanda componit cohaerentia, et distrahit diversa. Haec a naturali luce initium sumunt, sed postea ars monstrat metas, ne aberret natura sine arte in ratiocinando, ut etiam ingeniosi homines contemtores artis, saepe in definiendo aut in contexendis argumentis hallucinantur, ut infra in fallaciis multa exempla ostendunt. Ut igitur omnes res numerat Arithmetica, et suas habet ratiocinationes, ut in collatione proportionum, cum una libra cerae valeat una drachma, quatuor librae valebunt quatuor drachmis: ita de quocunque negocia fuerit instituta explicatio, sumitur a Dia-

lectica modus docendi, definiendi, dividendi, coagmentandi vera argumenta, et refutandi falsa. Sic scripsit Alexander Aphrodisiensis: Dialecticam versari circa quamlibet materiam, quod ita intelligatur: non nasci res in Dialectica, sed modum et formam docendi tradi in Dialectica, sicut Arithmetica numerat alias aurum, alias lapides, alias alia, seu ut statuarius alias statuam ex ligno, alias ex lapide facit. Estque discrimen considerandum materiae, et artium, quae monstrant ordinem et modum fabricandi aliquid ex materia. Huc congruit illa vetus definitio recitata in Petro Hispano, quam meminisse non est inutile: Dialectica est ars artium, scientia scientiarum, ad omnium methodorum principia viam habens. Laudatio videtur ridicula, sed sic intelligatur: Dialectica est ars artium, id est, non dignitate antecedens, sed usu serviens omnibus artibus et scientiis. Non enim hic discernantur ars et scientia, sed utroque nomine significatur vera doctrina utilium praeceptionum. Harum autem vocum discrimina in praedicamentis recitabuntur. Deinde inquit, ad omnium methodorum principia viam habens, id est, in omnibus materiis methodos, hoc est, viam docendi instituens, ut si medico de morbo aliquo dicendum erit, quaeret signa, causas, effectus, constituet definitiones et divisiones. Si concionatori dicendum erit de poenitentia, exponet et ipse definitiones, partes, causas, effectus.

Quid differunt Dialectica et Rhetorica.

Etsi alii alias differentias quaerunt, tamen hoc discrimen illustre et verum est: Vicinae artes sunt, sed ita, Dialectica circa omnes materias versatur, et rerum summas propriis verbis nude proponit, nec unam sententiam pluribus verbis aut adhibitis luminibus figurarum pingit, Sed Rhetorica addit ornatum in his materiis, quae orationis copia et splendore illustrari et varie pingi possunt. Non enim omnes materiae recipiunt illum nitorem, ut, Geometer erit ineptus et ridiculus, si, ut Declamator suis demonstrationibus addere volet ornamenta oratoria. Et in multis causis, cum docendi sunt homines, magis amatur Dialectica proprietas, quam ambitiosus ornatus. Sed in materiis moralibus dominantur illa verborum et figurarum lumina, quibus excitandus est auditor, et in cogitatione unius sententiae diu retinendus, aut etiam fulminibus verborum terrendus et impellendus. Ut apud Ciceronem pro Milone, cum Dialectico satis fuisset dicere: Defensio contra violentiam manifeste iniustam, iure naturae concessa est, Cicero hanc propositionem quam multis verbis illustrat: Est ergo haec. Iudices, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, etc. Hic nitor elocutionis proprius est Rhetorices. Exempla ubique obvia sunt, sed addemus unicum ex Psalmo de concordia: Ecce quam bonum. Propositio est, Concordia gubernantium Ecclesiam, et verae doctrinae consensu coniunctorum, salutaris est. Et in postremo versu ratio additur, quia Deus talium consentientium labores adiuvat. Haec ita nude recitantur dialectico more, sed intexuntur ornamenta, quae quanquam et ipsa sunt brevia, tamen sunt illustres picturae. Tam suavis res est concordia, quam suavis est odor fragrantis balsami, quod ex Aaronis vertice in totam vestem pontificiam largiter defluit. Pictura est pulcerrima, si quasi positum in conspectu pontificem mente intuearis, ornatum sua veste, et, ut erat consuetudo, generosissimis unguentis perfusum. Sed cur mentionem Pontificis facit? Quia concordiae initium et vinculum esse significat consensum de vera doctrina. Talia exempla discrimen Dialectices et Rhetorices in quotidiana lectione ostendent.

Dic testimonia aliqua, quae utilitatem Dialecticae nobis commendant.

Contenti simus Platonis testimoniis, qui ait: Dialecticen humanos oculos in coenum barbaricum infossos sensim attollere et abstergere, ut propius aspicere, et ordine considerare res possimus, procedere a signis ad causas, et discernere ea, quae offeruntur sensibus confusa, et recte contexere argumenta, et non cohaerentia rursus divellere. Alio loco inquit Plato: Dialecticen esse artem dandi et accipiendi sermones, *δοῦναι καὶ ἀποδέξασθαι λόγους*, qua in re quanta sit utilitas, experientia monstrat. Ut enim de auditoribus tantum dicam, etiam senes mediocribus ingeniis praediti, si non sint ad Dialecticen assuefacti, difficulter doceri possunt, quod saepe animadverti potest. Nam nec argumentorum partes arripere, et ordine complecti mente possunt, nec vident, de qua parte sit dimicatio, et saepe fit, ut cum quispiam de alliis interroget, auditor de caepis respondeat. Quare non solum ad docendum, sed etiam, ut in discendo quadam dexte-

ritate accipiantur ea, quae traduntur, opus est hac arte.

Cum autem et Paulus in electione Episcopi, quae iubeat idoneum ad docendum, iubeat item doctores recte secare verbum Dei, seu, ut ipse loquitur, *ὀρθοτομεῖν,* certe Dialecticen, quae est via docendi et recte partiendi, nobis commendat. Nam inprimis in Ecclesia opus est prudenter cavere, ne diversae res commisceantur. Discerni oportet Legem et Evangelium, discerni praecepta et promissionem reconciliationis gratuitam, discerni oportet disciplinam externam seu politicam, a iusticia interiore cordium, de qua loquitur Evangelium. Hic satis apparet, valde necessariam esse diligentiam recte dividendi et definiendi, quae sunt opera Dialectices. Sed sobrie tradatur ars, et assuefiat adolescentia ad simplicem veritatis explicationem, non ad studium cavillandi, aut ad sycophanticam. Hactenus *προλεγόμενα* recitata sunt. Nunc, Deo iuvante, artem ipsam inchoabimus.

Quae est prima divisio quaestionum?

Prima divisio haec est: Quaestionum alia est simplex, quae proprie interrogatio dicitur, videlicet, quae est de uno vocabulo, ut: Quid sit virtus? Quid poenitentia? Alia est quaestio coniuncta, videlicet de oratione aliqua, seu ut Dialectici loquuntur, de propositione, ut: An cometa sit stella? an vero halitus in aëre accensus? An Christiano concessum sit militare? Ideo autem a quaestionum divisione exordimur, quia Dialecticus circa materiam aliquam versatur, de qua dicturus est, ut statuarius circa lignum aut lapidem. Et materias hoc modo primum partimur, in interrogationem simplicem, et quaestionem de propositione aliqua.

Quomodo tractatur interrogatio simplex?

Explicanda est per definitionem et divisionem.

Quomodo tractatur quaestio coniuncta?

Argumentis veris confirmanda est, et monstranda est falsitas in contrariis, quae fucosa specie veritati opponuntur.

De Praedicabilibus.

Quare initio in Dialectica traditur doctrina praedicabilium?

Quia in definitionibus in universum vocabula angustiora declarantur per aliqua communiora. Ut enim, cum procul aliquem ad nos accedere videmus, initio hominem esse agnoscimus, postea cum accessit propius, utrum notus an ignotus sit, discernimus: ita in definiendo a communioribus vocabulis ordimur. Ideo primum hos vocum gradus tradi oportet, qui vocantur praedicabilia, et ostendunt gradus et cognationes vocabulorum.

Quot sunt Praedicabilia?

Cum dicimus: Quinque sunt praedicabilia, intelliguntur quinque tituli communium vocabulorum, qui ostendunt, quae vocabula quomodo de aliis praedicentur, id est, quomodo aliis attribuantur. Sunt autem hi quinque tituli, seu gradus: Species, Genus, Differentia, Proprium, Accidens. Porphyrius nominat quinque voces, id est, vocum gradus. Sit autem haec descriptio: Praedicabilia sunt tituli vocabulorum communium, qui ostendunt, quae vocabula quomodo aliis attribuantur. Nam in hac tota rerum universitate omnia vocabula, quae iunguntur secundum communem naturae ordinem, ita iungi necesse est, ut de individuo aliquod vocabulum ex his quinque gradibus dicatur, aut de specie caetera dicantur, ut infra, cum utilitas exponetur, clarius ostendemus.

Unde hoc novum nomen est praedicabile?

Etsi *κατηγορέω* usitate significat accuso, tamen etiam generaliter significat aliquid de alio commemoro. Ideo Boëtius *κατηγορούμενον* vertit praedicatum. Et fortassis haec vocabula primum ex forensibus contentionibus ad Dialecticen translata sunt, ut cum dico: Verres est fur, nomen furis eo loco positum in propositione, est quiddam de Verre commemoratum. Sic intelligantur hoc loco praedicabilia, quae de aliis dicuntur seu commemorantur, ut de Isatide dicimus: Isatis est herba ad lanas tingendas necessaria, ut recipiant colores, cuius folia figuram foliorum plantaginis referunt, ac nostra appellatione dicitur Weidt. Haec omnia dicuntur *κατη-*

γορούμενα seu praedicata, id est, commemorata de Isatide, et congruunt ad hos gradus vocum. Genus est Herba, Necessaria ad lanas tingendas proprium, Fere similis plantagini est accidens.

Cur praedicabilia etiam Universalia nominantur?

Universalia dicuntur, quia sunt gradus vocabulorum communium. Nihil enim de alio dici potest, nisi sit aequale, aut communius. Nec vocabulum angustius ponitur loco praedicati. Naturalis enim hic ordo est, ut angustiora declarentur per communiora.

Quid est Species?

Species est nomen commune, proximum individuis, de quibus praedicatur in quaestione, Quid sit, ut cum quaerimus: Quid est Plato? respondetur: Est homo. Cum quaerimus: Quid est Bucephalus? respondetur: Est equus.

Quare hic gradus vocabulorum nominatur species?

Quia ab individuis mens sumit imaginem, quam secum circumferens, accommodat ad omnia cognata individua, ut, qui semel vidit cervum, circumfert secum imaginem, quam intuens, ubicunque cervos videt, agnoscit eos. Haec causa est, cur proximum nomen individuis Species dicatur. Nam generis non est una talis imago.

Quid vocas Individuum?

Ut Grammatici vocant nomen proprium, quod non multa significat, sed unum quiddam numero, sub certa specie, ostensum pronomine demonstrativo, ut, Plato, seu, hic homo et non alius: sic Individuum seu Singulare est nomen proprium, aut una res significata nomine proprio sub certa specie, seu ostensa particula demonstrante, ut Camillus, seu, hic homo. Cum enim non sint notae singulorum appellationes, ac ne possint quidem esse tot appellationes, quot sunt res, necesse est, coacervatis circumstantiis individua utcunque depingere. Vocamus igitur individuum, unam rem numero, quae ostenditur particula demonstrante, quocunque modo describatur, ut: Hic piscis, et non alius.

Suntne res universales extra intellectionem, ut aliqui Ideas esse res extra intellectionem universales imaginati sunt?

Non est obscura quaestio, et inseri de ea rectas opiniones teneris mentibus utile est. Tenenda est sententia vera et rectissime tradita a Boëtio: Omne quod est, eo ipso quod est, singulare est, id est: Quaecunque res in natura vere et positive est quiddam extra intellectionem, est singularis per sese. Res sunt extra intellectionem, hic servus, hic homo, hic equus. Sed communis illa imago cervi, quae vocatur species, non est quiddam extra intellectionem, nec est, ut Graeci loquuntur ὑφιστάμενον, seu hypostasis. Sed est revera actus intelligendi, pingens illam imaginem in mente, quae ideo dicitur communis, quia applicari ad multa individua potest, ut circumferens in mente imaginem cervi, agnoscit cervos ubicunque oblatos, figuram ad imaginem in mente conferens.

Nec aliud Plato vocat Ideas, quam quod Aristoteles nominat species seu εἴδη. Et uterque tantum de illis imaginibus in mente loquitur. Has dicunt esse perpetuas, quia rosae noticia seu definitio manet in mente, etiam in hyeme, cum nullae usquam florent rosae, et una est vera ac perpetua definitio. Sic dicit in mente pictoris, formam seu ideam pulcri corporis humani inclusam esse. Haec forma non est res extra intellectionem, sed ipse actus intelligendi, pingens hanc imaginem. Haec sententia et vera est, et intellectu facilis. Platonis grandiloquentia, qui saepe de ideis figurate loquitur, et prosopopoeias facit, praebuit occasionem posterioribus, ut fingerent ideas esse communes naturas, nescio ubi volitantes. Has ineptias dum sequitur Scotus, et tamen aliqua ex parte corrigere studet, prorsus ei accidit, quod illi fatuo cribri foramina obstruenti. Nos dictum Boëtii, quod recensui, verum et perspicuum sequamur.

Quid est Genus?

Genus est nomen commune multis speciebus, et praedicatur de eis in quaestione: Quid sit, ut cum quaeritur, quid sit equus? respondetur: Est animal. Quid est libanotis, quae vulgo nominatur rosmarinus? Est frutex.

Quomodo differunt species, item genera?

Valde puerilis admonitio est. Infimae species dicuntur species specialissimae, quae sunt proximae individuis, et vere sunt imagines proxime sumptae ab individuis, ut, homo, equus. Summum genus dicitur genus generalissimum. Inter haec caetera dicuntur species superiorum, et genera inferiorum, ut:

Substantia, — Genus generalissimum.
Corpus animatum, Animal, — Genera et species subalternae.
Homo, — — Species specialissima.
Plato, — — Individuum.

Quid est Differentia?

Differentia est, quae cum genere constituit certam speciem, et de specie praedicatur in quaestione: Quale sit, ut rationale cum animali constituit speciem, videlicet hominem, et ostendit qualis sit species.

Quotuplices sunt differentiae?

Duplices sunt. Quaedam sunt generales, ut, sentiens, quae multis speciebus conveniunt. Quaedam sunt specificae et ultimae, quae uni tantum speciei conveniunt, ut, rationale.

Quid est Proprium?

Proprium est inclinatio aut quiddam adiacens, quod uni soli speciei semper, et omnibus individuis eius inest, ut incedens erecto corpore, est proprium hominis. Sed de potentia intelligatur, non de actu. Nam infantes nondum incedunt erecti, et saepe homines cubando alium positum habent membrorum. Sed regulam discant iuniores: Verba in definitionibus saepe potentiam, non actum significare. Incedens, id est, quod potest incedere erecto corpore, et ad eum positum et motum conditum est. Ita usitate dicuntur propria hominis, loquens, numerans. Sed haec etiam sunt Dei et Angelorum, et significat, loquens, quod loqui potest, et ad hoc opus conditum est.

Recitatur etiam hoc loco admonitio de abusu vocabuli. Non semper eodem modo voce proprii utimur.

Primum dicitur proprium, quod uni speciei tantum convenit, sed non omnibus individuis, ut fieri heroicum bellatorem, seu Herculis similem, soli homini, sed non omnibus individuis contingit.

Secundo dicitur proprium, quod omnibus individuis convenit, sed non soli speciei, ut esse bipedem, non soli homini convenit.

Tertio, quod soli speciei et omnibus individuis convenit, sed non semper, ut canescere.

Quarto dicitur proprium accommodatissime, de quo hic loquimur, quod uni soli speciei et omnibus eius individuis et semper convenit, et dicitur de specie in quaestione, Qualis sit, ut incedens erecto corpore, posse ridere, conveniunt homini.

Quid interest inter Differentiam et Proprium?

Differentia significat partem constituentem, ut, rationale significat mentem, quae est pars hominis. Sed proprium significat quiddam sequens rem constitutam, ut, posse incedere erectum, posse loqui, numerare, non constituunt hominem, sed sequuntur constitutionem. Sed cum hoc discrimen Differentiae et Proprii exile et obscurum sit, longiorem de eo commemorationem omitto. Sciantque iuniores saepe propria pro differentiis usurpari, ut si dicam: Magnes est lapis, trahens ferrum, seu: Magnes est lapis, qui sua natura movetur ad Arcton. Haec non constituunt magnetem, sed sunt inclinationes propriae huic lapidi. Cum enim differentiae propriissimae sic dictae magis lateant, sumimus discrimina rerum a propriis effectionibus, imo saepe ab accidentium coacervatione, ut in descriptionibus plantarum.

Quid est Accidens?

Accidens est, quod non per sese subsistit, nec est pars substantiae: sed in alio est mutabiliter. Et quanquam nullae substantiae creatae omnia accidentia exuunt, tamen plaeraeque subinde aliqua abiiciunt, et alia assumunt, ut, aqua calefieri potest, et rursus frigefieri. Ex hac separatione intelligimus, aliud esse substantiam, aliud accidens.

Quotuplex est Accidens?

Accidentium alia sunt separabilia, ut frigus ab aqua, noticia a mente, laeticia, tristicia a

corde. Alia accidentia sunt inseparabilia, ut, quantitas, seu magnitudo a substantia corporea, calor ab igni, humiditas ab aqua, non separantur. Quanquam autem non abiiciuntur ab his substantiis, quas recensui, tamen quantitas mutabiliter inest, alias est maior, alias minor. Et calorem in aliis rebus videmus separari, quare aliud quiddam esse iudicamus, quam ipsam ignis substantiam. Haec brevis commonefactio sufficiat, ut iuniores discant, aliud esse substantiam, aliud accidentia, et cogitatione discernant: quia saepe necessarium est discrimen, ut aliud est anima, aliud timor Dei. Potest enim abiici timor Dei. Et quia separabilia accidentia magis conspicua sunt, ideo inde sumta est puerilis descriptio: Accidens est, quod adest et abest praeter subiecti corruptionem. Nec opus est subtili disputatione, quomodo defendenda sit haec definitio, cum non conveniat omnibus accidentibus, quia ignis non abiicit calorem: sed satis est respondere, hanc descriptionem puerilem de plerisque accidentibus, et maxime conspicuis loqui, in quorum abiectione perspicue cernimus, aliud esse substantiam, aliud accidentia. Hac simplici excusatione contenti simus.

Quomodo dicuntur accidentia de subiectis?

Sciant iuniores, accidentium esse duplicia nomina: Abstractum et Concretum. Abstractum est substantivum, ut Grammatici loquuntur, quo nuda species seu forma per se considerata significatur, ut albedo. Nec dici potest: Paries est albedo. Sed Concretum est adiectivum, significans subiectum habens formam, ut album. Hac appellatione utimur, cum accidentia tribuuntur subiectis, quia album non significat nudam formam.

Quae est utilitas doctrinae praedicabilium?

Usus praecipui sunt quatuor. Primum discernunt gradus vocabulorum in serie cuiusque praedicamenti: ibi velut tituli sunt, et indices communium et angustarum vocum.

Secundo, prosunt ad definitiones, quia semper angustiora vocabula definiuntur per aliqua communiora, ut per genus, aut accidentia, item per differentiam et proprium.

Tertio, prosunt ad iudicandas connexiones vocum, id est, ad videndum, quae quibus recte iungi possint, quia omnes iustae connexiones seu praedicationes, secundum communem naturae ordinem, congruunt ad aliquem istorum modorum. Excipiendae sunt enim praedicationes, quas voco inusitatas, de filio Dei: Deus est homo, Verbum caro factum est. In reliquis materiis, ubi de communi ordine naturae loquimur, non potest iungi vocabulum vocabulo, nisi his modis, ut aut de individuo species, aut de specie vel de individuo genus, aut differentia, aut proprium aut accidens praedicetur. In hos paucos modos erudite propositiones omnes in communi ordine naturae inclusae sunt. Nec disparata species de disparata dici potest, ut, homo est asinus. Et hinc sumitur discrimen de praedicationibus, quod necesse est iunioribus in conspectu esse, ut considerent, quae propositiones sint necessariae, quae non necessariae. Item, in quibus sermo sit proprius, et in quibus figuratus sit. Id discrimen mox addam, sed prius quarta utilitas recitetur.

Quarta utilitas est: Necessario cohaerent species, genus, differentia, et proprium. Et propositiones ex his membris factae, sunt necessariae. Accidens vero de subiecto non necessario praedicatur, sed contingenter. Ac discerni firma et immota a mutabilibus opus est.

Quid est Praedicatio?

Praedicatio est, in propositione attribui praedicatum subiecto. Et ut praepositiones, ita praedicationes partimur. Praedicationum alia vera est, quae cum re, de qua aliquid affirmat aut negat, congruit, ut, lapis est gravis. Alia est falsa, quae a re dissentit. Sed omissis falsis, partiamur veras.

Quomodo dividitur vera praedicatio?

Vera praedicatio aut est regularis, aut figurata, ut inusitata. Regularis est, quae congruit ad aliquem modum ex quinque praedicabilibus, id est, ubi species de individuo, aut de specie vel individuo genus, aut differentia, aut proprium, aut accidens praedicatur.

Figurata est in sermone improprio, ubi tamen sententia vera est, et significata similitudine, ut in metaphora, aut significata continente, ut in synecdoche. Et haec doctrina ex Grammaticis huc afferenda est. Congruunt autem figuratae cum regularibus et interpretatione, ut: Tyrannus est lupus, id est, similis lupo. Haec praedicatio congruit cum regulari, quia est accidentis de subiecto: Christus est agnus, id est, similis agno,

qui est victima. Dicitur enim agnus, quia est victima. Iohannes est Elias, id est, similis Eliae, gerens simile munus, emendans Ecclesiam magno impetu spiritus.

Alia sunt Synecdochae, ut flammae in ore Apostolorum erant Spiritus sanctus, id est, cum illa re visibili vere aderat Spiritus sanctus.

Tertius modus est inusitatus, videlicet, in propositionibus de filio Dei, quarum non sunt alia exempla in tota rerum universitate, ut: Deus est homo, Verbum caro factum est. Haec non congruunt ad regulares, ut alioqui non coniungimus species disparatas, ut: Aper est cervus, Albedo est sonus. Videndum est autem in hoc genere, quas propositiones sermo Ecclesiae receperit, de qua re infra et alibi copiosius dicitur. Non dicimus in abstracto: Divinitas est passa, quia hic naturae seorsum consideratae significantur. Et Petrus inquit, Christum passum esse in carne, id est, in natura humana. Et vox Irenaei digna est memoria: Christum crucifixum et mortuum esse, requiescente verbo, ut crucifigi et mori posset, id est, verbo non exerente suas vires, non tunc repellente mortem. Sed in concreto persona significatur, Deus est passus, id est, haec persona, quae est Deus et homo, est passa.

Dic aliam divisionem.

Praedicationum alia est essentialis, alia causalis, alia accidentalis.

Essentialis est, cum idem de seipso, aut de individuo species, vel de specie aut individuo genus, aut differentia, seu tota definitio praedicatur.

Causalis est, cum causa nominatur, quae si est interior, praedicatio essentialis est, ut, panis est triticeus. Sed si causa efficiens aut finalis nominatur, proprie dicitur praedicatio causalis, et est dissimilis accidentali, quia necessarius ordo est effectus ad causam, ut: Homo est creatura Dei. Refero ad finales causas et propositiones, in quibus proprium de subiecto dicitur, ut: Magnes potest attrahere ferrum.

Accidentalis, quando accidens de subiecto dicitur, ut: vinum est dulce, seu, vinum est austerum.

Dic aliam divisionem.

Praedicationum verarum aliae sunt necessariae, aliae contingentes.

Necessariae, quae non possunt se aliter habere, dicuntur illae propositiones, in quibus genus, aut differentia, aut proprium, aut tota definitio de specie dicitur. Ac de significatione necessitatis infra dicendum erit.

Contingentes sunt, in quibus accidentia de subiectis dicuntur, etiam cum de praeteritis dicitur, ut: Iulius vicit Pompeium, Paris rapuit Helenam. Haec de praedicationibus ideo recensui, ut usus praedicabilium magis conspiciatur. Et passim hae divisiones in Dialectica repetuntur. Nunc ad praedicamenta accedemus.

De Praedicamentis.

Quid est Praedicamentum?

Est ordo generum et specierum sub uno genere generalissimo, quod aut substantiam, aut accidens aliquod significat, quia tota haec tabella, quae continet praedicamenta, est exigua tabella universitatis rerum, distribuit substantias et substantiarum accidentia. Ac si integre explicanda essent praedicamenta, de omnibus naturae partibus dicendum esset. Nunc nuda vocabulorum series tantum recitatur, quod ipsum tamen utile est, quia discimus, quibus limitibus includenda sit omnis cogitatio, videlicet, ut a summo vocabulo Entis exorsi, postea diversas naturas, velut ramos consideremus, et quaeramus de re proposita, an sit substantia, aut accidens, et in quo ramo substantiarum aut accidentium collocanda sit.

Quod discrimen est praedicabilium et praedicamentorum?

Facile agnosci discrimen potest. Praedicabilia sunt velut tituli discernentes gradus in praedicamentis, ut si alio colore pingeres hominem, alio animal, ut agnosci posset, utrum nomen sit communius. Sed nomina in praedicamentis sunt proximae rerum appellationes: Praedicabilia vero sunt harum appellationum distinctiones.

Quid significat nomen κατηγορία?

Dictum est et antea de nomine κατηγορία, vel in genere est commemoratio, vel ut in foro nomen usurpabatur, accusatio. Et initio ex foro nomine quaedam ad artem dicendi translata sunt. Quare si et κατηγορία ex foro ad scholas translata est, id eo factum est, ut sicut in foro necesse est

diserte nominari crimen, ut, Verres est fur: ita discerent recte dicturi, propositiones planas et perspicuas constituere, et viderent, quae vocabula quibus recte iungi possint. Sed si nomen κατηγορίας non accusationem tantum, sed in genere commemorationem intelligimus, hic titulus significat hanc doctrinam ostendere, quae vocabula quibus recte iungantur, seu quae vocabula cuiusque speciei naturam indicent et commemorent, quid sit subiectum. Ut cum quaeris, quid sit virtus, non dicis, ut in disputatione apud Senecam legitur: Virtus est animal, sed in suo domicilio genus quaeris. Hanc ipsam ob causam artes traduntur, ut veritas aspiciatur, et propriis verbis efferatur, ac vitentur praestigia et ludi sophismatum. Tenenda est igitur series vocum, ut quae recte iungi possint, discatur. Ideo nomen κατηγορία hic usurpatur, quasi dicas: Praedicatio, in qua cernitur, quae vocabula quibus attribuenda sint.

Quintilianus satis erudite de usu praedicamentorum loquitur, iudicat esse status Rhetoricos, id est, Cum de homine aut de re aliqua dicturus es, dic primum de substantia eius, postea de quantitate, deinde de qualitate, de relationibus, de loco, de tempore, etc. Ut si de virtute dices, dic primum quid sit, postea partire, deinde qualis res sit, sit ne potentia naturalis, affectus, an habitus, deinde, quae virtus quenque deceat, postea ubi sit. Cum autem praedicamenta sic intelliguntur, ut in Rhetorica status, magis congruit nomen forense κατηγορία. Sed nos praedicamentorum usum ita monstramus, ut non spargamus unam rem in omnia praedicamenta: sed uni speciei in uno praedicamento, certum domicilium attribuimus, ut inde sumi vera definitio possit. Vetus autem titulus libri praedicamentorum fuit: περὶ τῶν καθόλου λόγων, id est, de universalibus seu generalibus capitibus, unde sumitur oratio de qualibet materia. Aiunt enim libellum Aristotelis Archytae veteris scriptum esse, aut excerptum ex Archytae doctrina. Sed hic titulus περὶ τῶν καθόλου λόγων significat eos intellexisse, in hac serie proponi distributionem rerum praecipuarum, in quam intueri necesse sit, quacunque de re dicatur.

Quae est utilitas praedicamentorum?

Etiamsi hoc loco nuda distributio substantiae et accidentium, sine longa explicatione proponitur, tamen haec ipsa commonefactio valde utilis est, ostendens, discernendam esse substantiam ab accidentibus, et discernens absoluta a relativis. Deinde ubi et in quibus domiciliis genera definitionum quaerenda sint, haec ipsa, quanquam brevis, tabella monstrat. Et cum accedit mediocris explicatio, discitur in hac parte ratio recte definiendi. Constat autem in omni explicatione primum constituendas esse definitiones, et totam definitionum doctrinam maxime necessariam esse.

Quot sunt praedicamenta?

Decem.

I. Substantia,	VI. Passio,
II. Quantitas,	VII. Quando,
III. Qualitas,	VIII. Ubi,
IIII. Relatio,	IX. Situs,
V. Actio,	X. Habitus.

Dicuntur autem genera generalissima, id est, summa, quia ab his proxime acceditur ad vocabulum, quod inter omnia in rerum natura primum est, videlicet Ens. Ut igitur ordo rectius teneri possit, supra ordines praedicamentorum semper memineris collocandum esse vocabulum Ens, ut in inquisitione rerum habeat mens quasi metam, ubi resistat. Si enim sine fine vagaretur, fierent incerta et confusa omnia. Versatur itaque omnis inquisitio inter species specialissimas, seu infimas, quae sunt proximae individuis, et genera generalissima, quibus primum vocabulum Ens proximum est.

Quae est prima divisio Entis?

Haec est: Ens aut est substantia, aut est accidens.

Quid est Substantia?

Substantia est Ens, quod revera proprium esse habet, nec est in alio, ut habens esse a subiecto. Haec definitio communis est Deo, et creatis substantiis. Sed de creatis traditur definitio illustrior, quia mens humana per accidentia agnoscit substantiam. Non enim cernimus oculis substantias tectas accidentibus, sed mente eas agnoscimus. Cum videmus aquam manere eandem, sive sit frigida, sive sit calida, ratiocinamur, aliud quiddam esse formas illas discedentes, et aliud quod eas sustinet. Est ergo satis accommodata definitio: Substantia est Ens, quod habet pro-

prium esse, et sustinet accidentia. Hac qualicunque descriptione contenti simus, et cogitemus, quae sit imbecilla acies humanae mentis, quae quasi foris et procul res aspicit, nec intus eas contemplatur. Et accidentia, quantitates, qualitates, effectiones, passiones consideremus, quantum conceditur, et Deo gratias agamus, quod aliquo modo et sese et naturam rerum nobis ostendit, et aliquas noticias certas tradidit, et appetamus consuetudinem coelestem, in qua noticia Dei e aliarum rerum erit illustrior.

Quomodo differunt primae et secundae substantiae?

Aristoteles vocat primas substantias individua, hunc hominem, hunc equum. Secundas substantias vocat species et genera, quod eo recitandum est, quia dictum memorabile addit: Destructis primis substantiis, nihil reliquum est, id est, nec accidentia reliqua sunt, quia sunt tantum in individuis, nec secundae substantiae, videlicet genera et species, seu ideae, sunt aliquid extra intellectionem.

Quae sunt appellationes substantiae?

Aristoteles in hoc praedicamento usus est nomine *οὐσία*, quod proprie est essentia. Postea etiam multi generaliter utuntur nomine *ὑπόστασις*, ad cuius similitudinem Latini dixerunt substantiam. Et *ὑφιστάμενον* vocarunt quiddam, quod subsistit, id est, non tantum cogitatione pingitur, nec ut accidens in alio haeret, nec evanescit in alio, aut cum alio, sed revera habet proprium esse. Discant autem iuniores, quando Ecclesia his vocabulis usa sit. Nomine *οὐσίας* utitur pro essentia, sicut hic quoque dicitur. Sed hypostasin et personam vocat individuum, intelligens, incommunicabile, ut cum dicit, tres esse hypostases seu personas divinitatis.

Recita ordinem substantiarum.

Substantia

Corporea — Incorporea

Corporea: Simplex: Coelum, Stellae, Elementa, — Mixta: ex Elementis composita,

Incorporea: Infinita: Deus. — Finitae: Angeli, Animae.

Mixta: Perfecte mixta, — Impefecte mixta: Fulmina, Vapores.

Perfecte mixta: Animata, — Inanimata: Lapis, gemmae, metalla.

Animata: Sentiens: Animal, — Non sentiens: ut plantae.

Animal: Rationale: Homo, Plato. — Irrationale: Equus.

Ad quid prodest nosse hunc ordinem?

Primum hoc ipsum utile est, videre seriem substantiarum in hac tota universitate rerum, quam mente circumferentes, discernimus Deum a rebus creatis, et cum species creatas enumeramus, magis acquiescimus, quasi finem et metas naturae intuentes, multarum etiam usum simul consideramus. Genera etiam in definitionibus sumuntur ex hac tabella. Et, si explicatio longior institueretur, multarum specierum integrae definitiones adderentur, ut:

Quid est Deus?

Deus est essentia incorporea, intelligens, immensae potentiae, sapientiae et bonitatis, verax, benefica, iusta, casta, liberrima, causa universae naturae et ordinis, ac boni in natura, requirens in genere humano ordinem actionum congruentem ad ordinem in sua mente, et puniens huius ordinis violationem. Hanc descriptionem mentes humanae, etiam extra Ecclesiam, et sine singulari revolutione, discunt ex demonstrationibus, et membra praecipua sunt in hac tabella. Et quanquam vera descriptio est, tamen nondum est integra. Necesse est enim de Deo sentire, sicut se illustrib. testimoniis patefecit. Ideo in Ecclesia ad priora membra diserte adduntur personarum nomina: Deus est essentia incorporea, intelligens, immensae potentiae, sapientiae et bonita-

tis, verax, benefica, iusta, casta, liberrima, quae est pater aeternus, qui genuit filium imaginem suam, et filius, qui est imago patris, et Spiritus S. sicut patefecit se divinitas, qui condidit coelum et terram, et caeteras naturas in eis, et in genere humano sibi colligit aeternam Ecclesiam, et suam voluntatem illustribus testimoniis, ut resuscitatione mortuorum, declaravit. Sic in Ecclesia necesse est addi quaedam descriptioni Dei, quam mentes humanae sua luce cernunt, quia Deum necesse est agnosci et invocari, sicut se patefecit.

Quid est Coelum?

Est substantia finita, corporea, simplex, lucida figurae circularis, dissimilis elementis nec obnoxia corruptioni, ut elementa, circundans omnia reliqua mundi corpora. In hac descriptione vides multa membra sumi ex tabella huius praedicamenti. Non addam plura exempla, ne opus immodice crescat. Sed tamen sciant iuniores, hic parvam tabellam proponi, ut series rerum consideretur, quarum explicatio integra postea traditur in reliquis Philosophiae partibus.

Ubi collocandae sunt partes substantiarum?

Pars semper in eodem ordine ponenda est, in quo totum collocatur. Caput, pedes, pectus sunt partes animalis, et revera sunt substantiae.

Item, Privativa nomina referantur ad domicilia earum rerum, quibus opponuntur, ut: Lux est qualitas, ad idem domicilium et tenebrae referantur. Ita et loco cadaver referatur ad praedicamenti seriem, ubi animal recensetur.

Cum dicimus: ***Roscius sustinet personam Agamemnonis***, ***Persona*** *in quo praedicamento?*

Est et haec insignis utilitas doctrinae praedicamentorum, quod vocabula perspicue discernit. Cum dico: Roscius sustinet personam Agamemnonis, hic persona nequaquam significat substantiam, sed nomen relativum, est hoc loco personae, significans esse ordinatum, ut sit imago alterius, vel imitatione alium repraesentet, quasi alius ille sit in conspectu. Sed longe aliter intelligatur vocabulum, Persona, cum dicis: Filius Dei est persona. Hic enim persona vere est substantia, sicut hypostasis, et nomen personae collocetur in praedicamento substantiae, sicut Plato aut Iohannes. Significat enim individuum, intelligens, incommunicabile.

Cum dicimus:

Verba *puellarum foliis leviora caducis. In eo dicto*: ***Verbum*** *in quo praedicamento est?*

In praedicamento Qualitatis. Significat enim sonos, qui sunt percussiones in aëre evanescentes, et sunt accidentia. At longe alius usus est vocabuli, cum Filius Dei vocatur Verbum, ut Iohan. 1.: In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum. Hic enim λόγος significat Filium Dei. In ea significatione λόγος pertinet ad praedicamentum substantiae. Dicitur autem Filius Dei λόγος, quia est imago aeterni Patris, cogitatione genita.

Quot sunt proprietates substantiae?

Tres. Prima, Substantiae non sunt in subiecto, ut accidentia, sed ipsae sustinent accidentia. Etsi autem partes substantiae sunt in corpore, ut in toto, ut sanguis est in corpore humano, tamen aliter accidentia sunt in subiecto, quia etiam sanguis proprium esse habet, et corpus est peculiare. Sed accidentia tantum habent esse in subiecto, et a subiecti substantia.

Secunda, Usitate sic dicitur: Substantia non recipit magis, nec minus, ut: Hercules non est magis homo quam Paris, etsi accidentibus valde differunt. Sed haec annotatio non est magni momenti, nec subtiliter de ea disputandum censeo.

Tertia proprietas levior et frigidior est: Substantiae diversae non dicuntur contrariae, sed disparatae, ut ignis et aqua, lupus et ovis. Usitatum est enim contrarietatem proprie qualitatibus inter se pugnantibus tribuere. Haec recitantur propter scholarum consuetudinem, quae sic loquuntur. Nec reseco ad vivum haec dicta, de quibus Physici subtilius disputare possent, qui dicunt: Quicquid corrumpitur, a contrario corrumpitur, ut terra ab igni. Etsi autem ibi fit corruptio per contrariam qualitatem, tamen principale agens est forma ignis. Sed haec omitto. Vitanda est enim nimia subtilitas, ut vere dictum est: Crede mihi, sapere est non nimium sapere.

De Praedicamento Quantitatis.

Quid est Quantitas?

Quantitas est magnitudo rei, vel numerus. Et quantitati proprie convenit mensurari, vel dividi. Etsi autem non opus est curiose quaerere

causam, cur post substantiam mox recenseatur quantitas, tamen hoc cogitetur, numerum mox comitari res quaslibet: Et magnitudo ita haeret in substantia corporea, ut nunquam prorsus eam exuat substantia corporea. At multae qualitates amittuntur. Traduntur autem hic brevissimae descriptiones, ne in hac tabella, in qua rerum universitas proponitur, tam insignia accidentia, magnitudo et numerus praetereantur. Sed copiosior de eis doctrinae in Arithmetica et Geometria traditur. Nomenclaturas igitur paucarum specierum breviter recitabimus.

Quae est prima divisio quantitatis?

Alia est quantitas continua, alia discreta. Continua est magnitudo corporum, videlicet longitudo, latitudo et profunditas. Discreta est numerus, item oratio, quam cur hic vetustas recenseat, postea breviter dicam.

Quot sunt species quantitatis continuae?

Tres: Linea, Superficies et Corpus.

Linea est longitudo sine latitudine et profunditate, cuius extrema sunt duo puncta. Sciant autem iuniores, non dici hic de linea picta, sed mente cogitanda est sola longitudo abstracta a corporibus, ut Mathematicus considerat quantitates sine materia. Superficies est longitudo et latitudo sine profunditate, ohne dicke. Corpus est longitudo, latitudo et profunditas. Sciant et hoc loco, Corpus in substantia aliud significare, aliud in quantitate. Corpus in substantia significat rem, quae habet materiam, ut coelum, elementa, aut mixta ex elementis. Sed in quantitate corpus significat magnitudinem cogitatione distinctam a materia.

Quid est Numerus?

Numerus est multitudo ex unitatib. collecta, ut: duo, tria, quatuor. Consilium autem antiquitatis diligenter considerandum est, quod post substantiam statim mentionem fecit numerorum, quia res primum discernimus ac ordinamus numeris. Ac nisi numerorum noticia mentibus humanis insita esset, horribiles tenebrae essent. Ut autem Deus a creaturis discerni possit, ut sciamus a Deo initium esse caeterarum rerum, item, ut audientes unum esse aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, seiungamus nos ab Ethnicis, qui fingunt Deos innumerabiles, denique ut in tota vita rerum discrimina numeris effici possint, haec lux mentibus insita est. Sed nulla eloquentia utilitatem numerorum satis exponere potest.

Quare oratio in hoc praedicamento recensetur?

Nos collocabimus orationem in sonis, in praedicamento qualitatis. Id erit magis perspicuum. Sed ad numerum ideo collocavit antiquitas orationem, quia in ea sunt diversa intervalla syllabarum et dictionum, ut in numeris, et mensurae diversae, aliae syllabae longae sunt, aliae breves. Sed huic inutili commemorationi nolo immorari. Restat brevis commonefactio de proprietatibus quantitatis.

Quot sunt proprietates quantitatis?

Tres. Prima: Quantitatum per sese nulla est efficacia, seu effectio. Haec admonitio utilis est. Refutat enim superstitionem eorum, qui morbis mederi conantur figuris certis de collo suspensis. Sunt enim figurae modi quidam seu positus quantitatis, ut infra dicemus. Cum autem nulla sit efficacia quantitatum et figurarum, manifesta est amentia utentium illis superstitiosis seu magicis ritibus. Ut autem effectio nulla est quantitatum, ita nec diversae species quantitatis dicuntur contrariae.

Secunda proprietas: Quantitatibus proprie conveniunt relationes, aequale et inaequale, par et impar, etc.

Tertia proprietas: Quantitates non recipiunt magis et minus, sed maius et minus.

De Qualitate.

Quid est Qualitas?

Qualitas est forma, per quam substantia est efficax, seu, quae movet sensus. Ac vide ordinem in hac doctrina. Initium est substantia. Haec postea numero discernitur, et vestitur magnitudine. Nunc, cum de qualitatibus dicitur, arma ei attribuuntur: nam substantiae non sunt ociosae. Nunc igitur recensentur instrumenta, per quae sunt efficaces, postea de ipsis actionibus dicitur. Ac profecto admiratione digna est sapientia veterum, qui res in natura praecipuas, quasi evolutas, et in hac tabella, tanquam in illustri loco positas, spectandas proposuerunt. Fontes omnium actionum in hominibus, ut de caeteris animanti-

bus aut naturis non dicam, haec tria sunt: ἕξεις, δυνάμεις, καὶ πάθη. Haec tria genera valde insignia hic in praedicamento qualitatis, ordine in tres distributa species recensentur, et erudite discernuntur.

Quot sunt species qualitatis?

Quatuor: Habitus, Potentiae naturales, Affectus, Figurae.

Quid est Habitus?

Habitus, Graece ἕξις, est qualitas comparata ex crebris actionibus in hominibus, qua recte et facile homines efficere illas actiones possunt, quae a suo habitu gubernantur et iuvantur, ut, in Luca pictore ars pingendi est habitus, didicit pingere Lucas, et postquam manus assuefacta est, facilius et certius pingit eas lineas, quas mens intuetur et pingere iubet, quam alii rudes pingerent.

Fitne habitus in omnibus naturis?

Non, sed tantum in rationali natura, quia tantum rationalis natura assuefieri potest. Nec cerni oculis, nec verbis satis exponi potest, quae res sit habitus, sed agilitas quaedam est. Ut enim cera tractata digitis fit mollior, ita quaedam hominis partes fiunt agiliores usu, et quasi facilitatem quandam seu molliciem induunt. Nec alia causa quaerenda est, nisi quia Deus naturam rationalem condidit talem, vult eam doctrinae capacem esse, et eam posse ad virtutem flecti. Nam ad haec duo bona praecipue eam condidit, ut discat doctrinam de Deo et aliis rebus bonis, et ut flectatur ad virtutem.

Quomodo fit perfectus habitus?

Ideo in hoc praedicamento discernuntur potentiae et habitus ut sciamus, aliud esse habitum, qui nostra assuefactione comparatur, ut, faber didicit fabricare horologium. Aliud esse naturalem potentiam, quae nascitur ea in re, cuius est propria, ut potentia trahendi ferrum in magnete. Sed tamen natura hominum talis est, ut alia ad alias artes seu virtutes etiam a natura impetus aliquos habeat, quibus excitatis studio et doctrina citius arripitur habitus, ut cum in Iosquino naturales ad Musicam impetus essent, avidius arripiebat harmonias, et diiudicabat rectius, quam alii. Deinde cum ars accedere, didicit facilius. Ita habitus in eo factus est ardentior et firmior, et altius in ipsos nervos, quib. reguntur sensus, penetravit. Econtra, ubi desunt naturales impetus, etsi utcunque assuefieri talia ingenia possunt, tamen habitus imperfecti fiunt, ut, Choerilus quoquo modo facit versus, sed non fundit simili ubertate et suavitate, ut Homerus. Ideo dixit Horatius:

> Tum nihil invita dices faciesve Minerva.

Unde sit autem ingeniorum dissimilitudo, et unde sint diversi in natura impetus, inquirendum est in Physicis.

Quomodo dividitur habitus?

Dividitur penes subiecta. Usitatum est enim accidentia per subiecta discernere. Sunt igitur alii habitus corporis, alii animae. Habitus corporis, ut palaestrica, saltatoria, iaculatoria.

Habitus animae duplices sunt. Alii sunt habitus intellectus, alii voluntatis. Hic ingredimur commemorationem artium et virtutum. Genus autem habituum intellectus vocatur Noticia.

Quotuplex est Noticia?

Duplex. Alia est noticia obiecti simplicis, ut recordatio Caroli Imperatoris. Alia est noticia propositionum, quibus assentimur, aut non assentimur. Alia enim noticia certa est, alia incerta. Ac noticia incerta dicitur Opinio, cum videlicet agnitam propositionem non amplectimur firma assensione. Sed languide partem unam magis probabilem esse existimamus.

Quae est certa noticia?

Haec species habet Noticiam principiorum: Scientiam, Artem, Prudentiam, Fidem.

Noticia principiorum est, agnoscere principia luce mentis nobiscum nata, et firmo assensu ea amplecti, naturali iudicio, sine confirmatione, ut bis 4 esse 8 sine confirmatione certo constituimus. Ita has primas propositiones firmas et immotas esse naturali iudicio statuimus: Totum est maius qualibet sua parte. Quodlibet est aut non est. Ac infra de principiis copiosius dicetur.

Scientia est noticia vera conclusionum, quibus propter demonstrationem firmiter assentimur, ut hanc propositionem: Coelum est finitum, firma assensione propter demonstrationem amplectimur.

Ars est noticia vera faciendorum seu fabricandorum, ut Architectonica. Sic Aristoteles discernit vocabula scientiae et artis, sed saepe promiscue usurpantur. Apud Quintilianum extat definitio stoica artis, ubi ars pro scientia sumitur. Eam definitionem Graecis verbis recitabo, ut apud Lucianum extat, quia verba Latina apud Quintilianum obscura sunt, et definitio ipsa propterea studiosis gratior esse debet, quia admonitionem de fine artium continet, quae in aliis definitionibus non recensetur. Ait enim artem doctrinam certam esse de talibus rebus, quarum aliqua sit in vita utilitas. Significat artes divinitus hominibus monstratas esse propter multas utilitates, quod in Arithmetica, Architectonica et multis aliis manifeste conspici potest. Et in discendo eligamus doctrinam vitae utilem, et saepe nobiscum cogitemus, ad quem finem ea quae discimus, referenda sint. Verba haec sunt: *τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων, πρός τι τέλος εὔχρηστον, τῶν ἐν βίῳ*, id est: ars est ordo certarum propositionum, exercitatione cognitarum, ad finem utilem in vita. Vocat enim *καταλήψεις* propositiones certas et firmas, seu demonstrationes, quia *κατάληπτα*, vocabant certo comprehensa, ut saepe Plutarchus loquitur. Et quia doctrina fit illustrior saepe cogitata, et assensio firmior, cum in usu experimur praecepta. Ideo addit particulam de exercitatione. Postremo addit admonitionem de fine, et utilitate. Praestigiatorum celeritas etsi est habitus, tamen removeatur ab artium ordine, quia nec certum habet demonstrationum ordinem, nec vitae utilis est.

Prudentia est noticia vera, quae secundum rectam rationem regit deliberationes in electione honestarum actionum, et rerum utilium. Ac prudentiam vocat Aristoteles habitum practicum, id est, regentem actiones, *τέχνην* vero habitum *ποιητικὸν*, id est, regentem fabricationes, Scientiam, habitum regentem speculationes.

Species prudentiae sunt legum et aliorum praeceptorum honestorum noticiae. Cum igitur quaeritur definitio doctrinae Iurisconsultorum, hinc genus sumatur. Iurisconsultus definit: Ius esse artem boni et aequi. Brevis descriptio est, sed tamen si dextre intelligatur, non erit absurda. Ius nominat doctrinam seu leges ipsas. Hanc doctrinam nominat artem, ut artem communiter dicimus pro scientia, et pro cognitione probabilium praeceptorum. Deinde differentiam sumit ab obiecto circa quod versatur haec noticia, scilicet circa aequalia et inaequalia. Haec explicatio vera est, et sciant iuniores, doctrinam illam legum, non, ut multi putant, tantum esse potentum arbitria, sine veris rationibus seu demonstrationibus. Sed ut medicorum doctrina partim scientia est et demonstrationes habet, partim habet praecepta probabilia: ita legum doctrina partim vere scientia est, quia exordium demonstrationes habet, partim habet probabilia praecepta. Sit igitur haec definitio: Iuris civilis doctrina est noticia discernens iusta et iniusta, extructa ex legibus naturae, partim per demonstrationes, partim probabilibus rationibus, ita, ne quid recipiatur pugnans cum legibus naturae, regens certae civitatis mores et pacem. Talia exempla ostendunt, ex praedicamentis sumi definitiones, aut certe genera et aliqua membra definitionum.

Fides est noticia propositionum certarum, quas firma assensione amplectimur, propter asseverationem testium veracium, ut iudex assentitur narrationi propter testes veraces. Credimus fuisse Alexandrum regem Macedonum, et bella gessisse cum Dario rege Persico, quia id consentientibus testimoniis multorum populorum et scriptorum, qui fallere non volebant, traditum est.

Quae est divisio habituum voluntatis?

Supra habitus intellectus recensui, quorum genus est noticia. Et in illud domicilium omnes noticiae seu doctrinae includantur. Nunc ad habitus voluntatis accedamus, qui dicuntur proprie boni aut mali.

Virtus est habitus bonus, quia est habitus inclinans ad agendum secundum rectam rationem, quae est regula bonitatis in actione, quia congruit cum aeterna et immota regula in mente divina.

Vitium est habitus malus, quia inclinat ad agendum contra rectam rationem. Cum igitur discrepet a mente divina, habitus malus est.

Iam sub virtute species collocentur, quarum aliquae sunt propriae Ecclesiae Dei, aliquae communes cum aliis hominibus.

Fides est noticia, qua firmo assensu amplectimur totam doctrinam a Deo traditam Ecclesiae, et in hac etiam promissionem reconciliationis, quam apprehendentes accipimus remissionem peccatorum fiducia filii Dei, et hac fiducia acquiescentes in filio Dei, accedimus ad Deum, et nos

recipi et exaudiri statuimus, et eum invocamus.

Spes est expectatio vitae aeternae propter filium Dei certa, et expectatio auxilii et mitigationis calamitatum in hac vita, iuxta consilium Dei. Differunt fides et spes, quia fides et noticiam significat, et deinde fiduciam in voluntate accipiente praesens beneficium scilicet, remissionem peccatorum. Spes autem est expectatio futurae liberationis.

Dilectio est obedire omnibus praeceptis Dei, in vera fide et cum quadam laeticia, principaliter ut ipsum honore afficiamus. Sic Iohannes in prima Epistola describit dilectionem: Dilectio Dei est, mandata eius servare. Sed si arderent corda nostra magno incendio amoris erga Deum, haec definitio magis intelligi posset. Nam vera dilectio est in vera fide et illo incendio amoris et laeticia, obedire omnibus praeceptis, quod etsi in hac vita inchoandum est, tamen valde languidum est, ut alias copiosius dicitur.

Timor Dei, qui vocatur servilis, et est custos disciplinae, est habitus, qui inclinat ut revera expavescamus agnitione irae Dei et poenarum. Sed cum accedit fides, quae corda in pavore eriguntur consolatione, et accedunt ad Deum, fit virtus et timor filialis.

Tolerantia est virtus obediens Deo in aerumnis, quas docet perferendas esse, ita, ne fracti dolore faciamus contra mandata Dei, estque coniuncta obedientia cum spe auxilii divini, propter Filium Mediatorem.

Philosophicae definitiones.

Iusticia universalis est obedire omnibus legibus, quae ad nos pertinent.

Iusticia particularis est virtus, suum cuique tribuens. Hanc definitionem Plato scribit a Simonide traditam esse. Et quod in textu dicitur: Est constans et perpetua voluntas. Haec verba sunt descriptio habitus, quasi dicat: Iusticia est firma *προαίρεσις*, seu firmum decretum, seu firmum propositum voluntatis, ut suum cuique tribuat.

Veritas seu veracitas est virtus, quae inclinat voluntatem, ut veras sententias amemus, vera constanter dicamus et tueamur, et in ipsa vitae specie vitemus simulationes et occultationes.

Modestia est virtus, qua in opinione de nobis et in sermone et gestu servamus convenientiam, videlicet ne nobis in opinione aut in sermone maiora imbecillitate nostra tribuamus, neve appetamus maiora, neve in gestu discedamus a natura, et personae ac locorum ordine.

Fortitudo est virtus propugnatrix iusticiae, videlicet depellens pericula, quae recta ratio iubet depellere, et ita perferens aerumnas, quas recta ratio iubet perferre, ne fracti dolore faciamus contra iusticiam, aut alias virtutes, ut: Cato non est fortis, quia fractus dolore facit contra iusticiam, cum sese interficit.

Etsi autem haec doctrina de virtutibus in aliis libris proponenda est, tamen exempla hic aliqua recitari necesse est, ut domicilium agnoscatur, in quo collocandae sunt virtutes, et usus praedicamentorum fiat illustrior, ac praecipuarum virtutum descriptiones saepe inculcari utile est. Experientur etiam studiosi postea in theologicis et ethicis disputionibus, se iuvari hac qualicunque declaratione habitus, et distinctione subiectorum.

Videndum est etiam, quae virtutes superiorum species sint, ut: Gratitudo complectitur duas virtutes, veritatem et iusticiam. Profitetur enim Gratus, vere aliunde se beneficium accepisse, nec sibi alienum decus arroganter tribuit, et obligat se vicissim ad aliqua officia.

Sedulitas etiam est iusticiae species, suos cuique labores attribuens. Est enim virtus inclinans, ut non ingeramus nos alienis negotiis, sed nostrum officium recte faciamus. Extrema sunt ignavia et *πολυπραγμοσύνη*, quae vitia ambo cum iusticia pugnant. Ignavus multa negligens, Reipub. aut suis nocet. *πολυπράγμων* ingerens se intempestive, turbat ordinem, et impedit necessaria.

Est et Amicitia species iusticiae, quia est virtus, pro vera benevolentia reddens veram benevolentiam, et praestans mutua quaedam officia pro modo facultatum liberali pectore, virtutis causa.

Sed integra doctrina de virtutibus aliunde sumatur, quae quidem studiose discenda, et assidue cogitanda est, non solum, ut norma sit morum, sed etiam propter has duas gravissimas causas, quarum altera est, quod agnitio virtutum et discriminis honestorum et turpium in mente humana, firmum et illustre testimonium est, confirmans esse Deum. Altera causa est, quod virtutum intellectus monet, qualis sit Deus, et dis-

cernit eum a rebus non intelligentibus et depravatis. Non invocas statuam, nec terram, seu restam, seu ignem, sed essentiam intelligentem, inspectantem et exaudientem nos, veracem, iustam, aequalem, beneficam, castam, vere irascentem sceleribus, et tamen placabilem et quidem sine προσωποληψίᾳ etc. Quare propter agnitionem Dei, virtutum doctrina studiosius discenda et saepius cogitanda est.

Quae est secunda species qualitatis?

Secunda species qualitatis nominatur Naturalis potentia vel impotentia. Sunt autem naturales potentiae vires non accersitae, aut arte in substantias transfusae, sed in eis natae, ut sint causae certarum actionum, ut potentia sentiendi, videndi, audiendi. Potentia motiva in nervis et aliis organis, item in ventriculo naturalis potentia vertendi cibum in chylum. In corde naturalis potentia ex sanguine gignendi spiritum. In magnete potentia trahendi ferrum. In vino potentia calefaciendi et nutriendi corpora, quae potat. Et econtra naturales impotentiae sunt, ut olea moritur quercui insita, balsami lignum moritur ferro attrectatum. Vulpes moriuntur manducatis amaris amygdalis. Denique in tota natura passim obvia sunt exempla. Monent igitur Dialectici, discerni nativa ab accersitis, ut sciamus, quae res humana diligentia parari possint, quae non possint parari. In Homero, Ovidio, Eobano, utrunque est, inclinatio naturalis ad fundendum carmen, sed accessit habitus arte et exercitatione comparatus, qui cum a natura adiuvetur, multo felicior est, et cum natura exculta sit arte, ipsum etiam naturae bonum fit melius. Ita videndum est, ut naturae bona foveantur et regantur: et mala naturae, quantum fieri potest, arte et assuefactione contraria emendentur.

In qua specie collocandae sunt στοργαὶ naturales?

Vetus et dulcis appellatio apud Graecos est στοργὴ φυσικὴ, quasi dicas: naturalem benevolentiam. Est enim in parentibus non monstrosis in intimo sinu cordium mirificus quidam amor erga natos, non accensus consuetudine, ut amor erga alienos, sed naturale incendium est, quod Deus ita voluit in nobis flagrare, ut esset commonefactio de suo amore erga filium, et erga nos. Vicissim et in natis erga parentes, fratres, sorores, naturalis quaedam benevolentia est. Hae bonae inclinationes nominantur στοργαὶ φυσικαὶ, et recte collocantur in hac specie. Essent autem puriores, si natura hominum non depravata esset. Ideo accedat doctrina, quae moderetur eas et regat, ut antea dixi, inclinationem ad poëticen eruditione iuvandam esse. Si quis autem magis volet στοργὰς collocare in tertiam speciem, inter affectus, non repugno.

In qua specie collocandum est malum in homine, quod vocatur vitiosa Concupiscentia?

Infra dicemus, nomen peccati relativum esse. Sed materiale peccati originis vocant pravam concupiscentiam, quod nomen ut in Ecclesia plerunque loquimur, non de actionibus, sed de fonte actionum, videlicet, de vitiosa inclinatione in corde, ruente contra legem Dei, intelligitur. Haec prava inclinatio vere est impotentia, et in hac secunda specie qualitatis collocanda. Nam in natura integra hominis non fuisset discordia mentis et cordis, sed cor obtemperasset menti recte iudicanti sine contumacia. Illa harmonia turbata, cor nunc languidius factum, ruit contra legem, quo rapiunt caeci affectus. Haec infirmitas est impotentia.

Quae est tertia species qualitatis?

Passio et passibilis qualitas, ut vocabulis illorum utar, qui olim sic interpretati sunt Aristotelem, id est, affectus, et aliae qualitates, quae sunt propria sensuum obiecta. Antea duas res, quae multarum actionum causae et rectrices sunt, recensui, ἕξεις καὶ δυνάμεις, nunc accedunt affectus πάθη, magis rapidi gubernatores. Et ut πάθη in corde faciunt mutationes, quae sensu percipiuntur. Ideo in hoc domicilio simul collocavit Aristoteles affectus et obiecta sensuum. Etsi igitur de affectibus varie disputari potest: tamen interrogati, in qua specie qualitatis recensendi sint affectus, respondeamus, recenseri eos in tertia specie. Pertinent autem huc et sensuum obiecta, de quibus prius dicam.

Obiecta visus propria sunt lux et color. Obiectum auditus soni, quorum appellatione et vocem articulatam, orationem, et singula verba complector. Obiectum olfactus, odor. Obiectum gustus, sapor. Obiectum tactus, quatuor primae qualitates: caliditas, frigiditas, siccitas, humiditas, et multae ab his ortae, asperum, glabrum.

Quid est Affectus?

Affectus duo tactum comitantes sunt delectatio et dolor, qui sunt nervis communes in toto corpore. Sed affectus cordis sunt motus sequentes cognitionem, et excitati cognitione, quibus cor aut prosequitur aut fugit obiecta, et quos semper comitantur ultimi affectus, delectatio, cum cor fruitur obiecto, et suaviter afficitur, aut dolor, cum contrarium accidit. Sunt autem duplices affectus. Alii durabiles, ut amor, odium, misericordia, invidentia. Hi sunt similes habitibus. Alii sunt subiti motus, qui revera congruunt ad descriptionem praedicamenti passionis. Ut enim verberatio in tergo ciet dolorem, ita ira subita in Aiace, audiente sibi eripi arma Achillis, est tanquam verberatio, qua cor fugiens illud malum, et depellere studens, excruciatur. Ex hac distinctione natura affectuum aliquo modo cognosci potest.

Quae sunt species affectuum?

Laetitia, Spes, Tristitia, Metus. Ex his permixtis alii oriuntur, ut amor, odium, ira.

Laetitia est suavis motus cordis, qui excitatur, cum cor obiecto expetito fruitur.

Spes est suavis motus cordis, qui excitatur, cum cor bonum futurum prosequitur, praelucente hac cogitatione, quod potituri sumus eo obiecto.

Tristitia est cruciatus cordis compressi, tanquam fugitantis futurum malum. Et his motibus cordis serviunt humorum motus in reliquo corpore, ut in Physicis dicendum est. Nunc satis sit, domicilium affectuum monstrasse.

Quae est quarta species?

Figura, quae proprie modus aut positus est quantitatum, ut Circulus, Triangulum, Quadrangulum. Etsi autem hic positus re ipsa non aliud est, nisi talis ordo partium quantitatis, seu positus partium, tamen quia Mathematici sic loquuntur, qui hos modos vocant corporis ποιότητας, vetustissimam consuetudinem et Aristoteles secutus est. Recentiores contra disputarunt. Sed toties iam dictum est, fugiendam esse ociosam subtilitatem. Et honestissimum est, loqui cum ingeniosissimis et doctissimis hominibus veteribus Geometris.

Quot sunt proprietates qualitatis?

Tres. Prima est: Contrarietas propria est qualitatum inter se pugnantium, ut caliditatis et frigiditatis, quae sunt sub eodem genere. Nam hae tantum inter se pugnant, ut: caliditas non pugnat cum colore aut luce, sed cum frigiditate.

Secunda proprietas: Qualitas recipit magis et minus, ut manifeste sensus iudicat. Calor in eodem corpore alias maior, alias minor est. Ita sunt lucis, colorum, et paene omnium qualitatum gradus, etiam noticiarum, virtutum, affectuum. In eodem homine amor eiusdem rei alias ardentior, alias frigidior est, ut dicitur: Intrat amor mentes usu, dediscitur usu. Eiusdem propositionis noticia illustrior est seni Ptolemaeo, quam iuveni. Sed haec proprietas nihil pertinet ad figuras, quia quantitates sunt, ut supra dictum est, ut: Circulus non recipit magis aut minus.

Tertia proprietas: Multae relationes oriuntur ex qualitatibus, Simile, dissimile, Lex, peccatum, gloria, de quibus mox dicemus.

De Relativis.

Quae est prima regula in doctrina Relativorum.

Nomina alia dicuntur absoluta, alia relativa. Absoluta sunt nomina significantia substantias, aut quantitates, aut qualitates. Significant enim res certas, quae sine collatione cogitari possunt, ut caliditas est res, quae etiam sine collatione et sensu percipi, et mente cogitari potest. Ex his absolutis oriuntur relationes. Sunt autem relationes, aut applicationes rerum, aut ordinationes, aut collationes, ut calefactio est applicatio, qua transfertur caliditas in aliud. Paternitas est ordo eius, qui genuit ad genitum. Similitudo est duarum qualitatum convenientia, quae collatione intelligitur. Primum igitur hoc meminerint discentes, Omnes relationes, aut rerum applicationes esse, aut ordinationes, aut collationes. Minus illustris est noticia relationum, quam absolutorum, quia quantitates et qualitates incurrunt in sensus, et sunt res, quae, ut ita dicam, manibus contrectantur et oculis cernuntur. Sed multae relationes, quae fiunt nostra institutione, tantum mente cogitantur, ut puer etiam cum videt lapidem, tamen an sit limes, aut quid sit limes, ignorat, nisi sit admonitus, collocari lapides in fini-

bus, ut significent discrimina dominiorum. Ita non intelligi possunt relativa sine duorum collatione, ut, de limite cogitans, lapidem et agrorum distinctionem confers. Ideo Aristoteles haec nomina vocat *πρός τι*, quia semper ad aliud referuntur, ut pater ad filium, filius ad patrem.

Quae est secunda regula?

Omne relativum versatur inter duo, quorum alterum vocatur fundamentum, alterum terminus. Fundamentum est res, a qua oritur relatio. Terminus est res, ad quam ordinata est relatio. Inter haec relatio est, ipsa applicatio seu ordo fundamenti ad terminum, ut, cum de patre dicimus, fundamentum est persona quae genuit, terminus persona genita, ordo a patre ad filium dicitur paternitas.

Limitis fundamentum lapis est. Terminus significatum, distinctio agrorum. Relatio est ordinatio lapidis ad significandam hanc distinctionem agrorum.

Baptismi fundamentum est tota actio, id est, mersio et pronunciatio verborum, in qua nomen Dei invocatur, et fit testificatio recipi a Deo hunc hominem, qui interea mergitur. Terminus est significatum, videlicet remitti peccata, et tanquam ablui sanguine filii Dei. Inter haec relatio est, hanc totam actionem ordinatam esse ad significandam remissionem peccatorum.

Servitus in agro, fundamentum habet ipsum agrum. Terminus est dominium aliquod, id est, ius utentis agro, ut si quis habeat iter per agrum. Inter haec ordinatio agri ad illum usum, est relatio. Ideo dicunt Iurisconsulti, nullam esse servitutem, nisi in aliquo corpore.

Peccati fundamentum est defectus ipse, aut prava inclinatio, vel actio contra legem Dei. Terminus est, damnatum et reiectum esse a Deo irascente illi pravitati et homini polluto, quod vocant reum esse. Inter haec relatio est, ordinatam esse pravitatem et personam ad damnationem et horribiles poenas. Id vocant reatum.

Quae est tertia regula?

Cum iam constet, relationes inter duo versari, tenendae sunt duae definitiones relativorum, quas recenset Aristoteles, quarum prima est Platonica, quam Aristoteles tenui quadam cavillatione reprehendit. Relativa sunt, quaecunque hoc ipsum quod sunt, dicuntur aliorum esse. Arguta definitio est, et non absurda, si quis dextre intelligat. Sed quia multis absolutis adhaerent respectus, ut infra dicemus, ut, caput refertur ad totum corpus, videtur Platonica definitio talibus absolutis quoque convenire, quia et ipsa referuntur ad aliud, seu dicuntur aliorum esse, quanquam res sint absolutae, ut capitis essentia est substantia. Ideo Aristoteles aliam definitionem tradit, hanc videlicet: Relativa sunt, quaecunque hoc ipsum quod sunt, aliorum sunt, id est: Relativa sunt, quae non tantum dicuntur ad aliud, sed quorum esse est aliorum esse, ut similitudinis nullum est aliud esse, nisi duorum similium convenientia. Etsi autem haec cavillatio adeo exilis est, vix ut perspici ab inexercitatis possit, tamen hic eam recensui propter hanc utilitatem, ut meminerint studiosi, etiam veterum autoritate traditum esse, multis absolutis adhaerere respectus: ideoque discrimen traditum esse inter proprie relativa et absoluta, quibus adhaerent aliqui respectus, quae ut recte enarrentur, videndum est, quae res absoluta significetur, et ubi in eis haereat respectus. De eo discrimine mox dicam.

Quae est quarta regula?

Alia sunt relativa secundum dici, alia secundum esse. Relativa secundum dici vocantur multa absoluta, quibus adhaerent respectus, ut quibusdam nominibus habituum et affectuum insunt respectus ad obiecta. Amor est rei amatae amor, seu amor intuetur rem amatam. Ira intuetur eum, cui irascitur. Fiducia intuetur id, quod nititur, ut: Dives acquiescit intuens suas opes. Et tamen interea habitus aut affectus, qualitas est, seu incendium in ipso corde. Ita manifestum est, Paulum nomine fidei relative uti: Iustificati fide, id est, fiducia filii Dei Mediatoris, hoc est, recepti, non propter qualitatis dignitatem, sed propter filium Dei. Significat igitur fides has qualitates, scilicet noticiam, qua amplectimur firmo assensu omnes articulos doctrinae divinitus nobis traditae, et fiduciam. Hic addi obiectum necesse est, ut constet fiduciam acquiescere in filio Dei.

Alia sunt relativa secundum Esse, id est, proprie dicta relativa, ut similitudo.

Quae est quinta regula?

Cuilibet relativo respondet suum correlativum, ut, cum dicis: Cambyses est filius, nihil intelligi potest, nisi addas, cuius sit filius, ut: Cambyses est filius Cyri. Ideo Aristoteles inquit, relativa dici *πρὸς ἀντιστρέφοντα,* id est, esse mutuas collationes, ut: Magistratus est, qui certo iure civitatem regit. Civitas est, quae certo iure regitur a Magistratibus. Et haec mutua collatio facile agnosci potest, ubi consuetudo loquendi suppeditat vocabula mutua, qualia haec sunt: Pater, filius, dominus, servus. Sed cum desunt vocabula, minus conspicitur haec vicissitudo, sed tamen mente cogitanda est, nam in qualibet relatione sunt duae mutuae collationes. Ac diligenter observanda est significatio, Alia nomina tantum active, alia tantum passive, pleraque active et passive significant, ut acceptatio, iustificatio, gratia apud Ebraeos. Haec sunt tenuia, sed tamen in interpretatione haec diligentia necessaria est. Illud est illustrius, quod in hac regula praecipuum est, quod relativa non possunt definiri, nisi facta mentione correlativorum, ut: pater est, qui habet filium. Fides est fiducia misericordiae promissae propter filium Dei Mediatorem. Ideo quando audis nomen fidei in disputationibus Pauli, cogites accersendum esse correlativum, ut: fiat illustrius, quid intelligat per fidem. Cum ergo dicit: Fide iusti sumus, transformat orationem in correlativam: Fiducia misericordiae iusti sumus, id est, per misericordiam promissam propter filium Dei. Ita cum maximus usus sit vocabulorum relativorum in omni vita, quoties audimus obscuriora aliqua eius generis dicta, mens apud sese quaerat explicationem fundamenti et termini. Paulus nominat imperia ordinationem Dei. Nonne hic necesse est quaerere, quarum rerum sit ordinatio, scilicet legum, disciplinae, coniugii, magistratuum, iudiciorum, contractuum, studiorum doctrinae, denique omnium vinculorum humanae societatis. Tam multa insunt in una voce relativa apud Paulum, ordinatio Dei.

Quae est sexta regula?

Fundamentum vocatur materiale relationum. Formale dicitur ipse ordo ad terminum, ut, materiale limitis est lapis, formale est ordinatio ad significandam distinctionem agrorum. Saepe autem manent fundamenta extinctis relationibus, ut lapis in agro relinqui potest, etiamsi non amplius, ut antea, fungitur limitis officio. Ideo necesse est discerni materiale et formale in relativis. Huius regulae et in Ecclesia usus est, cum dicitur, in Baptismo et alias remitti pecatum originis, idque ita enarratur, remitti formale, id est, reatum, sed manere materiale, id est, ipsum morbum. Nam materiale peccati est in homine ipsa inclinatio contra legem Dei. Hoc malum aliqua ex parte manet, sed formale est reatus, id est, ordinatum esse ad damnationem seu ad aeternas poenas. Hic reatus tollitur, cum recipitur persona, et peccatum non imputatur, ut verbis Prophetarum utamur.

Lex est relativum nomen, quia significat honestam sententiam, sed quatenus obligat aliquos seu multos, seu paucos. Fundamentum est igitur sententia honesta de moribus, ut haec sententia: Filius helluationi deditus, et contumax a parentibus accusatus, lapidibus obruatur. Haec sententia est noticia, pertinens ad primam speciem qualitatis, ut caeterae noticiae. Sed formale legis est certis hominibus promulgatam et propositam esse sententiam ab iis, qui legitima imperia tenent. Tunc igitur sententia illa de filio helluone erat Israëlitis lex, proprie intelligendo vocabulum legis, cum staret politia Mosaica. Nunc nobis non est lex, sed manet materiale, id est, sententia honesta, quae tanquam honestum exemplum, commonefaciat iuventutem, parentes et magistratus. Iuventus agnoscat iudicium Dei, et modestius vivat: Parentes severius regant filios et filias: Magistratus sciant voluntatem Dei esse, ut adiuvent parentes et scholas in tuenda disciplina.

Quae est septima regula?

Saepissime omnes linguae utuntur relativis loco absoluti, seu loco fundamenti, ut: Medici dicunt temperamentum, pro ipsis qualitatibus sic inter se iunctis et temperatis. Voluptas proprie significat convenientiam actionis et naturae. Sed cum quaeritur, an voluptas sit finis hominis, quaeritur, an ipsae actiones suaves sint finis hominis, quas appetit ea pars, quae vocatur appetitus sensuum.

1. Corinth. 5. Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio.] Id est, eiicite veteres, epicureas et alias falsas opiniones de Deo, item pravas cupiditates, ut sitis nova massa. Hic enim conspersio non intelligatur ipsa relatio in abstra-

cto, sed massa, videlicet conspersa sanguine Christi et Spiritu sancto. Massa, id est, cor, fundamentum est, in quo fit haec conspersio. 2. Corinth. 5. Eum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos fieremus iusticia Dei in eo.] In hac gravissima concione fit antithesis duarum maximarum rerum, quarum altera summum decus est in coelo, scilicet iusticia Dei, altera horribiliter a Deo abiecta, scilicet peccatum. Deinde harum duarum rerum ea, quae tristissima est, transfertur a nobis in filium Dei, et econtra, quod est summum decus, in nos transfertur. Et recte intellectis vocabulis, doctrinam gravissimam, et consolationem dulcissimam ex hoc dicto sumere possumus. Nos sumus revera polluti peccatis, et propterea rei coram Deo, et digni omnibus aerumnis et calamitatibus, quia Deus vere et horribiliter irascitur peccatis. Tales cum simus, tamen Deus effundit iram in filium, qui pro nobis fit supplex et victima. Deinde recepti dicimur iusticia Dei, id est, placentes Deo, quasi essemus sine labe. Sed additum est: Iusticia Dei in eo, seu per eum, id est, placemus propter Mediatorem. Et simul fit inchoatio novae puritatis in nobis. Sed tamen interea, quanquam haec puritas nequaquam integra est, hac ingenti gloria ornamur, ut nominemur iusti, et quidem iusticia Dei, hoc est, a Deo imputata propter filium, et in nobis inchoata. Etsi igitur infirmi, et multis sordibus contaminati sumus, et poenas in ipsis corporibus nostris circumferimus, ut David exulans, tamen nos hac dulcissima consolatione sustentemus, cum audimus nos ornari hac gloria, ut dicamur iusticia Dei, statuamus nos vere placere Deo, vere receptos esse, vere diligi, vere ei curae esse. Sed huius sententiae amplitudinem nec Angelorum nec hominum eloquentia satis exponere potest. De summa utcunque commonefeci iuniores, ut hoc dictum considerare et amare discant, deinde ut cum videbunt vocabula fieri illustriora, recte ad Dialecticen accommodata, magis ament haec puerilia studia artium. Bis positum est nomen peccati, initio, cum ait: Eum, qui non novit peccatum, hoc loco peccatum significat fundamentum et relationem, id est, pravam concupiscentiam et quascunque actiones pugnantes cum lege Dei, propter quas et polluti damnantur, et a Deo abiiciuntur. Ac fundamentum, scilicet concupiscentia, et pravi habitus voluntatis, sunt in praedicamento Qualitatis. Horum malorum prorsus nihil fuit in filio Dei, non prava inclinatio, non habitus vitiosi, non ullae vitiosae actiones: sed fulsit in eo agnitio firmissima aeterni patris, arsit in eo summus amor aeterni patris, et caeterae pulcerrimae virtutes. Cum igitur postea dicit: Hunc fecit peccatum, hic necesse est aliter intelligi vocem peccata, quam antea. Vulgo autem sic dicunt: Peccatum hic significat victimam pro peccato, idque vere ita dicitur. Sed cur victima vocatur peccatum? Mactationes veteres haud dubie imagines fuerunt unius venturae victimae, scilicet filii Dei. Et hae ipsae vocabantur peccata, quod reatum et poenam sustinerent: sed tanquam imagines significantes venturam victimam, quae vere pro nobis poenas subitura erat. Ita cum dicitur: Filius Dei factus est peccatum, terminus significatur, non fundamentum, id est, quiddam reum et abiectum in tristissimas poenas. Iacet filius Dei prostratus coram patre, sentiens iram eius adversus nostra peccata effusam in ipsum, perinde ac si polluisset se ipse meis, tuis, et omnium tetris sceleribus. Hunc tantum dolorem, et hanc mirandam ταπεινοφροσύνην, qua sese filius Dei infra nos abiecit, et vere servi formam induit. Denique hunc erga nos amorem etsi exponere oratione nemo satis potest, cogitare tamen utcunque nos oportet, et aliquo modo commemorare, ut beneficia et laudes filii Dei celebremus, ut simus pars illius agminis, de quo scriptum est: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. Et in hac cogitatione nos ipsos de nostra infirmitate, de nostris miseriis commonefaciamus, et superbiam abiiciamus, et frenemus immoderatas cupiditates. Postremo inquit: Ut nos fiamus iusticia Dei in eo. Satis apparet hic non intelligi iusticiam Dei, quae in ipso est, ut cum dicitur: Iusticia Dei punivit Pharaonem. Sed metalepsis est, ut fiamus iusticia, id est, iusti, accepti Deo, et quidem non dignitate nostra, sed iusticia Dei, id est, a Deo imputata propter filium, et inchoata in nobis nova et aeterna iusticia, etc. Vides nomen iusticiae alias pro imputatione iusticiae in doctrina Ecclesiae, alias pro qualitate accipi.

Videndum est etiam, ubi vocabula active, ubi passive significent. Cum dico: Magna est Thrasybuli gloria, quod victis civibus pepercit. Hic gloria Thrasybuli passive intelligitur, id est, de Thrasybulo praedicatur haec moderatio. Sed

cum apud Paulum dicitur: Gloriamur spe gloriae Dei, hic active gloria intelligitur, id est, sustentamus nos hac spe, Deum nos ornaturum esse gloria. Item: Omnes carent gloria Dei, active, id est, quam Deus ducit esse gloriam. Carent enim vera iusticia, seu integra obedientia.

Quae est octava regula?

Relationum aliae sunt reales aliae rationis. Haec distinctio nec ociosa est, nec recens, sed ab Ammonio etiam recitata. Sunt autem relationes reales, applicationes seu ordo, qui a natura oritur, etiamsi nullius cognatio accedit, ut calefactio, seu ordo inter patrem et filium.

Econtra relationis rationis dicuntur, quae non a natura oriuntur, sed tantum sunt cogitationis aut voluntatis instituta, ut relatio in limite tantum instituitur hominum decreto. Ita magistratuum et servitutum appellationes, tantum sunt relationes rationis, ut Romae Cicero dicitur consul, et Flaccus praetor, quia sic ordinata est Respublica voluntate civium.

Recense genera et species.

Hactenus regulas aliquot recitavi, quae doctrinam de relationibus mediocriter exponunt. Nunc ut supra in aliis praedicamentis factum est, pingemus arborem, ut aliquo modo genera et species conspici possint. Etsi enim relationes multo latius vagantur, quam absoluta, tamen utcunque prima genera monstrari possunt, quorum animadversio revocat hominis studiosi cogitationem ex illa immensitate ad initia, ut videat tamen, unde oriantur relationes. Et enarratio aliquorum exemplorum adiuvat discentes, ut simili explicatione in caeteris uti possint.

Sunt autem summa genera haec tria: Relativorum alia oriuntur ex substantia, alia ex qualitatibus, alia ex quantitatibus. Nam relativa ab absolutis sumunt initium. Deinde sequuntur aliae divisiones velut rami. Relativorum alia oriuntur ex actionibus naturalibus substantiae, alia ex actionibus voluntatis.

Ex actionibus naturalibus.

Causa:	Effectus:
Pater.	Filius.

Ex actionibus voluntatis.

Voluntas facit aut personarum, aut rerum discrimina. Sed discrimine personarum colloca has species:

Sacerdos,	Magistratus,
Civis,	Civitas,
Rex,	Dux,
Miles,	Scholasticus,
Dominus,	Servus.
Tyrannus.	

In horum definitionibus genus et fundamentum idem est, scilicet persona, termini differentias, faciunt, ut Sacerdos est persona, Dei ordinatione electa, ut doceat Evangelium, et puniat contumaces, verbo, non vi corporali, etc. Magistratus est persona, Dei ordinatione electa, ut sit custos disciplinae et pacis, certis legibus, et puniat contumaces vi corporali. Persona fundamentum est, sed esse ordinatum ad talem administrationem, relatio est. Terminus ipsa administratio. Scholasticus est persona ordinata voluntate Dei, ad discendam doctrinam generi humano necessariam de Deo et de aliis rebus bonis, ne extinguatur noticia Dei inter homines, sed servetur Ecclesia, et multi fiant haeredes vitae aeternae, et servetur disciplina, et habeant homines alias honestas utilitates ex artibus, ut ex Medica curationes morborum, ex Arithmetica computationes, ex Geometria mensuras, ex Astronomia anni cognitionem, et alias utilitates.

Sub discrimine rerum colloca has species:

Commune,	Proprium,	Alienum,
Potestas seu facultas,		
Ius,		Dominium,
Servitus,		Contractus.

Vocabulum Iuris saepe usurpatur pro ipsis legibus, ut cum dicimus: Ius civile, id est, leges, quibus civitas Romana regitur Sed alia est significatio magis propria, cum dicimus: Habeo ius tenendi huius praedii. In hac significatione ius est facultas habendi, possidendi, aut agendi aliquid, iuxta leges. Fundamentum est facultas in aliqua persona, Terminus est habere, possidere, aut agere aliquid iuxta leges, Ordo ab habente hanc facultatem ad hunc terminum, relatio est. Scio interdum de ambiguitate vocabuli Iuris disputari, ideo enarrationem brevem hic recensui.

Dominium est ius seu facultas habendi, possidendi, utendi, fruendi, aut disponendi de re

aliqua pro arbitrio, nisi quantum lege aut pacto prohibemur. Fundamentum dominii est facultas in persona aliqua, Terminus, disponere de re pro arbitrio, Ordo ab habente hanc facultatem, ad hunc terminum relatio est.

Fatum significat causam, id est, aut ordinationem divinam, aut vim luminis stellarum. Id vocat Ptolemaeus fatum physicum. Cum dicimus: Romam fato consecuti sunt monarchiam, hic fatum significat causam. Et fundamentum est Deus ordinans hanc rem, et movens Romanos, Terminus est ipse eventus. Sed cum dicimus: Iosquinus est fato physico Musicus, hic fati fundamentum est positus stellarum, tale temperamentum in Iosquino efficiens, quod convenientius est Musicae, quam temperamenta sunt in aliis. Terminus est, celeriter arripere harmonias, et suavius canere quam alii.

Ex qualitatibus.

Causa,	Effectus,
Simile,	Dissimile,
Perfectum,	Imperfectum.

Ex noticiis.

Verum est convenientia noticiae vel orationis ad rem.

Falsum est dissonantia noticiae vel orationis a re.

Ambiguum,

Doctor, Discipulus.

Lex. Significat enim lex sententiam honesta praecipientem, quae obligat certos homines.

Ex virtutibus et vitiis.

Honestum, quod congruit cum regula divina expressa in legibus naturae, et aliis legibus recte conditis.

Peccatum,	
Praemium,	Poena,
Gloria,	Honos,
Concordia,	Discordia,
Pax,	Bellum.

Quid est Gloria?

Est approbatio nostrae conscientiae recte iudicantis, et aliorum recte iudicantium de nobis, vel de aliis. Fundamentum est iudicium approbans, et non errans, Terminus recte facta, vel econtra. Sic Paulus vult nos gloriam habere, ad Galatas 6.

Cum Angeli canunt: Gloria in excelsis Deo, quid significat Gloria? Explicato fundamento et termino, fit perspicua sententia. Gloria est, alicui virtutem tribuere, ut iam dictum est, gloriam esse approbationem recte factorum. Epicurus non tribuit Deo gloriam, quia audacissime inquit, Deum nihil esse, aut non curare humana. Saul etsi sentit Deum esse, et punire scelera, tamen non tribuit Deo integram gloriam. Sed David et esse Deum et iustum esse affirmat, horribiliter punientem scelera, et rursus misericordem, recipientem et servantem miseros, ad mediatorem confugientes. Hic Deo tribuit integram gloriam, quod sit, quod sit iustus, quod puniat, quod sit bonus et misericors ac servator, quod puniat, non ut perdat, sed ut servet. Haec gloria tum demum tribuitur, cum Evangelium didicimus, et fide agnoscimus Filium. Erit igitur fundamentum in Deo, illae ipsae summae virtutes. Terminus, celebratio in nobis, vel econtra. Nam in relativis mutuum est iter. Tunc igitur Angeli canunt hunc hymnum, cum nascitur filius Dei ex virgine, quia sine agnitione Filii non potest haec gloria Deo tribui.

Hic recenseamus et appellationem Boni: Bonum est quiddam ordinatum a mente divina, et conveniens naturae, seu iuvans naturam. Econtra: Malum est quiddam turbans ordinem divinum, et destruens naturam. Dicitur autem aliud bonum naturale, aliud bonum morale. Bona naturalia sunt non tantum actiones honestae, sed omnes creaturae Dei non corruptae, vel quatenus considerantur sine corruptione, ut oculus, auris. Bona moralia sunt actiones honestae et virtutes. Ita duplex usus est appellationis mali. Aliud vocatur malum culpae, quod est inhonesta actio, et vitium et peccatum. Aliud est malum poenae, ut morbi, mors. Est enim destructio, quae proprie non est peccatum.

Usitate in scholis nominarunt haec vocabula transcendentia: Ens, unum, verum, bonum, quia communia sunt multis praedicamentis, sed verum et bonum recte inter relativa recensentur.

Gratia quid significat? Latinis favor et gratia sunt correlativa, ut: Augustus favet Mecoenati. Et econtra recte dicimus: Mecoenas est in magna gratia Augusti. Sed in Ecclesia nomen

gratiae, propter Ebraicae linguae consuetudinem, active et passive significat. Fundamentum autem favoris est benevolentia in Augusto. Terminus est Mecoenas placens. Inter haec ordo benevolentis Augusti ad Mecoenatem placentem, dicitur favor. Econtra, fundamentum gratiae, ut Latini loquuntur, in Mecoenate, est ipsum placere, seu acceptatio passiva. Terminus, benevolentia Augusti. Inter haec relatio est ordo placentis Mecoenatis ad Augustum. Sic certum est Latinos loqui. Nec in Ecclesia de solis habitibus gratia intelligatur, sed simul relatio comprehendatur. Gratia est acceptatio, qua Deus propter Filium gratis recipit agentem poenitentiam, et credentem, cum qua acceptatione coniuncta est donatio Spiritus sancti, inchoantis in nobis novam obedientiam et vitam aeternam.

Ex quantitatibus.

Par,	Impar,
Aequale,	Inaequale,
Proportio,	
Totum,	Dimidium,
Duplum,	Triplum, etc.

Item nomina significantia mensuras et pondera, ut partes assis, drachma, mina. Item nomina quae discernunt tempora, annus, mensis, sed haec proprie pertinent ad praedicamentum Quando.

De Actione et Passione.

Quid est Actio?

Actio est applicatio agentis ad patiens, qua fit mutatio aliqua in patiente. Rursus autem moneo discentes, ut ordinem considerent. Postquam substantia est vestita quantitate, et deinde armata qualitate, nunc in aciem educitur ad actiones. Hic ordo est naturae. Nulla enim res frustra condita est, sed necesse est deduci substantias ad actiones, et uniuscuiusque substantiae ultima perfectio seu finis est propria et praecipua actio, ut finis Solis est cursus, qui dies et annos efficit. Aut certe praecipua actio est, quae obiectum ultimum et optimum apprehendit, quod est principalior finis, ut in homine agnitio et ardens dilectio Dei.

Passio est nomen correlativum actionis, et significat receptionem actionis, et effectus nevi in patiente.

Quae vocabula hic collocantur?

Verba et nomina verbalia significantia motus. Est autem motus agitatio substantiae, quae acquirit aliquem terminum.

Quot numerantur usitate species motus?

Sex:

Generatio,		Corruptio,
Augmentatio	et	Diminutio,
Alteratio,		Motus localis.

Nec subtiliter hic de eis disputabo, sed brevissime recitabo vulgares descriptiones, quarum aliquas nosse utile est.

Nomine generationis et corruptionis utimur, cum de substantiali mutatione loquimur. Nec causa quaerenda est, sed consuetudo sic loqui docet.

Est autem generatio motus a non esse ad esse.

Corruptio est motus ab esse ad non esse.

Nomine augmentationis et diminutionis utimur in mutatione quantitatum. Est autem augmentatio mutatio, qua acquiritur maior quantitas. Quomodo id fiat, an appositione partium, aut aliis modis, hic non disputandum est.

Diminutio est mutatio, qua fit minor quantitas.

Nomine alterationis de qualitatibus utimur. Est autem alteratio motus, quo alia qualitas acquiritur, ut calefactio, frigefactio, dealbatio, etc.

Huc et affectus subiti revera pertinent, ut irasci, expavescere, qui sunt velut verberationes cordis. Sed supra eos in qualitatibus recensuimus, secuti Aristotelem.

Motus localis est motus, quo subinde aliud spacium occupatur.

Postea sequuntur artium, et virtutum, et vitiorum actiones, quae sunt partim alterationes, et partim motus locales. Ideo et aliam divisionem adiiciam.

Actiones.

Aliae sunt

Naturales:	Voluntariae:	
	Intellectus,	Voluntatis,
Generatio, Corruptio, Augmentatio, Diminutio, Alteratio.	ut artium actiones, partim motus locales, partim alterationes, ut aedificare est motus localis, fabricare partim motus localis, partim alteratio, ut metallorum fusio, pingere, scribere, arare.	ut actiones interiores virtutum et vitiorum, quae tamen referri ad suos habitus supra in qualitate possunt. Sed exteriorum membrorum actiones huc pertinent, ut pugnare, numerare precium pro merce, etc.

Postea et voluntates actiones eruditissime dividi possunt, ut gradus vitae considerentur.

Actiones voluntatis

Oeconomicae,	Politicae,	Ecclesiasticae,
ut, liberos fovere, pascere, erudire, regere disciplina.	ut, in senatu dicere sententiam, conferre operas et facultates ad communem pacem.	sunt, quas usitate ceremonias vocant, quae sunt duplices:

Sacramenta,	Sacrificia,
ut usitate loquitur Ecclesia, sunt actiones divinitus institutae, faciendae fide, per quas Deus nobis exhibet promissa bona.	sunt actiones divinitus institutae faciendae fide, in quibus nos Deo reddimus certa opera, quorum finis est principalis, ut eum honore afficiamus, ut, labor docendi in Paulo est obedientia, quam Deo reddit Paulus, ut eum honore afficiat.

Rursus sacrificia duplicia sunt.

Aliud est ἱλαστικὸν,	Alia sunt εὐχαριστικὰ,
seu propitiatorium, id est, quod est precium pro peccatis, et meretur remissionem peccatorum aliis. Tale est solius filii Dei obedientia in omnibus afflictionibus suis.	quae non merentur remissionem peccatorum, sed cum fiunt a reconciliatis, ut Deum honore afficiant, placent ei, ut Baptistae obedientia in morte. Talia sunt omnia piorum facta, congruentia cum lege Dei, cum fiunt in agnitione et fide filii Dei, et referuntur ad hunc finem, ut Deus honore afficiatur.

Haec partitio actionum totam vitam hominis complectitur, et gradus et ordinem considerare utile est, ut cogitemus discrimina actionum totius vitae, et initia et metas earum.

Quae sunt proprietates praedicamenti Actionis?

Duae sunt. Prior: Actionum est contrarietas, ut calefactio pugnat cum frigefactione. Altera est: In actionibus est magis et minus, ut alias magis, alias minus calefit corpus aliquod.

De Praedicamento Quando.

Interrogatio Quando quid significat?

Circumstantiam, quae est tempus. Nam sequentibus praedicamentis Aristoteles attribuit titulos interrogationum: Quando, Ubi. Rursus autem consilium diligenter considerandum est. Postquam de substantia et eius vestitu, armis et actionibus dictum est, attribui ei tempus et locum necesse est, quia cuilibet rei finitae necesse est tempus et locum attribui. Sicut infra in locis dialecticis circumstantiae, tempus et locus, connexa vocantur, quia impossibile est res finitas sine tempore et loco esse. Sunt autem et sequentium praedicamentorum appellationes nomina relativa.

Sed ut hae circumstantiae magis illustres sint, recensentur peculiaribus titulis extra praedicamentum relativorum, cui tamen affines sunt.

Quid est Tempus?

Tempus usitate describitur hoc modo: Tempus est numerus alicuius motus secundum prius et posterius. Etsi autem horribiles disputationes de hac descriptione motae sunt, tamen cum sint inanes calumniae, et tantum sophismatum praestigiae, omittendae sunt. Augustinus exclamat, quasi in re impervestigabili: In tempore vivimus, et quid sit tempus ignoramus. Quanquam autem magna caligo est humanae mentis, tamen haec appellatio mediocriter intelligi potest. Motus Solis, seu alius quicunque motus, durat successione quadam, et haec duratio seu successio non est alia res, nisi ipse motus. Sic duratio cuiuslibet rei non discernatur ab ipsis rebus. Huius autem durationis seu successionis partes dicuntur proprie tempus. Et hae partes numeris discernuntur. Ideo erudite dictum est: Tempus est numerus durationis, cum hoc tantum velit descriptio, Tempus esse partes durationis, priorem et posteriorem, distinctis scilicet numeris, ut: Tempus quo publice concionatus est filius Dei, postquam a Iohanne baptizatus est, anni tres sunt, et initium quarti. Huius durationis metae, initia, exitus, partes, numero discernuntur. Et partes hoc modo numero distinctae vocantur tempus. Et quia motus Solis et Lunae illustria discrimina faciunt temporum, de his motibus praecipue loquamur. Deus enim singulari consilio sic condidit coeli, solis, lunae motus, ut annorum, mensium, dierum metas et intervalla constituerit ipse. Et haec iussit aspici et considerari. Vult enim nos scire, fuisse aliquod mundi initium, nec infinitam aeternitatem retro generis humani fuisse, ut multi imaginati sunt. Vult nos scire seriem annorum mundi, ut: quae prior, quae posterior doctrina sit, notum sit. Vult sciri, quoties et ubi, quibus testimoniis se patefecerit, quae sit monarchiarum series, quando Filium missurus fuerit, quando instet resurrectio et finis harum miseriarum Ecclesiae. Hic ordo prorsus ignotus esset, nisi annorum intervalla distinguere et numerare possemus. Non est igitur obscurum, quae res sit tempus. Et utilitas in conspectu est, hanc consideremus, et doctrinam de anno, mensibus et diebus discamus, non immoremur inanibus cavillationibus.

Collocanda sunt autem in hoc praedicamentum nomina et adverbia tempus significantia, ut annus, mensis, dies, hora, hodie, nunc, cras, heri, et similia. Ac multa gravissima argumenta a tempore sumuntur, quae in ipsa invocatione saepe cogitanda sunt, ut:

Filius Dei ex virgine natus est anno 42. imperii Octavii Augusti, anno a condito mundo 3962. nondum deleta politia Mosaica, ut praedictum fuit, praedicaturum esse Messiam, et futurum victimam, stante adhuc politia Mosaica. Impie igitur errant Iudaei, qui expectant adhuc nativitatem Messiae, postquam tot iam seculis iacet funditus deleta Mosaica politia.

De Praedicamento Ubi.

Interrogatio Ubi quid significat?

Circumstantiam, quae est locus. Est autem locus proprie spacium continentis corporis cedentis contento, ut cum in aquam collocas cantharum, spacium cedens locus dicitur.

Sed nominum localium magna multitudo et varietas est, alia significant proximum locum, ut iam de spacio continentis dixi. Alia significant hospitia, ut ita dicam, ut: Filius Dei natus est in diversorio in Bethlehem. Sumuntur autem et ab hac circumstantia, videlicet a loco, gravissima argumenta, quia nulla res finita est sine certo loco. Valet igitur argumentum:

Deus servabit veram Ecclesiam, etiam in hac mortali vita, usque ad resuscitationem mortuorum,

Ergo servabit aliquas politias, quae sint Ecclesiae hospitia.

Sciant autem iuniores hic recenseri locorum appellationes, quatenus corpora continent, non quatenus sunt figurae, vel aedificia.

De Situ.

Quid est praedicamentum Situs?

Situs significat statum seu positum corporis, et partium eius, ut tacere, stare, supinum esse, pronum esse. Et huc collocanda sunt nomina et verba, quae tales positus significant. Recitatur

autem et hic titulus in praedicamentis, quia haec circumstantia semper corpora comitatur, et interdum observatio necessaria est, quo partes spectent, ut cum quaerimus, quo spectarit Cometae mucro seu cauda.

De Habitu.

Quid est praedicamentum Habitus?

Habitus significat hoc loco vestitum. Et huc vestium et aliorum tegumentorum nomina collocanda sunt, ut tunica, thorax, calceus, pileus, galea, clypeus. Estque ratio vestiendi consideranda, non materia aut figura. Hactenus de praedicamentis satis dictum est. Utilitas autem in definitionibus et divisionibus conspicietur, ut supra monui.

De Postpraedicamentis.

Quid vocarunt Postpraedicamenta?

Vincimur consuetudine, ut vocabulo utamur inerudite excogitato. Nec obscura doctrina est huius partis. Postquam utcunque exposita est doctrina de praedicamentis, adiecta est commonefactio de paucis quibusdam vocabulis ambiguis, cum multo plura recenseri potuissent. Nominant ergo postpraedicamenta vocabulorum aliquot ambiguorum enarrationem, videlicet, Oppositionis, particularum Prius, Simul, verbi Habere.

Quot modis Opposita dicuntur?

Saepe in Dialecticis repetitur haec commonefactio, Quatuor modis dici opposita, et infra in locis dicitur, quomodo a singulis modis ducantur argumenta, quod in communi vita sciri necesse est. Nunc brevissime appellationes recitabo.

Primus modus est: Contrarie opposita sunt, ut usitate loquimur, duae qualitates, quarum una pellit alteram, ut: caliditas et frigiditas, seu quae in gradibus excellentibus non possunt simul in eodem subiecto esse. Supra enim dictum est, qualitatis dici contrarias, quia harum actio aliqua seu effectio est. Res ociosae, ut quantitates, non dicentur contrariae. Relative opposita sunt relativum et correlativum, ut: Pater et filius. Haec non possunt uni, respectu eiusdem, tribui. Privatione opposita sunt res et privatio, ut: lux et tenebrae. Nam tenebrae non significant rem, sed significant tantum nuditatem, seu absentiam formae, cui opponitur, quae tamen adesse poterat. Et cum privatio nominatur, simul poni subiectum aliquod necesse est, ut: Caecitas est absentia visus in subiecto proprio visus, videlicet in oculis. Nec dicimus, lapidem esse caecum, quia eius natura non est capax visus. Res autem, ut visus, lux, hoc loco etiam nominatur Habitus, quia sunt ornamenta, quae possidentur. Caeterum constat in gradibus excellentibus non posse simul in eodem subiecto esse lucem et tenebras. Sic de aliis iudicandum est, ut in locis dicetur. Quartus modus vocatur Contradictio, quae non est singularum rerum aut vocabulorum oppositio, sed tantum repugnantia propositionum, quas impossibile est simul veras aut falsas esse, ut: Sol movetur, sol non movetur. Hic ordo, ne duae contradictoriae simul verae sint, aut simul falsae, est regula immota et aeterna mentis divinae, monstrata hominibus in hoc principio: Quodlibet est, aut non est. Et hunc ordinem tollere, est omnia facere incerta, et totam rerum universitatem confundere, ut si quis dicat, pariter veras esse, ignis urit, ignis non urit. Sed hae commonefactiones aliquoties infra repetentur.

Quae est ambiguitas particulae Prius?

Prius interdum significat quiddam antecedens tempore, ut: Arbor necessario prior est pomo, Romulus prior Augusto. Interdum Prius significat quiddam ordine naturae antecedens, etiamsi tempore simul est, ut: universaliter causa prior est effectu ordine naturae, etiam cum tempore simul est effectus, ut: Sol et spargere radios, hoc est, impossibile est causam posteriorem esse effectu. Ita unitas ordine prior est binario, lineae figuris. In syllogismo praemissae priores sunt conclusione, tametsi positis et recte intellectis praemissis, simul mox cerni conclusionem necesse est. Interdum Prius dicitur, quod antecellit dignitate, ut: Consul prior est senatore.

Sic in particula Simul ambiguitas est. Prima notissima est temporis significatio, ut: tempore simul sunt efficiens naturale, propinquum, ac patiens, faber et fabricatio. Totum et partes principales. Altera significatio minus conspicua est, sed tamen utilem doctrinam continet: Simul sunt correlativa omnia, etiamsi alterum non est causa alterius, ut maius, minus. Talia dicuntur natura simul, quia universaliter relativo extin-

guitur, extincto altero correlativorum. Appellatio domini postulat poni servum, amisso servo, extincta est relatio domini.

Verbum Habere in omnibus linguis late vagatur, de quo sciendum est, aliter haberi partes substantiarum, ut membra, aliter accidentia, ut habere artem, aliter contenta, ut: lagena habet vinum, aliter vestitum. Haec discrimina facile diiudicari possunt, praesertim considerato discrimine substantiae et accidentium, partium et rerum externarum.

Posset longior catalogus institui vocum ambiguarum. Sed his exemplis contenti simus, ne nimia prolixitas deterreat discentes. Sciantque studiosi, in qualibet voce primum quaerendam esse propriam et nativam significationem, deinde, quia saepe concurrunt plures significationes, considerentur figurae metaphorae, synecdochae et aliae, et eligatur significatio conveniens narrationi, iuxta regulam: Talia sunt subiecta, qualia permittuntur esse a praedicatis, id est, series narrationis, et collatio membrorum ostendunt, quomodo vocabula interpretanda sint, quando nativa significatio retinenda, quando decurrendum sit ad figuras, de qua re infra dantur praecepta in loco de absurdo. Et recte institutis in Grammatica, et ad diligentiam recte scribendi assuefactis, haec doctrina facilis est. Saepe autem tetri errores in gravissimis negociis oriuntur ex insulsa sermonis interpretatione, ut apparet in Iudaicis corruptelis Psalmorum et aliorum indoctorum interpretationibus.

Postquam autem hactenus de praedicamentis seu domiciliis vocum simplicium dictum est, nunc additur doctrina definitionum, quarum membra praecipua sumuntur ex illis domiciliis, et propter quas superior doctrina traditur.

De Definitione.

Quotuplex est Definitio?

Definitio duplex est, alia nominis definitio nuncupatur, alia rei definitio. Est autem Nominis definitio, qualiscunque non falsa nominis, seu linguae, seu figurae, seu phrasis interpretatio. Sumit Dialecticus a Grammatica sermonem proprium, purum, perspicuum, sine ambiguitate aliquid certi significantem. Tota igitur nominis definitio interpretatio est sermonis, figurarum et phrasis, Grammatica vera et concinna. Nec anguste intelligatur definitio nominis de puerili etymologia, qualis est haec: Solstitium est solis statio. Sed de erudita enarratione phrasis in iis linguis et materiis, de quibus dicendum est, ut enarranti Psalmos, aut Paulum, necesse est phrasin intelligere, ut cum inquit Paulus: Non estis sub lege, sed sub gratia. Hic necesse est phrasin intelligi, quid vocet esse sub lege, hoc est, nondum habere remissionem peccatorum, et nondum receptum esse a Deo, sed tristi legis sententia adhuc damnatum esse. Econtra, esse sub gratia, est esse sub misericordia Dei recipientis nos propter Filium, et esse nos reconciliatos et receptos propter Filium, placere Deo, quanquam sumus infirmi, et iuvari a Spiritu sancto.

Psalm. 110. De torrente in via bibet] id est: Sacerdos ille venturus, Filius Dei, gustabit miserias humani generis, et sustinebit tristissimas poenas nostrorum peccatorum. Haec metaphorae significatio in verbis: bibere de torrente in via, scilicet, huius vitae curriculo. Sed harum definitionum doctrina ex Grammatica ad Dialecticen afferenda est.

Quid est definitio rei?

Definitio rei est oratio, quae essentiam, aut causas, aut partes, aut accidentia rei exponit. Et quid intersit inter definitionem nominis et definitionem rei, sic intelligi facile potest: Definitio nominis est, cum peregrinae linguae vocabulum interpretaris notiore vocabulo nostrae linguae, et genus nominas, ut si dicas: Centaurium est herba, quam vocamus tausent gülden, vel Aurin, genus et nomen audis minus peregrinum, ac fieri potest, ut res ignota sit. Sed si herba proferatur, ut subiectam oculis intueri possis, iam habes rei definitionem illustrem. Vetus enim dictum est, et dignum memoria: Omnis intuitiva noticia est definitio. Cum audis etymologiam: Solstitium est Solis statio, etiamsi quis addat appellationem Graecam commodiorem, τροπήν, et dicat, solstitium seu τροπήν significare metam, unde Sol ex altissimo aut imo regreditur: hactenus tamen tantum qualescunque nominis descriptiones audis. Interea mens adhuc requirit amplius, quo tempore anni, in quo signo zodiaci sol regrediatur, vel ab altissimo loco, vel ab imo: Unde sit haec diversitas in motu Solis. Itaque mens non acquiescit audita sola nominis interpretatione, sed

deduci vult in rem praesentem, quantum fieri potest, ut rem ipsam prope aspiciat. Ad hunc usum definitiones rei investigantur.

Quot sunt conditiones bonae definitionis?

Tres sunt. Prima: ne definitio sit angustior definito. Secunda: ne latius vagetur definitio quam definitum. Tertia: ut sit sermo definitionis proprius, perspicuus, et sine ambiguitate significans membra, quae continet. Haec admonitio puerilis est, sed tamen non est praetereunda. Saepe enim offeruntur definitiones mendosae. Iocus Diogenis recitatur, qui audita definitione: Homo est animal bipes, monstravit gallinam, Ecce, inquiens, hominem Platonicum. Talem autem multae definitiones circumferuntur, ut: Poenitentia est, plangere peccata, et plangenda non facere. Haec nondum integra definitio est salutaris poenitentiae.

Quot sunt formae definitionum rei?

Quatuor sunt formae definitionum rei: Essentialis, Causalis, Collecta ex coacervatione partium, et collecta ex coacervatione accidentium. Etsi autem alii plures modos recitant, tamen his titulis contenti simus, quos meminisse facile est. Ac modi alii vere in hos includi possunt.

Quae nominatur essentialis definitio?

Essentialis definitio nominatur, quae constat ex genere et differentia specifica, ut: Homo est animal rationale. Boëtius utile esse censet ducere definitionem inde usque a summo genere, ut: Homo est substantia corporea, animata, sentiens, rationalis. Cum hoc modo a summo genere progredimur, videmus nos intra praedicamentorum metas versari et res fit illustrior. Nec difficile est in substantiis intelligere, cur hoc genus definitionum vocetur essentiale, quia partes essentiae significantur, ut in homine corpus et anima rationalis. Corpus significatur, cum dicimus: Homo est substantia corporea, deinde anima rationalis, cum adduntur caeterae particulae, animata, sentiens, rationalis. Ac differentiae proprie sic dictae significant universaliter rerum formas, ut rationale, animam rationalem. Sed cum formae multarum substantiarum nominibus propriis careant pro differentiis specificis saepe utimur aliis proprietatibus, ut: Equus est animal hinniens. Nec tamen solae substantiae habent essentiales definitiones, sed etiam accidentia, videlicet, ubicunque diserte genus et differentia specifica, vel aliqua proprietas accommodata nominari potest, quae loco differentiae recte ponitur. Et hic generaliter nomine essentiae utimur, pro re per sese considerata, sive sit in praedicamento substantiae, sive sit accidens. Voco essentialem definitionem hanc quoque: Virtus est habitus inclinans voluntatem ad obediendum rectae rationi. Nam habituum forma et differentiae nec sunt aliae, nec cogitentur aliae, nisi certo modo inclinare. Est et haec essentialis definitio: Peccatum est defectus, vel inclinatio, vel actio in natura rationali, pugnans cum lege Dei, offendens Deum, et commerens poenas, nisi fiat remissio propter filium Dei mediatorem. Genera sunt defectus, inclinatio et actio. Sequens particula differentia est, pugnans cum lege Dei. Deinde sequitur proprium, quod reatum significat, offendens Deum, et commerens poenas. Sequitur accidens, nisi fiat remissio. In his exemplis usus praedicabilium conspicitur, fiunt enim definitiones illustriores, cum ordine per praedicabilia itur.

Quae nominatur causalis definitio?

Causalis definitio nominatur oratio, quae diserte causas vel omnes, vel aliquas recenset, ut rei naturam vel usum declaret. Est autem affinis superiori. Nam duae causae interiores materia et forma, revera sunt essentia rei. Sed efficiens et finalis causa dicuntur exteriores causae, quarum tamen saepe mentio fit in definitionibus causalibus. Ac medicorum definitiones multae sunt causales. Genus autem plerunque inseritur ut in essentialis definitione, ut: Lex naturae est noticia principiorum practicorum de moribus, et conclusionum inde extructarum, congruens cum regula aeterna et immota mentis divinae, quae principia cernimus, et amplectimur firmo assensu, quia noticiae eorum nobiscum nascuntur, divinitus insitae humanis mentibus in creatione, ut sint testimonia, quod sit Deus, et ostendant, qualis sit Deus, et regant ac indicent actiones nostras. In hac definitione genus est noticia. Et ut in qualitatibus haec ipsa noticia est forma in mente, obiecta sunt principiorum et conclusionum termini: Deum timeas, Deo obedias, Parentes diligito, Ne laedito ullos homines nulla affectus iniuria, etc.

Causa efficiens noticiae in mentibus Deus est inserens hoc lumen. Causa finalis, ut hoc ipsum lumen testetur esse Deum, et monstrato discrimine honestorum et turpium, doceat qualis sit Deus, scilicet essentia intelligens, verax, iusta, benefica, casta, etc. Deinde ut mores nostros regat et iudicet haec noticia. Quomodo autem causae quaerendae sint, in locis dicendum est. Nam cum latent causae, a signis et effectibus ad earum investigationem itur, ut: Medicus ex signis de causis morbi iudicat.

Multa exempla talium definitionum quotidiana vita ostendet. Praecipue autem hic observent iuniores nomina officiorum, in quibus usitatum est causas finales recitari, ut: Miles est persona Dei voluntate ad hoc opus ordinata, ut in defensione iusta, vel poena legitima, armis et quocunque labore militari iuxta vocationem pugnet pro Ecclesia Dei et pro honesta Repub.

Quae nominatur collecta ex partibus?

Definitio collecta ex coacervatione partium est oratio recitans partes, seu essentiales, seu integrales, praecipuas omnes eius rei, quae declaratur, ut: Philosophia est cognitio artium dicendi, Mathematum, Physices, et doctrinae de moribus, quae acie humanae mentis intelligi et iudicari potest. Multae sunt tales definitiones forensium vocabulorum et virtutum, quae multas alias virtutes continent. Ut *ταπεινοφροσύνη* est propter agnitionem propriae infirmitatis et sordium, vere expavescere, ac timere Deum, nec sese ingerere negociis sine vocatione, et tamen obedire vocationi spe auxilii divini, nec alios despicere, sed tribuere singulis suum locum, et agnoscere, alios etiam esse Dei organa, per quae salutaria effici possint: imo est in calamitate moderate ferre poenas, propter agnitionem delictorum, et iusticiae Dei obedire, iuxta illud: Tibi Domine iusticia. Poenitentia est expavescere agnitione irae Dei adversus peccata nostra, et rursus erigi fide, accipiente remissionem peccatorum fiducia filii Dei, et in hac fide novam obedientiam inchoare.

Quae nominatur definitio collecta ex accidentibus?

Definitio collecta ex coacervatione accidentium est oratio generi vel speciei adiungens vel propria accidentia rei, vel talem coacervationem communium accidentium, quae discernat eam rem ab aliis, ut: Ignis est elementum calidum et siccum, et levitate omnibus antecellens. Multum autem hac forma utimur in descriptionibus plantarum, item in individuorum, ut personarum discriminibus indicandis, ut: Mitionem et Demeam discernunt accidentia. Notissimus omnibus est frutex, qui fert fructum, quem nostra lingua vocamus Heimboten. Huic frutici nomen est Cynosbatos. Definitio talis est, pertinens ad hanc quartam formam: Cynosbatos est frutex maior rubo, arboris instar, aculeis circa virgas robustis, fructum ferens similem nucleis olivarum, sed rubentem cum maturescit, lanea intus natura, etc.

Recensui formas definitionum, quarum exempla in quotidianis lectionibus monstrent hi, qui docent iuniores, et simul de utilitate eos commonefaciant, doceant in omni quaestione, cum homines docendi sunt, fontem esse totius explicationis veram definitionem, Ut nos omnes quotidiana invocatio commonefaciat, quoties de Deo cogitamus, definitionem eius cogitandam esse, quis sit quem alloqueris, quomodo discernendus sit a commenticiis numinibus, et a malis ac perniciosis spiritibus. Recitantur multae formae definitionum apud Boëtium, sed plaeraeque distribui possunt in haec capita seu genera quae hic commemoravi. Iudico tamen quasdam nomenclaturas utiliter addi.

Definitio *κατὰ πρός τι.* Haec propria est relativorum, quae sic fit, nominatur genus et additur correlativorum, ut: Pater est persona habens filium.

Definitio *κατὰ ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου*, id est, quae fit remotione contrarii, ut: Spiritus est substantia incorporea, intelligens. Castitas est virtus, quae vitat omnes vagas libidines et commixtiones a Deo prohibitas. Sic omnia privativa vocabula definiuntur. Tenebrae sunt absentia lucis. Caecitas est defectus visus in animali. Talis est definitio recte et dialectice posita in epistola Iohannis: *ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία*, id est, peccatum est pugnans quiddam cum lege. Cum enim antea prolixe concionatus esset Iohannes de vitandis peccatis, interrogare gentes poterant, quid nominaret peccatum, quia vitia quaedam usitata erant gentibus, quae non puniebantur ethnicis legibus. Ut igitur sciant normam discernentem res Deo placentes, et damnatas a Deo, constituit

eruditam definitionem: Peccatum est quicquid contrarium est legi Dei. Hanc legem Dei intuentes, discite quae sint vere peccata. Haec nativa sententia non potest intelligi ex verbis latinae interpretationis. Ideo et Graeci fontes inspiciendi sunt, et haec Dialectica consideratio definitionum adhibenda est. Iam de explicatione definitionis quae apud Iohannem recitatur, multa erudite dici possunt. Sed haec alibi exponuntur.

Definitio κατ᾽ ἀντίλεξιν, quando alio verbo notiore utimur, ut in Ecclesia dicimus: Contritio est pavor et dolor cordis, ortus ex agnitione irae Dei adversus peccata.

Multae communissimae descriptiones vocantur τύποι, id est, qualescunque delineationes, ut descriptiones membrorum, plantarum, machinarum, et pertinent ad definitiones quae fiunt coacervatis accidentibus aut effectibus.

De Divisione.

Quae est utilitas verae divisionis?

Vetus dictum est: Qui bene distinguit, bene docet. Et in Phaedro Platonis longa divisionum laudatio extat, ubi tandem inquit Socrates: Si nactus fuerit ducem, qui recte partiri sciat, se ipsius, tanquam Dei vestigia secuturum esse. Inseratur ergo teneris mentibus haec verissima persuasio, valde necessarias esse divisiones seu distinctiones in plurimarum rerum explicatione, et ad curam diligentiamque erudite et recte dividendi assuefiant iuniores. Quantae tenebrae essent in Ecclesia amisso discrimine Legis et Evangelii. Quoties audivimus homines non rudes literarum vituperare iuris civilis doctrinam, et disputare, regendas esse civitates et iudicia dictis evangelicis? Speciosa oratio videtur, cum sit horribilis confusio. Differunt enim politica gubernatio et Evangelium. Politica gubernatio regit externam disciplinam omnium hominum, etiam impiorum, et coërcet externa membra corporalibus poenis, discernit dominia rerum, et tuetur pacem communem legibus, iudiciis et armis. Ad haec opera magistratus politicus divinitus impositus est societati civili, cuius haec praecipua sunt officia: Primum, ut sonet ipse vocem decalogi, hoc est, legis naturae, et decalogi recte intellecti custos sit in externa disciplina, et poenis corporalibus afficiat contumaces. Secundum, ut addat alias particulares leges, quae tamen non pugnent cum decalogo, sed certas circumstantias definiant, cum decalogus tantum de genere dicat, ut cum ait decalogus: Non furtum facies, exprimit legislator, quid in contractu nominari furtum velit, et quomodo puniturus sit. Harum etiam legum custodia et executio magistratui mandata est. Interea alia res est Evangelii concio, quae remissio peccatorum et haereditas vitae aeternae offeruntur, et ex genere humano aeterna Ecclesia Deo colligitur, et accenduntur in cordibus piorum lux et agnitio vera Dei, iusticia, et vita aeterna. Sed tales tantum pauci sunt, qui Evangelii voci sponte et laeti obtemperant. At politicus magistratus suis legibus reliquam totam multitudinem coërcet. Alia igitur res est gubernatio politica, alia res vox Evangelii, colligens aeternam Ecclesiam. Haec quanquam brevis distinctio, tamen lumen est rerum maximarum, quam qui non norunt, sunt in magnis tenebris. Hoc breve exemplum recitavi, ut commonefaciam discentes, valde necessariam esse doctrinam divisionum, quam quidam Andronicus scripsit, semper in magno honore apud Peripateticos fuisse.

Quot sunt formae divisionum?

Quatuor sunt formae divisionum. Prima est distinctio nominis multa significantis in significata, ut in hoc dicto: Si vos Filius liberaverit, vere liberis eritis. Hic necesse est dici nomen libertatis alias significare libertatem civilem, alias liberationem a peccato, ab ira Dei, et ab aeterna morte, prorsus nihil ad civilia negocia pertinentem. Si quis autem hanc explicationem aequivocorum non volet nuncupare divisionem, nominet ut volet: Modo hoc sciant iuniores. In omni disputatione primum sciri oportere vocabulorum significationes narrationi convenientes, oportere et ambigua explicari, et sermonem integrum recte intelligi. Haec Grammatica admonitio saepe in Dialectica repetitur.

Quae est secunda forma?

Secunda forma est divisio generis in species, quae in omnibus artibus communissima est. Necesse est autem species discerni, vel per differentias, vel per propria, vel per accidentia, vel per subiecta, vel per obiecta, vel per causas, vel per effectus, ut supra dictum est in praedicamentis, ubi desunt nomina differentiarum illustria, sumi

aliunde qualescunque differentias, ut: Animal dividitur per differentias in species. Animalium aliud rationale, ut homo, aliud sine ratione est, ut bos, equus, etc. Hae species deinde proprietatibus discernuntur, ut: Bos est animal quadrupes, cornutum, mugiens, etc. Habituum differentiae alias a subiectis, alias ab obiectis, alias ab effectibus sumuntur, ut, habituum alii sunt habitus intellectus, ut noticiae, alii sunt voluntatis, ut virtutes. Sic apud medicos differentiae morborum illustres a locis affectis sumuntur. Virtutum species multis obiectis discernuntur: Aliae immediate cum Deo agunt, ut fides, timor Dei, fiducia, spes, dilectio Dei. Aliae intuentur homines, ut iusticia particularis suum cuique tribuens: Temperantia moderatur voluptates cibi et potus: Castitas prohibet contaminari corpora vagis libidinibus, etc. Vindicta dividitur in vindictam ordinatam et inordinatam. Ac differentiae a causis sumuntur. Ordinata est, quae fit iuxta leges per magistratus, hanc approbat vox Evangelii. Inordinata, quae fit sine legum autoritate per privatos, haec prohibita est. In qualibet igitur materia diligenter genera quaerenda sunt, ut infra in locis dicendum erit, et recte dividenda, et videndum, unde sumi differentiae possint. Incurrunt autem in sensus aliqua accidentia, et effectiones aliquae, quae vel deducunt considerantem ad differentias alias inveniendas, vel pro differentiis usurpantur.

Quae est tertia forma divisionum?

Tertia forma est: Divisio totius in partes seu essentiales seu integrales. Hanc formam Cicero proprie nominat partitionem, quia partes seu membra recenset. Et a superiore forma facile discerni potest. Nam divisio generis quaerit multa inferiora, de quibus genus praedicari potest. At divisio totius in partes est enumeratio partium constituentium unam aliquam rem, ut, si corporis humani partes discernas, caput, collum, thoracem, cor, epar, ventrem, splenem, spinam dorsi, brachia, pedes, etc. Magnus usus est et huius formae in tota vita. Legis Mosaicae partes tres sunt: Moralis, Iudicialis et Ceremonialis. Nec tantum de Mosaica lege utimur hac partitione, sed in omni politica gubernatione honesta sunt tres partes. Lex moralis, quae una et eadem est ubique et aeterna, videlicet Decalogus, ut usitate nominamus moralem Legem. Deinde iudicialis. Etsi enim Mosi forum nihil ad nos pertinet, tamen ubique oportet esse iudicia, et magistratus, qui sint executores poenarum, si qui violant legem moralem, oportet discerni dominia rerum. Sint igitur aliquae iudiciales, seu forenses leges etiam in aliis imperiis, nec necesse est a nobis recipi Mosaicas. Sed de Ceremoniis cogitemus. Etsi nihil ad nos pertinent Mosi ceremoniae, tamen in hac hominum consuetudine necesse est honestum ordinem actionum esse, necesse est congressus publicos in templis et in scholis ordine aliquo fieri, necesse est patremfamilias distribuere liberis tempora discendi, alias operas faciendi. Paulus summam virtutum, quae necessariae sunt in quolibet iusto, his verbis complexus est, in priore ad Timotheum capite primo: Summa mandati est dilectio ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Item: Milita bonam militiam habens fidem et bonam conscientiam. Tales breves summas arbitror ipsum Apostolum singulari consilio proposuisse, ut assidue in mentibus circumferre possimus doctrinam breviter comprehensam, et sciamus, quas res praecipue complectatur. Vita Deo placens totum est, partes, fides et iusticia bonae conscientiae. Divisio peccati in species haec est: Peccatum aut est originale aut actuale. Originale est defectus iusticiae originalis, quae debebat in homine lucere. Actuale est actio contra legem Dei. Idque rursus dividimus: Aliud est veniale, aliud mortale. Venialia sunt in renatis originale malum, sed condonatum: item affectus vitiosi pugnantes cum lege Dei, quibus tamen pii repugnant, ne contra conscientiam violent legem Dei, et retinent fiduciam misericordiae propter filium Dei promissae. Mortalia sunt originalia et actualia omnia in non renatis. Sed cum de lapsibus renatorum loquimur, mortalia sunt actiones pugnantes cum lege Dei, quibus delinquentes contra conscientiam violant legem Dei, et propterea tunc rei fiunt aeternae damnationis, effuso et contristato Spiritu sancto. Nequaquam enim imaginandum est, Davidem cum sciens et volens rapit alterius coniugem, tunc adhuc retinere iusticiam et Spiritum sanctum. Sed iudicemus de voluntate Dei, sicut ipse nos docet. Clare autem scriptum est: Propter haec venit ira Dei super inobedientes.

Quae est quarta forma divisionum?

Quarta forma est divisio subiecti in accidentia propria. Utimur autem hac forma, cum alicuius personae vel rei conditiones proprias enumeramus, ut: Talis sit Episcopus, sciat doctrinam Ecclesiae, et sit mediocriter idoneus ad docendum, timeat Deum, et moribus honestis ornet doctrinam, et sit inprimis amans veritatis, candidus, et inimicus sophisticae, et studiosus concordiae publicae, possit etiam flectere animum, ut quaedam incommoda ferat, ac dissimulet, ne concordiam publicam turbet. Sic Cicero pro lege Manilia enumerat conditiones boni Imperatoris: Habeat scientiam rei militaris, virtutem, autoritatem et felicitatem. Apud Homerum praecipua ornamenta viri principis recitantur in hoc versu:

Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρατε ἔργων.

De usu huius quartae formae plus dicetur infra in loco adiacentium et adiunctorum.

De Methodo.

Dixi initio in prima parte Dialectices tradi doctrinam de explicatione simplicium vocum. Ideo gradus et domicilia vocabulorum initio monstrata sunt. Postea dictum est de modis definitionum et divisionum: nunc usum huius partis ostendamus. Ut autem alias nomen *μέθοδος* significat rectam et compendiariam vitam, ita Dialectici ad ordinem explicationis rectissimum transtulerunt hoc nomen: ac significat hoc loco *μέθοδος* rectam viam seu ordinem investigationis et explicationis sive simplicium quaestionum, sive propositionum. Et sic Graeci definiunt: *μέθοδος ἐστὶν ἕξις ὁδοποιητικὴ μετὰ λόγου*, id est: Methodus est habitus, videlicet scientia, seu ars, viam faciens certa ratione, id est, quae quasi per loca invia et obsita sentibus, per rerum confusionem, viam invenit et aperit, ac res ad propositum pertinentes, eruit ac ordine promit.

Quot sunt methodi quaestiones?

Cum de una voce dicendum est, viam monstrant hae decem quaestiones.

Prima, quid vocabulum significet.
Secunda, an sit res.
Tertia, quid sit res.
Quarta, quae sint rei partes.
Quinta, quae sint species.
Sexta, quae causae.
Septima, qui effectus.
Octava, quae adiacentia.
Nona, quae cognata.
Decima, quae pugnantia.

Ubi tradidit has quaestiones Aristoteles?

Aristoteles in libro 2. Resolutionum posteriorum quaestiones recenset quatuor, quae sunt et in nostro catalogo praecipuae: An sit, Quid sit, Quod sit, et Quare sit. Nos paucas addidimus. Sed prius breviter de Aristotelicis dicamus.

I. *An sit*, quaerit de iis, quae non sunt in conspectu, ut: An sit Deus, an sint spiritus vivi sine mole corporum. Ad hanc quaestionem sumitur responsio ab experientia et ab affectibus seu signis, ut esse spiritus confirmatur, quia a multis fide dignis conspecti sunt. Esse Deum, testimonia illustria, et certissima ostendunt, videlicet, quia mortuos exuscitavit, iussit solem regredi aut resistere, etc. Deinde ordo motuum coelestium, discrimen honestorum et turpium in mente, denique alia multa arte facta in natura testantur, hunc mundum non extitisse casu, sed aeternam mentem architectatricem esse. An aegrotet Phaedra, sumitur ex signis, pallore, insomnio, cibi fastidiis, palpitatione cordis, etc.

II. *Quid sit*, sciscitatur de definitione rei. Praecipuum enim caput est definitio in quacunque explicatione, ut cum quaerimus, quid sit Cometa, stella an halitus inflammatus, etc.

III. *Quod sit*, particula apud Aristotelem, non est interrogatio, sed asseveratio significans aliquid attribui subiecto, ut: Cometa paulatim consumitur. Sic enarrat Aristotelem Graecus interpres: *τὸ ὑπάρχον τινὶ κατηγορούμενον*, id est, quod attribuatur alicui praedicatum aliquod, seu quod subiectum illud sit tale.

IIII. *Quare sit*, quaestio est de causis, quae sit Cometae materia, quae causae tantam molem viscosorum halituum contrahant et accendant. Congruunt igitur Aristotelicae quaestiones cum illis, quas recensui. Congruunt ad utrasque et loci Dialectici, qui infra recitabuntur. Nam et illi sunt indices, ut ita dicam, methodi. Adiiciam autem unum exemplum, ut usus quaestionum conspiciatur. Ac de virtute dicamus.

Prima quaestio est de vocabuli significatione. Interdum enim virtus, generaliter vim seu facul-

tatem significat, ut cum dicitur: Virtus epatis, alias aliud significat. Sed hic virtus, ut Graecis ἀρετὴ, significat habitum parientem honestas et laude dignas actiones.

An sit, Esse virtutem inde conspicitur, quia Scipio dissimilis est Antonio. Scipio abstinet ab alienis, est temperans. Idque sani omnes iudicant convenire hominis naturae. Econtra, Antonii mores longe alii sunt, obscoeni, saevi, quos sani omnes detestantur. Ita experientia testatur esse discrimen inter virtutem et vitium.

Quid sit, cum quaerimus definitionem, inspiciuntur tabulae praedicamentorum. Unde disces an res, de qua dicturus es, sit substantia, an accidens. Et si est accidens, in qua parte sit, in corpore, an in anima. Genus igitur virtutis invenies esse habitum voluntatis, deinde differentia additur, quae saepe collatione oppositorum invenitur. Est igitur virtus habitus inclinans voluntatem et caeteras vires, ut constanter et firmiter obediant rectae rationi.

Quae partes? Habitus non secatur in partes, sed species virtuti subiiciendae sunt.

Quae species? Multae sunt: Iusticia particularis, veritas, fortitudo, modestia, temperantia, castitas, etc.

Quae causae? Habituum causae sunt actiones. Et Deus ita condidit humanam naturam, ut assuefieri possit, quia vult eam capacem esse doctrinae, et bonis exercitiis ad virtutem flecti, et confirmari virtutum initia, ideo aliqua voluntatis libertas reliqua est. Sed actionum honestarum efficientes causae principales sunt: Mens recte iudicans, et voluntas obtemperans recto iudicio, et constanter imperans membris, ut actio cum recto iudicio congruat. Causae adiuvantes sunt, bonae inclinationes naturales, et doctrina et disciplina, hoc est, accurata assuefactio Evangelii doctrina in tanta nostra infirmitate docet nos de auxilio, videlicet de Spiritu sancto, in his, qui Deum recte invocant: hic efficit ardentiores et firmiores virtutes, ut in Ioseph hae causae concurrunt: Mens audiens verbum Dei, in qua Spiritus sanctus confirmat assensionem, Et voluntas, quam cum obtemperare menti conatur et secum ipsa luctatur, adiuvat Spiritus sanctus. Non enim nihil agit voluntas, quia alioqui lucta nulla esset. Vult Deus voluntatem non esse ignavam, sed in hoc certamine exerceri et aliquid agere.

Materiam, ex qua nulla accidentia habent, et qualitates sunt formae efficaces, seu instrumenta actionum in substantiis. Sed subiectum vocatur materia in qua. Sunt autem virtutes in voluntate et corde. Finales causae omnium habituum praecipuae sunt ipsae actiones. Sed finis in actione virtutis secundum Philosophos est ipsa actio honesta, quia dicunt virtutem propter seipsam expetendam esse. Nos in Ecclesia rectius dicimus, finem esse bonae actionis, ut Deo praestemus obedientiam debitam, et agnoscamus in talibus exercitiis Deum, cogitemus virtutum doctrinam esse testimonium de ipso, et commonefactionem qualis sit, statuamus item inspectorem et iudicem esse Deum humanarum actionum. Postea autem multi fines accedunt. Possunt enim unius rei multi fines esse ordinati. Hanc regulam in politica iusticia servat Deus, qui est custos et vindex disciplinae, ut regulariter atrocia delicta puniat manifestis poenis in hac vita, ut dicitur: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Item: Deus est ignis consumens. Unde propter experientiam tales multae sententiae traduntur. Ad generum Cereris sine caede et vulnere pauci: Descendunt reges, et sicca morte tyranni.

Sit igitur et hic finis honestae vitae, ut poenae et tragicae calamitates vitentur. Postea sciunt pii, benefactis in hac vita mitigari proprias et publicas calamitates, item dari incrementa donorum spiritualium, item reliqua esse aeterna praemia. In hac recitatione quaestionum considerent studiosi, veram copiam orationis, plenam rerum optimarum, ex his fontibus hauriendam esse. Nec aliud sunt libelli de copia, nisi horum locorum rivuli.

Qui effectus? Tranquillitas cordis, quae oritur ex conscientia rectae voluntatis et actionum congruentium ad regulam divinam. Multi secundi eventus et prosperi successus, quia plerunque Deus honesta consilia iuxta vocationem adiuvat. Utilitas et pax publica, ut: Fabii moderatio prodest Reip. Honesta exempla invitant alios ad imitationem, et deterrent negligentiores. Econtra, turpitudo lacerat pacem publicam, et nocet exemplo, etc.

Quae adiacentia? Gloria, id est, honestorum recte iudicantium comprobatio: Odia malorum, pericula, divina defensio in periculis.

Quae cognata? Virtuti cognatae sunt bonae inclinationes, ut *στοργαὶ φυσικαὶ*, et aliarum virtutum semina, ut in Alexandro singulares impetus sunt ad fortitudinem. Item nomini virtutis aequale est nomen iusticiae universalis. Sed virtus dicitur iusticia, cum refertur ad legem, cui debita obedientia praestatur.

Quae pugnantia? Vitia seu turpitudines, et falsa simulatio virtutis.

Hoc modo per quaestiones, quas recensui, procedendum est, quandocunque de simplici vocabulo vel de una re dicitur. Et mediocriter explicatis his quaestionibus fieri rem illustriorem, et quasi oculis subiici, manifestum est. Prodest igitur ad hunc ordinem ad has metas assuefieri discentes, quarum consideratio etiam moribus in vita utilis est, cum quidnam agamus, et causas ac consequentia diligenter prospicimus. Ideo iunioribus multa exempla in quotidianis exercitiis proponantur, ut vocabula poenitentiae, tolerantiae, magistratus, et alia.

LIBER SECUNDUS.

De Propositione.

Et naturae ordo postulat prius de simplicibus vocabulis dici, postea de compositione, et usitatum est, mentis officia praecipua ita numerare, Apprehensionem simplicium, compositionem, et divisionem, et diiudicationem. Parum enim distaret homo a brutis, si tantum simplicia apprehenderet, nec lumen haberet ad connectenda simplicia et ratiocinandum et iudicandum. Cum autem in natura rationali hoc lumen Deus accenderit, nunc de compositione dicitur. Ac doctrina de propositionibus admodum tenuis et puerilis est, sed tamen ad formanda iudicia iuniorum necessaria. Postea plus artis est in doctrina de syllogismis, in iudicandis causis et vitiis connexionum, ut ibi dicetur.

Quid est Propositio?

Propositio est oratio indicativa, unica et integra, verum aut falsum sine ambiguitate verborum significans, ut: Sol movetur, Alexander vicit exercitus Darii regis Persici, Omnes lineae a centro ad circumferentiam circuli ductae sunt aequales. Ideo autem necesse est propositiones orationes indicativas esse, quia orationes aliorum modorum non sunt asseverationes, ut indicativae. Iam propter hanc ipsam causam doctrina de propositionibus traditur, quia in docendo necesse est asseverationes perspicuas et firmas proponi. Et haec utilitas est doctrinae de propositionibus. Ut in Rhetoricis in longa controversia status quaeritur, qui est propositio aliquid certi asseverans, ut Milo iuste interfecit Clodium: ita commonefacti hac puerili doctrina dialectica, sciamus in omnibus disputationibus quaerendas esse propositiones principales, deinde et argumentorum membra. Sic etiam nos in loquendo et scribendo assuefaciamus, ut non offundamus ambages aliis in sermone aut scriptis, sed dirigamus orationem ad aliquas certas propositiones et perspicuas asseverationes. Sic non solum prophana, sed etiam prophetica et apostolica scripta legamus, ut asseverationes in eis, velut in iudicum sententiis quaeramus, et consideremus, quid re ipsa dicant, non varias interpretationes singulis versibus affingamus, ut multi in psalmis et in Paulo fecerunt. Caeterum in rhetoricis materiis suasoriis propositiones fiunt imperativo modo, ut: Reges depellite Turcicum latrocinium a gentibus Christiani nominis. Sed Dialectici loquuntur de asseverationibus, ut dixi, et hae suasoriae revera sunt conclusiones tales: Honestum et necessarium est depelli Turcas, etc.

Quae sunt divisiones propositionum?

Prima est: Propositionum aliae sunt categoricae, aliae hypotheticae. Categorica est unica, simplex, indicativa oratio, quae perspicua asseveratione unum quiddam affirmat, aut negat, ut: Sol est maior terra, Luna non est maior terra. Hypothetica est oratio, in qua duae categoricae contexuntur per Grammaticam particulam coniunctionem, nec est unius rei asseveratio, ut: Si emisti, debes precium dare, Si asinus volat, habet pennas. Talia dicta non sunt asseverationes.

Quae sunt partes propositionis categoricae?

Tres sunt partes: Subiectum, Praedicatum et Copula. Subiectum est in Grammatica constructione prior nominativus, de quo aliud dicitur, Grammatici vocant suppositum. Praedicatum est descriptio sequens copulam, seu est verbum nomini attributum, quod Grammatici vocant appositum. Copula est verbum substantivum, quod est nexus seu vinculum, quo praedicatum subiecto allegatur, ut: Deus est iustus, sed in verbis inest copula per sese, ut: Deus vere irascitur peccatis. Ut autem sermonem Dialecticus a Grammatica accipit, ita discat inde, quae sit oratio non vitiosa, quid nomen sit, quid verbum. Recte autem cum Grammatica congruit, quod dicitur, Subiectum esse nomen, quia oportet rem aut personam loco subecti poni. Praedicata vero sunt aut verba, ut Grammatici loquuntur, aut nomina adiectiva, aut substantiva, quae in descriptionibus aut genera aut species poni possunt, ut: Iuppiter est stella, etc. Nec pueriliter intelligantur partes, quasi oporteat unicam vocem subiectum esse, et deinde rursus unicam vocem praedicatum. Sed sit propositio oratio integra, unica, etiamsi subiecto aut praedicato, id est, principalibus membris addantur descriptiones aliquae, ut vere propositio est:

Didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Illa admonitio necessaria est. Diligenter assuefiant discentes, ut considerent, quae membra proprie subiecti locum teneant, quae praedicati, hoc est, recte discant Grammaticam syntaxin, ut hic:

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.

Syntaxis haec est: Homerus arguitur, id est, deprehenditur vinosus, quia saepe laudet vinum. Vinosus praedicati pars est, non subiecti. Hanc admonitionem necessariam esse in gravissimis materiis etiam exempla quaedam postea monstrabunt.

Quae est secunda divisio propositionis categoricae?

Propositionum alia est affirmativa, alia negativa. Affirmativa est, quae asseverat aliquid adesse, seu inesse subiecto, ut: Paries est albus. Negativa, quae asseverat aliquid abesse subiecto, per particulam negativam conveniente hoc loco positam, ubi vere removet praedicatum a subiecto, ut haec est negativa: Epicurea philosophia, quae affirmat voluptatem esse summum bonum, non est vera. Nam negatio praedicatum removet a subiecto. Haec non est negativa: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater coelestis, eradicabitur. Hic enim negatio non additur praedicato, sed inserta est descriptioni subiecti.

Quae est tertia divisio propositionum?

Propositionum aliae sunt universales, aliae particulares, aliae indefinitae, aliae singulares. Hae appellationes ex Grammatica notae sunt. Universalis est, in qua signum universale additur subiecto, ut complectatur omnia, de quibus subiectum dici potest, ut: Omnes stellae sunt corpora lucida, Nulla stella est conflata ex elementis. Sunt autem signa universalia: omnis, quilibet, nullus, nemo. Et particulae exclusivae vim habent universalium, ut: Soli credentes Evangelio, haeredes sunt aeternae salutis, id est, omnes salvandos Evangelio credere necesse est, Tantum homo currit, id est, omnes currentes sunt homines. Particularis est, in qua signum particulare subiecto additur, ut complectatur non omnia, sed aliqua, seu multa, seu pauca, de quibus subiectum dicitur, ut: Aliqui homines timent Deum, Aliqui homines non timent Deum. Signa particularia sunt: quidam, aliquis, plaerique, plaerunque, reliqui, ut particularis propositio est: Luxuriant animi rebus plaerunque secundis, id est, plaerique homines in secundis rebus magis laxant frenum cupiditatibus. Indefinita est, in qua subiectum est vocabulum commune sine signo positum, significans alias ideam, alias particulariter, ut: Eloquentia est facultas, sapienter, recte, perspicue et ornate dicendi de Deo et aliis rebus bonis. Item: Anima hominis est immortalis. Hic de specie dicitur. Propterea Iurisconsulti dicunt, Indefinitam aequipollere universalia, quod verum est, cum significat speciem. Sed interdum significat particulariter, ut: Secundae res faciunt homines insolentiores, id est, plaerique homines in secundis rebus fiunt insolentiores. Diligentia igitur adhibenda est, ut consideretur, ubi indefinita significat ideam seu speciem, ut hic: Dilectio est impletio legis, et ubi particulariter significet, ut: Cretenses sunt mendaces, id est, multi sunt tales, nec omnes, nec plaerique. Singularis est, in qua subiectum est proprium nomen, seu individuum, ut: Marcus Cicero est orator, In principio erat verbum,

id est, Filius Dei erat in principio. Syntaxis ostendit subiectum, Verbum, id est, Filius Dei, hoc loco subiectum est. Reliqua pars: Erat in principio, praedicatum est, et copula in verbo Erat inclusa est, Verbum est persona, non condita ex nihilo, sed quae fuit initio imago aeterni Patris, cogitatione genita de substantia Patris.

De aequipollentiis signorum.

Usus particularum a Grammaticis discendus est. Non omnes stellae sunt maiores terra, particularis negativa est, id est, quaedam stellae non sunt maiores terra, ut Luna, Venus, Mercurius. Nonnulla bona ingenia corrumpuntur pravis sodalitiis, particularis affirmativa est, id est, aliqua bona ingenia corrumpuntur consuetudine malorum. Nemo non optat sibi divitias et bonam valetudinem, universalis affirmativa est, id est, omnes optant, etc. Duae negationes Latinis faciunt affirmationem, sed positus discrimina facit. Et alia phrasis est aliarum linguarum. Ebraica phrasis est: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens, id est, nullus vivens iustus est propria mundicie, et sine peccato coram Deo, Custodiat Dominus omnia ossa eorum, et unum ex eis non conteretur, id est, nullum conteretur. Haec tota observatio Grammatica est, et in Grammaticis exercitiis discenda. Ideo non addam hic plura exempla. Satis est enim commonefactos esse discentes, ut hanc varietatem observent. Apud Graecos magis varius est usus negationum. Suntque studiosis eius linguae ubique obvia exempla. Est et haec admonitio de signis necessaria. Videndum est, quando universalis vere significet universaliter, quando per synecdochen contrahenda sit, ut: Omnis Iudaea exibat ad Iohannem. De hac varietate in fine Dialectices dicetur.

Quae est quarta divisio?

Propositionum alia vera est, alia falsa. Vera est asseveratio cum re consentiens, ut: Coelum semper movetur. Falsa est oratio dissentiens a re, ut: Plures sunt mundi, et subinde alii intereunt, et alii ex atomis conflati exoriuntur, ut furenter dixit Epicurus.

Quae est quinta divisio?

Propositionum aliae sunt necessariae, aliae contingentes, aliae impossibiles. Necessariae sunt, in quibus de specie, aut genus, aut differentia, aut proprium, aut tota definitio praedicatur, ut: Homo est animal rationale, etc. Harum autem propositionum materia vocatur naturalis. Contingentes sunt, in quibus accidentia communia de subiectis praedicantur, ut: Lapis est albus, Aqua est calefacta, Aeneas vicit Turnum. Nam et hae propositiones, in quibus praeterita de subiecto dicuntur, quae mutari iam post factum non possunt, vocantur contingentes, quia praedicatum est extra substantiam, seu extra substantialem definitionem subiecti. Nec illud obstat, quod praeterita mutari non possunt. Sed illud consideratur, quid necessario insit substantiae. Constat autem extra substantiam Aeneae esse has actiones et eventus, praeliari et vincere. Postea autem cum de modalibus dicemus, plura de necessitate et contingentia dicentur. Contingentium autem propositionum materia vocatur contingens. Impossibiles sunt, in quibus pugnantia iunguntur, aut species disparatae, ut: Caecitas est visus, Aper est cervus. Harum materia remota dicitur. Recitatis his communissimis divisionibus, addam exempla exercitii, quo rudiores assuefaciendi sunt ad considerandam syntaxin, et ad iudicandas propositiones, ut recte et dextre intelligant eas. Fit autem interrogatio puerilis, hoc modo: Quae, qualis, quanta? Prima particula interrogat, an propositio sit categorica. Secunda, an sit affirmativa aut negativa. Tertia, an sit universalis, aut particularis, aut indefinita, aut singularis.

In principio erat verbum. Quae, qualis, quanta?

Categorica, affirmativa, et singularis. Nam Verbum hoc loco significat Filium Dei, et est subiectum huius propositionis, cuius membra sic ordinanda sunt: Verbum erat in principio.

Et Deus erat verbum. Quae, qualis, quanta?

Categorica, affirmativa, et singularis. Nam et in hac oratione Verbum significat personam Filium Dei, et subiectum est huius propositionis, cuius membra sic ordinanda sunt: Et verbum erat Deus. Articuli enim usitate adduntur priori membro, videlicet supposito seu subiecto, ut et Germanicae linguae consuetudo est. Et huic distinctioni λόγος additus est articulus, quare subiecti locum tenet. Praeterea cum vocabula angustiora declaranda sint per communiora, id quod communius est, teneat praedicati locum, videlicet

Deus. Et hoc ipsum agit hic scriptor, ut doceat quis sit *λόγος*. Haec sunt Grammatica, sed in enarratione rei gravissimae necessaria. Nam quidam in eo loco tradiderunt explicationes inconcinnas. De articulo ubique sunt obvia exempla, ut *τῷ γὰρ ἔρωτι τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πέφανται*, subiectum est, *τὰ μὴ καλά*. Sed consideremus hoc vulgare dictum: *εἷς ἐστὶ δοῦλος οἰκίας ὁ δεσπότης*. Hic nisi articulus monstraret subiectum, ambiguitas esset utrum diceret, ab uno servo omnes regi, an vero solum dominum omnibus servire. Articulus igitur ostendit subiectum esse *δεσπότης*. Solus dominus in familia, praesertim si est sapiens, plus sustinet curarum, plures molestias tolerat, plura inspicit, quam quisquam servorum. Si est stultus dominus, misere servit in *ἀναρχίᾳ*.

Spiritus est Deus, Iohan. 4. *Quae, qualis, quanta?*

Categorica, affirmativa, et singularis. Nam subiectum est Deus, quod articulus ostendit *πνεῦμα ὁ θεός*. Et hoc dictum in ipsa narratione Iohannis ideo recitatur, ut doceat, Deum esse spiritualem essentiam, non molem ex coeli aut elementorum materia conflatam.

Tantum octo homines fuerunt in arca Nohae. Quae, qualis, quanta?

Categorica, affirmativa, et universalis. Exclusivae enim vim habent universalium: Omnes homines qui fuerunt in arca, fuerunt octo. Syllogismi secundae figurae ostendunt exclusivas hoc modo exponendas esse.

Soli credentes Evangelio salvantur,
Traianus non credit Evangelio,
Ergo non salvatur.

Maior explicata sic convertitur: Omnes salvandos necesse est credere. Ita conversio illustrat exclusivas. Et ratio huius conversionis apparebit ex his, quae infra de conversione dicentur.

Rei non bonae consuetudo pessima est. Quae, qualis, quanta?

Categorica, affirmativa, indefinita. Etsi enim negatio inserta est, tamen ad descriptionem subiecti pertinet, non adiuncta est copulae. Tunc autem propositio dicitur negativa, quando a subiecto removet alterum principale membrum, quod vere nominatur praedicatum.

Significatne copula semper eodem modo?

Videtur diversitas esse, cum dicimus: Plato est mortuus, Rex est potens, Iohannes est Elias. Etsi autem argute dici potest, copulam semper nexum esse, id est, alligare qualecunque praedicatum subiecto, postea in praedicatis diversitatem esse, alias additur privativum nomen, alias rem positivam significans, alias simile, tamen fugiamus nimis exiles explicationes, dicamus ut vulgo dicunt: Alias ponitur copula *ὑπαρκτικῶς*, alias ut nexus, significans dici praedicatum de subiecto, sive vocabula sint privativa, sive typica. Vinea est Ecclesia. Hic aiunt: Est ponitur pro significat. Expeditius est decurrere ad modos praedicationis, quos supra recensui. De figuratis igitur breviter responderi potest, praedicationem figuratam esse. Postea cum opus est, addatur enarratio, qualis figura sit. Et quando valeat consequentia: Rex est potens, igitur rex est, infra dicetur.

De Oppositione et de Conversione.

Accidunt propositionibus duae collationes, altera cum oppositis, altera cum aequivalente, quae fit permutatione extremorum. Nunc igitur de oppositione dicendum est, ubi primum monendi sunt discentes, aliam esse simplicium seu rerum oppositionem, ut, caloris et frigoris, lucis et tenebrarum, de qua oppositione hic non dicitur, sed in locis praecepta de ea traduntur: Alia est propositionum oppositio, quae est dissonantia duarum propositionum, quarum altera est affirmativa, altera negativa, eorundem extremorum sine ulla ambiguitate intellectorum, ut: Paris rapuit Helenam, Paris non rapuit Helenam.


Quot sunt species oppositionis propositionum?

Tres sunt: Contrariae, Subcontrariae, et Contradictoriae. Contrariae sunt duae universales, quarum altera est affirmativa, altera negativa, eorundem extremorum sine ambiguitate intellectorum, ut: Omnes dies artificiales sunt aequales, Nulli dies artificiales sunt aequales. Subcontrariae sunt duae particulares, quarum altera est affirmativa, altera negativa, ut: Quidam dies artificiales sunt aequales, Quidam dies artificiales non sunt aequales. Contradictoriae sunt universalis, affirmativa, et particularis negativa, ut:

Omnes dies artificiales sunt aequales, Quidam dies artificiales non sunt aequales. Item, universalis negativa, et particularis affirmativa, ut: Nulli dies artificiales sunt aequales, Quidam dies artificiales sunt aequales. Item, duae singulares, altera affirmativa, altera negativa, ut: Roscius interfecit patrem, Roscius non interfecit patrem. Item, duae indefinitae, in quibus idea significatur, ut: Virtus est finis hominis, Virtus non est finis hominis.

Dic regulas seu leges oppositionum.

Prima: In propositionibus oppositis eadem sint extrema, de eodem loco et tempore, respectu eiusdem, et sine ulla ambiguitate intellecta, ut hae non pugnant de diversis temporibus intellectae: Pompeius est victor, Pompeius non est victor. Et sic multa dicta in omnibus materiis conciliantur, cum ostendimus alia de aliis respectibus aut circumstantiis loqui, ut vulgo dicitur: Distingue tempora, et conciliabis scripturas. Secunda: Contrariae nunquam possunt simul verae esse, sed in materia contingenti possunt simul esse falsae, ut: Omnia poma sunt flava, Nulla poma sunt flava. Hic utraque falsa est, nam multa sunt rubra poma. Tertia: Subcontrariae nunquam simul



falsae esse possunt, sed in materia contingenti possunt simul esse verae, ut: Quaedam poma sunt flava, Quaedam poma non sunt flava. Quarta: Impossibile est duas contradictorias simul veras, aut simul falsas esse. Hanc legem sanxit Deus, qui est verax, et quae sunt affirmat esse, nec miscet ea quae sunt, et illa quae non sunt. Ideo inseruit nostris mentibus hoc principium: Quodlibet est, aut non est. Et pugnare cum hac divina lege, et pariter amplecti contradictorias, est delere omnes certas noticias, et confundere rerum universitatem, ut si quis pariter affirmaret, Deum esse, et Deum non esse, Ignem urere, et ignem non urere, furiosius arma coelo inferret, quam Titanes, de quibus poëmata loquuntur. Haec eo dico, ut usum horum puerilium praeceptorum studiosis commendem. Saepe enim videmus in gravissimis causis homines contentiosos contradictoria miscere, quod ne fiat, cavendum est. Et ad hunc usum tradi haec praecepta sciamus, ut inter oppositas inventis veris propositionibus, acquiescamus, et firmo assensu eas amplectamur, et falsas constanter reiiciamus.

Quid est conversio propositionum?

Usitatum est, vocabula synonyma seu paria vocare convertibilia, ut, paria sunt equus, hinniens, seu bona opera, iusticia universalis, iusticia bonae conscientiae. Et diligentia est in disputationibus necessaria, videre, quae vocabula eandem vim habeant, ne errore distrahamus ea, quae iungenda sunt. Sed hoc loco non dicitur de simplicibus vocibus, sed de propositionum conversione, in qua permutatis extremis, aequivalens priori, vel cognata sequitur, ut:

Nullum saccarum est amarum.
Ergo nulla res amara est saccarum.

Est igitur conversio propositionum, inferre aequivalentem propositionem, vel rite sequentem ad proximam, permutatis extremis.

Ad quem usum traditur?

Multi putant inanem ludum esse has conversiones, sed apud Geometras magnus est earum usus, propemodum ut de numeris dicis:

Quater quinque sunt viginti,
Ergo et quinquies quater sunt viginti.

Hic vides conversionis exemplum. Ita in Geometria multa iudicantur conversione. Extruxit autem Aristoteles Dialecticen magna ex parte ex Geometria. Utilitas est igitur haec: Posita aliqua propositione, videre quae aequivalentes aut proximae inde sequantur permutatis extremis. Conspicitur autem hic et signorum natura. Maior vis est particulae nullus, quam omnis. Nam in universali negativa ita spargitur vis negationis in

totam propositionem, ut in permutatione signum idem retineatur, ut:

Nulla stella consumitur,
Ergo nulla flamma, quam videmus consumi, est stella.

Talis permutatio non fit in universali affirmativa. Recitat autem Aristoteles doctrinam conversionum et propter hunc usum, ut postea duas figuras syllogismorum, secundam et tertiam, confirmet et illustret, harum aequivalentium propositionum consensu. Haec de utilitate breviter monuisse satis sit.

Quot sunt modi conversionis.

Tres: Conversio simplex, Conversio per accidens, et Conversio per contrapositionem.

Conversio simplex est, cum manentibus iisdem signis, manente et eadem qualitate, ex praedicato subiectum, et ex subiecto fit praedicatum. Talis permutatio tantum fit in universalis negativa, et particulari affirmativa, ut:

Nemo timens Deum contaminat se adulterio,
Ergo nemo contaminans se adulterio, timet Deum.

Aliquis humor in corpore humano mixtus sanguini amarus, est bilis,
Ergo aliqua bilis est amara.

Conversio per accidens est, cum ex praedicato fit subiectum, et ex subiecto praedicatum, manente eadem qualitate, sed mutatis signis. Talis conversio fit in universali affirmativa, ut:

Omnis homo est substantia,
Ergo quaedam substantia est homo.

Huius conversionis causam et usum considerare utile est. Causa est enim quae in locis traditur: Posita specie necesse est poni genus. Id fit in hac conversione. Et cum a specie ad genus plurima argumenta ducantur, sape utendum est hac conversione, quae est bona consequentia, similis aliis non vitiosis argumentationibus. Conversio per contrapositionem est, cum ex praedicato fit subiectum, et ex subiecto praedicatum, ita ut remotione praedicati in conversa removeatur subiectum. Talis conversio fit in universali affirmativa, ut:

Omnis homo est animal,
Ergo quidquid non est animal, non est homo.

Omnis stella est corpus perpetuum,
Ergo quidquid non est corpus perpetuum, non est stella.

Imperitis, qui nondum considerarunt multa exempla in materiis gravioribus, videtur ludus esse inutilis, et pene ridiculus, ita retexere propositiones, et vocabula permutare. Et insulsitate exemplorum et cavillationibus obscura est haec doctrina. Explosis igitur cavillationibus fontes et utilitatem consideremus.

Huius tertiae formae magnus usus est. Sic enim et Filius Dei argumentatur Iohan. 8.: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Vos igitur cum non audiatis, ex Deo non estis. Et valet consequentia ex loco a genere ad speciem, seu quocunque communiore vocabulo ad angustius, de quo recte praedicari potest illud communius. Remoto genere necesse est removeri speciem. Et observandum est a signo universali Omnis, talem connexionem superioris cum inferiori significari, ut:

Omne aurum purum est rutilum.
Ergo quidquid non est rutilum, non est aurum purum.

De hac forma rursus dicetur infra in locis, ubi et usus magis conspici poterit. Et haec conversio gignit secundam figuram syllogismorum, quod diligenter considerandum est.

De Modalibus.

Quid est propositio modalis?

Usitate vocatur propositio modalis, in qua copulae annectitur aliquis horum modorum: Necesse, impossibile, contingens, possibile, ut: Paris contingenter rapuit Helenam.

Cur non dicuntur propositiones modales, aliis adiectivis insertis?

Differunt hi modi ab aliis adiectivis. Alia adiectiva sunt subiecti aut praedicati descriptiones, nec pertinent ad copulam, nec similes sunt universalibus, nec mutant genera oppositionum, ut hi modi, quare non dicuntur modales, ut si dicas: Dux peritissimus et callidissimus Hannibal non viribus, sed astutia Terentium Varronem rudem et temerarium ducem vicit. Haec est simplex propositio, etiamsi plura vocabula adduntur subiecto et praedicato. Exempla ostendunt, translata negatione, quantum sit discrimen. Alia enim

sententia est, cum dicis: Non impossibile est Romam capi ab Hannibale. Alia cum dicis: Impossibile est Romam non capi ab Hannibale. Utilitas autem huius partis ingens est, quia hic discrimen illustratur inter necessaria et non necessaria. Hos rerum modos agnosci et discerni adeo refert, ut horribilis confusio errorum sequatur, cum non considerantur. Alio modo ignis agit, alio modo voluntas humana. Ignis secundum naturae ordinem non potest non calefacere. At voluntas humana potest velle aut nolle, appetere aut aversari rem inspectam et agnitam a ratione, Scipio potest voluntatem suam inducere, ne attingat sponsam alienam.

Dic definitiones modorum.

Necessarium est, quod aliter se habere non potest. Sed quatuor gradus sunt necessitatis. Primus gradus est, Necessaria necessitate absoluta, seu simpliciter necessaria dicuntur, quorum opposita simpliciter sunt impossibilia. Tales sunt propositiones de essentia et virtutibus Dei, Deus est, Deus est essentia intelligens, verax, benefica, iusta, casta, liberrima. Secundus gradus est, necessaria necessitate definitionum et demonstrationum, ubi si fingatur oppositum, fit implicatio contradictionis, ut: Si trigonus non habet tres angulos, non est trigonus, Si virtus non est congruens quiddam cum regula mentis divinae, non est virtus. Hic gradus proximus est primo, quia est regula mentis divinae immota, ut haec immota est: Deus vult castitatem. Ita et haec immota est: Castitas est virtus. Tertius gradus est, necessaria necessitate physica, quae, quia natura sic ordinata est, eodem modo se habent, sed tamen a Deo mutari possunt, ut exempla testantur. Et sic condita sunt liberrima voluntate Dei, ut: Ignis necessario calefacit necessitate physica, Sol necessario movetur necessitate physica, id est, sic instituto ordine divinitus. Sed tamen Deus potest sistere Solem, ut fecit in pugna Iosuae. Ac Stoicorum delirium execrandum est, qui fingunt Deum alligatum esse causis secundis, nec posse aliter agere, quam ut cient causae secundae. Imo ideo invocamus, ut sua libertate regat, et moderetur causas secundas, id est, physicas. Non sunt igitur prorsus immutabilia haec, quae in hoc tertio gradu recensentur, ut illa, quae ad primum et secundum gradum pertinent. Quartus gradus est mutabilium, quae tamen vocantur necessaria necessitate consequentiae, id est, quae sunt quidem re ipsa mutabilia, sed non mutantur, vel quia sic a Deo decreta sunt, vel quia sequuntur ex causis, quae non mutantur, cum tamen mutari potuissent, vel quia cum fiunt, contradictoriae simul verae esse non possunt, ut: Necessaria est resuscitatio est mortuorum, quia Deus edidit de ea decretum. Necesse est puniri genus humanum magnis calamitatibus, quia causae non mutantur, id est, quia multorum scelera irritant iram Dei. Haec nequaquam necesse est fieri. Sed se quisque regere disciplina posset, etc. Denique omnia cum fiunt, ideo tunc necessaria dicuntur, quia contradictoriae non possunt simul verae esse, ut cum Plato sedet, contradictoria falsa est, Plato non sedet. Vult enim Deus certitudinem aliquam esse. Etsi autem revera haec res mutabilis est, et haec propositio revera contingens est, tamen necessitate consequentiae tunc necessaria dicitur. Et de hoc postremo modo loquitur Aristoteles cum ait: Omne quod est, quando est, necesse est esse. Id tantum de necessitate consequentiae intelligatur.

Impossibile est contrarium necessario, ac significat repugnans ei, quod potest esse aut fieri.

Possibile est oppositum impossibili, ac significat id quod potest fieri, sive causam habeat necessario agentem, sive non necessario agentem. Graeci vocant δυνατὸν, ut: Possibile est iuvenem vigentem et valentem hodie mori.

Contingens, Graece ἐνδεχόμενον, saepe vulgo pro possibili usurpatur, sed differt a possibili: nam contingens opponitur utrique particulae, impossibili et necessario. Estque contingens, quod cum fit, habet causam quae poterat ex natura sua aliter agere. Ideo et tales dicuntur contingentes: Aeneas vicit Turnum, Paris rapuit Helenam. Etsi enim postquam haec ita acciderunt, mutari non possunt, tamen particula Contingens significat causam illam gubernantem eventum potuisse aliter agere, et potuisse alium esse eventum. Ideo his verbis describitur contingens in libro priorum resolutionum Aristotelis: Contingens dico, quod cum non sit necessarium, si tamen ponatur seu fiat, nihil sequitur impossibile. Ac diserte dicit, utrique particulae opponi, scilicet impossibili et necessario.

Fontes autem contingentiae et mutabilitatis actionum ac eventuum sunt libertas voluntatis in Deo, libertas voluntatis in creaturis rationalibus,

et vagabundi motus materiae elementaris varie ruentis.

Oppositio Modalium.

Contrariae similes universalium:

Necesse est Platonem ire in Academiam.	Impossibile est Platonem ire in Academiam.

Subcontrariae similes particularium:

Possibile est Platonem ire in Academiam.	Possibile est Platonem non ire in Academiam.

Leges autem et aequipollentiae supra traditae huc accommodandae sunt. In materia contingenti contrariae ambae falsae sunt, ut hic: Necesse est Platonem ire in Academiam, et impossibile est Platonem ire in Academiam, etc.

De aequipollentiis etsi multae paginae implentur ab aliis, et videntur illae propositionum variationes obscurae, tamen admonendi sunt discentes, totam eam doctrinam Grammaticam esse, et a mediocriter attento facile iudicare posse. Prorsus enim translatio negationis in modalibus congruit ad translationem negationis in universalibus et particularibus:

Non omnis homo currit, aequipollet isti,
Quidam homo non currit.

Sic non necesse fuit rapere Helenam, aequipollet isti: Possibile fuit non rapere Helenam. Haec animadversio prodest ad intelligendum sermonem, quia negationis translatio discrimina facit.

Verane est stoica opinio, quae dicit, Omnia necessario fieri?

Nequaquam vera est, sed falsa et contumeliosa adversus Deum. Primum enim sciamus, Deum esse agens liberrimum, et liberrima voluntate condidisse et servare creaturas, nec alligatum esse ad causas secundas, id est, physicas, sed libere eas regere, et saepe moderari et mitigari invocantibus. Dicit enim Psalmus: Omnia quaecunque voluit, fecit, id est, liberrima voluntate fecit. Praeterea opinio stoica fingit, Deum velle scelera, et causam efficacem esse omnium scelerum, quod horrendum est cogitatus. Et Psalmus contradicit: Non Deus volens impietatem tu es. Deus nec vult nec approbat peccatum, nec est causa efficiens peccati, sed vere et horribiliter omnibus sceleribus irascitur, ut ipse toties affirmat. Nec fingendae sunt in Deo contradictoriae voluntates, nec simulatio ei tribuenda est. Haec de primo fonte contingentiae, scilicet de libertate in Deo, initio tenenda sunt, et tenerae mentes accurate muniendae sunt contra stoica deliramenta. Deinde consideranda est, et libertas in creaturis rationalibus. Cum dicitur, homines ad imaginem Dei conditos esse, partes sunt imaginis, lumen intellectus, et in voluntate virtutes, et libertas eligendi inter res propositas, aut hanc, aut illam. Hac autem libertate diaboli et homines sese ipsi a Deo averterunt, nec volente nec approbante Deo, quia ut toties iam dictum est, Deus nequaquam peccati causa est. Sequitur igitur revera contingentiam esse, cum voluntas sua libertate se averterit a Deo, cum ita condita sit, ut talis facultas esset eligendi hoc aut illud. Et deinceps in homine manet aliquis delectus aut aliqua libertas, ut de actionibus externis, quae fiunt imperio voluntatis, manifestum est. Scipio abstinens ab aliena, libera voluntate abstinet. Paris nulla necessitate, nulla coactione, rapit alienam libera voluntate, et poterat non rapere. Haec manifesta sunt, quia ipsa doctrina coelestis severissime flagitat disciplinam, et toties nominat iusticiam carnis. Testatur ergo aliquem esse delectum, et aliquam libertatem. Est igitur contingentia. Nec eveniunt omnia fatali necessitate, ut Stoici dixerunt. Quid horribilius cogitari potest, quam fingere scelera Neronis fatali necessitate facta esse? Quare propter gloriam Dei et propter veritatem constanter reiiciamus stoicam opinionem, ac recte Plato inquit: Non concedendum esse, ut vel dicatur vel audiatur in civitate haec vox, quae ait: Deum causam esse mali.

Num praevisio divina necessitatem affert eventibus?

Nequaquam affert necessitatem eventibus, qui oriuntur a voluntate humana, et non a divina, ut: Videt Deus Saulem interfecturum esse sacerdotes, sed nec vult, nec approbat. Et Saul revera poterat eam caedem non facere. Quod vero Deus determinare contingentia dicitur, id sic intelligatur, cum de malis dicitur: Praevidet mala et metas constituit, ne ulterius ruant aut grassentur mali. Sicut de Sennacherib inquit: Iniiciam tibi frenum, etc. His fundamentis harum disputationum cognitis, responderi perspicue ad quaestionem usitatam potest: An futurorum contingentium sit determinata veritas.

Estne futurorum contingentium determinata veritas?

Respondeo: Propositionum de futuro contingenti, quod pendet ab humana voluntate, aut materia elementi, quae agitatur incertis motibus, non est determinata veritas in mente humana. Cum enim veritas sit convenientia propositionis cum re, quam significat, sicut se ibi res habet, sic propositio vera dicitur. Res autem adhuc mutabilis est: nondum igitur propositio determinate vera est. Et quanquam Deus talia praevidet, tamen nec praevisio affert eventui necessitatem, nec mens humana cernit divinam praevisionem. Non necesse est Iulium interfici. Ita neque homines pronuncient ante eventum hanc propositionem veram esse: Iulius interficietur. Imo Ieremias adeo non constituit fatalem necessitatem cum praedixisset Ierosolymae excidium, ut dicat: Si ages poenitentiam, non evenient ea, quae de excidio praedixi. Et Ionas praedixerat interituram esse Niniven, quam sententiam tamen mutat Deus, cum rex et pars populi emendarentur. Sed alia futura sunt, quae pendent a voluntate Dei, et expresso decreto una pars determinata est, ut: Deus iudicabit omnes homines resuscitatos ex morte. Talium est determinata veritas, propter voluntatem Dei, patefactam expresso decreto. Tertio loco sunt futura, quae etsi sunt contingentia, tamen quia natura sic ordinata est, non saepe mutantur, et dicuntur necessaria necessitate physica, ut: Cras Sol rursus ascendet in nostrum hemispherium, Die undecimo Martii erit aequinoctium. Tales propositiones sunt certo verae, quia certitudo sic intelligitur, haec eventura esse, ut sunt ordinata, et tamen pia mens scit hunc ordinem a Deo mutari posse. Ac discernantur ordinata ab aliis, quae prorsus pendent a voluntatibus humanis, ut: Cras ibimus venatum. Hanc doctrinam de modalibus iudico veram et perspicuam esse, et profuturam studiosis ad multarum difficilium quaestionum diiudicationem. Volens autem multas ieiunas cavillationes relinquo, ut conspici doctrina utilior possit.

LIBER TERTIUS

EROTEMATUM DIALECTICES.

De Argumentatione.

Haec pars, quae syllogismos contexere et iudicare connexiones docet, plurimum artis habet, et magis est τεχνολογικὴ quam pleraque superiora aut sequentia. Estque diligentia digna bonis ingeniis, considerare, cur quid cohaereat, id est, quae sit ratio consequentiae, cur necesse sit assentiri harum figurarum et modorum connexionibus. Hebetiores, et tamen non petulantes, cum audiunt syllogismum quadrare ad Barbara, aut Celarent, perterrefacti his titulis, tanquam magicis incantationibus recipiunt syllogismum, etiamsi causam connexionis seu rationem consequentiae ignorant. Talis est magna turba Dialecticorum. Sed ingeniosi commonefacti vident, cur recipi has figuras et modos oporteat. Haec pars plurimum, ut dixi, artis continet. Quare ingeniosi sint attenti, ac non solum recitare figuras et modos discant, sed etiam causas connexionum considerent, ut tanquam artifices sciant, cur iustis connexionibus assentiantur. Hanc curam qui adhibebunt in ratiocinando, res ipsas etiam altius introspicient, et falsas connexiones citius deprehendent. Ut autem in libro proximo de simplicibus propositionibus dictum est, ita nunc de propositionum connexione dicitur, quae instituitur ad conclusionem aliquam confirmandam aut refutandam, et argumentatio dicitur, et summum opus est in investigatione veritatis. Nam in omni disputatione ac deliberatione hic finis est, ut per confirmationem et refutationem inventa veritate, mentes acquiescant.

Quid est Argumentatio?

Argumentatio est oratio, in qua conclusio aliqua confirmatur, aut refutatur per alias notiores propositiones, continentes causam conclusionis, et recte ad eam accommodatas. Nec discerno iam argumentationem et argumentum. Idem enim valet usitata definitio: Argumentum est ratio rei

dubiae faciens fidem. Ut autem fabri duplex est deliberatio, alia de materia, alia de forma: sic in argumentis aliud est materia, aliud forma. Materia est rerum seu propositionum cumulus, quae sunt causa eius conclusionis, de qua disputas: sed forma, ordo seu dispositio et connexio est singularum partium. Et vocatur bona consequentia. Hic autem non de rebus seu de materia, sed de forma dicemus. Res sumuntur in singulis artibus ex suis fontibus. Concionator sumit materiam ex libris divinitus traditis. Medicus sumit ex temperamentorum varietate, mutationibus, remediis. Et loci dialectici utcunque viam in electione rerum monstrant, ut infra dicemus. Sed haec pars de syllogismis disputationem seu connexionem, quae vocatur forma, et efficit et iudicat.

Quid est bona Consequentia?

Est recta connexio omnium partium in Argumento, in qua nullum praeceptum Dialecticae violatur. Nec aliam descriptionem subtiliorum trado, quia verum est in iudicanda bona consequentia, mentem intueri totam Dialecticen, et considerare, an connexio dissentiat ab aliquo praecepto.

Quot sunt Species argumentationis?

Quatuor sunt species argumentationis: Syllogismus, Enthymema, Inductio et Exemplum. Haec est usitata enumeratio. Nos addimus Soriten. Harum quinque specierum argumenta omnia cum ad regulas dialecticas congruunt, sunt bonae consequentiae.

De Syllogismo.

Quid est Syllogismus?

Syllogismus est oratio, in qua positis quibusdam aliud necessario sequitur, propter ea, quae posita sunt: hanc definitionem ideo recito, quia usitata est, et ex Aristotele sumta. Sed declaratio adhibenda est: Syllogismus est oratio, in qua positis et concessis duabus propositionibus, quae ex tribus terminis ita iunctae sunt, ut sint causa conclusionis, necesse est sequi eam conclusionem, ut positis his duabus propositionibus:

Omne vinum calefacit,
Malvaticum est vinum,
Necessario sequitur:
Ergo Malvaticum calefacit.

Illud autem obiter hinc inseramus, Malvasiam nomen corruptum esse ex ista voce *μονεμβασία.* Sic hodie vocatur urbs in Argolica, cuius nomen quendam fuit Epidaurus, quam etiam Homerus propter generosas vites celebrat. Inde nomen est vino Malvatico. Ac vir doctissimus Sigismundus Gelenius mihi narravit sermonem Musuri, qui interrogatus, cur Malvaticum diceretur id etiam, quod ex Creta Venetias advehitur, dixit, vites ex Epidauro in Cretam translatas esse.

Quomodo vocantur partes syllogismi?

Partes sunt duae propositiones ante conclusionem, in quibus sunt termini simplices tantum tres, tanquam principalia membra. Quare necesse sit, esse duas propositiones, mox dicam. Vocatur autem prior maior propositio, secunda vocatur minor propositio. Termini autem sic vocantur. Maior terminus est, qui tantum in propositione ponitur, et tribuitur postea subiecto conclusionis. Minor terminus est, qui tantum in secunda propositione ponitur, et est is, de qua quaestio est, de qua in conclusione pronunciatur. Medius est, qui bis ponitur ante conclusionem, quia est vinculum duarum propositionum, et causa, quare subiectum et praedicatum in affirmativa conclusione iungantur, et quare in negativa distrahantur. Nunc ad quaedam *τεχνολογικὰ* venimus. Causas enim investigabimus, quare duas propositiones esse necesse sit, et in his tantum tres esse terminos. Postea, quare huic connexioni necessario assentiendum sit, deinde etiam cur tres numerari figuras oporteat.

Quare duas esse propositiones necesse est?

In prima figura collatio illustrior est, ideo facilius ibi causa totius disputationis conspici potest. Dicam igitur de prima figura, in qua cum ratio cernitur, postea iudicari et reliquae possunt. Et infra de aliis dicam, nunc de prima. Quicquid confirmatur aut refutatur, per aliquam causam confirmatur aut refutatur. Eam causam cum primum ponimus necesse est unam propositionem constitui, quae causam recitat, et quasi fundamentum est totius aedificii. Huic additur altera, quae causam ad subiectum conclusionis in prima

figura hoc modo applicat, quia ostendit in subiecto maioris revera includi subiectum conclusionis. Ita duas propositiones fieri necesse est, inter se devinctas et connexas, repetito medio, ut appareat includi subiectum conclusionis in subiecto maioris, ut:

Omnes res conditae a Deo in natura humana, sunt res bonae.

στοργαὶ sunt res conditae a Deo in homine.

His duabus propositionibus positis, necessario sequitur conclusio:

Ergo *στοργαὶ* sunt res bonae.

Ideo autem sequitur conclusio, quia natura notum est, quicquid vere et universaliter de genere dicitur, id praedicari de specie inclusa in genere. Haec plana et perspicua sunt mediocriter aspicienti, et consideranti ordinem et vincula propositionum. In Graecis Rhetoricis, imo et apud Aristotelem, maior et minor vocantur *αἴτιον*. Postea vocant *κρινόμενον* in syllogismo eam partem, seu eam propositionem, quae indiget confirmatione, alias maiorem, alias minorem. Exposui, quare necesse sit esse duas propositiones, et tantum tres terminos, quia in prima figura repeti medium oportet, ut conspiciatur includi subiectum conclusionis in subiecto maioris. Nam alias maior propositio, quae est initium confirmationis, non applicaretur ad conclusionem.

Quare syllogismus est bona consequentia?

Praecipuum hoc Dialecticae opus est, munire certitudinem argumentationum, ostensis causis consequentiae. Nam et mediocriter ingeniosi sine literis possunt ratiocinari, et multa similia artificum facere. Sed causas non vident, cur consequentiae valeant, ac propterea saepe deerrant, aut male cohaerentia refutare non possunt, fontes igitur in arte monstrantur. Ut autem valere arithmeticos syllogismos ostendit intellectus propositionum, qui natura in mentibus lucet, ut:

Una libra cerae valet drachma,
Hic sunt decem librae,
Igitur valent decem drachmis.

Ita in aliis materiis valet consequentia propter quaedam principia natura nota, quae connexionem necessariam efficiunt, ut in singulis figuris ostendam. Ac nunc de prima figura dicam, quia minus videtur confragosa dispositio. In hac ratio est consequentiae manifesta et immota haec: Quicquid dicitur universaliter de genere, id de specie inclusa in genere dici necesse est. Haec sententia causa est, propter quam positis maiore et minore figura, necesse est sequi conclusionem. Et huius principii evidentia, quae ostendit conclusionem necessario sequi, certitudo munita est, et confirmantur mentes, ut sine dubitatione amplectantur consequentiam. Plana et perspicua sunt quae dico, sed tamen accedat attentio, quia propter exilitatem haec minus aspiciuntur ab iis, qui non quaerunt fontes doctrinae. Sicut autem hic in genere includi speciem dico, sic de specie et de individuo dicatur, et multo magis de definitione et definito. Nam cum definitio de definito dicitur, vel econtra, perinde est, ac si idem de se ipso dicatur. Haec infra repetam in collatione figurarum. Prius enim generales regulas de syllogismis, et figuras ac modos recitabimus. Postea de causa dicam, quare tres esse figuras oporteat, qui sit ordo in singulis et quae ratio consequentiae. Nunc ut caeteri Dialectici, recitabo doctrinam regulae, Dici de omni, quae prorsus ex illo fonte oritur, quem monstravi, videlicet in prima figura procedi a genere ad speciem universaliter. Ornant splendido titulo, vocant enim principium regulativum, Dici de omni, quia est ordo terminorum in prima figura: quae cum sit maxime perspicua, dicunt, caeteras figuras confirmari et illustrari, cum reducuntur ad primam. Haec etsi vera sunt, tamen obscure dicuntur. Sed planiora fient conspectis figurarum causis.

Quid vocant dici de omni?

Dici de omni est, quando nihil potest sumi sub subiecto maioris, de quo non dicatur praedicatum maioris. Dici de nullo est, quando nihil sub subiecto maioris sumi potest, a quo non removeatur praedicatum.

Quid docent et quo pertinent hae regulae?

Proprie dispositionem primae figurae, et non aliarum ostendunt. Et duo praecepta continent. Alterum, quod iam toties dixi, in prima figura procedi a genere ad speciem: ita hic dicitur oportere subiectum minoris vere includi in subiecto maioris. Alterum praeceptum est, ut maior sit universalis, et quidem complete universalis. Congruit igitur hoc praeceptum et cum puerilibus regulis: Ex puris particularibus nihil sequitur. Item: Ne sint plures termini in syllogismo quam

tres. Aristoteles pro his verbis, Dici de omni, usurpat et hanc formam: ἐν ὅλῳ εἶναι ἕτερον ἑτέρου. Alterum in altero toto esse, id est, oportet in toto subiecto maioris includi subiectum minoris, ut non valet consequentia:

Quidam reges sunt iusti,
Nero est rex,
Ergo Nero est iustus.

Hic Nero non est in toto subiecto maioris: nam ibi subiectum de aliis quibusdam regibus loquitur, non de Nerone aut Caligula. Nulla igitur connexio est.

Dic regulas generales de Syllogismis.

Prima est.

Ex puris negativis non necesse est sequi veram conclusionem, quia negativae sine ullorum extremorum connexione nimis late vagantur, ut:

Nullus lapis est baptizandus,
Nullus infans est lapis,
Ergo nullus infans est baptizandus.

Secunda.

In syllogismo non sint plures termini, quam tres, quia turbatur connexio, ut:

Omnis magistratus politicus debet vi corporali coërcere contumaces,
Petrus est Apostolus,
Ergo Petrus vi corporali coërcere debet Annam et Caipham.

In hoc syllogismo nulla est minoris ad maiorem connexio. Nam magistratus politicus et Apostolus longe differunt. Sunt igitur scopae dissolutae, cum sint quatuor termini. Hanc regulam initio observent iuniores, quia postea multarum regularum fons est.

Tertia.

Cavendum est, ne sit ambiguitas in terminis, quia ambiguae voces cum faciant quatuor terminos, distrahunt connexionem.

Nullus servus est liber,
Omnes vere credentes Evangelio, sunt liberi,
Ergo nulli vere credentes Evangelio sunt servi.

Neganda est consequentia, quia cum sint quatuor termini, nulla est connexio minoris ad maiorem. Maior loquitur de libertate civili, minor de liberatione animae ab ira Dei, a peccato, a morte aeterna. Haec liberatio animae non tollit civilia discrimina personarum. Hanc regulam ideo diligenter observent discentes, quia plurimae fiunt captiones ex ambiguis. Et infra videbunt hac regula comprehendi omnes fallacias in dictione.

Huc pertinet et illa Diogenis cavillatio:

Quod ego sum, tu non es,
Ego sum homo,
Ergo tu non es homo.

Ambiguitas est in verbo Sum. Nam in maiore si intelligitur ὑπαρκτικῶς, vera erit maior. Loquitur enim tunc de diversis personis: Ego vivens meum corpus, mea ossa habeo, tu tuum corpus, tua ossa habes. Sed falsa est maior, si copula intelligitur, tantum ut nexus, significans vocabulum commune praedicari de angustiore. Nam ut Diogenes homo est, ita et Crates homo est. In conclusione autem huius cavillationis, cum copula tantum ut nexus intelligatur, non congruit cum maiore.

Quarta.

Non valet consequentia, mutato genere praedicationis usitato, in peregrinum et inusitatum, quia fit ambiguitas, ut:

Omnis caro est creatura,
Verbum, quod est Filius Dei, est caro,
Ergo verbum est creatura.

In maiore usitata praedicatio est generis de specie, Caro est substantia creata. In minore, Verbum est caro, praedicatio est inusitata, et prorsus aliena ab omnibus aliis exemplis, quae de communi ordine naturae loquuntur. Nam in hac propositione, Verbum est caro, hoc dicitur, Verbum est homo, assumta humana natura unione personali. Ideo supra regulae de diversis generibus praedicationum traditae sunt, ut discrimen sit conspectius inter usitatas et inusitatas, et caveantur vitiosae connexiones.

Quinta.

Ex puris particularibus non necesse est sequi veram conclusionem. Si quando enim vera infertur, id fit casu, non lege syllogismorum. Et multa homines falsa ratiocinantur hoc modo, cum ex particularibus extruunt conclusiones non necessario sequentes, ut:

Aulici fiunt divites,
Ergo ero aulicus,
Igitur ero dives.

Tales consequentiae reiiciantur citata hac regula: Ex puris particularibus non necesse est sequi veram conclusionem. Nec obscura est ratio, quia nulla connexio est, et fiunt quatuor termini: de aliis loquitur maior, de aliis minor. Oportet autem in affirmativo syllogismo non vitioso medium causam esse, quare necesse sit iungi in conclusione subiectum et praedicatum. Eadem regula aliis verbis traditur. Non valet consequentia a non distributo ad distributum, id est, cum aliquid in minore sumitur extra verum subiectum maioris. Vocant enim distributa universaliter posita, ut spargi in omnia inferiora possint. Nec recitarem hanc regulam cum haec sufficiat: Ex puris particularibus nihil sequitur, nisi adeo crebro citaretur, etiam in gravibus materiis. Citatur autem tunc, cum insidiae sunt in argumento, ubi ponitur particula universalis, sed non est addita vero subiecto: seu ubi non sub universali fit subsumtio, sed sub alia particula non posita universaliter, ut:

Omnis eclipsis Lunae fit in oppositione,
Singulis mensibus fit oppositio Solis et Lunae,
Igitur singulis mensibus fit eclipsis.

Subsumtio fit sub oppositione, quod fieri non debebat. Et minor loquitur de multis oppositionibus, de quibus non loquitur maior. Dialectici sic reiiciunt: Nego consequentiam, quia proceditur a non distributo ad distributum. Recte responderetur etiam, si diceres: Ex puris particularibus non necesse est veram conclusionem sequi. Sic autem fieret maior universalis: In omni oppositione fit eclipsis Lunae. Haec universalis manifeste falsa est.

Aliud.

Cuiuslibet contradictionis altera pars est falsa,
Haec propositio, Coelum movetur, est contradictionis altera pars,
Ergo haec propositio, Coelum movetur, est falsa.

Hanc cavillationem discant adolescentes recte dissolvere, quia saepe obiicitur, et ad quascunque materias accommodari potest. Est autem neganda consequentia, quia proceditur a non distributo ad distributum, vel quia proceditur a puris particularibus. Nam subsumtio fit sub hoc membro: Altera pars, non sub universali, Cuiuslibet contradictionis.

Sic autem debebat fieri subsumtio, Cuiuslibet contradictionis altera pars est falsa.

Sed haec est contradictio: Coelum movetur, Coelum non movetur, Ergo in hac contradictione altera pars est falsa.

Mutatis casibus statim deprehenditur vitium.

Quaelibet contradictio recitat duas propositiones, quarum altera vera, altera falsa est,
Haec est contradictio: Coelum movetur, Coelum non movetur,
Harum igitur altera falsa est.

Aliud.

Omnium imperiorum aliqui principes iusti sunt,
Cambyses fuit princeps,
Igitur et Cambyses fuit iustus.

Neganda est consequentia, quia proceditur a non distributo, ut supra. Subsumtio fit sub particulari: Aliqui principes, et fit connexio ex puris particularibus:

Aliqui principes sunt iusti,
Cambyses est princeps,
Igitur Cambyses est iustus.

In hac regula recensetur et explicatio syllogismi, de quo in Ecclesia disputatur. Ac prodest tenere explicationem simplicem, qualem hanc esse multi non hebetes iudicarunt.

Omnis essentia divina est Pater,
Filius est essentia divina,
Ergo Filius est Pater.

Respondendum est: Non valet consequentia a non distributo ad distributum, nam maior etsi videtur esse universalis, tamen non potest resolvi in hanc vere universalem: De quocunque verum est dicere, quod sit essentia divina, illud est Pater. Talis explicatio dicitur complete universalis. Cum autem maior non sit complete universalis, nam etiam de Filio verum est dicere, quod sit essentia divina, satis intelligi potest consequentiam vitiosam esse.

Sexta.

Non sit plus in conclusione, quam fuit in praemissis. Hic error non rarus est, ut Iudaei contra Ieremiam argumentabantur:

Ecclesia servabitur,
Semen Abrahae est Ecclesia,
Ergo sic servabitur, non delebitur hoc templum, etc.

Neganda est consequentia, quia plus est in conclusione, quam fuit in praemissis.

Apud Ciceronem in primo libro de Oratore talis est Antonii syllogismus:

Inutilia non sunt discenda,
In Philosophia multa sunt inutilia,
Igitur Philosophia non est discenda.

Neganda est consequentia, quia plus est in conclusione, quam fuit in praemissis. Nam haec conclusio tantum inde sequitur: Illae inutiles materiae admixtae non sunt discendae.

Talis est et Epicuri syllogismus:

Inordinata non sunt a Deo,
In natura multa sunt inordinata,
Ergo natura non est a Deo.

Neganda est consequentia, quia haec debebat esse conclusio. Ergo inordinata illa non sunt a Deo, quod verum est de peccato, et horrendis furoribus generis humani.

Ac diligenter observandae sunt casuum mutationes, quia interdum sunt insidiosae, et totam sententiam mutant.

Fide sumus iusti,
Fides est opus,
Ergo propter opera sumus iusti.

Hic particula, Propter, parit sententiam alienam a praemissis, quia cum dicitur: Fide sumus iusti, non hoc dicitur, propter dignitatem nostri operis nos iustos esse, sed fiducia misericordiae promissae propter filium Dei.

Septima.

Medius terminus nunquam fit membrum conclusionis, quia causa est in praemissis monstrata, propter quam reliqui duo termini cohaerent.

Octava.

Conclusio semper imitatur partem debiliorem. Ideo semper particularem praemissam sequitur conclusio particularis. Item: Negativam praemissam sequitur conclusio negativa.

Nona.

Determinatio subiecti aut praedicati, quae non est principale membrum, non misceatur conclusioni, ut:

Omnes boni affectus in homine contaminantur ab imbecillitate humana,
στοργαὶ sunt per se boni affectus,
Ergo στοργαὶ per se contaminantur.

Haec particula, Per se, non fuit transferenda in conclusionem, quia non est principale membrum, nec ad praedicatum conclusionis pertinet.

Decima.

In prima et secunda figura maior semper sit universalis, quia in prima proceditur a genere universaliter ad speciem. Sed in secunda figura, quae tantum est adversativarum argumentationum, minor et conclusio per contrapositionem ex maiore inferuntur. Necesse est igitur maiorem universalem esse, ut:

Omnis homo est animal,
Nullus lapis est animal,
Ergo nullus lapis est homo.

Iam si maior posset esse particularis, sequeretur falsa conclusio:

Quoddam animal est homo,
Nullus asinus est homo,
Ergo nullus asinus est animal.

Quaedam delicta puniuntur a magistratu,
Nulla ebrietas punitur,
Ergo nulla ebrietas est delictum.

Neganda est consequentia, quia in secunda figura necesse est maiorem universalem esse, quia in secunda figura minor et conclusio per contrapositionem inferuntur ex maiore, ut:

Omnia delicta puniuntur a magistratu,
Ergo quod non punitur, ut ebrietas, non est delictum.

Haec consequentia valet, sed maior falsa est, quia magistratus quaedam delicta negligit.

Undecima.

In prima figura, cum minor est negativa, nihil sequitur. Et perspicua causa est, quia cum prima figura procedat a genere ad speciem, oportet in subiecto maioris includi speciem. Necesse est igitur affirmativam esse:

Omne adulterium est puniendum,
Nullum furtum est adulterium,
Ergo nullum furtum est puniendum.

Neganda est consequentia, quia subiectum minoris non includitur in subiecto maioris, quod in prima figura fieri oportet.

Duodecima.

In secunda figura tantum fiunt negativi syllogismi, quia est antithesis duarum specierum, nec fit conclusio speciei in genere, ut in prima figura. Ac duarum specierum diversitatem ostendit minore et conclusione illata per contrapositionem, ut infra dicam. Tantum igitur fiunt negativi syllogismi. Nam si fierent affirmativi, procederetur ex puris particularibus, seu a non distributo ad distributum, nec medium causa esset, cur in conclusione diversae species iungerentur, ut:

Omnis homo est bipes,
Omnis gallina est bipes,
Ergo omnis gallina est homo.

Subiecta in maiore et minore sunt duae diversae species, nec alterum in altero inclusum est. Si vis affirmative argumentari, necesse est medium esse universale, quod sit causa, quare reliquae duae voces in conclusione affirmativa iungantur. Constat autem medium, scilicet Bipes, particulare esse, ut natura affirmativi signi praedicatum particulare facit, quod ostendit conversio, ut: Quoddam bipes est homo. Non autem valet consequentia:

Quoddam bipes est homo,
Omnis gallina est bipes,
Ergo gallina est homo.

Manifestum est hic nullam esse connexionem, cum de aliis maior, de aliis minor loquatur. Saepe autem incauti decipiuntur affirmativis syllogismis secundae figurae, cum a communibus signis argumentantur, ut:

Omnis stella lucet,
Omnis Cometa lucet,
Ergo omnis Cometa est stella.

Decipiuntur enim hac propositione particulari: Aliquid lucens est stella. Deinde attexunt caetera. Et hic regula discenda est, non semper eadem esse, quae in aliquo tertio conveniunt, ut diversae species conveniunt in genere, et aliis multis proprietatibus, ut: Equus et asinus conveniunt in communi genere, item in proprietate, quod uterque est quadrupes, gestator.

Tredecima.

In tertia figura non fit conclusio universalis. Perspicua ratio est, quia, ut prima figura procedit universaliter a genere ad speciem, cum conclusione universali, ita tertia figura procedit a specie ad genus. Posita enim specie, necesse est poni genus. Sed conclusio tantum fit particularis, quia aliquid tribuitur generi propter unam speciem, quod non potest universaliter generi tribui, ut:

Malvaticum est dulce,
Malvaticum est vinum,
Ergo quaedam vina dulcia sunt.

Harum regularum omnium causae sumi possunt ex demonstratione de figuris, quam postea recitabo, etsi nunc in ipsis regulis semina demonstrationis illius sparsi, ut studiosi deducantur ad fontes, et causas bonarum consequentiarum considerent.

Quot sunt figurae Syllogismorum?

Tres sunt figurae, variatae collocatione medii, quae ideo variatur, quia non potest in omnibus materiis eodem modo procedi. Alias itur a genere ad speciem, id fit in prima figura, Alias a specie ad genus, id fit in tertia figura, Alias diversae species discernuntur, id fit in secunda figura, ut infra rursus dicam. Est autem figura ordo terminorum, qui variatur collocatione medii.

Quae est prima figura?

Prima figura est talis ordo propositionum syllogismi, ut medius terminus sit subiectum in maiore, et praedicatum in minore, unde conclusio necessario sequitur. Haec puerilis descriptio est, sed causa consideretur. Ideo subiectum maioris in minore fit praedicatum, quia cum a genere ad speciem procedatur, et propter genus aliquid de specie dicatur, necesse est alteram propositionem ita constitui, ut conspici possit, speciem in genere inclusam esse. Genus igitur in praedicati loco repeti necesse est. Et hanc dispositionem minime confragosam esse mens naturali luce videt.

Quot sunt modi primae figurae?

Quatuor directe concludentes. Nam alios volens omitto, cum supra de conversionibus dictum sit, unde intelligi potest, quae propositiones ad quas in conversione sequantur. Sunt autem docendi causa attributa modis haec nomina:

Barbara, Celarent, Darii, Ferio.

In his literae admonent, qualium propositionum connexio sit:

A significat universalem affirmativam.
E significat universalem negativam.

I significat particularem affirmativam.
O significat particularem negativam.

Sumit autem modus appellationem a conclusione, dicitur universalis aut affirmativus, cum conclusio est universalis aut affirmativa.

Recita modos.

Barbara.

Bar Omne animal est substantia,
ba Omnis homo est animal,
ra Ergo omnis homo est substantia.

Celarent.

Ce Nullum animal est lapis,
la Omnis homo est animal,
rent Ergo nullus homo est lapis.

Darii.

Da Omnis turpitudo est fugienda,
ri Quaedam voluptas est turpis,
i Ergo quaedam voluptas fugienda est.

Ferio.

Fe Nulla lex naturae est mutabilis,
ri Lex prohibens adulteria est lex naturae,
o Ergo lex prohibens adulteria non est mutabilis.

Recitavi nuda et non prolixa exempla, ut facilius conspici membra possint. Vides autem in omnibus exemplis procedi a genere, et in minore speciem poni inclusam generi. Cum autem in Oratorum omnium scriptis et concionibus, imo in omni sermone disertorum necesse sit multos syllogismos esse, considerandum est, quae sint principalia membra, et quo ordine collocata sint. Et quia popularis oratio maiorem sonum addit argumentis, adduntur ornamenta, quorum tamen modus aliquis est. Excerpi autem nudos syllogismos prodest, ut principalia membra, tanquam detracto vestitu, propius aspici possint.

Quae est secunda figura?

Secunda figura est talis ordo propositionum syllogismi, ut medius terminus sit praedicatum in maiore et in minore, unde conclusio negativa necessario sequitur. Est autem tantum adversativarum argumentationum, quia est antithesis duarum specierum, quas distrahit, nominato genere alterius vel aliqua proprietate, unde per contrapositionem sequitur conclusio negativa:

Omnis stella est perpetuum corpus,
Ergo quod non est perpetuum corpus, ut Cometa non est stella.

Valet consequentia per contrapositionem: Remoto genere, removetur species. Haec demonstratio fons est huius figurae, et cur valeat consequentia, perspicue ostendit. Hinc etiam regulae oriuntur: In hac figura tantum fieri negativos syllogismos, et maiorem oportere universalem esse, ut supra dictum est.

Quot sunt modi secundae figurae?

Quatuor:

Cesare, Camestres, Festino, Baroco.

Cesare.

Ces Nulla stella consumitur,
a Omnes Cometae exiguo tempore consumuntur,
re Ergo nullus Cometa est stella.

Camestres.

Cam Cum omnes stellae sunt corpora perpetua,
es Nullae traiectiones seu διάττοντες in aëre sunt corpora perpetua,
tres Ergo nullae traiectiones sunt stellae.

Festino.

Fes Nulla natura elementaris habet insitas noticias,
ti Mens humana habet insitas noticias non aliunde acceptas,
no Ergo mens humana non est conflata ex natura elementari.

Baroco.

Ba Omne corruptibile est compositum est ex elementis,
roc Mens humana non est composita ex elementis,
o Ergo mens humana non est corruptibilis.

Hos duos syllogismos recitant Plato in Phaedone, et Cicero in prima Tusculana, ad confirmandam immortalitatem animae humanae, quia non conflata sit ex materia elementari, quod testatur haec insignis proprietas, quia in natura mentis noticiae sunt, non aliunde acceptae.

Ba Omnis coetus, qui est Ecclesia Dei, amplectitur libros Propheticos et Apostolicos,

roc Secta Mahometi non amplectitur libros Propheticos et Apostolicos,
o Ergo certissimum est, sectam Mahometicam non esse Ecclesiam Dei.

Supra dixi, particulas exclusivas habere vim universalium. Ideo et sequens syllogismus congruit ad modum Camestres:

Tantum in coetu vocatorum sunt electi, id est, Omnes qui electi sunt, necesse est in coetu vocatorum esse, id est, baptizatorum et amplectentium Evangelium. Hinc extruitur syllogismus, qui doctrinam et consolationem dulcissimam continet.

Cam Tantum in coetu vocatorum sunt electi, ut Paulus inquit: Quos elegit, hos et vocavit,
es Nulli Mahometistae sunt in coetu vocatorum,
tres Ergo nulli manentes inter Mahometistas sunt electi.

Quid est tertia figura?

Tertia figura est talis ordo propositionum syllogismi, ut medius terminus sit subiectum in maiore et in minore, unde conclusio particularis necessario sequitur. Ut enim prima figura a genere ad speciem procedit, ut dixi, ita haec a specie ad genus procedit, sed ita, ut conclusio sit particularis. Et ratio consequentiae manifesta est, quia posita specie, necesse est genus poni, sed particulariter, ut:

Lunae motu et lumine effici varias mutationes humorum in corporibus animantium et aliarum rerum humidarum manifestum est,
Ergo stellae aliquas habent effectiones in corporibus animantium.

Etsi autem Valla reiicit et deridet hanc figuram, ut saepe rixas movet sine causa, quemadmodum biliosae naturae solent: tamen res ipsa ostendit, hoc iter in experientia usitatum esse, a singularibus progredi ad speciem, deinde a specie ad genus, ut cum pueri semel ab igne laesi sunt, inde natura duce sic ratiocinantur:

Hoc urit,
Et hoc est ignis,
Ergo ignis urit.

Consquentia firmissima est a definito ad definitionem. Nam particula demonstrativa, Hoc, significans rem monstratam, est definitum. Ac tales syllogismos, a singularibus procedentes, vocant Expositorios. Cum igitur manifestum sit, valere syllogismos expositorios, necesse est tertiam figuram comprobari. Est et illa causa satis firma: Posita specie, necesse est genus poni.

Quot sunt modi tertiae figurae?

Sex modi recitantur: Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Darapti.

Da Omnes στοϱγαὶ conditae a Deo in natura hominis, sunt res suo genere bonae,
rap Omnes στοϱγαὶ sunt affectus,
ti Ergo quidem affectus sunt res suo genere bonae.

Sensus communis iudicat hanc compositionem non esse horridam et confragosam. Et hoc ipso argumento Stoici et Anabaptistae refutantur, cum omnes affectus contendunt suo genere vitiosos esse.

Felapton.

Fe Nullum iustum imperium est excutiendum,
lap Omnia etiam iusta imperia habent aliqua onera duriora, et aliqua errata,
ton Ergo aliqua onera duriora, et aliqua errata non sunt excutienda.

Disamis.

Dis Ius naturale concedit defensionem contra latrones,
a Ius naturale est ius divinum,
mis Ergo ius divinum concedit defensionem contra latrones.

Datisi.

Da Omnis cognitio virtutum necessaria est Oratori,
tis Cognitio virtutum est Philosophia,
i Ergo Philosophia est necessaria Oratori.

Bocardo.

Boc Provocatio ad iudicem non est prohibita Christianis,
ar Omnis provocatio est venire in iudicium, seu certare in iudicio cum adversario,
do Ergo certare in iudicio non est prohibitum Christianis.

Ferison.

Fe Nulla Habenus est alba,
ris Hebenus est lignum Guaiacum,
on Ergo lignum Guaiacum non est album.

Recitavi figuras et modos, quos ut meminisse iuniores possint, tanquam sua nomina ediscant hos pueriles versus:

Barbara, Celarent, primae Darii, Ferioque.
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, secundae.
Tertia grande sonans recitat Darapti, Felapton,
Adiungens Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

De Syllogismo expositorio.

Quid est Syllogismus expositorius?

Est syllogismus, in quo medium est singulare, cuius ordo ad tertiam figuram congruit. Et ratio consequentiae non obscura est, quia in affirmativis, quod convenit definito, idem convenit definitioni, aut quod subiecto singulari tribuitur, idem tribui eius speciei, vel differentiae, vel proprio necesse est. In negativis, ea quae removentur. Fit autem hoc modo affirmative:

Haec res calefacit ventriculum,
Haec res est zinziber,
Igitur zinziber calefacit ventriculum.

Valet consequentia: Quia quod tribuitur definito, idem definitioni tribui necesse est. Valere igitur syllogismos expositorios recte factos, sine ambiguitate, manifestum est.

Et tales syllogismi omnium primi se humanae menti offerunt. Etsi enim non omnis noticia a sensu oritur, ut numerorum noticia prius insita est mentibus, tamen fatendum est, plurimarum rerum noticiam a sensu initia sumere. Primum apprehendunt sensus singularia, postea mens abstrahit species, componit et dividit: ita in syllogismo expositorio, cum oculi cernunt aliquid inesse subiecto singulari, postea mens componit, et hunc syllogismum expositorium extruit.

Negativi tales fiunt:

Petrus non tenuit imperium,
Petrus tenuit claves Ecclesiae,
Ergo claves Ecclesiae non sunt imperium.

Nominatur autem expositorius, quia propositio communis, quae fit conclusio, exponitur per singulares. Sed vitanda est ambiguitas. Videndum ut eadem ratione competant subiecto, cum duo praedicata uni singulari tribuuntur, ut:

Iste est Musicus,
Iste est albus,
Ergo est albus Musicus.

Nec non eadem ratione subiecto tribuuntur. Nec semper quae conveniunt uni tertio, inter se conveniunt. Aliqui rationem consequentiae sumpserunt ex hoc principio geometrico: Quae sunt aequalia uni tertio, inter se sunt aequalia. Haec sententia cum sit natura nota, confirmat et consequentiam, de qua loquitur. Est autem similis consequentia:

Huic dodranti pedis est aequalis haec linea,
Et eidem dodranti est aequalis altera linea,
Ergo hae omnes inter sese sunt aequales.

Exempla geometrica sunt illustria: Cumque in his valere consequentiam manifestum sit, valebit et in aliis materiis. Ita propter similitudinem accommodatur huc principium istud geometricum. Sed hoc diligenter observandum est, ut sicut Geometer nominatim de aequalibus loquitur, ita in aliis materiis caveatur, ne uni subiecto plura tribuantur dissimili ratione, ut, hic est Musicus, et est albus. Ad dissimilia non congruit principium geometricum, sicut nec ad inaequalia. Nec congruit ad vocabula inaequalia, ut, etsi gallina et homo in uno tertio conveniunt, scilicet in eo, quod est esse bipedes, tamen inter se non conveniunt, quia bipes est vocabulum inaequale istis. Disseritur hic et de hoc syllogismo:

Haec essentia divina est Pater,
Haec essentia divina est Filius,
Ergo Filius est Pater.

Usitata et satis erudita est responsio. Oportet alteram in syllogismo expositorio quadrare ad regulam Dici de omni. De quocunque verum est dicere, quod sit haec essentia divina, de eo verum est dicere, quod sit Pater. Cum autem in hoc syllogismo non possit maior sic accommodari ad regulam Dici de omni, quia etiam de Filio verum est dicere, quod sit haec essentia: ideo syllogismus non procedit. Simus contenti hac explicatione, quae ostendit nomen essentiae pluribus personis convenire, et hoc exemplum dissimile esse aliorum exemplorum, qualia sunt, haec rosa, vel hic homo: extat syllogismus expositorius in Evangelio:

Deus est Deus vivorum,
Deus est Deus Abrahae,
Ergo Abraham vivit.

De Reductionibus.

Nunc doctrina de reductione syllogismorum sequitur, de qua brevissime dicam: Duo modi reductionis traduntur. Alter formas syllogismorum dicitur utcunque vel illustrare vel confirmare, ideoque nominatur reductio ostensiva, quia ostendit ad primam figuram congruere consequentias aliarum duarum figurarum. Alter modus, reductio per impossibile, rerum confirmatio est. Cum enim ostenditur una contradictoria esse impossibilis, alteram veram esse necessario sequitur. Et talium argumentorum usus est in Geometria et in Physicis. Nec de eis hic peculiares regulas tradam, cum omnibus nota sit communis et necessaria doctrina de contradictoriis. Imo et in Rhetoricis contrariorum collocatione multa illustrantur. Cum ostendere volumus quam bona et dulcis res sit pax, contra dicimus, quantum horribilium malorum comitetur bellum, incendia, vastationes, orbitates, interitus literarum et religionis, etc. Sed reductio ostensiva conversione aliquarum propositionum, transfert secundae aut tertiae figurae modos in primam, ut Cesare ad Celarent.

Ces Nullum peccatum est honore afficiendum,
a Deus praecipit magistratus legitimos honore affici,
re Ergo gerere magistratus legitimos non est peccatum.

Maiore conversa erit Celarent, mollissime enim convertuntur universales negativae:

Ce Nulla res honore afficienda mandato divino, est peccatum,
la Omnis legitimus magistratus est honore afficiendus mandato divino,
rent Ergo nullus legitimus magistratus est peccatum.

Sit sane ordo in prima figura melior, quia subiectum minoris includitur in maiore: tamen utilius est hoc scire, in unaquaque figura causas consequentiae proprias et firmas esse, quas supra recitavi, et nunc in fine repetam, ut fontes figurarum diligentius considerentur.

Demonstratio quare necesse sit esse tres figuras.

In omni argumentatione, quae formam syllogismi recipere potest (nam inductio et exemplum non recipiunt formam syllogismi) proceditur, aut a genere ad speciem universaliter, cum conclusione universali, aut a specie ad genus cum conclusione particulari, aut fit duarum specierum distractio, aut fit causarum et effectuum plurium copulatio. Nec sunt modi plures argumentandi, si dextre iudicetur. Processus autem a genere ad speciem gignit primam figuram. Et valere consequentiam a genere cum signo universali affirmative et negative ad speciem, natura notum est. Processus vero a specie ad genus cum conclusione particulari gignit tertiam figuram, et manifestum est, posita specie, poni genus. Sed distractio specierum gignit secundam figuram. Et perspicua est ratio consequentiae, quia disparatas species distrahi necesse est. Haec sensu communi iudicari possunt sine longa doctrina. Manifestum est igitur utrunque et recte distributas esse figuras, et consequentias sine ulla dubitatione valere. Processus autem, in quo causarum et effectuum plurium copulatio fit, gignit Soriten, ut:

Immodica ingurgitatio impedit coctionem in ventriculo.
Mala coctione in ventriculo facta, fit sanguis impurus in epate,
Cum sanguis in epate non percoctus est, sparguntur in totum corpus multi crudi humores,
Crudi humores sparsi in corpus faciunt *κακοχυμίαν*, deinde hydropem.
Ergo immodica ingurgitatio causa est hydropis.

Sed Aristoteles non utitur tam longis coacervationibus, plures potius syllogismos primae figurae instituit, et proximis causis proximos effectus attexit, utitur tamen et Soritae, ut infra dicam. Etsi autem in his demonstrationibus nulla est obscuritas, tamen collatione exemplorum fient illustriores. Et eruditi in Geometria sciunt congruere ad haec quae dixi, suam divisionem argumentationis, et exempla suae artis: Ad primam figuram congruit processus *κατὰ σύνθεσιν*: Ad tertiam figuram congruit processus *κατὰ ἀνάλυσιν*: Adversativa *εἰς ἀδύνατον ἀπαγωγὴ*, est antithesis conveniens secundae figurae. Sed iuniores sumant exempla ex quotidiana lectione, et ex materiis, quas utcunque intelligunt. Aspiciant et exempla, quae in descriptione modorum supra recitavi.

Accedat et haec exercitatio. Dentur materiae discentibus, de quibus argumenta excogitent, eaque formis syllogismorum concinne includant.

Eius exercitii consuetudo multas magnas utilitates affert. Primum enim si res prudenter electae proponantur iuventuti, simul formatur iudicium de multis communibus quaestionibus, quarum cognitio vitae utilis est, quales sunt materiae physicae et ethicae, item theologicae idoneae aetati, ut: Virtus est finis hominis, non voluptas. Cyrsilus dans inhonestum consilium, iuste lapidatus est. Christianis concessum est gerere magistratus, militare, iudicia exercere, tenere proprium, repetere res in iudiciis etc. Cur non singulis mensibus fiant eclipses, An eclipsis Solis conspecta, cum Filius Dei penderet in cruce, fuerit naturalis. Quare ebrietas cerebro noceat, et impleat corpus crudis humoribus. Deinde iudicium de praeceptis dialecticis acuitur, cum connexiones nostras ad ea conferimus: Formatur et sermo, quia una sententia saepe varie efferenda est, donec inventa fuerit formula propriissima, mollissima et maxime perspicua. Denique haec exercitatio non solum utilis est, sed etiam ingeniosis ludus est non insuavis. Facilius autem gignent argumenta, cum discent quaerenda esse genera, definitiones, causas, effectus, ut postea in locis dicetur, et iam toties dictum est in causis figurarum, unde processus instituantur. Et monstrent iuniores praeceptoribus, aut aliis monitoribus, a quibus adiuvari possunt, excogitatos syllogismos, ut audiant, quae membra recte coagmentata sint, quae non sint recte coagmentata, et ostendat monitor: ubi et cur erratum sit, et contexat aliter: Interdum et squalidius dicta magis proprie et significanter reddat, et assuefaciat discentes ad veritatis amorem in materiis honestis, quarum usus est in communi vita. Nec Dialecticen transferri sinat tantum ad inanes et ridiculas captiones, quales sunt: Nullus et nemo mordent se in sacco, quae ante haec tempora obscuraverunt usum Dialectices, et postea corruptelae fuerunt aliarum artium et doctrinae religionis. Sumantur exempla ex veris et utilibus causis, et congruant communi recte loquentium sermoni. In talibus conspicietur usus artis. Id consilium dum ipse sequor, praecidi multas regulas, et multa ridicula exempla, quae miror hominibus sanis in mentem venire potuisse, quorum explicatio etsi ingeniosis facilis est, tamen remoratur teneram aetatem, et abducit a conspectu verae artis, et consuetudo cavillandi perniciosa est. Nec reprehensionem eorum metuo, qui dicunt me tantum agrestia tradere, quae etiam sine literis nota sint mediocriter ingeniosis. Hanc enim reprehensionem non esse veram res ipsa ostendit. Multum enim interest inter ipsos ingeniosos, quorum alii reguntur arte, alii non reguntur arte. Hi qui recte didicerunt, vident metas, intra quas tum in definiendo tum in argumentando versari oportet. Alii vagantur ut libet, et saepe aliena a proposito dicunt, et nequaquam cohaerentia contexunt. Si qui subtilitatem amant, in veris praeceptis praedicamentorum et syllogismorum invenient multa, quae non sunt agrestia, et attentos ad magnarum et utilium rerum considerationem deducunt. Nec laus subtilitatis aut acuminis tribuatur praestigiis aut cavillationibus, quibus nullae res bonae subsunt, et quarum nulla in vita est utilitas. Hoc est magnum ingenii decus, in explicatione rerum bonarum et utilium adhibere artem, ut certitudo maneat de veris sententiis, cum Dialecticae metis inclusae sunt, et refutari falsae certo possint, cum ostenditur, quae membra cur non haereant. Ut aliae artes, ita Dialectica certitudinis causa inquisita et constituta est. Multa enim homines ingeniosi similia artificum facere possunt. Sed causas ignorant, cur sic fabricari artium opera oporteat. Et cum certitudo absit, ne ipsi quidem acquiescunt animis, sed languide assentiuntur veris sententiis, tanquam longius per caliginem eas aspicientes. Sed artifex in docendo, confirmando et refutando certior est, et videt suorum operum causas, et acquiescens, firma eas assensione amplectitur, et Deo gratias agit pro ea luce, nec more Pyrrhoniorum praestigias excogitat ad labefactandam veritatem.

Hanc necessariam admonitionem hic inserui, ut discentes cogitent, ad quem finem Dialecticae studium referendum sit, et exercitia artis iudicio gubernent.

De Enthymemate.

Accedimus ad reliquas species argumentationis, quarum etsi magnus usus est in omni sermone, tamen syllogismi in demonstrationibus et in gravissimis causis dominantur, nec tam fragiles sunt, ut caeterae species argumentationis. Sed harum tamen formas et usum etiam monstrari necesse est, cum praesertim enthymemata creberrima sint in omni sermone, plurimaque in brevissimis concionibus propheticis et apostolicis legantur.

Quid est Enthymema?

Enthymema est imperfectus syllogismus, quia fit recitata una syllogismi propositione, et addita conclusione. Omittitur autem altera propositio, vel brevitatis causa, quia cum nota sit, videtur recitatio ingrata esse, vel quia non satis firma est. Alias autem maior, alias minor desideratur, ut:

Clodius prior impetum fecit in Milonem,
Fuit igitur iusta Milonis defensio.

Hic deest maior:

Defensio iusta est adversus eum, qui non lacessitus vim iniustam infert.

Discant iuniores et vocabula usitata. Prior pars in enthymemate vocatur Antecedens, posterior Consequens. Et cum Consequens non est verum, necesse est vitium aut in Antecedente esse, aut in ea parte, quae desideratur, quae est vinculum connexionis. Ideo discendum est, quae pars neganda sit.

Hic antecedens negandum est:

Poëtae docent inutilia,
Igitur Plato iuste eiecit eos ex civitate.

Facile intelligi potest, nullam esse confirmationem consequentis, ubi antecedens falsum esse deprehenditur. Sed obscurior est diiudicatio, cum antecedens verum est, et tamen consequens falsum est, ut in hoc exemplo:

Abel est iustus, et Deo placet,
Igitur non interficietur.

Constat antecedens verum esse, et consequens falsum. Latet igitur causa erroris in ea parte quae desideratur, videlicet in hac, quia iustum est ut bene sit iustis. Haec sententia generalis longa interpretatione indiget. Iustis bene erit, tandem in aeterna consuetudine Dei. Interea cur Deus velit Ecclesiam subiectam esse cruci, multae causae sunt, quare consequens in hoc enthymemate nullam habet confirmationem. Nam etsi iustis bene erit, tamen possibile est, iustos aliquos interfici, quibus postea praemia reddentur. Et horum interitus testimonium est secuturi iudicii.

Quomodo definit enthymema Aristoteles?

Enthymema est syllogismus imperfectus ex Icotibus et signis. Sic enim usitate recitant. Addidit autem Aristoteles hanc enthymematum materiam, Icota et signa, quia hac brevi forma argumentandi plerunque utimur, cum a signis argumenta ducimus, ut:

Lucescit,
Ergo Sol oritur.

Ociosa prolixitas esset, si adderes maiorem, cum alioqui omnibus nota sit. Sed saepe propter infirmitatem occultatur.

Discerne Icota et Signa.

Utile est ubique observare discrimen inter necessaria et verisimilia. Ita duplicia sunt signa, quaedam sunt verisimilia, quae plaerunque significant, sed non semper, ut:

Hic iuvenis est pallidus,
Igitur laborat cruditate.

Etsi enim plaerunque pallor significat cruditatem, tamen et aliae possunt esse palloris causae. Et hoc modo multa falsa ratiocinantur homines ex effectibus impropriis, aut causis non sufficientibus.

Vidi colloquentem hunc cum meo inimico,
Ergo et mihi inimicus est.
Erumpit aqua ex terra post terraemotum,
Ergo aquae sunt causae terraemotus.

Haec vitiosa argumenta sunt fallaciae consequentis, ut suo loco dicetur, et fontibus monstratis, facilis est refutatio. Non valent argumenta ex causis non sufficientibus ducta, aut ex effectibus impropriis.

Alia sunt necessaria signa, videlicet effectus proprii, aut causae sufficientes, aut proprietates adiunctae causis vel effectibus, ut infra in locis copiosius dicendum est. Nam hic tantum ideo discrimen hoc recito, ut appellationes enarrentur, quid *εἰκότα* plerunque nominent, quid signa. Necessarium est:

Lucescit,
Ergo Sol oritur.

Quia lucescere est proprius effectus Solis orientis. Ex talibus fiunt firma argumentata. Nominant autem *εἰκότα*, quasi dicas congruentia, quae plerunque significant, ab *εἴκοτε*, videtur, consentaneum est, congruit. Inde participium est *εἰκός*. Quintilianus nominat *εἰκαῖα*.

Crebro et familiariter cum puella loquitur,
Ergo amat eam.

De hoc genere coniecturarum etiam apud Iurisconsultos traduntur regulae. Ideo earum fontes diligenter considerandi sunt, ut quantum valeant iudicari possit. Nam alia sigan aliis pro-

piora et certiora sunt, et collecta multa plus valent, ut in versu dicitur:

Et quae non prosunt singula, multa iuvant,

ut citant Iurisconsulti de semiplena probatione.

Econtra signa necessaria vocantur τεκμήρια a τεκμαίρω, quod est ordino. Nam haec signa sunt ordinata, quia sunt aut causae aut effectus, aut horum proprietates, ut infra dicam.

In Salomonis iudicio τεκμήριον est:

Haec mulier non vult interfici puerum,
Ergo haec est mater.

Sumtum est enim a proprietate perpetua matris:

Mater est,
Igitur est in ea στοργή.

Hoc autem praecipue considerent discentes, plurimum esse enthymematum in omni oratione, quod quia observabunt, facilius et magis perspicue scribent ipsi. Usitatum est Ciceroni in exordiis ponere aliquam propositionem, ac deinde addere rationem, seu ut Rhetores vocant, αἰτιολογίαν. Ita fit enthymema, ut pro Archia: Si quam habeo dicendi facultatem, huic Archiae praecipue prodesse debet, quia haec mea studia plurimum adiuvit ipse. Agnoscis esse enthymema. sed id quod vocamus Antecedens, quod est αἴτιον, recitatur posteriore loco:

Archias adiuvit mea studia,
Consequens est:
Ergo mea eloquentia prodesse ei debet.

Hoc membrum prius recitatur, quia quod in arte conclusio vocatur, id in dicendo prius exponitur, tanquam propositio, de qua secutura est argumentatio. Similia exempla in quotidiana lectione observentur. Nam ubique se innumerabilia offerent. Erunt autem magis perspicua iis, qui dialecticam formam agnoscent, et simul considerabunt, qualis ornatus accesserit, ut hic variatur consequens enumeratione vicinarum specierum, ingenii, exercitationis, doctrinae. Talis animadversio in enarrandis alienis scriptis valde utilis est: et simul viam, ut ita dicam, scribendi studiosis monstrat.

Quid Cicero in topicis proprie nominat Enthymema?

Cicero scribit Enthymemata proprie dici argumenta ex contrariis ducta. Infra autem in locis regulas de pugnantibus trademus, in quibus et haec regula erit: Posito uno contrariorum, necesse est tolli alterum, ut:

Paries est albus,
Ergo non est niger.

Haec ideo praecipue vocarunt enthymemata, quia magis illustria sunt caeteris. Ac propterea brevior est ratiocinatio, quia sensus communis iudicat, pugnantia, praesertim in gradibus excellentibus, non simul in una re esse. Constat autem in omnibus materiis plurima duci argumenta ex contrariis, ut:

Christi regnum est aeternum,
Ergo non est politia huius moriturae vitae, qualem Iudaei somniant.

Hoc argumentum evidenter refutat multa deliramenta Iudaeorum:

Christus interficietur a Iudaeis,
Ergo non tenebit politicum regnum inter Iudaeos.

Sed doctrina de pugnantibus infra in locis recitabitur. Nunc tantum haec breviter dixi, ut lecturi Ciceronem, sciant eum angustius uti appellatione enthymematis, quam nos utimur. Vocabula etiam discernant iuniores. Syllogismus significat vere computationem, ein Rechnung. Id nomen magis convenit integro argumento, et non mutilato, quia computationes oportet esse integras. Sed enthymema significat cogitationem seu quiddam cogitatum, ut nos dicimus ein bedencken. Id potest esse brevius: Moveor hac cogitatione, ne respondeam maledicenti, quia nunc ebrius est.

De Inductione.

Quid est Inductio?

Inductio est ex singularibus sufficientibus enumeratis constituere universalem, ut:

Vinum Creticum calefacit,
Vinum Italicum calefacit,
Vinum Rhenanum calefacit,
Nec ullum dissimile exemplum monstrari potest,
Ergo omne vinum calefacit.

Quare valet consequentia in inductione?

Quia idem prorsus significant propositio universalis, et collectio omnium singularium sub ea. Cumque humana cognitio magna ex parte a sensu ordiatur, et sensus circa singularia versetur, hanc progressionem inter primas argumentationes esse in experientia, satis apparet, sicut supra diximus, syllogismum expositorium inter primas argumen-

tationes esse. Medicus saepe usus Zinzibere, semper comperit calefieri ventriculum, inde pronunciat de tota specie, zinzibere calefieri ventriculum. Cum autem haec argumentatio in experientia sit obvia omnibus sanis et valde illustris, Aristoteles inquit, syllogismum quidem firmiorem esse, sed inductionem nobis faciliorem esse, ac celerius arripi. Ideoque nominatur Inductio, quia subinde plura singularia monstrans inducit et invitat mentem, ut universali conclusioni non repugnet. Cur addis? (Nec potest dissimile exemplum reperiri.) Quia ut universalis vera sit, necesse est congruere omnes singulares. Et cum exemplum dissimile antecedenti profertur, quod tamen verum est et probatum, non viciosum, labefactata est inductio. Sic igitur refutantur inductiones prolato dissimili exemplo, seu, ut vulgo dicunt, data instantia, ut:

> Athanasius fuit caelebs,
> Ambrosius fuit caelebs,
> Basilius fuit caelebs, et alii innumerabiles,
> Igitur omnes Episcopi fuerunt caelibes.

Refutatur hoc modo: Nego consequentiam, et ratio est, quia proferri possunt dissimilia exempla vera et probata, ut Spiridonis, Nazianzeni patris Polycratis, qui ait se octavum esse Episcopum, natum ex maioribus Episcopis. Denique publicum et probatum morem fuisse veteris Ecclesiae constat, admittere ad munus Episcopi honestos et doctos maritos. Delectus autem exemplorum habeatur, nec vitiosa exempla opponantur probatis, et congruentibus cum vera ratione, seu honestis legibus, ut infra rursus de exemplo dicetur.

De Exemplo.

Quid est Exemplum?

Exemplum est forma argumenti, qua singulare per aliud singulare in una specie confirmamus, propter similem rationem. Mirari autem iuniores possunt, quare inter species argumentationis numeretur, cum infra inter locos eodem titulo ponatur, et haec forma videatur similis esse enthymematum. Sed sciendum est, cum in locis fit mentio exempli, tantum de materia dici, videlicet de factis similibus in aliqua specie congruentibus. Hic vero propter formam discernitur a caeteris speciebus, nam exemplum procedit a singulari ad aliud singulare, quod non fit in caeteris speciebus. Syllogismus a genere ad speciem procedit, vel econtra enthymema syllogismum imitatur, et in antecedente recitat *αἴτιον* aliquod conclusionis. Inductio ex collectione singularium extruit universalem. Horum nihil fit in exemplo. Sed alius eventus narratur, a quo transitur ad similem. Nec vero valeret consequentia, nisi mens simul rationem aliquam connexionis cerneret. Accedit igitur velut ratio consequentiae haec communis sententia: De similibus idem est iudicium. Et hac circumspectione et diligentia in exemplis iudicandis semper opus est, ut quaeratur, an sit similis in utroque ratio, an vere congruant exempla. Saepe enim decipiuntur homines specie similitudinis, cum aliqua facti causa infinitam dissimilitudinem efficit. Sunt igitur exempla commonefactiones de aliqua universali regula, seu lege, quae complectitur similia, ut:

> Maxime pars generis humani in diluvio periit propter libidines,
> Ergo et postea sine dubitatione puniuntur libidines.

Ratio consequentiae est, quia de similibus idem est iudicium. Et potest transformari argumentum in syllogismum, ita, ut lex, in qua inest ratio similitudinis, sit maior. Deus cum mens sit casta, et severissime praecipiens castitatem, horribiliter irascitur prohibitis libidinibus. Ad hanc maiorem adiunguntur eventus, qui sunt testimonia huius legis: Declaravit Deus hanc suam iram, cum diluvio perderet fere totum genus humanum, cum deleret Sodoma, Sibarin, Thebas. Ita exempla sunt testimonia maioris. Et cum incurrant in oculos, multum movent homines, ideo peculiaris forma argumentandi inde sumta est. Sequitur minor:

> Fiunt deinceps similia delicta,
> Sequuntur ergo et tristes poenae.

Sed ubi ratio dissimilis est, non valet consequentia, ut:

> Abraham recte fecit volens immolare filium,
> Ergo Agamemnon recte fecit mactata Iphigenia.

Nego consequentiam, et ratio est, quia exempla sunt dissimilia. Facit enim praecipua causa dissimilitudinem. Facta quae reguntur mandato divino, sunt honesta et Deo grata, non quae pugnant cum mandato divino. Abraham novo mandato, et certa voce Dei iussus est offerre filium.

Caeteri omnes communi praecepto obtemperare debent. Cum igitur causae factorum sint dissimiles, non congruunt haec facta. Causa regens Abrahae voluntatem, est certa vox De . Causa regens Agamemnonis voluntatem, est falsa persuasio pugnans cum mandato Dei.

Non recte cohaerent haec:

> Petrus occidit Ananiam mentientem,
> Ergo licet docentibus in Ecclesia gladio ferire delinquentes.

Nego consequentiam, et ratio est, quia exempla sunt dissimilia: Petrus occidit verbo et motu Spiritus sancti. Haec sunt propria ministerii evangelici. Sed gladio punire, proprium officium est politici magistratus.

Sed recte cohaerent haec, servata ratione simili:

> Petrus occidit mentientem, sola imprecatione,
> Ergo licet et nunc pastori contumaces occidere sola imprecatione.

Hoc argumentum valet, et saepe haec fiunt in Ecclesia. Nam vera imprecatio et excommunicatio non est irrita, ut scriba Stilliconis excommunicatus ab Ambrosio, statim coepit aegrotare mota mente: sed cum tandem promitteret se mores emendaturum esse, rursus ab Ambrosio et sanatus et absolutus est.

Aliud.

> Apostoli et eorum auditores in Iudaea contulerunt facultates in commune.
> - Ergo Christianis non licet habere proprium.

Nego consequentiam, et ratio est, quia exemplum non est lex, et habebant illi probabilem causam sui consilii. Propter professionem excutiebantur ex fundis, ideo prius eos vendere malebant, ut viaticum haberent expulsi patria. Et haec pecunia apud collegium Apostolorum deponebatur. Nec praecipiebant Apostoli hanc collationem, sed res libera erat et sine superstitione, nec omnibus locis opportuna, nec volebant novam politiam Platonicam constituere. Ne igitur decipiamur exemplis, prudenter dici solet: non exemplis, sed legibus iudicandum est. Et diligenter considerandum est, quae exempla legibus congruant. Quare et Demosthenes in oratione contra Aristocratem de vitiosis exemplis inquit: Impudens oratio est, dicere, sic factum esse, Non enim, si quid contra leges factum est, id imitari licet. Sed haec infra de locis repetenda erunt.

De Sorite.

Quid est Sorites?

Sorites est argumentatio, in qua praedicato primae propositionis aliud praedicatum attribuitur necessario cohaerens, eodemque modo ulterius procedi per gradus potest, donec in conclusione ultimum praedicatum additur primae propositionis subiecto. Estque usitata forma, cum ab ima specie ad summum genus per media genera ascendimus, vel cum a causis ad proximos effectus transimus, qui rursus sunt causae aliorum effectuum, ut:

> Homo est animal,
> Animal est vivum corpus,
> Vivum corpus est substantia,
> Ergo homo est substantia.

Aliud exemplum gradus causarum:

> Nimia iniurgitatio impedit coctionem in ventriculo,
> Mala coctione facta in ventriculo fit sanguis impurus in epate,
> Cum sanguis in epate non percoctus est, sparguntur in totum corpus multi crudi humores.
> Crudi humores sparsi in corpus, faciunt *κακοχυμίαν*, et deinde hydropem,
> Ergo immodica ingurgitatio causa est hydropis.

Etsi autem Aristotelis non nominat Soriten, tamen formam talium argumentorum et usum ostendit in Antepraedicamentis, ubi recitat regulam, quae continet Soriten: Quando alterum de altero, ut de specie praedicatur, quicquid de praedicato dicitur, id de ea specie quoque dici necesse est. Id est, talis est ordo et connexio specierum et generum, et, sicut proximum genus est pars essentiae speciei, ita superiora genera sunt in essentia infimae illius speciei. Voluit igitur Aristoteles hac forma ostendere, necessariam esse connexionem generum et specierum continui ordinis. Nomen *Σωρίτης* est a *σωρος*, quod significat acervum. Ac Stoicos hac forma multum usos esse conspici potest in exemplis, quae extant apud Ci-

ceronem. Sed prudenter videndum est, ubi valeant hae connexiones.

Qui sunt vitiosi Soritae?

Nulli fiunt negativi Soritae. Et in affirmativis tantum illi valent, in quibus vocabula necessario cohaerent, ut species, genera, differentiae, propria. Item, cum causis per se ac propriis attexuntur proprii effectus, ut, non valet consequentia in negativis:

Homo non est leo,
Leo est animal,
Ergo homo non est animal.

Nec valet consequentia, cum voces non necessario cohaerentes iunguntur, ut:

Ex malis moribus ortae sunt bonae leges,
Bonae leges sunt dignae laude,
Digna laude sunt expetenda,
Ergo mali mores sunt expetendi.

Vitiosa connexio est, quia mali mores non sunt per se causa bonarum legum, sed mens bonorum gubernatorum est per se causa, ut, morbus non est causa curationis, sed medicus, remedia, et natura repugnans morbo.

Vulgo recitatur exemplum ridiculum, quod asscribam, quia cum ridicula tenacius in memoria haereant, illustris commonefactio est de hac regula:

Qui bene bibit, bene dormit,
Qui bene dormit, non peccat,
Qui non peccat, erit beatus,
Ergo qui bene bibit, erit beatus.

Prima et secunda connexiones habent vitiosas, nam ebrii non mox dormiunt, nec semper dormiunt. Nec dormire causa est semper prohibens delicta, nam et ante somnum ebrii saepe tumultuantur, et post somnum inflammati et aestuantes in sanguine spiritus cient multos turbidos affectus.

Quomodo convenit sorites ad gradationem rhetoricam, quae vocatur κλίμαξ?

Usitata est gradatio in communi sermone, quia necesse est in ratiocinando saepe causas et effectus contexere, ut:

Certissimae vices motuum coelestium, noticiae numerorum et ordinis, et discrimen honestorum et turpium in mente humana, testantur hanc naturam rerum non extitisse casu, sed ab aeterna mente architectatrice, videlicet a Deo, conditam esse.

Agnitio rei requirit obedientiam,
Obedientia inutilis esset, nisi sequeretur iudicium,
Ergo erit iudicium, in quo Deus discernet eos, qui fuerunt obedientes, a contumacibus.

Differunt autem κλίμαξ et sorites hoc modo: Tunc proprie sorites dicitur, quando subiectum primae propositionis in conclusione repetitur, ut:

Inscitia literarum parit tenebras religionis,
Tenebrae religionis pariunt superstitionem aut ethnicum contemtum Dei.

Hic si addas conclusionem repetito principio, erit sorites,

Ergo inscitia literarum parit superstitionem aut ethnicum contemtum Dei.

Gignit soriten et regula notissima, Quod maius est maiore, idem maius est minore, ut:

Sol maior est quam terra,
Terra maior est quam Luna,
Ergo et Sol maior est quam Luna.

Cum hac regula congruit sorites, doctrinam non vulgarem continens, qui extat in Epistola ad Ebraeos:

Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedec,
Melchisedec est maior quam Abraham,
Abraham est maior quam Levi,
Ergo et Christus est maior quam Levi, et sacerdotium habet praestantius et efficacius Levitico.

Nam sacerdotio Levitico non tollebantur peccatum et mors, nec restituebantur iusticia et vita aeterna, sed Christi sacerdotio oblata est victima pro peccato, et voce Evangelii donatur nobis remissio peccatorum, et inchoatur iusticia. Deinde prorsus abolita morte, restituuntur nobis aeterna vita, et iusticia aeterna.

De regulis consequentiarum.

Tota Dialectica lumen est, quo iudicamus, quae vocabula et quae propositiones recte iungantur. Ideo fere singulas partes Dialectices scito regulas esse consequentiarum. Sed tamen praecipuae sunt praecepta de figuris et modis syllogismorum supra recitata, et loci inveniendorum argumentorum, quos proximo libro recensebimus.

Etsi igitur sparsae sunt regulae in multas Dialecticae partes, tamen hic communem eis nidum constituemus, ubi et ipsi aliquas recitabimus, et studiosi alias asscribent a nobis omissas, quae se in disputationibus eruditorum offerent. Quanquam autem multae regulae prorsus pueriles sunt, sunt enim similes communissimis sententiis, quas Geometrae vocant *κοινὰς ἐννοίας,* tamen commonefacienda est prima aetas, ut et Geometrae faciunt, qui bono consilio communes sententias, quae naturali luce sine doctore intelligi possunt, tamen et proponunt et declarant, non solum ut aditus ad artem facilior sit, sed etiam ut his fundamentis seu exordiis consideratis, certitudo artis conspiciatur, quae inde extruitur. Dictum est autem supra, quid sit bona consequentia, videlicet talis connexio propositionum, quae non discrepat ab aliqua regula Dialectices. Hac descriptione contenti simus, quia verum est, in tanta varietate consequentiarum, totam Dialecticen in iudicando, in conspectu esse oportere. Econtra, mala consequentia est, quae ab aliqua regula Dialectices discrepat.

Prima regula.

Ex universali recte sequuntur suae particulares et suae singulares, sed non econtra. Non enim sequitur universalis propositio, ex aliquot particularibus, aut aliquot singularibus, ut non valet consequentia:

> Dionysius superior, et Tiberius, habuerunt placidos exitus,
> Ergo omnes tyranni habent placidos exitus.

Imo regulare est, tyrannorum tristes et tragicos esse exitus, etiamsi pauca exempla praeter regulam reperiuntur, ut interdum pauci hyberni dies calidiores sunt aliquibus aestivis. Sed collectis omnibus singularibus recte sequitur universalis, ut de Inductione dictum est.

Secunda.

Quicquid sequitur ad consequens bonae consequentiae, sequitur et antecedens, ut:

> Omnia officia politica sunt concessa Christianis,
> Ergo iudicia sunt concessa.

Et per consequens:

> Litigare in foro concessum est.

Tertia.

Ab eo quod inest per se, ad aliud quod per accidens accedit, non est bona consequentia, nec econtra, ut:

> Temperantia est bona,
> Febris affert temperantiam,
> Ergo febris est bona.

Aliud.

> Odisse civem est peccatum,
> Litigans in foro odit adversarium,
> Ergo litigare est peccatum.

Haec vere et dextre refutantur hac brevi responsione: Nego consequentiam, quia est fallacia accidentis, ubi haec regula traditur, quam recensui: Ab eo quod per accidens irruit, non valet consequentia ad rem per sese consideratam. Accidit litiganti odisse adversarium. Et potest mens bona litigare sine odio. Est enim litigare honesta disputatio et inquisitio veritatis in iudiciis divinitus instituta, non solum ad pacem tuendam, sed etiam propter disciplinam, et in bene moratis multas virtutes complectitur. Bona mens litigans, subiicit se legibus, iudiciis, magistratib. Horum vocem antefert suae cupiditati, agnoscit ordinem politicum esse Dei opus: nec vult conturbatione ordinis politici Deum offendere. Haec obedientia virtus est egregia. Accedit in bonis ingeniis et amor veritatis. Sed in male moratis per accidens concurrunt multa vitia, avaricia, odium adversarii, studium calumniarum, superbia, nolle veritati cedere, etc.

Aliud.

> Peccatum non gignit hominem,
> Opus concupiscentiae gignit hominem,
> Ergo concupiscentia non est peccatum.

Augustinus contra Iulianum propemodum ut mus in pice haeret in huius argumenti refutatione, cum Dialectico facillima sit explicatio: Neganda est minor, quia concupiscentia vitiosa, quam sic usitate vocant, est *ἀταξία,* quae accessit ad naturam divinitus conditam, et eam deformat, nec est res gignens substantiam, sed res gignens substantiam est ipsa natura a Deo condita, quam ab *ἀταξίᾳ* prudenter discerni necesse est. Hic discant iuniores utilem doctrinam ab Aristotele traditam de modis dicendi per se. Necessaria est enim diligentia in omni vita, discernere ea quae

per sese, id est, propria natura insunt alicui, ab aliis, quae aliunde accedunt.

Quot sunt modi dicendi Per se?

Praedicatio Per se est, cum praedicatum significat quiddam proprium naturae subiecti, videlicet partem, aut totam definitionem, aut propriam inclinationem, aut ipsum subsistere, aut proprii effectus propriam causam. Hoc ordine modos quatuor dicendi per se recenset Aristoteles. Primus modus dicendi per se est, cum definitio, vel pars definitionis de definito, vel idem de seipso praedicatur. Secundus modus est, cum propria passio, ut vocant, de subiecto dicitur, ut: Homo loqui potest, Coelum est mobile motu circulari, Ebrietas est perniciosa humanis corporibus. Tertius modus est propositionum, in quibus ipsum subsistere de singulari, quod vere tunc est in rerum natura, dicitur, ut si de vivo Cicerone dicam: Cicero est in rerum natura, seu subsistit, seu est quiddam ὑφιστάμενον. Vulgo utuntur verbo existere pro esse revera in rerum natura, seu pro ὑφίστασθαι, sed Latinis aliud est existere. Ex ambitione existit contentio, id est, oritur. Nos igitur utamur verbo subsistendi. Hanc igitur propositionem de vivo Carolo: Carolus subsistit, dicemus esse praedicationem per se, quia subsistere hic non aliud est, quam ipsa viva Caroli substantia. Nec differunt viva essentia et subsistere, sicut somniavit Thomas. Quartus modus est propositionum, in quib. proprii effectus propriis causis attribuuntur, vel econtra, ut: Voluntate volumus, Mente nostra intelligimus, Paries albedine est albus, Aristides obedientia sua iustus est apud cives, Paulus accipiens remissionem peccatorum imputatione iustus est, id est, acceptus Deo, quod correlative dicitur, Fide iustus est, id est, acceptus fiducia imputatae iusticiae propter mediatorem, Dilectione nostra diligimus. Hos modos dicendi per se in conspectu habere utile est, ut consideretur, quae praedicata sint cognata aut familiaria subiectis, quae sint peregrina. Sunt autem verae et perpetuae praedicationes, quae congruunt ad modos dicendi per se. Aliarum autem propositionum, in quibus iunguntur accidentia, item effectus improprii causis impropriis, magna dissimilitudo est. Interdum verae sunt, ut de Aristippo fortassis vera fuit propositio: Aristippus dissentiens a Platone, odit eum. De Aristotele non puto veram fuisse: Aristoteles dissentiens a Platone, odit eum. Concurrunt omnino ut diversarum specierum accidentia, dissentire et odium. Dissentire iudicium est mentis, sed odium flamma est voluntatis. Paulus dissentiens a Petro, nequaquam odit Petrum. Haec discrimina observanda sunt. Ideo infra traduntur praecepta de fallacia accidentis, ne temere confundantur accidentia.

Quarta.

Pugnantia non tribuuntur uni et eidem simul et respectu eiusdem, ut: Evangelium prohibet discerni cibos et dies. Medici iubent discerni. Haec non pugnant, quia fines sunt diversi. Evangelium prohibet discrimen superstitiosum, quod ritus per sese, sine pietate mentis, putatur esse cultus Dei. At Medici discrimen praecipiunt propter alium finem, scilicet ad vitam corporis tuendam, ut: Vinum non prodest his qui febri laborant, ut autem artem medicam, et vitam ipsam hominis, ita et haec discrimina Deus approbat.

Quinta.

Duae contrariae qualitates graduum excellentium non sunt simul in eodem subiecto, ut: Aqua valde calefacta, non potest simul esse frigida. Sed gradibus remissis in eodem subiecto, contrariae qualitates inter se luctantes esse possunt, ut cum remittit calor in aqua, frigiditas, quae est naturalis qualitas, paulatim recipit vires, et rursus extinguit calorem. Sic in corde hominis simul esse possunt pavor et laeticia, sed in gradibus remissis et inter se luctantes, ut: David cum obiurgatione Nathan consternatus, postea audit consolationem, paulatim se erigit, et fides lenit dolorem, et accendit aliquod gaudium. Hi affectus inter se luctantur, donec tandem vincit fides, et gaudii sensus superat.

Non igitur valet consequentia:

In Davide est fiducia et gaudium audita consolatione,
Ergo non est in eo trepidatio.

Nam utrique affectus in gradibus remissis simul esse possunt.

Sexta.

Inter contrarias posita una qualitate in gradibus excellentibus, removetur contraria qualitas, ut valet consequentia:

Paries est niger,
Ergo non est albus.

Sed econtra, remoto uno contrario, non oportet poni alterum, praesertim in contrariis mediatis, ut non valet consequentia:

Vestis non est alba,
Ergo est nigra.

Potest enim esse medii coloris, ut coerulea aut purpurea.

Septima.

Regula vera est de omnibus pugnantibus, opponi ea iuxta differentias, quibus dissident, non iuxta genus aut communia accidentia, ut non valet consequentia:

Calor est qualitas,
Igitur frigiditas non est qualitas.
Pater est robustus,
Igitur filius non est robustus.

Sed iuxta differentias fiat oppositio.

Pater differt a filio hac essentiali differentia, quod pater genuit, filius est genitus. Valet igitur consequentia:

Zacharias genuit Iohannem Baptistam,
Ergo fuit pater Baptistae, et Baptistam filium fuisse, necessario sequitur.

Ex hac regula vetus cavillatio iudicetur:

Virginitas est bona,
Igitur coniugium non est bonum.

Nego consequentiam, et ratio est, quia bonum est genus commune virginitati et coniugio. Significat enim hoc loco rem a Deo concessam et probatam, et genus est complectens omnes res a Deo concessas et probatas. Opponuntur autem pugnantia non iuxta genus, sed iuxta differentias, imo genere conveniunt, ut albedo et nigredo conveniunt genere. Nec sequitur:

Albedo est color,
Igitur nigredo non est color.

Octava.

Cum ex causis non sufficientibus affirmamus sequi effectum, non valet argumentum, ut:

Pompeius habet exercitum parem multitudine exercitui Iulii,
Ergo vincet.

Non valet consequentia, quia apparatus et copiae non sunt sufficiens causa victoriae, sed multa alia concurrere oportet, auxilium Dei, in ducibus fidem, scientiam rei militaris, magnitudinem animorum, celeritatem, et alia.

Nona.

Propter quod unumquodque tale est, illud magis tale est, ut:

Aqua calet propter ignem,
Ergo ignis magis calet.
Avarus appetit navigationem propter lucrum,
Ergo lucrum magis appetit.

Saepe citatur haec regula, ut saepe et multum collatione causarum finalium utimur: Appeto studia literarum, ut discam doctrinam de Deo, appeto doctrinam de Deo, ne abiiciar in aeternas poenas, sed liberatus ab omnibus malis, fruar aeterna consuetudine Dei, et ipsum celebrem. Ita per gradus itur ad ultimum finem. Disputant autem, in quarum causarum collatione valeat regula. De finalibus non dubium est valere eam ubique et sine exceptione, et sic ea Iurisconsulti saepius utuntur. In materiali et formali consuetudo sermonis uti hac regula prohibet, ut:

Cyrus est clemens propter clementiam,
Ergo clementia est magis clemens.

Hanc orationem respuit consuetudo sermonis, et erudita causa est, cur sit reiicienda.

Nec semper valet in gradibus efficientium causarum, ut:

Ovidius est poëta propter praeceptorem,
Ergo praeceptor fuit magis poëta.

Non valet consequentia in efficientibus partialibus, nec in minus principalibus, nec in remotis, nec de effectibus, qui sunt privationes, ut:

Tiberius insanit propter vinum,
Ergo vinum magis insanit.

Insania enim privatio est, orta ex confusione spirituum in cerebro. Nec vinum causa proxima est insaniae, sed halitus illi exaestuantes sunt proxima causa.

Hic disseritur de dicto Augustini: Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae catholicae moveret autoritas. Hinc contra Augustini sententiam multa falsa extruuntur:

Evangelio creditur propter autoritatem Ecclesiae,
Ergo Ecclesia maior est autoritas.

Et multa hic accumulantur, Ergo Ecclesia potest condere dogmata et leges, sive congruant cum Evangelio, sive non congruant. Simpliciter

et vere respondetur: Negandum esse antecedens, quia principaliter creditur Evangelio propter autorem Deum, et testimonia miraculorum. Et habet autoritatem Evangelium non ab Ecclesia, sed a Deo, qui arcanam voluntatem patefecit hac sua voce, sicut scriptum est: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Nec sumit Evangelium autoritatem ab Ecclesia, id est, ab hominibus, qui audiunt, sed omnes homines pariter propter autorem Deum necessario audire debent. Ac facile intelligi potest, non posse ullis hominibus sine certissimis Dei testimoniis credi de rebus tantis et tam arcanis, Filium Dei missum esse, ut fieret victima, certo nos gratis recipi propter Filium, mortuos homines certo recepturos esse corpora, etc. Caeterum Ecclesia populi Israël testabatur, haec scripta a Prophetis accepta esse, idque testimonium confirmarunt miracula subinde exhibita. Ita postea catholica, id est, universi orbis Ecclesia testatur hos libros, quos habemus, ab Apostolis traditos esse. Sic Evangelio creditur propter Ecclesiam, scilicet, minus principaliter. Est enim Ecclesia testis de libris. Sed ut non licet testi mutare narrationem, quam recitat: sic non licet Ecclesiae doctrinam horum librorum mutare, quae quidem aliunde habet autoritatem, scilicet a Deo ipso, qui addit illustria miracula, ut autorem monstrent.

Nec valet consequentia:

Credimus Ecclesiae traditos esse hos libros ab Apostolis,
Ergo alia credenda sunt Ecclesiae pugnantia cum his libris.

Haec de dicto Augustini breviter hoc loco monuisse satis sit. Et hac qualicunque explicatione animadversa, facile est refutare absurda, quae huic dicto affinguntur.

Decima.

Ex non sufficienti enumeratione partium non valet argumentum, ut:

Iura Mosaica et vetera Romana non suspendunt furem,
Ergo fur non est suspendendus.

Non valet consequentia, quia leges Imperatorum recentium iubent suspendi fures. Habent autem legumlatores in politica gubernatione potestatem exasperandi poenas atrocium delictorum.

Undecima.

A divisis ad coniuncta valet consequentia, si natura patitur coniungi accidentia, ut:

Demades est orator, et est facetus,
Ergo est facetus orator.

Sed non valet consequentia, cum iunguntur accidentia animae et corporis, aut res alioqui discrepantes:

Iste est claudus, et est citharoedus,
Ergo est claudus citharoedus.

Confusio est absurda, iungere accidentia animae et corporis, nisi in altero nomine metaphora sit, ut, sagax medicus.

Duodecima.

Ab est tertii adiecti ad est secundi adiecti, valet consequentia, cum accidens positivum de substantia praedicatur, ut:

Paries est albus,
Est igitur paries.

Non valet haec forma in privativis et de ideis:

Plato est mortuus,
Est igitur Plato.

Nam in talibus propositionibus copula non habet vim significandae subsistentiae, ut ita dicam, seu significandi ὑπαρκτικῶς, sed est connexio privativi vocabuli, aut similium.

Tale est apud Ciceronem:

Mortuus est miser,
Est igitur mortuus, id est, subsistit igitur mortuus.

Nec valet de ideis, ut quanquam vere dicimus de rosa in hyeme, cum nulla usquam floret: Rosa est planta, tamen inde non ratiocinamur esse rosam, id est, iam alicubi florere, seu, ut ita dicam, subsistere. Non igitur valet consequentia:

Rosa est planta,
Igitur rosa est, id est, subsistit.

Antecedens verum est, sed copula ibi non significat ὑπαρκτικῶς, ac tantum nexus est generis et speciei perpetuus, ut dicimus ideas, id est, noticias illas perpetuas esse, in quibus genus aut differentia, aut definitio tribuitur speciei. Non igitur sequitur consequens, iam alicubi florere rosam.

Tredecima.

Dici de aliquo requirit inesse, quod verum est tantum de accidentibus positivis et durabilibus, ut:

Alexander est fortis,
Est igitur in eo fortitudo.

Haec regula gignit locum a coniugatis, ut infra dicetur, et continet utilem doctrinam, quia discernit abstracta nomina a concretis, et monet, quando concretis recte utamur. Improprie enim dicis: Coelum rubet, quia in coelo non est rufus color.

De actionibus transeuntibus verum est oportere eas affuisse:

Harpalus est fur,
Igitur furatus est.

Quartadecima.

Talia sunt subiecta, qualia a praedicatis esse permittuntur, non absurde, sed dextre intellectis, ut cum dico: Paulus est pictus imago intelligitur. Huius regulae magnus est usus, quia varietas significationum sumitur ex collatione membrorum in oratione, ut in enarratione Iohannis: In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum, etc. Hic verbum non intelligitur vulgari modo, quo vocem in aëre factam, vocamus verbum: sed verbum persona est, videlicet Filius Dei, et cur sic nominetur, alibi saepe dicitur. Convincit autem lectorem toties repetita descriptio, ac valet hoc loco regula: Talia sunt subiecta, qualia permittuntur esse a praedicatis dextre intellectis.

Quindecima.

In interpretatione vitanda est absurditas. Absurda autem in philosophia dicuntur, quae pugnant cum sensu communi, id est, cum principiis natura notis, cum universali experientia, et vicinis, illustribus et immotis testimoniis. Sed in doctrina Ecclesiae dicuntur absurda, quae pugnant cum lege Dei, articulis fidei, et symbolis, ut infra dicetur in locis. Et cum sermonis proprietas in speciem continet absurditatem, decurrendum est ad figuras, ut: Tyrannus est lupus. Sed haec infra copiosius exponentur.

Sedecima.

Ex vero nil nisi verum sequitur, et verum vero consonat. Quare cum bona consequentia sequitur falsa aut absurda sententia ex aliquo dogmate, necesse est in praemissis aut in hypothesi errorem esse, ut ex Epicuri dogmate de voluptate sequuntur absurda, in ipso igitur dogmate error est.

Septimadecima.

Dato uno inconvenienti sequuntur infinita, quia ut in itineribus, cum a recta via deerratum est, paulatim longius disceditur, ita in ratiocinando paulatim falsa cumulantur. Huc etiam dictum illud pertinet: Ad impossibile sequitur quidlibet, id est, posita impossibili hypothesi, multa inde inepta et absurda extruuntur: Si haberem Gygis annulum, qui me involveret caligine, ne conspici possem, vellem interficere tyrannum Turcicum, etc.

Octavadecima.

A possibili ad inesse non valet consequentia, ut non valet consequentia:

Deus potest tuum stannum mox vertere in aurum,
Ergo stannum est aurum.

Nonadecima.

A conversa ad convertentem, et econtra, valet consequentia:

Omnes electi vocantur,
Ergo omnes quicunque sunt extra coetum vocatorum, non sunt electi.

Vicesima.

Non valet consequentia mutato genere praedicationis usitato, in peregrinum seu inusitatum, ut:

Omnis caro est creatura,
Verbum est caro,
Igitur verbum est creatura.

Non valet consequentia, quia genus praedicationis mutatum est. Nam in maiore usitata praedicatio est generis de specie: Omnis caro est creatura, id est, substantia creata. Et dictum est supra, usitatas praedicationes eas tantum vocari, quae conveniunt ad aliquem modum traditum in quinque praedicabilibus. Sed in minore Verbum est caro, longe alia connexio est, non congruens ad doctrinam quinque praedicabilium. Loquitur enim copula de unione personali duarum naturarum. Verbo unita est humana natura, quam assumsit in alvo matris virginis. Etsi autem, ut saepe iam dixi, in tota Dialectica sparsae sunt regulae consequentiarum, tamen hunc locum talibus commonefactionibus attribui, ut magis in conspectu sint, et ut huc asscribantur similes sententiae seu regulae, quae dexteritatem afferunt in iudicandis consequentiis.

De Syllogismis hypotheticis.

Quid est propositio hypothetica?

Est propositio, in qua duae categoricae per aliquam coniunctionem, ut Grammatici nominant, connexa sunt, ut: Si emes, erit dandum precium.

Quot sunt species?

Tres: Conditionalis, Copulativa, Disiunctiva. Prima est Conditionalis, cui praeponitur particula Si, quae significat propositionem totam nihil asseverare, nisi posita causa, vel modo, quem particula Si designat, ut: Si Pharao obtemperabit Moysi, non peribit.

Dic regulam de veritate conditionalium.

Conditionalis nihil asseverat, nisi posita causa vel modo in antecedente, ut: Si asinus volat, habet pennas, haec nihil statuit, sed quaerenda est alterius partis veritas, quae explicatur in integro syllogismo.

Quomodo fiunt syllogismi conditionalium?

Hoc modo, Initio ponitur tota conditionalis, deinde loco minoris altera pars sumitur, unde ratiocinamur in conclusione alteram. Ita fit asseveratio collecto integro syllogismo. Exemplum:

Si emit, debet precium,
Sed emit,
Ergo debet precium.

Regulae traduntur: Valet consequentia affirmative a positione antecedentis ad positionem consequentis, ut:

Si homo est, animal est,
Sed homo est,
Ergo animal est.

Valet consequentia negative a destructione consequentis ad destructionem antecedentis, ut:

Si homo est, animal est,
Sed nullum animal est,
Ergo homo est.

Ratio harum consequentiarum ex locis sumi potest, ubi videmus, quomodo a specie ad genus et econtra ducantur argumenta. Quare pro his regulis consulendi potius erunt loci. Et valebit consequentia, si locorum regulis congruet, ut a causis ad proprios effectus et econtra, affirmative et negative argumentamur. Idem fit in convertibilibus, id est, idem significantibus, ut ex hac propositione gignere potes affirmativum et negativum syllogismum: Si Luna Soli ex diametro opponetur hoc mense, erit eclipsis Lunae.

Quid est Copulativa?

Copulativa est, in qua duae propositiones iunguntur per particulam copulativam, ut:

Et mortuus est Christus, ut pro nobis victima fieret, et ex morte revixit, ut nos regat nova luce et iusticia, et vita aeterna donet.

Et necessaria est disciplina, id est, assuefactio ad bonos mores, et potest humana voluntas disciplinam utcunque praestare.

Dic regulam de veritate copulativae.

Ad veritatem copulativae requiritur, ut utraque pars sit vera, ut:

Et manet in renatis in hac mortali vita infirmitas repugnans legi Dei, et renatus iustus est, id est, acceptus Deo propter Filium Mediatorem, fide.

Quomodo fiunt inde syllogismi?

Hoc modo: A tota copulativa ad quamlibet eius partem, est bona consequentia, ut si haec tota vera est, necesse est partes veras esse:

Et politicus ordo in societate humana, Dei beneficium est, et ab eo conservatur, et accedunt in imperiis multae confusiones et vitia, quae non oriuntur a Deo, ut blasphemiae et tyrannides.

Sed haec tota vera est.

Verum est igitur blasphemias et tyrannides, quae sunt imperiorum confusiones, et vitia, nequaquam a Deo oriri.

Non autem valet consequentia a parte copulativae ad totam, quia deprehensa falsitate unius partis, non admittenda est tota copulativa. Confusio est enim per copulam vera et falsa iungere. Caeterum Grammatici est iudicare, quando copula vere habeat vim copulae, videlicet, cum res plures ac diversas iungit, ut: pugnavit et vicit. Quando non tam copulae, quam interpretationis vim habeat, ut interdum posito genere, species per copulam attexitur: Cura scholasticum, et diligenter erudias. Nec est inutilis diligentia, considerare vim harum particularum, sed sit modus subtilitatis, et accedat dexteritas in iudicando.

Quid est disiunctiva?

Disiunctiva est, in qua duae propositiones iunguntur per particulam disiunctivam, ut: Aut voluptas est finis hominis, aut virtus.

Dic regulam de disiunctiva.

Ad veritatem disiunctivae satis est alteram partem esse veram: Ut stuprum offerens virgini, aut ducat eam, aut det dotem. Lege Attica erat oratio disiunctiva. At lege Mosaica erat copulativa: Stuprum offerens virgini, et ducat eam, et de suo dotem constituat. Haec sermonis discrimina, etsi sensu communi iudicantur, tamen ut diligentius observentur et expendantur, tradi in arte solent.

Quomodo fiunt inde syllogismi?

Valet consequentia a remotione unius partis, aut plurium, ad asseverationem reliquae partis. Suntque hic prudenter tenendae hae duae regulae, quarum prior est: Ut in divisione sufficientem enumerationem specierum, aut partium fieri oportet, ita in disiunctivis sit integra enumeratio, ut: Iustum est suspendi furem, quia id aut divino iure, aut veteri Romano, aut novis legibus constitutum est, aut probabili consuetudine longi temporis receptum est. Altera regula est: Tantum hoc iter traditur in hac forma, ut a remotione unius partis procedatur ad asseverationem alterius. Et praecepti huius vera causa est, quam propter tenuitatem omitto.

Dic formam syllogismi in disiunctivis.

Initio tanquam loco maioris ponitur tota disiunctiva, deinde minor unius partis remotio est. Sequitur ergo conclusio, asseveratio reliquae partis:

> Aut propter legem, aut propter Filium Dei ἱκέτην καὶ μεσίτην fide recipimur in gratiam a Deo,
>
> Sed propter legem non recipimur in gratiam, quia in hac infirmitate natura humana non satisfacit legi Dei, et semper circumfert aliqua peccata,
>
> Ergo propter Filium Dei recipimur fide.

Quae, qualis, quanta est haec propositio?

Non opus est exercitio in levioribus artibus, et non est opus in difficilioribus.

Est hypothetica, affirmativa, indefinita. Sic enim interpretanda est: Cum opus sit exercitio in levioribus artibus, consentaneum est et in difficilioribus artibus exercitio opus esse. Ideo autem hanc formam hic recenseo, quia apud Ciceronem aliquot exempla extant. Et Graecis admodum familiaris est. In oratione pro Milone hoc argumentum de providentia obiter recitatur: Non hoc fragile corpus humanum mente regitur, et non regitur mente universum mundi corpus, quod tanta varietate partium ornatum est, et tam apto ordine distinctum, et tam certas motuum vices habet, ad utilitatem animantium accommodatas, et leges immotas procreationis in omnibus speciebus. Saepe autem comperi non praemonitos haerere in eo loco Milonianae orationis, et similibus. Prodest igitur in hac parte Dialectices, hanc formam explicari, praesertim cum veteres Dialectici crebro eam usurparint, ut in Topicis Ciceronis apparet. Est autem imperfecta syntaxis, quae sic absolvitur: Non consentaneum est, cum hoc fragile corpus humanum mente regatur, non regi mente quadam universum mundum. Sic Cicero et in libro de Divinatione inquit: Non sunt dii, et non significant, id est: Non est consentaneum, cum sit Deus, non significare eum futura. Sed in Graecis scriptoribus saepissime obvia est haec forma, ut apud Xenophontem: Existimandum est, non humanos oculos res longinquas videre posse, Dei vero oculos non posse procul prospicere. Video autem propriam fuisse hanc loquendi formam Geometris, quod scire et iucundum et utile est. Fiet enim illustrior, cum geometrica exempla considerabuntur. Extant autem exempla in demonstratione propositionis octavae libri primi Euclidis, et in demonstratione propositionis vicesimae quartae libri tertii: Non sunt aequales chordae, et non sunt aequales arcus, id est: Non est consentaneum, ubi chordae sunt aequales, non esse aequales arcus.

Haec forma estne conditionalis aut copulativa?

Etsi aliqui copulativam esse dicunt, tamen saepe similis est conditionali, id est, etiamsi non causam semper altera pars continet, tamen collatio plerunque ordinem et consequentiam significat. Hic causae praeponitur: Non sunt dii, et non significant, id est, cum sit Deus, certe edit providentiae testimonia. Hic collatio, non causa significatur, cum addimus propositionem planiorem obscuriori: Non sunt aequales chordae et non sunt aequales arcus. Sciant enim studiosi non

unam tantum esse conditionalium significationem. Alias sunt causales, αἰτιολογικαὶ: Si emptor dederit precium, merx ei dabitur. Si quis dederit vel aquae potum uni ex minimis meorum propter doctrinam, dabitur ei praemium. Si quis non vult laborare, non comedat. Alias non causam, sed ordinem tantum, aut signum aut modum, aut tantum collationem significant, in quibus particula praeposita nuncupatur συλλογιστική. Ordo significatur: Si intumnit uterus, pariet. Signum: Si mane coelum rubet, postea flatus erunt ventorum. Modus: Si ad me accesseris die constituto, numerabo tibi pecuniam. Si quis habet aures audiendi, audiat. Collatio: Si conversi ad Deum, in vita mortali affliguntur, quanto magis afficientur poenis Epicurei contemnentes Deum. Haec fere praecipua discrimina sunt conditionalium, quae ideo recensui, ut in talibus propositionibus iudicandis prudentia adhibeatur, ac monstratis fontibus, aliae vicinae significationes facile agnosci poterunt, ab iis, qui Grammaticen recte didicerunt, et vim particularum considerant. Linguarum etiam diversitas consideranda est: Probate spiritus, si ex Deo sunt. Hic Graece locutus est interpres, et particula Si est interrogativa, pro: an ex Deo. Hoc dictum alienum est, a propositionibus hypotheticis. Alibi in iurando vim habet denegantis: Si introibunt in requiem meam, id est, non intrabunt, ac veteres Graeci eodem modo locuti sunt. Sed haec ad Grammaticen pertinent, a qua Dialecticus nativam significationem vocum accipiat.

LIBER QUARTUS.

DE LOCIS ARGUMENTORUM.

Quae est vetus divisio partium Dialectices?

Vetus divisio haec est: Alia pars Dialectices est iudicatrix, alia inventrix. Dicitur autem Iudicatrix illa pars, de qua hactenus dictum est, quae discernit voces, iudicat, quae recte connectantur, quae non recte iungantur. Discernit et propositiones, et iudicat, quando recte cohaereant membra in syllogismis, et caeteris formis argumentorum. Altera pars vocatur Inventrix, quae monet, quomodo res investigandae sint, aut proposito rerum cumulo, docet eligere ea, quae praesentem materiam illustrant. Haec ars vocatur τοπική, id est, doctrina locorum, qui sunt velut indices rerum, vel investigandarum, vel eligendarum, ut Medicus proposito signo externo, ut velocitate, vel inaequalitate pulsus arteriae, sequitur locum ab effectu, scit signi huius quaerendam esse causam, hoc est, fontem pulsus, scilicet cor, quaerit deinde, unde cor incensum sit. Saepe autem locis utimur non tam ad investigationem, quam ad electionem rerum, quarum cumulus propositus est, ut in Ecclesia docenti non sunt res inveniendae, non enim gignimus doctrinam: sed cum pars aliquae coelestium concionum proposita est, eligit res praecipuas prudens interpres, et loci monstrant, quo ordine sint explicandae, quaerenda definitio, faciendae partitiones, eruendae causae, indicandi effectus. Ut igitur architectus materiam et formam discernit: ita in Dialectica aliud cogitabis esse materiam seu rem, aliud formam, id est connexionem, seu consequentiam. Etsi autem ad iudicandum utile est includere nuda membra argumentorum certis et convenientibus formis syllogismorum et enthymematum: tamen quatenus in sermone et oratione populari utendum sit his metis, et quomodo vestienda sint membra argumentorum, ostendunt exempla oratorum. Etsi enim diligentia adhibenda est in argumentis, ut membra recte disponantur, et metas aliquas artis habeant, tamen accedit ornatus et copia seu nitor, ut plenior et sonantior sit oratio. Nam Dialectica brevitas nec ferire aures, nec subito arripi potest, praesertim a rudibus. Quare praecipua membra illustrari oportet, ut quasi propius conspici possint. Utrique autem prodest ars, dicenti et iudicanti. Loci seriem rerum eligendarum, et quasi viam explicandi, et metas dicentibus monstrant. Deinde lector vel auditor singula membra quasi detracta veste conferens, et Dialectice contexens, videt, an recte cohaereant, et quae membra firma sint aut infirma. Hac de re extat venustissima admonitio apud Quintilianum. Et utile est, exempla ex orationibus Ciceronis et aliorum proferri, quae ostendant non so-

lum quomodo vestiantur membra, sed etiam, quae servanda sit mediocritas in ornando. In Miloniana hic syllogismus praecipuus est:

Vim vi depellere iustum est,
Milo vim vi depulit,
Iuste igitur fecit.

In defensione Demosthenis magna pars orationis consumitur in hoc syllogismo:

Honesta consilia sequenda sunt, etiamsi coniuncta sunt cum periculis et laboribus,
Meum consilium fuit honestum,
Ergo recte consului.

Iam consideretur quae uterque orator lumina verborum et sententiarum suo argumento addiderit. Illud etiam observent discentes, a scriptoribus Rhetorices maiorem et minorem vocari *αἴτιον*, illam vero propositionem, *κρινόμενον*, de qua ante conclusionem dimicatur, sive sit maior, sive minor.

Quae est prima divisio quaestionum?

Quaestionum alia est simplex, id est, de uno vocabulo, ut: Quid est virtus? Quid est gloria? Alia est coniuncta, id est, de una propositione aut pluribus, ut: Estne virtus finis hominis? Licetne Christiano bella gerere? Supra autem breviter dictum est de methodo explicandi simplices quaestiones. Sed propositio confirmatur aut refutatur per locos, quos in hac parte Dialectices recitabimus, qui tamen affines sunt methodo, quam supra tradidi. Ut enim explicanda est una vox per definitionem, divisionem, causas, effectus, ita postea ex iisdem fontibus argumenta nascuntur. Nam iudicium de coniunctis oritur a cognitione et collatione simplicium.

Cur dicitur triplex esse syllogismus?

Cum dicitur tria esse genera syllogismorum, de materia dicitur. Nam alia est materia necessaria, alia probabilis, alia falsa, seu palam, seu speciem veri habens. Inde extitit haec divisio syllogismorum: Alii sunt Demonstrativi, alii Dialectici, alii Sophistici.

Demonstrativus est, qui constat ex materia necessaria et immota, ut:

Impossibile est corpus infinitum moveri circulariter,
Coelum movetur circulariter,
Ergo coelum non est infinitum.

Dialecticus syllogismus est, qui constat ex materia probabili, ut, cum causa quaeritur, quare septimus dies in morbis criticus sit, argumentum probabile traditur:

Consentaneum est, cum Luna venit ad signum contrariae naturae, novos humorum motus in corporibus excitari, dissimiles initio morbi,
Septimo die venit Luna ad signum contrariae naturae,
Est igitur dissimilis motus humorum, ideoque hic dies criticus est.

Aliud.

Consentaneum est, originem venarum esse eo loco, ubi maxima est vena, ut arborum initia trunci sunt densiores reliqua parte,
Ex epate prodit vena omnium maxima,
Igitur id initium et velut truncus est venarum.

Aliud pro Roscio.

Non est consentaneum, potuisse mox dormire filios, si interfecissent patrem,
Inventi sunt autem filii dormientes, cum primum iam pater interfectus esset,
Consentaneum est igitur, caedem ab eis non esse factam.

In hoc genere alia magis probabilia et illustriora sunt, alia minus. Cum autem non sunt immotae demonstrationes, ut sunt geometricae, dicuntur Dialectica argumenta. Sic enim vetustas loquebatur. Geometris tribuebat demonstrationem, caetera in materiis physicis et moralibus magna ex parte vocabat Dialectica argumenta. Etsi enim in his aliquae sunt demonstrationes, tamen multo maior pars tantum probabiles materias continet. Et de iisdem rebus multi diversas sententias probabilibus argumentis quaerebant, ut de terraemotu, an causa sit aër inclusus in cavis terrae locis, an vero aqua. Hoc genus disputationum quod probabilia venatur, tanquam in colloquio, cum in eadem re multa verisimilia conferuntur, vocabant Dialecticum. Nunc Dialecticae pars est etiam doctrina de demonstrationibus.

Sophisticus syllogismus est, qui constat ex falsis, sed tamen speciem veri habentibus, ut sophisticum est Epicuri argumentum, etsi valde speciosum est:

Natura recto et ultimo appetitu, sui conservationem appetit,

Voluptas conservat hominis naturam, virtus destruit,
Ergo voluptas est finis hominis.

Error est in maiore et minore, quanquam plausibiliter dici videntur. Maior ita vera est, naturam recte appetere conservationem eius status, qui conveniens est naturae, non qui pugnat cum iudicio mentis, aut destruit speciem, ut diabolus mallet non esse, quam sic esse. Deinde in minore fallacia est accidentis. Virtus destruit naturam per accidens, id est, quod Socrates interficitur, id alieno scelere fit, virtus proprie non est causa necis. Item, virtus servat speciem, etiamsi alicui individuo dimicandum est, tamen fortitudo est propugnatrix suae civitatis. Econtra, voluptas promiscua dissiparet totam societatem hominum.

Aliud Demosthenis.

Honesta consilia, etiamsi periculosa sunt, anteferenda sunt utilibus,
Consilium de defensione libertatis contra Philippum fuit honestum,
Fuit igitur anteferendum.

Error est in maiore et minore. Honesta sunt anteferenda, scilicet necessaria non πολυπραγμονικά, ut gloriosum videtur Iosuae, inferre bellum Aegyptio: sed erat πολυπραγμοσύνη. Talia multa sunt errata in imperiis et in privata vita. Deinde etiam videndum est, an plura sint honesta, et quae nos deceant, et quae sint possibilia, et minus periculosa. Minor neganda est, consilium de defensione in specie gloriosum fuit, sed quia πολυπραγμοσύνη erat, revera tunc non fuit honestum: Nam Demosthenes irritavit et attraxit arma Macedonum, Nec potentia civitatis iam par erat isti bello, Et pax aliis honestis modis retineri poterat.

Sic igitur et tria sunt propositionum genera: Certo verae, incertae, et falsae, seu palam falsum asseverantes, seu speciem veri habentes.

Certo verae sunt, quib. recte cognitis mens assentiri cogitur, vel propter evidentiam, vel propter demonstrationem, vel propter universalem experientiam, aut testimonia non fallentia. Etsi enim humanae mentes non possunt omnia perscrutari, et multae sunt ambiguae opiniones, tamen Deus vult aliquas esse certas, firmas et immotas noticias, vitae rectrices: Vult se aliquo modo agnosci, vult esse numerorum et figurarum noticias firmas et illustres, vult aliquas esse morum leges immotas. Nec assentiendum est Pyrrhoniis aut Academicis, delentibus certitudinem, et contendentibus, omnia esse incerta et ambigua. Haec amentia delet praecipuum donum Dei, scilicet Veritatem, et evertit artes, quae sunt praesidia vitae, et obruit agnitionem Dei, quae quantulacunque est in natura hominis, illustranda et confirmanda est veris argumentis, non extinguenda. Illustre testimonium est, hanc rerum naturam non extitisse casu, sed a mente architectatrice conditam esse, quod nostris mentibus insitae sunt noticiae, discernentes honesta et turpia, item numerorum et ordinis intellectus, et certae leges sunt motuum coelestium, et manent specierum discrimina. Hic ordo cum in artibus describatur, Plato dulcissime dixit, Gratam Dei famam in artibus sparsam esse. Haec tota consideratio conturbatur a Pyrrhoniis et Academicis. Cum autem vox divina praecipiat, Non dici falsum testimonium, fugiamus falsas opiniones toto pectore, et veritatem quaeramus, et patefactam reverenter tueamur, et in ea acquiescamus ac Deo gratias agamus, quod et sese patefecit, et aliquas veras noticias tradidit, in quibus etiam qualis ipse sit, firmissime nobis notum esse voluit. Cum enim tradidit leges naturae, quae sunt virtutum doctrina, testatus est sese talem esse, sapientem, iustum, veracem, castum, punientem scelera. Sagaciter etiam investigemus certa, et consideremus fontes et causas certitudinis, et prudenter falsa ac incerta a certis discernamus. Stulticia est enim saepe perniciosa vitae, amplecti falsa aut incerta pro certis, ut cum Pompeius sibi certam victoriam promittit. Rursus etiam scelus est, quaerere praestigias ad eludendas sententias, quas Deus vult nos amplecti sine dubitatione.

Incertae propositiones sunt, de quibus recte cognitis assensio suspenditur, aut etiamsi propter concinnitatem magis inclinamus in unam partem, tamen languida est assensio, ut visio tantum fit intus recipiendo.

Falsae, quae non congruunt cum rebus. Multae autem speciem veri habent, et magno cum applausu excipiuntur, ut Epicurea illa: Voluptas est summum bonum. In aliis manifesta est vanitas, ut: Sol est halitus quotidie deflagrans.

Quae sunt causae certitudinis in doctrinis?

In Philosophia et omnibus artibus, de quibus lux humani ingenii per sese iudicat, tres sunt normae certitudinis: Experientia universalis, Principia, id est, noticiae nobiscum nascentes, et ordinis Intellectus in iudicanda consequentia. Haec tria Stoici erudite contexuerunt, et nominarunt κριτήρια doctrinarum.

Experientia universalis dicitur, cum de iis quae sensu percipiuntur, sani omnes eodem modo iudicant, ut ignem calidum esse: Foeminam parere: Aliud esse vitam, aliud mortem: In vita animantium sensum et motum esse: Mortem destructionem esse animantium: Vinum, piper, habere vim calefaciendi: Coelum moveri circulariter. Talia multa sunt in tota vita et in artibus, quae primum experientia animadversa sunt, quae, cum sanorum iudicia consentiunt, vera esse non dubium est: quod his duabus regulis ostenditur, Quia cum sic natura condita sit, opus Dei tale esse affirmandum est. Item, quia dato opposito, sequitur destructio universae naturae. Acquiescunt igitur sanae mentes in iis, quae universali experientia animadversa sunt, et sciunt non esse repugnandum. Nam dissentire a manifesta experientia, est Deo bellum inferre Gigantum more, quia perinde est, ac si quis neget hunc naturae ordinem a Deo conditum esse. Qualis furor est fingere incertum esse, utrum foemina pariat, an masculus?

Principia vocantur noticiae nobiscum nascentes, quae sunt semina singularum artium, divinitus insita nobis, ut inde artes extruantur, quarum usus in vita necessarius est. Etsi autem similitudo non omnino congruit, tamen discendi causa sic cogitetur, ut lumen in oculis conditum est ad cernenda corpora, sic in mente quasi lumen sunt hae noticiae, quibus intelligimus numeros, ordinem, proportiones, figuras, et conteximus ac iudicamus has primas propositiones: Totum est maius qualibet sua parte: Causa non est posterior effectu suo: Deus est mens aeterna, sapiens, verax, iusta, casta, benefica, conditrix mundi, servans rerum ordinem, et puniens scelera. Mens humana ad hanc similitudinem condita est, ut dicitur: Exemplumque Dei quisque est in imagine parva.

Sit igitur homo verax, iustus, beneficus, castus. Hic normae obtemperare, est recte et bene facere: Discedere ab hac norma, est facere Deo displicentia et turpia. Et discedens accersit sibi poenas. Homines nascuntur ad societatem certo ordine tuendam. Delicta turbantia societatem seu ordinem, qui est nervus societatis, punienda sunt. Tales sententiae vocantur principia, et dicuntur esse per se notae seu evidentes, eisque assentimur sine alia confirmatione, sicut antea de experientia dictum est. Sunt enim lux divinitus insita mentibus, et dato opposito, sequeretur naturae destructio. Si numeri conturbentur, sequetur infinita confusio rerum et actionum. Ita si haec sententia deleatur: Delicta turbantia honestam societatem punienda sunt, funditus interiret genus humanum. Sit igitur infixum animis, principia, hoc est, has naturales noticias, congruere cum mente divina, et transfusas esse divinitus in homines, ac propterea veras, certas et immotas esse, et rectrices esse vitae, et ex eis artes extrui, ac in qualibet arte ita plurimum proficere discentes, si hos fontes quaerant, et ad haec exordia revocare praecepta studeant, imo in hac communi vita praeluceant hae praecipuae sententiae actionibus, et gubernent vitae consilia. Aristoteles magna cum venustate in laudatione dictum: ἀρχὴ ἥμισυ παντὸς, et addit has ἀρχὰς plus esse, quam dimidium totius. Voluit enim discentes ad fontes doctrinarum deducere, et ad quaerendam causam certitudinis. Etsi autem mens adhuc rudis et tenella, vim et amplitudinem talium sententiarum minus considerat: tamen postea ubi commonefactio, usus, aetas accesserunt, hanc divinam lucem propius aspicimus, et agnoscimus esse divinam sapientiam, eamque magis admiramur ac amamus, et ad eam vitae consilia et artium praecepta referimus. Haec ideo recensui, ut adolescentes commonefacti, studiosius in qualibet arte has naturales et primas noticias, et earum seriem investigent et considerent.

Tertium κριτήριον est Intellectus ordinis in syllogismo recte coagmentatis membris. Id erudite additur superioribus. Nam hominum vitae non satis esset, nosse simplices propositiones, ut sunt principia et sententiae per experientiam notae. Ideo Deus addidit hanc lucem, ut mens componat, iungat convenientia, et distrahat ea, quae non conveniunt. Et in ea collatione et compositione plura inveniat, antea nondum animadversa. Ac ne aberremus, simul Deus monstravit ordinem et metas, quas in tali compositione servari ne-

cesse est. Hae metae vocantur syllogismi recte facti. Et quia inter primos syllogismos sunt syllogismi arithmetici, in his perspicuitatem consequentiae consideremus. Naturae notae sunt proportiones. In harum collatione, vero syllogismi ordine positis tribus numeris, quartum sequi necesse est:

Una libra cerae valet drachma una,
Hic sunt librae decem,
Ergo decem drachmae erunt precium.

Hic ordo est primae figurae syllogismorum, si dextre accommodes. Nam maior pro universali ponitur: Quaelibet libra valet una drachma, vel quot sunt librae, tot sunt drachmae. Ut autem proportio, quae naturali luce mentis iudicari potest, ostendit consequentiam in talibus syllogismis arithmeticis valere, et immotam esse: ita in caeteris syllogismis valere consequentiam, et immotam esse conspicitur ex demonstrationibus non procul accersitis, sed obviis et evidentibus, quas supra recensui, quarum evidentia sciamus munitam esse certitudinem in ratiocinando. Cum igitur demonstrationes figurarum sint obviae et illustres, usitate dicitur et ordinem in syllogismis natura notum esse.

Quomodo differunt principia?

Sit hoc primum discrimen ex materia sumtum: Alia sunt Speculabilia, alia Practica.

Speculabilia vocantur noticiae naturales, seu propositiones natura notae, ex quibus physicae et mathematicae doctrina extruuntur, ut totum est maius qualibet sua parte: Quae sunt uni aequalia, inter sese sunt aequalia: Unius corporis simplicis, unicus est motus naturalis.

Practica vocantur noticiae naturales, seu propositiones natura notae, quae regunt hominum mores, ut natura humana intelligit discrimen honestorum et turpium, divinitus insitum mentibus. Natura humana intelligit Deo obediendum esse in faciendis honestis, et vitanda turpitudine, homo conditus est ad societatem, quia solus non gignit. Conveniens est homini, tueri societatem colenda iusticia, conveniens est, turbantem iniuste societatem reprimere. Hae et similes propositiones, quae regunt mores, dicuntur usitate practica principia, quod eo diligentius considerandum est, quia cum de lege naturae erudite dicitur, hinc sumitur vera et illustris descriptio: Leges naturae esse principia practica et conclusiones necessaria consequentia ex his principiis extructas, quae quidem et in mente divina sunt aeternae et immotae noticiae, ac norma virtutum. Quare et praecepta Decalogi sunt conclusiones, ex talibus principiis natae, ut alibi copiosius dicitur.

Alia divisio.

Principiorum alia aliis illustriora, aut etiam priora sunt, Geometrae primo et maxime illustria vocant κοινὰς ἐννοίας, καὶ ἀξιώματα, postea vocantur hypotheses, alias aliter. Philosophia moralis ex Physica assumit hanc propositionem: Natura hominis condita est ad certum finem. Id in physicis demonstratur, non confirmatur in Philosophia morali. Sed recipitur, tanquam hypothesis, id est, firma propositio, aliunde assumta, ut sit inchoatio doctrinae moralis. Ut autem principia arithmetica et geometrica, et demonstrationes inde factae firmae et immotae sunt, ita sciamus, revera principia practica et demonstrationes inde factas, firmas et immotas esse. Ut assensus firmus et perpetuus est, quo assentior huic propositioni: bis 4 sunt 8. Ita firmo assensu amplecti homines oportebat hanc propositionem: Non faciendum esse furtum. Sed in hac caligine minus illa divinam lucem aspicimus, et pravi affectus languefaciunt assensionem in practicis materiis. Ideo Cynici sustulerunt principia practica et demonstrationes practicas, qui dixerunt, nihil esse natura iustum, sed tantum opinione. Quod cum et falsum sit et contumeliosum adversus Deum, monendi sunt studiosi, ut vim horum principiorum et harum demonstrationum recte considerent, et assensionem confirment cum veris rationibus, tum vero etiam testimoniis voce Dei traditis.

De patefactione divina extra artes.

Supra dixi de causis certitudinis, quas in Philosophia quaeri necesse est. Nos autem in Ecclesia Dei praeter has causas, quas recitavi, et hanc tenemus, scilicet, patefactionem divinam, certis testimoniis factam, quae extat in libris propheticis et apostolicis. Etsi autem mens humana facilius et firmius assentitur iis, quae naturali luce cernit, tamen simili constantia omnes creaturas rationales assentiri oportebat sententiis a Deo patefactis, etiamsi a iudicio rationis dissentiunt. Ut sine dubitatione asseveramus: bis 4 esse 8, ita statuendum est, Deum excitaturum

esse homines mortuos, et Ecclesiam ornaturum aeterna gloria, et impios abiecturum in aeternas poenas. Sed multi audacissime repugnant divinis oraculis, ut Epicurei et alii. Pars tamen aliqua generis humani assentitur, testimoniis miraculorum mota, in qua voce Evangelii Spiritus sanctus hanc lucem accendit, et flectit mentem ad assentiendum et mens obtemperans Spiritui sancto, amplectitur vocem Evangelii, et repugnat dubitationi. Et haec assensio, quae amplectitur sententias a Deo patefactas, dicitur Fides, quae quidem in aliis languidior, in aliis firmior est. Nec leve beneficium Dei esse ducamus, quod ex illa sua arcana sede prodiit, et se nobis patefecit, et ea patefactione testatus est, sibi vere genus humanum curae esse. Sit igitur patefactio illa praecipuum vitae lumen, et gubernet omnes actiones et omnia consilia. Et in quotidiana invocatione gratias agamus Deo, quod immensa bonitate se nobis patefecerit. Considerandum est autem discrimen. Quaedam voce Dei tradita sunt, quae etiam natura nota sunt, ut praecepta Decalogi. Sed voluit Deus accedere vocem suam, ut ostenderet illas ipsas noticias naturales a sese mentibus nostris inditas esse, et legem novo testimonio sanciret, ac bonae menti grata est confirmatio veritatis, ubi intelligit ad naturalem noticiam accessisse coelestem vocem. Ratio deprehendit terram stare immotam, et Solem moveri. Sed cum idem divinitus traditum esse audimus, firmius assentimur. Sunt autem aliae quaedam sententiae divinitus traditae, quae antea prorsus ignotae fuerant omnibus creaturis, ut vox Evangelii de Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, de reconciliatione, de praemiis et poenis aeternis: Qui credit in Filium, habet vitam aeternam, Qui autem non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet adversus eum, Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, Credito tibi ipsi certo remitti peccata propter Filium Dei, Crede propter Filium Dei tuos gemitus, tuas preces recipi. Haec firma assensione amplectenda sunt, et assensionis causa sit autoritas divina, qua hae sententiae nobis traditae sunt, et confirmatae illustribus testimoniis, ut resuscitatione mortuorum et aliis. Mens igitur cogitans, cur hae sententiae immotae sint, intueatur autorem Deum, qui se sic agnosci et invocari vult, sicut se patefecit. Nec vult nos humana audacia ludere opinionibus de se, ut luserunt Ethnici aut Philosophi. Hactenus causas exposui certitudinis doctrinarum, de qua rursus, ut antea saepe, iuniores moneo, ut ad hanc se diligentiam assuefaciant, discernendi certa ab incertis. Saepe enim de magnis rebus falluntur homines, qui fugaces umbras tanquam res certas, sequuntur, seu qui, ut Theocriti piscator laetatur somnio aurei piscis, ita ipsi inanibus opinionibus delectantur. Et saepe in vita accidit, id quod Graeci dicunt: *μάταιοὶ μάταια λογίζονται διὰ ἐπιθυμίας.*

Quid est Demonstratio?

Demonstratio est syllogismus, in quo aut ex principiis natura notis, aut universali experientia, aut ex definitione de subsumto, bona consequentia, necessariam et immotam conclusionem extruimus, aut ex causis proximis effectus proprios sequi ostendimus, aut econtra procedimus. Geometris usitata nomina sunt, et notissima, compositio Synthesis, quae a priore procedit, Econtra resolutio seu Analysis, quae a posteriore ad principia regreditur. Nec dubium est, has appellationes apud Galenum idem significare, quod apud Geometras, cum ait tres esse doctrinarum vias: resolutionem, compositionem et definitiones. Resolutio est, ut cum ex signis morbum, locum affectum, et causas quaerimus. Econtra compositio, cum initio corporis partes describuntur, deinde morborum causa, postea signa. Sed definitiones vocantur regulae et definitiones sine demonstrationibus, ut aphorismi. Quanquam autem Plato quaerit, utra via in artibus utendum sit, tamen sciendum est, utriusque viae usum esse. Nec difficile est iudicare, quae doctrinarum partes a priori, quae a posteriori extruantur.

Dic definitionem Aristotelicam.

Demonstratio est syllogismus procedens ex veris, primis et immediatis, notioribus et prioribus, quae sunt causae conclusionis. Haec definitio non pueriliter de unico syllogismo intelligatur, sed de toto processu in demonstratione, tum in compositione, tum in resolutione. Necesse est enim vel ordiri a primis et immediatis principiis, vel ad ea regredi, ut mens propter evidentiam convincatur, et teneat perspicuam et immotam veritatem. Vocat enim immediata principia, quae per sese nota sunt, nec confirmanda sunt aliis mediis, ut: Quodlibet est vel non est, Totum est maius qualibet sua parte. Idem sentit

Aristoteles, cum ait: Demonstratio est syllogismus faciens scire. Mox enim addit, quid nominet scientiam: Scire, inquit, est rem per causas cognoscere, per quas res est, et cognoscere eas esse huius rei causas, et hoc aliter se habere non posse, id est, causas esse accommodatas et his causis positis, necessario rem existere, ut posita oppositione Solis et Lunae ex diametro, et terra interposita, semper sequitur eclipsis Lunae, id est, umbra terrae incurrit in Lunam.

Suntne demonstrationes in physica et ethica doctrina?

Multae sunt in his quoque demonstrationes. Vult enim Deus et harum doctrinarum certitudinem aliquam esse. Et cum res ipsae, de quibus Physica disserit, a Deo conditae sint, cum eas agnoscimus, ut sunt: noticiam congruentem cum consilio et opere Dei, non dubium est veram esse, ut cum hanc propositionem tenemus: Ignis urit corpora, noticia congruit cum ordine divinitus instituto.

Quod autem dicitur: Mutabilium non esse demonstrationes seu scientiam, sed immutabilium, id intelligatur de propositionibus abstractis cogitatione a rebus, ut quamvis violae cito pereunt, tamen hae propositiones verae sunt: Violae sunt plantae. Violarum succus suaviter refrigerat. In hanc sententiam et Plato dixit, ideas perpetuas esse. Et Aristoteles, scientiam esse incorruptibilium. Idem uterque sensit, et loquitur uterque de propositionibus, quarum perpetua est veritas, sive singularia sint iam in conspectu, sive non sint, quia compertum est, semper talem esse earum rerum naturam, cum sunt in conspectu.

Exemplum demonstrationis physicae.

Laceratio nervorum non est opinio, quia fit in parte non cogitante, et potest sine cogitatione fieri, ferro, aut humore aliquo, ut in pecudibus et pueris,

Cruciatus seu dolor corporis fit laceratione nervorum,

Igitur cruciatus seu dolor corporis non est opinio, nec fit opinione, ut fingebant Stoici.

Exempla ethicarum demonstrationum.

Finis cuiuslibet naturae est propriissima eius naturae actio,

Voluptas non est propria actio hominis, sed actio virtutis,

Non igitur finis est voluptas.

Ex hac demonstratione Aristoteles recte extruxit doctrinam ethicen.

Aliud.

Delicta contumeliosa adversus Deum, item turbantia iustum ordinem humanae societatis, prohibenda et punienda sunt,

Blasphemia, periuria, latrocinia, adulteria, furta, sunt contumeliae adversus Deum, et turbant iustum ordinem humanae societatis,

Necesse est igitur, et prohiberi talia scelera, et reos tolli.

Ex hac demonstratione leges in gubernatione politica extruuntur, et ut in arte medica praecipua pars artis habet demonstrationes, deinde accedunt sententiae receptae propter probabiles rationes, ita sciant studiosi in morali doctrina, et eruditis ac non sophisticis Iurisconsultorum disputationibus, aliquas esse demonstrationes in fundamentis doctrinae, postea accedunt sententiae receptae propter probabiles rationes. Erudite autem, ut supra dixi, leges naturae nominantur, et principia illa practica, et demonstrationes, quae ex eis necessaria consequentia fiunt. Haec de demonstrationibus tradi utile est, et saepe repetenda est commonefactio, ut certa ab incertis prudenter discernantur, et acquiescant mentes in doctrina certa et firma, nec putent ingenii decus esse, petulantiam evertendi veras sententias, quae in pravis ingeniis existit, ut alia monstrosa naturae vitia. Ut autem supra dixi de doctrina, quae est Ecclesiae propria, ita rursus moneo studiosos, etsi acies humanae mentis non cernit arcanas sententias, in Ecclesia voce Dei traditas, ut cernit demonstrationes geometricas, aut physicas, aut ethicas, tamen assentiri Deo patefacienti necesse est. Et quanquam difficulter amplectitur mens humana sententias extra nostrum captum positas, tamen vincenda est infirmae naturae dubitatio. Quam certum est, bis quatuor esse octo, tam certo statuas Deum iudicem esse generis humani, puniturum aeternis poenis contemnentes Evangelii vocem, et daturum aeterna praemia confugientibus ad Filium mediatorem, Dominum nostrum Iesum Christum, vera poenitentia et fide. Promissio evangelica est universalis, in quam te quo-

que includas. Et quanquam infirma mens cum dubitatione luctatur, tamen fides vincat, et acquiescat in sententia certa.

Deus propter Filium remitti peccata, gratis, omnibus dolentibus se peccasse, et petentibus veniam,

Ego et doleo, et fide peto remissionem,

Quare certum est me recipi, et exaudiri gemitus meos propter mediatorem.

Non putemus inanem sonitum esse promissionem divinam, quae hanc ipsam ob causam edita et iureiurando confirmata est, ut ei assentiamur, nec fluctibus dubitationum opprimamur. Nota est enim vox iurisiurandi: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Et Iohannes inquit: Qui non credit Deo, accusat eum mendacii. Non invocemus sicut Hecuba apud Euripidem ait: O dii, etsi invoco κακοὺς συμμάχους. Talis est invocatio eorum, qui iubent semper dubitare, an fiat reconciliatio, et an gemitus nostri recipiantur. Nos vero assentiamur promissioni, ut Paulus longa disputatione contendit, Rom. 4. promissionem oportere fide accipi. Haec dixi, ut iuniores admoniti, statuant sententias divinitus traditas Ecclesiae, quae extra captum humanae rationis positae sunt, certas esse, propter autorem Deum et testimonia divina, ut propter resuscitationem mortuorum, et amplectantur eas firma assensione, quae nuncupatur fides.

Quot fuerunt sectae praecipuae Philosophorum?

Una est veritas aeterna et immota, etiam in artibus, quae recte investiganda est iis itineribus, quae monstrant ipsae artes, et inventa retinenda est, ut sit vitae lumen, quam labefactare petulantia est, et vitae hominum perniciosa, et adversus Deum, qui fons est veritatis, contumeliosa. Et profecto pulcra virtus est, et Deo grata, amor veritatis. Quare in delectu sectarum eam praeferamus, quae magna ex parte res veras tradit, et artes ex veris principiis extruit, et minimum habet errorum. Talis est Aristotelica, si vere iudicare volumus. Sed magna est naturarum diversitas. Quidam natura sunt αἰτιολογικοὶ, qui putant magnum ingenii decus esse, receptas sententias evertere, ut Valla, qui passim exagitat Aristotelem, et defendit Epicurum. Alii torvi admirantur stoica deliramenta. Alii relicta veritate, praestigias quaerunt, ut Academicorum more in utramque partem disputent. Et quaedam sunt naturae hallucinatrices, quae etiam cum recta audierunt, tamen postea depravant, ut dixit quidam, se dextra tradere doctrinam, sed auditores quosdam sinistra accipere. Haec diversitas naturarum et voluntatis consideranda est, et metae agnoscendae, quas Deus nobis circumdedit, et frenandae mentes, ut simplicem veritatem amemus, et reverenter amplectamur, et fugiamus mendacia et corruptelas. Sed clamant aliqui, ut apes ex magna varietate florum succos colligunt, ita doctrinam ex variis sectis excerpendam esse. Hi refutandi sunt hoc ipso exemplo, ut enim apes natura duce vitant venena, ita nos praelucente Deo, vitemus falsas opiniones. Quia autem, ut unumquenque decet civitatis certae ac bene moratae civem esse, ita decet certae et honestae scholae auditorem dici, Aristotelicos non esse profiteamur, et sectas diiudicemus. Sunt autem quatuor maxime celebratae, quarum monumenta adhuc extant vel Graeca vel Latina: Aristotelica seu Peripatetica, Epicurea, Stoica et Academica.

Aristotelica.

Aristotelica recte distribuit genera doctrinarum, Dialecticen, Physicen et Ethicen. Et Dialecticen habet veram, incorruptam et integram, qua laude haud dubie omnibus aliis sectis antecellit. In aliis partibus multa extruit ex demonstrationibus, et minus hallucinatur quam caeterae, Galenus etiam inquit, in hac minus esse errorum, quam in caeteris. Errat autem de mundi aeternitate, quem semper fuisse imaginatur, ut ipsam mentem, primam causam et motricem. Videtur enim Aristoteli absurdum, primam causam infinitis seculis retro, ociosam cogitare. Sed de hoc articulo sequamur doctrinam a Deo illustribus testimoniis traditam, ut de caeteris articulis, quos Deus patefecit.

Epicurea.

Epicurea plena est horribilium furorum. Primum Dialecticen omnino praetermisit. In physicis componit mundum ex atomis, et somniat subinde alios mundos nasci, et alios interire, removet ab universitate rerum duas praecipuas causas, Efficientem et Finalem. Negat esse Deum, et affirmat omnia sine providentia divina, tantum casu nata esse, et casu ferri. Stellas ridicule fingit non esse durabilia corpora, sed quotidie novos

halitus accendi et deflagrare, qui speciem Solis et aliarum stellarum efficiant. Animas hominum affirmat interire cum corporibus, prorsus ut pecudum vita extinguitur. In Ethicis finem humanae naturae affirmat esse voluptatem, hoc est, vacare cruciatu. Inde, cum anteferat voluptatem virtuti, multa falsa sequuntur.

Stoica.

Stoica Dialecticen spinosam et inextricabilem habuit, quae multa non vere cohaerentia inerudite coacervavit, unde falsas opiniones extruxit. In Physicis et Ethicis errat pariter, primum quod omnia fieri necessario contendit, tum quae in materia gignuntur, tum quae fiunt a voluntatibus hominum bona et mala. Ut scelera Neronis ait necessario fieri. Alligat Deum ad causas secundas, et negat eum aliter posse agere, quam ut causae secundae feruntur, quia ordo turbaretur. Animas hominum ait ignem esse durantem aliquot seculis, postquam discesserunt a corporibus. Sed tamen postea dissipari et extingui, ut alios fumos. Errat multipliciter de affectibus hominum, quos contendit opiniones esse, et ex natura tolli posse, et omnes esse viciosos. Ludit ambiguitate vocabulorum, cum negat res convenientes naturae, vitam, sanitatem, cibum, potum, bona esse, et econtra res destruentes naturam, mortem, morbos, penuriam cibi, potus, mala esse. Stellas ali dicit vaporib. terrae et oceani, et lunam facit maiorem terra. Sed haec obscuriora omitto.

Academica.

Academia recentior, cum videret magnas esse dissensiones aliarum sectarum, et animadverteret quasdam partes in Physicis, ut de mundi initio, de fluminum perennitate, et alia quaedam non satis comprehendi acie humani ingenii, addidit falsam hyperbolen, omnia incerta esse, quod etiam ad numeros et ad *κοινὰς ἐννοίας* in Geometria transtulit, quarum certitudinem variis praestigiis sophismatum labefactare conata est. Tradidit autem Deus Arithmeticam, Geometriam, Physica quaedam et Ethica, ut gubernent multas vitae partes, et sint adminicula in doctrina coelesti, ac vult harum doctrinarum firmam et immotam esse certitudinem. Vult nos discrimina numerorum nosse, ut cum audimus unicum esse aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, non cogitemus innumerabiles Deos. Vult nos certo nosse, aliud esse vitam, aliud mortem, aliud motum, aliud quietem, etc. Vult Deus nobis has sententias certas et immotas esse: Non occidas hominem insontem, Ne polluito te incestis libidinibus. Pugnat igitur Academica non solum cum communi iudicio rationis, et cum vitae ordine, sed etiam cum Deo, cum in universum tollit certitudinem. Haec de sectis monere adolescentes utile est, ne veras et receptas sententias, quas docet communis Aristotelica doctrina, fastidiant, et amore novitatis admirentur et amplectantur prodigiosas opiniones. Inest enim talis mobilitas animis, ut facile praesentia fastidiant, et nova ac prodigiosa suspiciant et appetant, ut Thucydides vituperat cives suos, inquiens eos servos esse absurdarum opinionum, et contemtores usitatarum, *δούλους ἀτόπων καὶ ὑπερόπτας τῶν εἰωθότων*. Haec vitia et vulgaria sunt, et sunt causae magnarum calamitatum in vita: Nec alia causa fuit, cum antea recte constituta fuisset philosophia ab Aristotele et Theophrasto, cur eam mutarent posteriores, Epicurus, Zeno, Arcesilas, et alii, nisi haec levitas ingeniorum, incitata ambitione, aemulatione et *φιλονεικίᾳ*. Cum vero legimus, quam tetras opiniones horribili audacia de Deo sparserint, cohorrescamus cogitantes, quo diabolus impellat mentes, quae non reguntur luce divina, et opponamus testimonia, in quibus se Deus patefecit, et veris sententiis pectora muniamus, non solum contra Epicureos furores, sed etiam contra stoica deliria et academicam *ἐποχὴν* seu dubitationem, et accendi et confirmari in nobis veram agnitionem Dei petamus. Extat dialogus Luciani de sectis, in quo disputat, unde secta tenens possessionem veritatis, agnosci possit, Sitne indicium barba et tristicia vultus, ac ludit ille suo more. Sed responsio recte institutis facilis est. Illa enim philosophia vera est, quae orditur a principiis natura notis, et materia demonstrationum, et inde demonstrationes ordine extruit. Hanc *κριτήρια*, quae supra recensui, veram et firmam esse testantur. Et vera sunt eadem, ubicunque recte traduntur, sive apud Aristotelem, sive apud Platonem. Sed errores sunt varii, ut cum iter aliquo facimus, una ad eam metam recta via est, a qua discedentes, alii aliter aberrant. Sed accedamus ad doctrinam de locis dialecticis.

De Locis.

Quid est locus dialecticus?

Locus dialecticus est sedes argumenti, seu index, monstrans ex quo fonte sumendum sit argumentum, quo confirmanda est propositio, de qua dubitas, ut, si huius propositionis confirmationem quaeras: Gloria est appetenda, fons aliquis monstrandus est, unde sumitur confirmatio.

Quae est prima divisio locorum dialecticorum?

Loci alii sunt personarum, alii rerum.

Loci personarum.

Loci personarum monent, quae consideranda sint ordine in personis. Etsi autem in dialecticis libellis fere omittitur horum enumeratio, quod includi in alios locos, causarum, connexorum et circumstantiarum, subtili ratione possint: tamen hic breviter eos recitabo, quia saepe de personis dicendum est, et cum obiter intexantur aliis materiis interdum argumenta a personis ducta, seriem in conspectu habere utile est, praesertim cum Psalmi aliqui praecipue sint personarum descriptiones, ut Psalmus: Dixit Dominus. In talibus narrationibus membra considerare ordine disposita utile est. In rhetoricis haec pars ad genus demonstrativum pertinet, quod continet laudationes et vituperationes personarum, quarum aliquas proponere discentibus utile est, non solum, quia ibi exempla horum locorum cernunt, sed etiam, quia moribus prodest intueri imagines, in quibus quae sit virtutum natura, cernimus. Ita legantur vitae aliquae recitatae a Plutarcho, Evagoras Isocratis, vita Pomponii Attici, vita Aristotelis, vita Basilii, Ambrosii, Augustini.

Patria.

Quid vocemus patriam, non obscurum est, et longum esset addere definitiones. Ideo in singulis tantum recitabo titulos et regulam cum exemplo.

Regula.

Patria bene morata auget decus, quia consentaneum est ibi meliorem esse disciplinam. Econtra patria male morata obiicitur tanquam probrum, ut apud Paulum *κρῆτες ἀεὶ ψευσταὶ, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαὶ.* Basilius venustissime hoc loco usus est, simul multos martyres laudans, et cum usitatum sit initio de patria dicere, inquit, eos unam habere patriam omnium laudatissimam, Ecclesiam, cuius civem esse praecipua laus est.

Sexus.

Regula, Alia masculino sexui, alia foeminino congruunt, ut, Telemachus non vult matrem in concione manere, inquiens: Oratio viris curae sit.

Parentes.

Regula, De natis iudicatur ex parentum naturis et moribus, quia saepe aliqua similitudo, ut corporum, ita ingeniorum in sobolem propagatur, et multum disciplina et exempla domestica valent. Ideo Horatius ait:

> Fortes creantur fortibus et bonis,
> Est in iuvencis, est in equis patrum
> Virtus, nec imbellem feroces
> Progenerant aquilae columbam.

Et contrarium illud, *κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν.*

Educatio.

Regula, Magna vis est disciplinae et studiorum, ut vulgo dicitur: Studia abeunt in mores. Et: Consuetudo est altera natura. De studiis exemplum extat pro Murena, ubi Cicero inquit, Catonem duriorem et rigidiorem factum esse ex stoica doctrina.

Mores.

Regula, Vera et summa laus aut vituperatio est morum, quia honestum summus gradus est bonorum. Ideo Cicero victoriis et triumphis Iulii Caesaris antefert eius clementiam, quod servet victos cives. Et Peleus dimittens Achillem, inquit: Victoriam Deo commendes, sed tu iram frenato.

Vitae genus.

Regula, Cum Deus homines inter se devinxerit mutuis officiis, et horum magna sit varietas, laudantur vitae genera a Deo ordinata, et salutaria humano generi et aliae actiones, aliis generibus congruunt. Et *πολυπραγμοσύνη* irruens in alieni generis officia, vituperatione digna est, ut: Petrus est Apostolus, non igitur praelietur gladio.

Res gestae.

Regula, Congruunt res gestae cum vitae genere divinitus ordinatio, quod cum sit, multarum virtutum actiones concurrere necesse est, ut in Davide praeliante, simul lucent fides et invocatio Dei, amor Ecclesiae, pro qua perfert labores et pericula, deinde confessio, fortitudo in dimicando, et iusticia erga suos.

Eventus.

Regula, Iusta et necessaria unicuique suo loco facienda sunt, et simul petendum, ut Deus gubernet consilia et eventus, quod cum facimus, plerunque sequuntur placidi exitus, iuxta illud: Iustus ut palma florebit. Item: Commenda Deo viam tuam, et ipse faciet. Item: Non potest sibi homo quicquam sumere, nisi datum sit ei divinitus. Econtra, ordine divinitus sancito, et Deo vere puniente scelera, iniustas et non necessarias actiones, tristes poenae et magnae calamitates comitantur, iuxta haec dicta: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Scortatores et adulteros puniet Deus. Et Ethnicos experientia fateri coëgit, Deum vindicem esse scelerum. Hinc toties repetita est haec sententia: Aspiciunt oculis superi mortalia iustis.

Et Homerus: *οὐ μὴν σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν.* Hesiodus: *ἡ δὲ κακὴ βούλη τῷ βουλεύσαντι κακίστη.* Et similia dicta passim extant: *τεύχων ὡς ἑτέρῳ τὶ ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει.* Item: *οἷα τ' ἀνὴρ ἔρξει, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει.* Ac de atrocib. delictis universaliter regula vera est, puniri ea et in hac vita mortali atrocib. poenis: ideo saepe argumenta ab eventibus ducuntur. Nam verum est honestas causas ornari secundis eventibus, quia significant divinam comprobationem, ut victoriae Davidis, Augusti, Constantini, magna sunt ornamenta, quia vere sunt beneficia divina. At econtra, exitus tragici significant iram Dei et irae causam, ut exitus Paridis, Aegysti, et similium. Cum congruit poena cum scelere, dicimus exemplum a Deo propositum esse, quo et istos damnavit, et caeteros de providentia commonefecit. Hactenus de eventibus regularibus dictum est: Nam hanc regulam in disciplina politica Deus plerunque servat, dat iustis et moderatis placidos exitus, et econtra atrocia delicta punit atrocibus poenis. Et eatenus verum est dictum de disciplina: Mores suos cuique fortunam facere, quia verum est, placidum cursum esse honestorum et moderatorum, et atrocia delicta puniri atrocibus poenis. Et recte dicit Isocrates, refutans eos, qui negant esse providentiam: Etiam si qua exempla rarissima opponuntur, tamen non propterea a regula discedendum esse, ut vera est regula: Dies hybernos frigidiores esse aestivis, etiamsi interdum in hyeme dies tepidior sit aliquo aestivo. Quod vero in Ecclesia innocentes Deus cruci subiecit, multae et magnae causae sunt, de quibus alias dicitur. Et tamen hos ornat aliis testimoniis, ut quanquam interficitur Paulus, tamen prius ornatus est multis testimoniis divinis.

Aetas.

Regula, Alia aliis aetatibus magis congruunt, ut fugiendi oratores novi, adolescentuli, etc. Econtra senes audiendi, qui et vera didicerunt, et diu consideraverunt opinionum discrimina, et minus errant in deligendo quam iuniores.

Mors.

Regula, Discrimina mortis sunt signa providentiae divinae. Universale est, sceleratos habere tragicos exitus, ut Caligulam, Neronem, et similes. Econtra plerumque iusti et modesti placida morte extinguuntur. Saepe tamen a tyrannis iniuste interficiuntur boni, ut Socrates, Papinianus. Ibi laus est virtutis, quod non discesserint a iusticia, metu mortis, quia virtus anteferenda est vitae. Caeterum quae sint causae, cur Deus Ecclesiam magis onerarit aerumnis, quam alios homines, alio loco dicitur.

Recensui praecipuos locos personarum, quorum regulae non solum monstrant unde sumantur argumenta, cum de personis dicitur, sed etiam monent, quae res praecipue in historiis clarorum hominum considerandae sint, imo in gubernatione vitae prodest intueri in hanc tabellam, et has regulas, quas recensui. Fui autem brevior, quia has pars locorum in rhetoricis copiosius tradenda est. Volui tamen eius mentionem facere, quia hanc primam divisionem locorum omnibus oportet esse notissimam, alios esse personarum, alios rerum locos.

Loci rerum.

Qui sunt rerum loci?

Ut in methodo simplicium vocum diximus definitionem, deinde species seu partes, postea caussas, effectus, cognata, pugnantia, quaerenda esse: ita propemodum locorum series instituitur, de quaestione coniuncta, seu de propositione. Necesse est enim affinem esse doctrinam, quia ex enarratione simplicium sumitur confirmatio aut refutatio coniunctorum.

Sunt igitur hi loci:

1 Definitio et definitum.
2 Genus.
3 Species.
4 Differentia, Proprium.
5 Etymologia, Nomen.
6 Coniugata, Casus.
7 Totum, Partes.
8 Divisio.
9 Causae.
10 Effectus.
11 Antecedentia.
12 Consequentia.
13 Ab absurdo.
14 A necessario.
15 Ab impossibili.
16 Adiuncta.
17 Connexa, Circumstantiae.
18 Communiter accidentia.
19 Similia.
20 Paria.
21 Ex maiore.
22 Ex minore.
23 A proportione.
24 Pugnantia.
25 Disparata.
26. Signa.
27 Exempla.
28 Autoritas, Testimonia.

Definitio.

Primus locus est definitio, quia ut in qualibet explicatione ante omnia necessarium nosse definitiones veras, et non ambiguas, ita plerunque ex hoc loco prima argumenta ducuntur, quae et firmissima sunt. Quid autem sit definitio, supra dictum est.

Suntque hae regulae huius loci:

Prima, In qualibet propositione confirmanda aut refutanda, primum definitiones membrorum quaerantur, unde, si erit opus, sumantur argumenta.

Secunda, Cui convenit definitio, eidem convenit definitum, et econtra. Et cui adimitur definitio, eidem et definitum adimitur. Ita gignit hoc locus affirmativa et negativa argumenta.

Tertia, Definitiones non sint qualescunque imagines, ut si dicam: Tyrannus est lupus, sed sint propriae, sumtae ex fontibus, ut supra dictum est, id est, ex genere et differentia, aut causis, aut partibus, aut effectibus, aut coacervatis accidentibus, quae simul collecta, unam certam rem ostendunt. Et serventur tres conditiones bonae definitionis, videlicet, ne definitio sit angustior quam definitum: nec latius vagetur, denique ut propriis et significantibus verbis definitum illustret.

Exemplum.

Si disputetur, an gloria sit appetenda, primum investiganda est definitio, quae res vere et proprie sit gloria. Et autem gloria proprie loquendo, approbatio nostrae conscientiae recte iudicantis, et aliorum recte iudicantium. Ex hac definitione procedamus ad quaestionem, hoc modo affirmative:

> Approbatio conscientiae recte iudicantis et aliorum recte iudicantium, est res bona, necessaria et appetenda, quia est verum de virtute iudicium, quod non potest appeti, nisi simul virtutem magna cura tueamur,
>
> Gloria proprie est talis approbatio conscientiae recte iudicantis et aliorum recte iudicantium,
>
> Ergo gloria est appetenda.

Sic de gloria appetenda loquitur Paulus: Suum opus consideret et exploret unusquisque, ut in seipso gloriam habeat, non aucupetur gloriam obtrectatione aliorum, nec pendeat ex stultae multitudinis applausu.

Negative sic:

> Approbatio levium hominum et non recte iudicantium, nec est gloria, sed inanis et perniciosus applausus et mendacium,
>
> Thraso appetit levissimorum hominum non recte iudicantium approbationem,
>
> Thraso igitur non appetit gloriam, sed inane mendacium.

Non addam hic plura exempla, tantum adhorror studiosos, ut in quotidiana lectione similia observent, et se assuefaciant ad quaerendas definitiones, et ad usum huius loci. Nunc proximi sunt loci nati ex partibus definitionis, genere, differentia.

Genus.

In inquisitione rerum plerunque initio quaerimus genus, tanquam communius, quia angustiora vocabula declarantur per communiora, ut si quis prorsus ignorans quae res sit Cometa, interroget quid sit, cum audit non stellam, sed halitum inflammatum esse, nominato proximo genere, id quod initio discendum fuit, didicit. Postea progreditur, inquirens qualis sit halitus, et cur moneatur. Ideo et in definitionibus plerunque recitatur genus. Et deprehenso genere aditus aliquis ad agnitionem rei patefactus est, ac multa iudicantur ex cognitione generis, ut si quis dubitet, an homini Christiano liceat tenere proprium, aut militare, aut in iudiciis repetere, facile erudiri poterit monstrato genere. Evangelium approbat ordinem politicum et omnia officia politici ordinis. Ex huius generis cognitione, de speciebus vel de partibus manifestum est, quid statuendum sit. Ex hoc fonte sumtum est praeceptum, quod saepe repetit Cicero: Hypothesin transferendam esse ad Thesin. Vocat autem hypothesin inferiorem quaestionem, superiorem thesin, ut si de reprimendis Turcis velis dicere, oratio uberrima ex genere nascetur:

Iusta opera et Deo grata sunt et cultus Dei facere suo quenque loco officia politici ordinis vero studio propter Deum,
Regibus autem defensio politiarum et Ecclesiarum ac honestae disciplinae et studiorum doctrinae mandata est,
Quare nunc quoque tegant patriam adversus Turcicum latrocinium.

Iam considera, quanta rerum maximarum copia sit in genere seu in thesi, quam continet maior syllogismi, et quantum splendoris accedat causae, si ostendas talem militiam vere cultum Dei esse. Haec ideo recito, ut huius loci usus magis conspici possit. Nunc regulas seu maximas addam.

Dic primam regulam.

Prima regula, A superiori cum signo universali ad inferius semper valet consequentia affirmative et negative.

Affirmative, ut:
Omne animal spirat,
Ergo piscis spirat.
Deus est ubique,
Ergo et hic adest.
Omnis legitima emptio est contractus honestus et concessus Christiano,
Ergo et contractus, in quo res vere emitur cum pacto de revendendo, est honestus et concessusChristiano.

Negative:
Nulla dona Dei sunt vituperanda,
Ergo nullae artes honestae sunt vituperandae.

Dic secundam regulam.

Secunda regula, A genere sine signo universali ad speciem tantum negative ducuntur argumenta, ut:

Lapis non est animal,
Ergo lapis non est homo.
Mulsum non est vinum,
Ergo nec est rubrum vinum.
Furiosus non potest consentire,
Ergo nec potest contrahere de coniugio vel de emtione.

Valet consequentia, quia cui adimitur genus, eidem adimitur et species.

Species.

Dic regulam de specie.

Regula, A specie ad genus tantum affirmative ducuntur argumenta, ut:

Homo est,
Igitur animal est.

Valent consequentia, quia posita specie, necesse est poni genus, et cui species tribuitur, eidem genus tribui necesse est.

Differentia.

Dic regulam de differentia.

Regula, Ut ab integra definitione, ita a differentia specifica ducuntur firma argumenta affirmative et negative. Ac facile intelligi potest huius loci magnum usum esse, quia multa in omni disputatione incidunt, quae cum ab indoctis aut a sycophantis non recte miscentur, necesse est membra evolvere et discernere, et sapientissime dictum est: Qui bene distinguit bene docet,

Affirmative:

Abraham accepit agri dominium pro certo precio ab hospitibus volentibus, videlicet, pro coronatis 160.

Igitur vere emit.

Valet consequentia, quia cui tribuitur differentia specifica, eidem tribuitur species.

Negative:

Amor parentum erga natos est στοργὴ a Deo condita et mandata,

Ergo non est viciosus affectus.

Valet consequentia, quia cui adimitur differentia specifica, illi adimitur species. Nam differentia specifica discernens viciosos affectus a bonis, est esse prohibitos lege Dei.

Proprium.

Etsi traditur subtile discrimen in Differentiam et Proprium, tamen saepe promiscue his appellationibus utimur, nec Aristoteles eas discernit in Topicis, nec ego de discrimine anxie disputabo. Differentia significat partem, quae rem constituit, ut: rationale significat animam rationalem, quae pars est constituens hominem. Proprium vero significat ornamentum seu officium, quod sequitur constitutionem, et proprie uni tantum speciei et omnibus eius individuis convenit, ut homini competit incedere erectum. Est et hoc exemplum illustre: Magistratus politicus est persona electa divina ordinatione, ut legem in externa disciplina et pacem tueatur, et coherceat ac puniat contumaces vi corporali seu gladio. Differentia est, esse electam divina ordinatione, et tueri legem et disciplinam et pacem. Sed proprium, cohercere et punire vi corporali. Minister Evangelii est persona electa ordinatione divina, ut doceat Evangelium, et administret sacramenta a Christo instituta, et puniat contumaces, non vi corporali, sed verbo Dei et excommunicatione, et recipiat eos, qui se emendant, ac remissionem peccatorum eis annunciet. Differentia est, electam esse ad docendum Evangelium, ad sacramentorum administrationem. Deinde proprium est, punire non vi corporali, sed verbo Dei et excommunicatione.

Haec exempla monstrant utcunque quid Dialectici differentiam, quid proprium nominent. Nec tamen opus est nimis exili distinctione: sed saepe etiam docti promiscue utuntur appellationibus differentiae et proprii, et ab utroque loco eodem modo ducuntur argumenta affirmative et negative, ut:

Hic lapis trahit ferrum,

Est igitur Magnes.

Ex hoc fonte multa argumenta sumimus in gravissimis causis, ut: Filius Dei creat mundum cum Patre, et ait sese resuscitaturum esse mortuos, Iohan. 5. Sicut pater exuscitat mortuos, sic et Filius. Item, Prophetae et Apostoli invocant eum, ergo Filius Dei est omnipotens et natura Deus. Nam haec sunt propria naturae omnipotentis, creare ex nihilo, reddere vitam mortuis, videre motus cordium in omnibus invocantibus. Valet autem consequentia: Cui tribuitur proprium, quod uni soli essentiae convenit, huic etiam essentiam tribui necesse est.

Etymologia.

Vicini loci sunt definitioni, nomen rei, Etymologia, et periphrasis non aberrans a re, de qua proprie dicitur. Sunt igitur huius loci hae regulae:

Prima regula, Cum in qualibet longa oratione maxima pars proprio sermone constet, et ita loquantur homines sani, qui recte loquendi rationem et intelligunt et amant, principalia argumenta ex proprie dictis sumenda sunt, ut in dogmatibus, legibus, sententiis iudicum inprimis necessaria est proprietas sermonis, et pondera verborum dextre illustrata, multum lucis afferunt explicationi, ut Iohan. 1. Filius Dei vocatur Deus. Et ne sit ambiguitas in nomine, addit, omnia per Filium condita esse. Ergo Iohannes affirmat Filium vere Deum esse, omnipotentem et conditorem cum Patre. Valet consequentia, quia non est nostrum fingere de Deo opiniones ex nostris imaginationibus, sed de eo sentiendum est, sicut se patefecit, et sermo divinus audiendus est, et ex eo sumenda sententia, quam perspicua et incorrupta proprietas gignit. Paulus toties dicit: Fide iustificamur gratis propter Filium Dei. Ergo vere ita statuendum est, certissime recipi agentes poenitentiam propter Filium gratis, etiamsi valde angimur et trepidamus propter praeterita delicta. Ita ex proprietate sermonis firma argumenta sumenda sunt.

Secunda regula, Quando verba gignunt absurditatem, intellecta sine figura, decurrendum

est ad figuras, et quaerenda concinna interpretatio. Vocatur autem in philosophia absurdum, quod pugnat cum communi sensu, id est, cum principiis, vel communi experientia. Sed in doctrina Ecclesiae vocatur absurdum, quod pugnat cum perspicuis mandatis Dei, aut articulis fidei, ut cum dicimus: Tyrannum esse lupum, constat non misceri hominis aut quadrupedis naturam, Metaphoram igitur esse dicimus, quae sic enarratur: Tyrannus est similis lupo. Saepe dicitur: Spartam nactus es, hanc orna. Hic constat nos non habere urbem Spartam, sed similitudo intelligatur, habes honestum locum, quem virtute tuearis. Sic illud: Ira habitat in auribus. Constat iram accendi in corde. At de obiecto dicitur: Auribus acceptus sermo, irritat iram et alias cupiditates. Sic in dicto Christi: Si oculus te offendet, effodito eum. Id pugnat cum praecepto: Non occidas. Decurrendum est igitur ad figuram: Abiice persuasionem falsam, quamvis dulcem, quae abducit a Deo, seu non assentiaris doctori vel amico abducenti animum tuum a Deo. Haec recensui, ut iuniores qualemcunque regulam teneant, unde iudicent, ubi servandum sit *τὸ ῥητὸν*, et ubi interpretatio ex figuris sumenda sit, quod dextre nemo facere potest, nisi liberali doctrina excultus sit, et res de quibus disputatur, antea didicerit ex proprio sermone. Ideo huius temporis Iudaei multa insulse corrumpunt in Prophetis, quorum sermo pulcerrima lumina figurarum habet. Augustinus cuiusdam Tychonii regulas recitat, quarum cognitionem existimat magnum esse lumen propheticorum et apostolicorum monumentorum, cum tantum sint regulae de figuris grammaticis et rhetoricis, quod si quis considerabit, rectius eas intelliget. Sed infra de Allegoriis plura dicam, in loco similium.

A coniugatis seu casu.

Coniugata et Casus vocarunt nominum derivationes, ut iusticia, iustus. Nunc appellationes concreti et abstracti notiores sunt. Et hic locus necessariam doctrinam continet, ducendi argumenta a concretis ad abstracta, et econtra. Nam utraque via saepissime utimur. Alias a concretis procedimus ad abstracta, quia concreta monstrant exempla formarum in subiectis: alias econtra ab abstractis ad concreta procedimus. Sitque haec.

Regula.

Cui tribuitur concretum, in eo rem esse necesse est, quae effertur voce abstracti, ut cum dicis:

Aqua est calida, recte sequitur:
Ergo in aqua est calor.
Baptista recepit milites manentes in officio,
Igitur Baptista et militiam approbat.

Valet consequentia, quia approbatione exempli in subiecto, approbatur res in genere.

Valent hae consequentiae, si absit ambiguitas, quae non est unius modi.

David rapiens alienam coniugem, facit tyrannice,
Igitur David est tyrannus.

Respondendum est brevissime: Nego consequentiam, et ratio est, quia in coniugatis ambiguis non valet consequentia. Facere tyrannice significat actionem, sed tyrannus significat habitum. Et tyrannus est gubernator, qui habet *προαίρεσιν* perpetuam, id est, studium scelerate faciendi, et plerunque scelerate facit, etiamsi semel atque iterum recte facit. Tale et hoc est:

Iusticia est severe punire iudices pecunia corruptos,
Ergo Cambyses, qui pellem detraxit iniquo iudici, et cum instravit sedi, fuit iustus.

Nego consequentiam, et ratio est, quia in coniugatis ambiguis non valet consequentia: Antecedens loquitur de actione, Consequens de habitu. Nam bonus seu iustus princeps est, qui habet studium recte faciendi, et plerunque recte facit, etiamsi interdum labitur. Hae definitiones non sunt temere excogitatae. et continent doctrinam utilem.

De toto et partibus.

Facilius intelligent vim et usum locorum, qui fontes eorum et ordinem considerabunt. Sciendum est igitur, omnes locos, quos iam recitavi, ex definitione nasci. Sequens locus de toto et partibus nascitur ex divisione. Supra autem dictum est de methodo, primum definitiones, deinde divisiones, postea causas, effectus, connexa quaerenda esse, etc.

Quomodo discernuntur partes?

Hoc modo: Partium aliae sunt Minus Principales, ut in corpore humano coma, ungues. Sine his totum esse et incolume manere potest. Aliae sunt Principales, sine quibus totum esse et manere incolume non potest, ut in corpore humano caput, pectus, cor, venter, brachia, pedes. Sine his non potest totum esse et manere incolume.

Secundum discrimen.

Partium principalium aliae dicuntur essentiales seu Substantiales, aliae Integrales. Dicuntur autem Essentiales seu substantiales materia et forma, ut corpus et anima sunt partes substantiales hominis. Sed partes integrales a quantitate seu numero appellationem habent, ut cum molem partimur, seu numeros dividimus, ut trunco sex pedum dissecto in partes bipedales, hae dicuntur partes integrales. Saepe in relativis nominibus utimur hac appellatione, ut civitatis partes integrales sunt magistratus, sacerdotes, senatus et populus. Iudicii partes integrales sunt: oratio actoris, oratio rei, testimonia, sententia iudicis. Conversionis seu poenitentiae partes contritio, fides, nova obedientia. Baptismi partes sunt: mersio in aquam, et pronunciatio verborum, quae fit ab intelligente hunc ritum, et non contemnente divinam ordinationem, sed habente hoc propositum, ut reverenter faciat, quod divinitus traditum est.

Dic regulas.

Prima.

Posito toto, necesse est poni omnes principales partes.

Exempla.

In legato promittuntur alimenta,
Igitur debentur cibi, vestes et habitatio.

Aliud.

Magistratus est custos totius legis divinae, quod ad externam disciplinam attinet,
Ergo et primae tabulae custos est. Curet igitur recte doceri, et aboleat externos cultus idolorum et blasphemias.

Aliud.

Totum iudicium est res approbata a Deo,
Ergo et partes concessae sunt, accusare et respondere.

Aliud.

Lex est bona legitime utenti, ut Paulus affirmat,
Igitur et magistratus gerere concessum est, quia magistratus est res ordinata voce legis.

Dic secundam regulam.

Destructa una principali parte, totum destruitur, ut:

Huic aedificio deest tectum,
Non est igitur domus.
Corpori Ciceronis praecisum est caput,
Non igitur mansit incolumis Cicero.

Valet consequentia, quia destructa una principali parte totum destruitur.

Moneri autem hoc loco discentes necesse est, hanc regulam de partibus loqui, non de speciebus. Non enim valet consequentia, remota una specie removeri genus, ut non valet consequentia:

Hoc non est Creticum,
Ergo non est vinum.

Nam a specie ad genus non argumentamur negative, nisi omnes species enumerentur.

De loco a divisione.

Regula.

Quoties argumentamur a divisione, seu generis in species, seu totius in partes, fiat integra enumeratio specierum seu partium, ut:

Omnis stella aut est fixa, aut planeta, nec sunt plures species,
Cometa non est fixa stella nec planeta,
Non est igitur stella.

Non esse fixam oculi testantur, quia omnes cometae agitantur, et quidem variis motibus et rapidis. Non esse planetam inde ratiocinamur, quia vagatur extra zodiacum, et cum initio sit magnum corpus, paulatim absumitur, ut ipsi vidimus, et narrat Seneca, ante bellum Achaicum, in quo Corinthus, Thebae et aliae multae civitates a Romanis funditus deletae sunt, conspectum esse cometam Solis magnitudine, et paulalatim absumtum. Sic Aristoteles per divisionem quaerit, quid sit virtus. In anima haec sunt: potentiae, actiones, affectus, naturales inclinationes, et habitus ex actionibus orti, ut artes. Deinde de singulis membris disserit, donec remotis caeteris, constituit virtutem habitum esse.

Hoc autem ordine in hac argumentatione utendum est, in maiore ponatur universalis propositio, recensens omnes species seu partes, hoc cum non fit, sed una atque altera specie seu parte nominata, postea concluditur, insufficiens est enumeratio: Nec esse connexionem firmam in tali argumento facile intelligi potest, quia iter est a particulari, ut:

> Ius divinum non strangulat fures, nec ius Romanum vetus,
> Ergo non est iustum strangulare fures.

Hic proceditur a specie ad genus negative, quam consequentiam non valere supra dictum est: Ut autem firma connexio fiat, instituatur integer syllogismus, et maior sit universalis complectens integram enumerationem, hoc modo:

> Omnia iusta politica constituta sunt, aut iure divino seu naturali, aut Romano iure veteri, et nunc recepto, aut novis legibus imperatorum, aut consuetudine congruente cum ratione.
> Sed strangulare fures, novis legibus imperatorum constitum est,
> Ergo est iustum.

Haec est a divisione forma argumentandi iusta, et sic ab universali proceditur.

Ex hac tota doctrina sumitur regula: Ab insufficienti enumeratione partium aut specierum in divisione non valet consequentia.

De loco causarum.

Prima divisio.

Causarum aliae nominantur per se causae, aliae per accidens. Causa per se est, qua posita in actu cum caeteris per se causis, necesse est sequi effectum, et qua non posita in actu, etiamsi caeterae ponantur, non potest sequi effectus. Et quidem causae per se aut sunt partes rei, ut materia et forma, aut sua vi agunt aliquid, ut: Efficiens sua aliqua actione ciet materiam. Finalis vero movet efficientem. Causa per accidens est, aut quiddam accidens alteri per se agenti, quod etsi via aliqua est agendi, tamen tale est, ut sine eo effici effectus potuerit, nec propter hoc accidens, sequatur effectus: aut est agens quod habet eventum alium praeter intentum, aut ordinatum, cum tamen eventum illum secundum, non necesse sit accedere. Primi modi exempla sunt: Febris potest esse causa temperantiae per accidens, cum per se causa sit voluntas frenans appetitionem cibi et potus. Cum Paulus inquit: Scientia inflat, causa per accidens est superbiae eruditio. Sed per se causa est, voluntas efferens se, et despiciens alios, quorum utilitati servire eruditio debebat. Alterius modi exempla sunt, quae fortuna et casus nominantur, ut: Fossio est causa per accidens inventi thesauri, quia voluntas vinitoris erat fodere, ut vites plantaret. Hunc eventum comitatur alius, scilicet inventio thesauri, quem eventum nec fodiens cogitaverat, nec accedere necesse fuit. Cumque non sit necesse causis per accidens respondere effectus seu eventus, non ducuntur a causis per accidens firma argumenta.

Non valet consequentia:

> Piscatores Milesii invenerunt tripodem aureum,
> Ergo et alii ibi aureum tripodem invenient.

Secunda divisio.

Alia est vere causa, alia est causa sine qua non. Hoc modo partitur causam Plato in Phaedone. Aliam nominat causam reipsa seu vere sic dictam, aliam vocat causam sine qua non, *ὧν οὐκ ἄνευ.* Est autem causa vere sic dicta, quae non solum adest ociosa, sed etiam re ipsa agit aliquid in pariendo effectum, aut pars est eius rei, quae constituitur. Sed causa sine qua non nihil agit, nec est pars constituens, sed tantum est quiddam, sine quo non sit effectus, seu quod si non adesset, impediretur agens, ideo, quia illud non accessisset. Galenus sic desinit in tertio libro de differentiis *συμπτωμάτων*: Ea quae nihil conferunt, non possunt autem separari a conferentibus, habent rationem causae, quae dicitur sine qua non. Et *θεραπευτικῆς* tertio discernit causam sine qua non, et accidentia, et exemplum tradit: In curatione vulneris causa sine qua non est remotio puris, nisi enim removeretur pus, non esset efficax remedium. Traditur et hoc exemplum, medium in visione est causa sine qua non. Accommodatur et ad voluntaria, ut: Non conceditur transitus non habenti symbolum traditum a quaestore.

Tertia divisio.

Causae per se quatuor sunt: Efficiens, Materia, Forma, Causa finalis.

Quid est Efficiens?

Efficiens est, a quo primo fit motus, id est, quod revera aut principaliter agit ut aliud efficiat. Et quia magna varietas est efficientium, et valde prodest nosse discrimina, necesse est hic addi divisiones.

Dic primam divisionem efficientium?

Efficientium alia vocantur naturalia, alia voluntaria. Naturalia vocantur, quae vi insita naturae agunt, non deliberatione aliqua, nec possunt suspendere actionem admota materia, ut: Ignis naturae ordine calefacit seu urit admota corpora, nec suspendit actionem, Cum vena in corpore sano, consumto nutrimento, sugunt inanem ventriculum, natura ventriculus appetit cibum et potum. Voluntaria sunt, quae deliberatione agunt, et cum habeant libertatem aliquam, possunt suspendere actionem, admota materia, ut: Faber potest esse ociosus, et etiam cum habet propositam materiam, et instrumenta, Homo etiam sitiens potest imperare manibus, ut poculum propositum ori admoveant.

Dic secundam divisionem.

Efficientium quaedam sunt totales, quaedam sunt partiales causae. Totales sunt efficientes causae ad certam rem efficiendam. Partiales sunt duplices, aliae Ordinatae essentialiter, quarum una sine alia, etiamsi vis eius valde augeretur, effectum in natura ordinatum non potest efficere, ut pater et mater. Voluntas non eligit sine cognitione: Concurrunt igitur ad electionem necessario intellectus et voluntas. Aliae sunt Accidentaliter ordinatae, quarum una, si vis eius aucta fuerit, effectum sola potest efficere, ut cum duo equi currum trahunt.

Dic tertiam divisionem.

Efficientium quaedam sunt Principales, quae et digniores sunt, et plus agunt. Aliae minus principales sunt, quarum et dignitas minor est, et actio languidior, ut in pugile plus agit naturale robur, quam res. In Antonii intemperantia voluntas principale agens est, naturalis inclinatio minus principale.

Dic quartam divisionem.

Causarum aliae sunt propinquae, aliae remotae. Propinquae sunt, quae et propiores sunt effectui, et ad hunc unum effectum magis determinatae, ut: Pater et mater propinquae causae sunt generationis, Hydropis propinqua causa est copiosus humor, crudus et aquosus in corpore, ideo relictus, quia epatis imbecillitate non potuit initio fieri conversio chyli in sanguinem. Cruciatuum qui calculo in venis procedente oriuntur, propinqua causa est tensio nervorum, quae fit a calculo. Actionis honestae aut inhonestae propinquae causae sunt mens et voluntas. Remotae causae sunt, quae alias propiores causas aut fovent aut cient, vel sunt causae causarum propinquarum, ut: Avi remotae causae sunt nepotum, Hydropis remota causa est praecedens intemperantia, quae *κακοχυμίαν* peperit, qua vis epatis languefacta est. Actionis honestae seu inhonestae remota causa est temperamentum in homine, sic inclinans.

Dic quintam divisionem.

Causarum quaedam vocantur universales, quaedam particulares. Universalis est Deus fovens naturam. Et Philosophi sic vocant motum coelestem, et vim luminis astrorum. Particulares vocantur propiores, quae in materia sunt, et determinatae sunt ad hunc effectum, ut: Universalis causa pestilentiae est eclipsis aliqua, aut infausta Saturni, Martis et Lunae coniunctio, venenato lumine aërem inficiens. Particularis causa est humorum in corporibus humanis corruptio.

Dic sextam divisionem.

Efficientium aliae sunt principales, aliae instrumentales. Principales sunt, a quibus oritur actio, seu quae gubernant actionem, et movent instrumenta, ut faber. Instrumentales sunt organa extra naturam principalis causae, quae applicata et mota ab aliis adiuvant actionem, ut telum securis. Est et vox Evangelii instrumentum, quo Deus movet et impellit corda hominum.

Dic septimam divisionem.

Partialium aliae sunt praeparantes, aliae sunt adiuvantes. Praeparans, quae aut foris applicat agentia, aut interiore aliqua praeparatione subiectum idoneum efficit ad alias actiones, ut: Medicus applicat remedia, postea natura corporis et remediorum est medicatrix. Doctrina et disciplina, id est, assuefactio, sunt causae praeparantes animum ad actionem virtutis. Adiuvantes,

quae cum principali causa concurrunt, et inter agendum adiuvant eam, ut: Somnus est causa adiuvans coctionem ventriculi. Calor externus mediocris est causa adiuvans, id est, fovens interiorem. In Scipione heroica naturae vis adiuvat voluntatem in actionibus virtutum.

Dic octavam divisionem.

Elegans divisio traditur a Medicis, quae congruit cum aliquot superioribus divisionibus. Sed propter illustres appellationes familiariter nota sit omnibus. Alia sunt *αἴτια*, alia *συναίτια*, alia *σύνεργα*.

Αἴτια sunt principales causae, ut mens et voluntas sunt principales causae actionem honestarum aut inhonestarum.

Συναίτια sunt inclinationes bonae vel malae, quae alioqui vocantur causae minus principales.

Σύνεργα sunt vel praeparantes causae, vel instrumenta, ut doctrina et assuefactio sunt *σύνεργα* in actionibus virtutis. Robur corporis et laborum assiduitas, sunt *σύνεργα* fortitudinis. In Davide praeliante *αἴτιον* est Spiritus sanctus exuscitans animum, *συναίτια*, consilium, voluntas, et manus obtemperans consilio et voluntati, *σύνεργα*, scientia rei militaris, et laborum assiduitas. In Ioseph abstinente ab aliena coniuge, *αἴτιον*, est Spiritus sanctus, docens et movens mentem et voluntatem Ioseph, cogitatione mandati divini. *Συναίτια*, mens cogitans mandatum divinum, et voluntas obtemperans Spiritui sancto et mandato Dei. *Σύνεργα*, disciplina et diligentia in vitandis illecebris, ut dicitur: Vitare peccata, est vitare occasiones peccandi. Haec causarum consideratio, cum alias magnas utilitates affert, tum eo etiam prodest, quia cum ostendit, quae causae in gubernatione morum concurrant, monet, ut causas illas exuscitemus, petamus nos regi Spiritu sancto, ipsi annitamur, ut voci divinae obtemperemus, et disciplina nos frenemus. Haec omnia complexus est Paulus, inquiens: Diligenter ambulate tanquam sapientes, etc.

Dic nonam divisionem.

Est et haec divisio usitata Medicis, quae erudite discernit interiores causas et exteriores. Efficientia sunt duplicia, *προηγούμενα*, antecedentia. Sunt autem interiores dispositiones, quae irritatae ab externis causis sunt principaliores causae effectuum, ut cum dysenteria sit intestinorum exulceratio, *προηγούμενον* est bilis, exuberans in toto corpore, et corrupta ac facta acrior ac venenatior. Sed causa *προκαταρκτική* dicitur irritatrix causa, quam vulgo primitivam vocant. Est autem externa causa, quae interiorem irritat, ut largior potus in aestu, aut crudi fructus, qui putrefacti, augent venenatam bilem, et lubricitatem efficiunt, ac movent auctam bilem. Transferamus has appellationes ad alia exempla. Antecedens causa, quae dicitur *προηγουμένη*, civilis belli inter Romanos fuit in Pompeio ambitio seu cupiditas retinendi summi loci inter cives, quem diu iam possederat. Hanc ambitionem comitabantur multi affectus, metus amittendi eius loci, invidentia et dolor cum aemulum crescere videret. His affectibus incendebatur, ut tollere aut reprimere eum conaretur. At causa irritatrix seu *προκαταρκτική* fuit potentia Iulii, et quod multa petebat aut faciebat Iulius contra voluntatem Pompeii, quae augebant indignationem et odium in animo Pompeii. His facibus accensus, tandem adeo exarsit, ut bellum moveret.

Nominat Galenus et aliam quandam causam *συνεκτικήν*. Sed haec non est in his, quorum causae cum facta sunt, esse desierunt, ut debilitas ventriculi manet, etiam postquam repletio esse desiit. Non est igitur repletio causa *συνεκτική*, etiamsi propinqua causa est eius debilitatis. Alibi autem usurpatur *συνεκτικὸν*, cum dicitur eorum effectuum causa esse, qui ita pendent a causa, ut non durent effectus, cum causa tollitur, ut morbis dicitur Synecticon symptomatis. Pleuritis est synecticon eius febris quae accedit.

Dic decimam divisionem.

Efficientium aliae agunt motae ab aliis, ut voluntas agit mota ab obiecto, quod cognitione monstratum seu oblatum est voluntati, ut dicitur: Ignoti nulla cupido. Aliae sunt moventes seu impellentes, quae dicuntur impulsivae. Id nomen retinent Iurisconsulti, sumtum ex rhetoricis. Etsi autem interdum confunduntur impulsiva et finalis, tamen sciendum est discrimen quoddam esse. Impulsiva est affectus vel obiectum movens agentem, ut dicimus: Misericordia motus est, vel, inopia amici motus scripsit eum haeredem. Prodigalitate movetur iudex, ut det tutorem. Dicitur igitur prodigalitas impulsiva causa: sed finalis est, ut servetur Respub. cuius

interest, ut temere dissipentur etiam privatae facultates.

Vicit amor patriae laudumque immensa cupido.

Hic versus continet causam impulsivam.

Est et lex causa impulsiva, quia est cogitatio agentis, qua impellitur ad agendum, ut: Fabius lege movetur, ut deponat dictaturam. Pertinet ad impulsivam et meritum, ut: Meritum Christi movet voluntatem aeterni Patris ad recipiendum genus humanum. Sic meritum militis movet ducem ad danda praemia. In venditione precium est causa impulsiva, movens venditorem. Potest autem referri ad συναίτια. Estque meritum benefactum, seu malefactum, quod ordine iusticiae dignum praemio vel poena iudicatur, et ut sit iusta compensatio, fit aequalitas. Recensui divisiones praecipuas efficientium, quarum cognitio non solum in artibus, sed etiam in aliis vitae negociis utilis est, et hic recitantur propter regulas, quas inseri Dialecticae necesse est. Hoc etiam monendus est lector, quod ait Polybius, aliud esse causam belli Punici, aliud occasionem, seu aliud αἴτιον, aliud ἀφορμήν.

Αἴτιον vocat principalem causam, ut: Principalis causa belli Punici erat odium ardens adversus Romanos, et vindictae cupiditas in Carthaginensibus.

Ἀφορμή est minus principalis causa, vel aliqua levis προκαταρκτική, vel circumstantiae temporum aut loci, quae non est causa, sed facultatem praebet flagrantibus cupiditate aliqua agendi quod volunt, ut amanti tenebrae sunt occasio, ut dicitur: Nox et amor vinumque nihil moderabile suadent. Nox occasio est, non causa; amor est αἴτιον, et quidem antecedens, sed vinum est προκαταρκτικόν. Ita controversia de Sagunti finibus fuit levis προκαταρκτική belli Punici secundi. Sic causae discernuntur in hoc dicto: Occasionem quaerit, qui vult discedere ab amico.

Materia.

Materia est, ex qua aliquid fit, ut ex farina fit panis, ex elementis fiunt mixta corpora. Hanc praecipue nominamus materiam, quae usitate dicitur Materia ex qua. Et sciant iuniores ita loqui Philosophiam, ut non tribuat materiam ex qua accidentibus, sed tantum substantiis. Abutimur autem nomine materiae, cum Subiectum vocamus materiam in qua, et Obiectum vocamus materiam circa quam.

Forma.

Est, quae dat esse rei, id est, ipsa rei consummatio, seu quasi exaedificatio, qua res est talis, ut: Figura navis aut domus exaedificatae est ipsa forma.

Sunt autem aliae Substantiales, aliae Accidentales. Nam substantias compositas dividimus in materiam et formam, ut: Bos constat ex materia et forma. Sed accidentia tantum sunt formae, nec dicimus accidentia habere materiam ex qua fiant, sed sunt in materia, ut: Figurae sunt metae includentes materiam.

Causa finalis.

Differunt finis et causa finalis. Finis est ipse usus rei, ut, finis calcei est munire pedem. Sed Causa finalis est cogitatio de fine, videlicet de usu, qua movetur et regitur agens in opere instituendo, ut fabricans navim movetur et regitur cogitatione de usu, ut talem fabricet, qua idonea sit transvectioni earum rerum, quibus indiget. Et hinc sumitur locus rhetoricus ab utili, ut:

> Ebrietas est perniciosa ventriculo, epati, cerebro, pectori et nervis, et impedit cogitationem et precationem,
> Est igitur fugienda.

Locus ab honesto, etsi ad causam finalem etiam accommodari potest, tamen propter perspicuitatem accommodetur ad causam efficientem, videlicet ad legem, quia honesta sunt, quae approbata sunt divinis seu naturalibus, seu aliis legibus, quae cum recta ratione congruunt. Haec ideo asscripsi, ut studiosi admoniti sciant locos dialecticos fontes esse locorum, qui in rhetoricis recensentur aliis appellationibus.

Regulae de causis.

Prima.

Platonis regula est in Timaeo, nihil fit sine causa, quod universaliter verum est de causa efficiente, id est, omnium effectuum bonorum et malorum, oportet aliquam esse efficientem causam. De finali tantum verum est in agentibus ordinate, ut de natura et voluntariis agentibus secundum rectam rationem. Hinc igitur regula

consequentiae sumitur, non positis causis sufficientibus, id est, totalibus et ordine coniunctis non sequitur effectus, ut non valet consequentia:

Habeo exercitum,
Ergo vincam.

Quia ad victoriam multo plura requiruntur, quam numerus militum. Oportet enim accedere auxilium divinum et occasionem, et in militibus oportet esse robur et voluntatem pugnandi, laboris patientiam, et caetera.

Secunda.

Posito effectu, necesse est causam esse vel fuisse.

Tertia.

Causa ordine naturae praecedit effectum, ut: Sol naturae ordine prior est, quam sparsio radiorum.

Quarta.

Positis causis naturalibus sufficientibus et non impeditis, si sit admota materia, sequitur effectus necessitate physica. Valet igitur consequentia:

Stipulae coniectae sunt in ignem,
Ergo urentur.
Epar multos crudos succos attrahit in ebriosis, qui non possunt percoqui nec effluere,
Igitur calor et virtus epatis languefient, et paulatim epar putrescet.

Quinta.

Naturalis causa uno et eodem modo agit, etiamsi in diversis subiectis videntur dissimiles effectus, ut: Solis calor liquefacit ceram et durat lutum. Sol enim utrunque dissolvit, sed lutum duratur, postquam humiditas radiis Solis consumta est. Terra enim sua natura sicca et dura est, at cera liquescit, quia est aërea. De vino extat versus apud Aristotelem:

Οἶνος τρόποις τῶν χρωμένων κεράννυται.

Sexta.

Voluntaria causa potest cessare et agere dissimiliter, ut: Faber volens aut aedificat aut non aedificat, et cum vult, facit molem quadratam aut rotundam. Non igitur valet consequentia:

Deus fuit ab aeterno,
Ergo mundus ab aeterno fuit.

Quia Deus est voluntaria causa, et agens liberrimum, condidit igitur mundum cum voluit.

Septima.

Voluntatis divinae, quae est immutabiliter bona, omnes effectus boni sunt. Valet igitur consequentia:

Deus condidit politias,
Ergo politiae sunt res bonae et Deo placentes.

Octava.

Voluntatis humanae, quae est mutabilis, effectus sunt dissimiles, ut: Voluntas Adae, etsi erat bona, tamen propria libertate avertit se a Deo. Non igitur valet consequentia:

Voluntas Davidis fuit hactenus iusta,
Erunt igitur omnes eius actiones iustae.

Nihil enim mutabilius ac incertius est hominum voluntatibus.

Nona.

In causis essentialiter ordinatis impossibile est progredi in infinitum, quia si essent infinitae, ordo earum turbaretur: igitur necesse est perveniri ad unam primam, quae habet potentiam infinitam. Ex hac regula Physici erudite ratiocinantur, unum esse Deum, mentem aternam, immensae potentiae, causam universae naturae, ac boni in natura, ut sapienter et diserte tradidit Plato definitionem Dei. Sunt autem essentialiter ordinatae, quae sic se habent, ut impossibile sit alteram sine altera agere, ut ad hominis generationem necesse est, concurrere causas particulares, patrem et matrem, et universales, Deum et motum coelestem.

Decima.

Accidentaliter ordinatas non necesse est simul poni, ut cum duo equi simul trahunt currum.

Undecima.

Impossibile est causam efficientem totam genere deteriorem esse effectu. Ideo necesse est, primam causam rerum, esse naturam intelligentem.

Duodecima.

Lex referenda est ad causas efficientes, quia est cogitatio principaliter movens agentem. Cum igitur actionum efficientes causae quaeruntur, lex etiam quaerenda est. Ionathas texit Davidem contra edictum patris, sed motus est vera lege, videlicet, Non est iniuste faciendum parentum aut amicorum causa, ut dicitur: Non communices alienis peccatis. Recte igitur fecit Ionathas. Talia argumenta a lege ducta pertinent ad locum causarum efficientium.

Tredecima.

A causis per accidens non valet consequentia. Nam saepissime fit, ut non sequantur effectus, ut:

Laboravit febri,
Ergo factus est temperans.
Venit in iudicium,
Igitur odit adversarium, etc.

Dic primam regulam de Materia.

Cui adimitur materia, adimuntur et partes materiae et accidentia propria illi materiae, seu subiecto, ut:

Stellae sunt corpora lucida, sed non conflata ex elementis inter se mixtis,
Ergo nullae sunt partes terrestres in stellis, nec aluntur stellae vaporibus.

Secunda.

Accidentia propria mentis, non sunt tribuenda corpori, nec econtra, ut:

In statua non est mens,
Ergo nec noticia vel cogitatio.

Tertia.

Accidentia non possunt esse sine subiecto. Quare destructo subiecto accidentia etiam intereunt, ut:

Oculus corruptus est,
Ergo extincta est visio.

Quarta.

Diversae materiae variant rerum dignitatem, ut: Thorax aureus est preciosior ferreo.

Dic regulam de Forma.

Posita forma substantiali, res ipsa ponitur, Nam cum forma ponitur, necesse est materiam et efficientia praecedere, Nam forma est in materia. Rursus autem, ubi non est forma substantialis, ibi nec res est eius speciei, cuius est forma illa specifica.

Stellae non habent animas insitas,
Igitur non sunt animalia.

Eodem modo ab accidentalibus formis argumentamur:

In his ruderibus destructa est figura domus,
Igitur haec rudera non sunt domus.

Dic regulas de Causa finali.

Prima est.

Omnes res in tota natura conditae sunt ad aliquos fines, id est, ad usus aliquos. Ideo dixit Aristoteles: Natura nihil facit frustra. Item: Natura agit propter finem. Ex hoc fonte extruunt Philosophi universam Ethicen. Ut vident caeteras res, Solis cursum, fruges, plantas, ad certos usus seu fines nasci: ita recte iudicant genus humanum ad certum finem nasci. Et cum saepissime ducantur ab officiis argumenta, sciendum est ea sumi ex causa finali.

Secunda.

Unius rei possunt esse multi fines, sed subordinati seu vicini, ut: Vinum nutrit et sanat, Homo conditus est, ut agnoscat et celebret Deum, doctrina et obedientia. Hic est praecipuus finis. Postea accedunt alii, Ut iuvet communem societatem, Nam et societas propter hanc causam instituta est, ut alii alios de Deo et de rebus bonis doceant. Miles dimicat principaliter, ut Deo obtemperet, obtemperaturus, etiamsi non darentur praemia. Secundo, ut adiuvet defensionem suorum. Tertio, ut stipendium accipiat. Ita una actio multos habet fines, sed tamen alios aliis potiores. Ioseph abstinet ab herili coniuge, Primum, ut Deo obtemperet. Secundo, ne puniatur a Deo vel aeternis vel praesentibus poenis. Tertio, ne amittat praestantiam donorum. Quarto, ne deformet doctrinam scandalis. Quinto, ne suo peccato noceat alterius conscientiae, nec a Deo avellat animam, et impellat in perpetuum exitium. Sexto, ne noceat Reipubl. Septimo, ne puniatur poenis civilibus. Ita sciant iuniores saepe multos fines concurrere, et diligentia digna est homine, fines actionum magna cura prospicere, ut vulgo dicitur:

Quicquid agis, prudenter agas, et respice finem.

Hinc etiam magna orationis copia nascitur, nam hic locus a finibus gignit locum rhetoricum ab utili, qui, quia homines plurimum moventur utilitate, magnam vim habet in omni deliberatione.

Non valet consequentia:

Deo gratis serviendum est,
Ergo non sunt petenda vel expectanda praemia corporalia, aut stipendia.

Neganda est consequentia, quia unius rei multi possunt esse fines, sed ordinati.

Tertia.

Propter quod unumquodque tale est, et illud magis tale est, hanc regulam usitate de efficientibus interpretantur. Sed Iurisconsulti recte transferunt eam ad finales causas, de quibus universaliter verum est, propter quod unumquodque appetitur, illud magis appeti, ut:

Avarus appetit navigationem propter pecuniam,
Ergo pecuniam magis appetit.

Omnium superiorum regulam recitatio illustrat hanc communem regulam: Positis omnibus causis sufficientibus in actu, fit effectus.

De loco effectuum.

Regula supra recitata est, effectu posito, nenesse est causas proprias esse vel fuisse etc., et usitatissima sunt argumenta in tota vita ab effectibus ducta, ut:

Terra in longo tractu concutitur ingenti motu,
Ergo necesse est causam aliquam esse quassantem.

Quomodo autem investigentur causae, et quibus effectibus positis, quae causae efficientes, materiales, formales, aut finales respondeant, id in singulis artibus traditur. Ut de terrae motu inquit Physicus, causam esse in terra magnos halitus inflatos. Astrologus addit causam coelestem. Addit et aliam causam doctrina divina. Etsi fit terrae motus inflatis halitibus, tamen ait, Deo simul movente fieri hanc halituum inflationem, et terrae concussionem, ut significentur venturae poenae. Videmus in natura mirandum ordinem corporum mundi, coeli, elementorum, rerum nascentium, Videmus leges motuum coelestium, Videmus in mente hominis pulcerrimum ordinem, noticias numerorum et figurarum, discrimen honestarum actionum et turpium, aeterna lege universaliter omnium mentibus infixum, et alias noticias, quae sunt semina honestarum artium. His effectibus conspectis Physicus ratiocinatur de causa:

Impossibile est ordinata extitisse, et manere talia casu. Item: Impossibile est causam genere esse deteriorem effectu,
Sunt autem pleraque in natura rerum ordinata, et homo est natura intelligens,
Ergo necesse est primam causam mundi esse architectum intelligentem. Et quia hoc modo Dei vestigia in natura rerum et in artibus comparent, Plato dulcissime dixit: Gratam Dei famam in artibus sparsam esse.

Ut autem antea dixi, in causarum investigatione, consulantur in quolibet genere artes, quae de illis effectibus disputant. Dialecticus non potest de singulis tradere regulas, sed contentus est hac communi commonefactione, posito effectu, necesse est propriam causam esse vel fuisse. Deinde quae causae calefaciant, quae frigefaciant, dicendum est in Physicis.

De loco antecedentium et consequentium.

Vicinus est locus antecedentium et consequentium loco causarum et effectuum. Sed tamen discrimen observandum est. Nam quaedam antecedentia non sunt causae, sed aut praeparationes, aut subiecta, aut signa, ut: Sationem antecedit aratio, curationem morbus, Solis ortum aurora. Quaedam comitantur, etsi non sunt proprie effectus, ut: Posterior dies sequitur priorem, Cruciatus animi sequuntur conscientiam scelerum. Sunt autem duplicia antecedentia, alia necessario seu semper antecedunt, alia plaerunque. Sic et consequentia differunt. Hinc et de argumentis iudicium sumitur.

Regula.

Valet argumentum ab antecedente ad consequens seu necessario, seu probaliter, ut:

Venit in aulam,
Ergo incidet in multa magna pericula.
Nero polluit se flagitiosis libidinibus, et multos iniuste interfecit,
Ergo haud dubie interficietur.

Valet lege divina, quia Deus est custos disciplinae, et atrocia scelera manifestis exemplis punit, ut scriptum est: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Magnus usus est huius loci in omni vita, ut in deliberationibus diligenter prospiciendum est, quae bona vel mala comitentur actiones, quas instituimus.

Secunda regula.

Cum a consequente argumentamur ad antecedens, quaerimus necessario antecedentia. Quare posito consequente, tunc valet argumentum, cum ostendimus praecessisse illud antecedens, quod semper praecedere solet.

Pervenit ad metam,
Ergo iter fecit per priora spacia.
Prophetae utrunque praedicunt, Messiam natum ex semine David, interficiendum esse, et tamen deinceps regnum perpetuum habiturum esse,
Necesse est igitur Messiam post mortem reviviscere, nam alioqui non regnaret semen Davidis.

Hoc argumentum ex consequente ad antecedens firmum et illustre testimonium est resurrectionis Christi apud Prophetas. Utrunque membrum est in cap. 53. Iesaiae:

Messias abscissus est de terra viventium, id est, interfectus est. Deinde addit alterum membrum, ex angustia et iudicio ereptus est.
Ergo postquam interfectus est, deinde resuscitatus est.

Conferenda sunt igitur membra, et prudenter iudicanda adhibitis his regulis, quae aliquo modo iudicium acuunt.

Iustificati fide pacem habemus,
Praecedunt igitur pavores et magni dolores in agnitione irae Dei adversus peccatum.

Sic Cicero in oratione pro Roscio narrat, ex consequente iudicatum esse:

Inventi sunt filii dormientes in cubiculo interfecti patris,
Ergo iudicatum est, eos non fecisse caedem.

Quia videtur impossibile, facto parricidio conspersos sanguine paterno, mox rursus dormire posse.

Ab absurdo.

Absurdum in Philosophia, dicitur manifeste falsum, quia immediate pugnat cum communi sensu, id est, cum principiis natura notis, aut universali experientia. Ac recte mentio fit huius loci in dialecticis, quia prodest has regulas nosse: Ex vero nil nisi verum. Et vera veris consentiunt. Et in dogmatibus si quid absurdi sequitur, necesse est aliquid erroris in praemissis esse. Sit igitur haec regula, Absurda reiicienda esse, et hypotheses, ex quibus sequuntur absurda, falsas esse necesse est, quia ex vero nil nisi verum. Ut, ex Epicuri dogmate de voluptate sequitur absurdum, igitur dogma falsum est, quia si voluptas finis est et anteferenda honestati, reipsa concedet multa flagitia. Ita reiiciantur et Stoicorum absurda et multa aliorum, ut: Omnia peccata sunt paria, Affectus sunt opiniones, Vita et bona valetudo non magis expetendae sunt, quam mors aut morbi, etc. Sed in doctrina Ecclesiae vocamus absurdum, quod pugnat cum praecipuis praeceptis moralibus, aut articulis fidei, ut cum dicitur: Si oculus tuus offendet te, effodias eum. Hic non intelligamus praecipi lacerationem corporis, quae manifesto praecepto morali prohibita est in his verbis: Non occidas. Tenenda est igitur regula: Vitandae absurditatis causa, decurrendum est ad figuras, et quaerenda concinna interpretatio. Effodias oculum, id est, abiice persuasionem falsam, quamvis dulcem, quae abducit a Deo, seu non assentiaris doctori vel amico abducenti animum a Deo.

Sic et generalia dicta vitandae absurditatis causa restringenda sunt, ut cum dicitur: Non vindicantes vos ipsi. Absurditas esset, intelligeres universaliter omnem vindictam prohiberi, id est, iudicia et legitima bella. Quia in alio loco Evangelium approbat magistratus et eorum officia, igitur vindictae prohibitio ad privatam restringenda est.

A necessario.

Non loquimur de stoica necessitate, sed de ea, de qua in artibus dicitur, ut demonstrationes necessariae sunt: item de ea, quam lex affert, ut pater necessario alit sobolem, scilicet, quia lex praecepit: seu de ea, quae in delectu, ut vitet impossibilia, eligit possibilia, ut: Non possum

flumen ponte aut vado transire: Necesse est igitur navigio transvehi. De talibus modis hic loquimur. Ut igitur saepe alias dictum est, in artibus prudenter discernenda esse necessaria a non necessariis: ita in omnibus vitae deliberationibus sapientia est videre necessaria, et anteferre ea non necessariis, imo in magnis rebus nihil faciendum est, nisi quod necesse est facere. Sed maxima hominum multitudo partim stulticia, partim πολυπραγμοσύνῃ discit, suscipit et agit non necessaria, omissis necessariis. Hoc vitium saepe taxatur in doctrina coelesti, et in Philosophia, ut Paulus inquit: Propria facite. Et venuste dictum est a Seneca: Magna pars vitae elabitur male agendo, maior nihil agendo, maxima aliud agendo. Sit igitur haec regula: Cognita necessitate in artibus et in consiliis, sublata dubitatione mens assentiatur, et obtemperet necessariis, ut, necesse est discere et profiteri veram doctrinam a Deo traditam, etiamsi contemtus et odia potentum, paupertas, et interdum atrocia supplicia id studium comitantur. Ita anteferenda est necessitas locis ab utili et facili, in suadendo et dissuadendo.

Ab impossibili.

Vicinus locus est ab impossibili, cognita enim impossibilitate in artibus, aut deliberatione, etiam reiicienda sunt impossibilia, sublata omni dubitatione, ut: Impossibile est Phaetonti regere Solis currum, ideo tantae rei conatus omittendus est. Haec humanae mentes naturae iudicio intelligunt, nihil enim fit sine causa, et in causa vim seu facultatem esse oportet ad efficiendum id, quod molitur. Praeterea videndum est, quid cui naturae sit impossibile.

> Certum est eam doctrinam de voluntate Dei, a vero Deo patefactam et traditam esse, cui addita sunt testimonia resuscitationis mortuorum,
> Talis est sola doctrina Ecclesiae tradita per Christum, Prophetas et Apostolos,
> Certum est igitur divinam esse.

Nam sola omnipotens natura potest mortuos in vitam revocare. Ita Deus se patefecit Ecclesiae additis testimoniis, quae imitari Daemones non possunt.

Caeterum in Physicis magnus est usus huius loci. Impossibile est hydropicum convalescere, qui auget morbum assidua ingurgitatione. Impossibile est gravia sursum ferri sua vi sine externo adminiculo. Haec impossibilitas intelligitur de naturae ordine, sicut condita est. Est et magnus usus hodie ab impossibili in legum mitigatione.

Connexa seu circumstantiae.

Supra de definitione rei, deinde de causis dictum est, Nunc ordo postulat, quaeri de circumstantiis, sine quibus res esse non possunt, ut de tempore, loco, sexu, auxiliis, eventibus. Haec vocant connexa, quia nunquam divelluntur a rebus. Ac late patet hic locus. Sed nos praecipuas regulas trademus.

Prima.

Necessaria argumenta sumuntur a tempore, loco et sexu, quia velut proprietates semper comitantur corpora et res alias. Posito corpore aut alia quacunque re, necesse est ei tempus attribui, ac loquor de tempore communiter. Remoto tempore universaliter, res ipsa removetur. Ut in negativis facile intelligi potest.

> Pythagoras nondum natus fuit Numae tempore,
> Non igitur fuit auditor Pythagorae Numa.

Ac multa a tempore iudicantur, Leges positivae nondum promulgatae non obligant. Leges ad certum tempus latae non retinent autoritatem post illud tempus, ut:

> Leges Moysi de ceremoniis fuerunt ad certum tempus latae,
> Ergo post illud tempus non obligant.

> Lex moralis seu decalogus est aeterna et immota regula in voluntate Dei, cuius noticia humanae menti insita est, ut nostrae mentes, voluntates et actiones, congruant ad illam aeternam regulam,
> Ergo semper obligat lex moralis donec fuit, est et erit humana natura.

> Filius Dei fuit, cum esset Abraham,
> Ergo non est tantum homo tunc ante annos 33 natus.

Alia regula.

Posita corpore, aut alia quacunque re finita, necesse est ei locum attribui, et quidem unum corpus seu una res finita, non est simul in plu-

ribus locis, et absentis membra nihil agunt in eo loco, unde absunt, ut:

Cicero non est Romae cum Iulius interficitur,
Non igitur sua manu interfecit Iulium.
Angelus Persarum est in Ionia,
Non igitur eodem tempore est in Persia.
Deus promisit se Ecclesiam servaturum esse, usque ad finem mundi, etiam in hac vita, et deinceps perpetuo,
Ergo dabit Ecclesiae aliqua hospitia, ubi studia colantur. Quia studiis doctrinae opus est sede aliqua et mediocri tranquillitate.
Oportuit Christum nasci in Bethlehem, et quidem stante politia Mosaica,
Iam vero amplius mille et quadringentis annis iacent deleta Bethlehem et politia Mosaica,
Ergo necesse est Christum multo ante apparuisse.

Valet consequentia ex loco a connexis.

Non addam plures regulas de circumstantiis, quia modum harum praeceptionum esse oportet. Tantum recitabo usitatum versiculum, qui utcunque circumstantias nominat: Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. Et has sciant studiosi in negociis quaerendas esse et quomodo inde sumantur argumenta, docet partim communis vita, partim lectio eloquentium scriptorum. Ut Iurisconsultus citans Demosthenem, discernit iniurias circumstantiis, Multa facit verberans, quae repraesentari oratione non satis possunt, gestu, aspectu, voce, significans contumeliae causa se verberare, etc. Caeterum supra dictum est, aliud esse causas, aliud occasiones, quae sunt temporum aut locorum, aut personarum congruentia, quae viam concedunt agenti, quarum etiam saepe in dicendo fit mentio, ut Deus offert occasionem migrationi Ioseph in Aegyptum. Ac verum est bonas occasiones in rebus magnis Dei dona esse, quibus recte uti sapientia est, idque intelligitur hoc dicto: Oportere homines esse fabros suae fortunae. Quod non intelligatur de totali causa, sed ut oblatis occasionibus recte utantur.

Adiacentia et adiuncta.

Supra de circumstantiis diximus. Sequens locus iubet perpetua accidentia specierum considerare, estque locus hic vicinus proprio, quia perpetuorum accidentium coacervatio est re ipsa speciei proprietas, ut: γλυκύῤῥιζαν discernimus ab aliis radicibus, figura et dulcedine. Utilis est regula ab Aristotele tradita: Posita specie mox perpetua eius accidentia quaerenda esse, ut faciunt scriptores in plantarum descriptione. Haec perpetua accidentia nominantur ab aliquibus Adiacentia, quia apud Aristotelem dicuntur προςκείμενα. Deinde nominant Adiuncta, ornamenta, quae inesse alicui debent, aut alia externa, quae semper comitantur rem, natura vel ordinatione aliqua, ut: Umbra comitatur corpus positum ad lumen. Recte facta comitatur gloria, hoc est, comprobatio in bonis vere iudicantibus. Atrocia delicta comitantur poenae. Pleuritidem comitatur febris. Nos brevitatis causa uno loco complectemur adiacentia et adiuncta. Nec ignoro varie uti his appellationibus scriptores, sed omittamus λογομαχίας, et eligamus utilia praecepta, et videamus, quomodo ad usus apte transferri possunt. Etsi autem hic locus, ut supra dixi, includi in locum proprii poterat, tamen utili praeceptum saepius repeti non nocet. Sit igitur haec regula:

Posita specie simul ponuntur adiacentia et adiuncta, et rursus: Destructa specie simul destruuntur adiacentia et adiuncta. Sic econtra, posita coacervatione adiacentium ponitur species, ut fit in descriptione plantarum. Exempla huius loci ubique obvia sunt: In sanguine est humor ater, amarus, mordax, arrodens, exulcerans linguam, et foetidus, Multum est igitur atrae ac adustae bilis. Nam haec sunt adiacentia atrae bilis adustae.

Metalla gravia sunt,
Ergo multa in eis terra est, quia terrae adiacens es gravitas.

Adiunctorum haec sunt exempla:

Tutor est,
Ergo debebit reddere rationes administratae tutelae.
Contractus bonae fidei adiunctum est, ut damna sarciantur, etiamsi id non est lingua nuncupatum,
Conductio est contractus bonae fidei,
Ergo, cum conductoris culpa aliquid corrumpitur, sarcire damna debet, etiamsi id non est lingua nuncupatum.

Episcopus est,
Ergo timeat Deum, recte intelligat doctrinam Evangelii, et sedulo doceat, sit concordiae et pacis in Ecclesia.

Ex hoc loco sumit Cicero magnam partem orationis pro lege Manilia, colligens conditiones boni imperatoris. Et facile est agnoscere exempla huius loci, quia communis via docendi est, describere res per accidentia perpetua. Item, posita re aut officio, quaerere adiuncta. Et ut hanc viam in discendo et explicando sequantur studiosi, monendi sunt.

Communiter accidentia.

Communiter accidentia differunt ab adiacentibus. Nam adiacentia sunt perpetua, et gignunt firmiores probationes, sed communiter accidentia, etsi plaerunque accedunt, tamen interdum impediuntur. Igni semper inest calor, sed ebrio plerunque accidit, ut fiat calidior. Fieri autem potest, ut calor impediatur, ut cum in ventriculo debili nimis onerato tanta est cruditas, ut prorsus nulla sit actio ventriculi, dicuntur igitur communiter accidentia, quia causa est, cur saepius accidant. Sed cum haec causa deest, impediuntur, ut:

Navigatio est hyberna,
Ergo erit difficilior.

Plerunque ita fit, sed interdum in hyeme placidis tempestatibus et spirantibus ventus secundis facilior est navigatio.

Antonius vicit in duobus civilibus bellis, et fuit natura immoderata,
Ergo factus est insolentior et superbior, et magis indulgebat omnibus cupiditatibus.

Valet consequentia a communiter accidentibus. Quod enim fiunt homines negligentiores in rebus secundis, causa est, quia metus, seu Dei, seu fortunae, qui prius frenabat animum, exuitur in illa laeticia, quae sequitur successus, et quasi custos morum dimittitur. Incipiunt igitur animi magis indulgere cupiditatibus. Haec mala praecipue manent in naturis immoderatis, sed castigatae a Deo, ut David post exilium, sunt modestiores.

Similia vel paria.

Postquam explicata est rei propositae definitio, monstratae causae, effectus, connexa, adiacentia et adiuncta. Deinde ingredimur locos, qui longius quaerunt argumenta, videlicet ex collatione aliarum rerum, similium aut pugnantium. Ideo hi loci dicuntur. Vocantur autem Similia in hac doctrina non solum duae qualitates similes, ut sub artibus imitandi causa excogitatis, pictura, statuaria, poëtica, sed etiam officia, quorum aliqua est convenientia, ut iudex, arbiter, bonus princeps, pater. Sed collatio facienda est in his partibus, quae congruunt. Nam si fiat collatio earum partium, dissimiles sunt, nihil cohaeret. Ideo crebro dici solet: Simile non est idem, hoc est, in his, quae sunt similia, circumstantiae aliquae sunt dissimiles. Item: Omnis similitudo claudicat. Item: Simile non currit quatuor pedibus. Regula igitur haec tenenda est. Saepius affirmative valet consequentia a simili, cum fit collatio earum partium, quae congruunt, et tunc verum est dictum: De similibus idem est iudicium. Ut cum collatio specierum refertur ad genus, vel ad alias communes qualitates, non ad specificas differentias, ut:

In pictura summum decus est, rectissime imitari naturales figuras corporum,
Ergo et in eloquentia summum decus est, res vere cogitatas oratione propria exponere.

Hic genus intuemur, quia utraque ars est imitatrix. Argumentum a simili est sub uno genere:

Legata ad spectaculum cessante eo more non redeunt ad haeredes, sed transferuntur ad alios honestos usus publicos, ut expresse in iure civili scriptum est,
Ergo et legata ad superstitiosum ritum, cessante eo more, non redeunt ad haeredes, nec diripiantur ab alienis, sed transferantur ad usus publicos.

Complectamur hic et vicinum locum a paribus. Vocantur autem paria, duo facta specierum vicinarum, sub eodem genere, quorum eadem est ratio, nec multum antecellit alterum alteri, ut:

David in casu necessitatis pie usus est panibus sacerdotum,
Ergo et Maccabeus pie fecit, cum in casu necessitatis in sabbato praeliatus est.

Valet consequentia, quia in utroque exemplo ceremoniae praelata est necessitas et lex moralis.

Aliud.

Raptorem deprehensum patri sine iudicio interficere licet,
Ergo Mars recte fecit interficiens Neptuni filium Halirothoum ut stuprantem filiam Alcippem.

A maiore.

Saepe conferuntur vicina, quorum tamen gradus aliqui sunt, de his duae regulae traduntur: A maiore tantum negative valet consequentia, iuxta regulam: Si id non inest, quod magis inesse videtur, nec illud inerit, quod minus inesse videtur, ut:

Rex non potest expugnare arcem,
Ergo multo minus aliquis inferior praeses.

Aliud.

Iuxta Senatusconsultum Macedonianum pater non tenetur solvere pecuniam mutuo datam filiofamilias, sine mandato,
Ergo multo minus non tenetur solvere pecuniam, quam filius nudo pacto alteri promisit.

A minore.

Tantum affirmative valet consequentia a minore, iuxta regulam: Si id inest, quod minus inesse videtur, multo magis id inest, quod magis inesse videtur, ut:

Si furtum est capitale,
Multo magis adulterium sit capitale.

Aliud.

Lapsus Ecclesiae gravissimis poenis puniuntur,
Ergo multo magis Epicureorum furores punientur.

Aliud.

Licet sabbato bovem servare,
Ergo multo magis hominem.

Utrunque locum nuncupant Iurisconsulti a fortiori. Magna enim vis est harum comparationum. Sed fiat collatio in iis partibus, quae congruunt.

A proportione.

Valde mihi placet mentionem fieri proportionum inter locos Inventionis. Postquam enim de substantia et de causis dictum est, de quantitate et de numeris, et numerorum collatione etiam saepe dici necesse est, ut in quotidiana vita sumtuum mentio et usitata et necessaria est. Videat paterfamilias, imo videant omnes amantes iusticiae, ne sumtuum magnitudo superet facultates. Haec collatio sumitur ex doctrina proportionum. Tanta est autem amplitudo eius doctrinae, ut in Dialecticis ne quidem inchoari possit. Sed gubernatorum autoritate et docentium fide et diligentia perficiendum est, ut adolescentes discant Arithmeticen, quae inter caeteras partes etiam amplissimam proportionum doctrinam continet. Discant iuniores vocabula. Aliud est λόγος, aliud ἀναλογία. Usitate vocatur λόγος proportio seu ratio, id est, duarum quantitatum eiusdem generis collatio inter se, quae certa appellatione exprimitur, ut quaternarii ad binarium dicitur esse proportio dupla. Sed ἀναλογία usitate dicitur proportionalitas, quae est duarum proportionum similitudo, ut sicut se habent 4 ad 2, sic se habent 6 ad 3. Postea multae recensentur species, quarum varietas et miranda est, et maximi usus in numerationibus et mensurationibus. Sed comprehendi in Dialecticis non potest. Nasci autem inde argumenta innumerabilia, in quotidiana vita animadverti potest.

Exemplum.

Cum in Cana Galileae Christus sex hydrias aqua impleri iusserit, quam convertit in vinum, si quaeratur, quantum vini donarit sponso, iuxta nostras mensuras, id ostendit analogia. Una hydria continebat duas metretas, metreta vero continebat triginta mensuras, quas nostra appellatione vocamus Kannen, ergo duae metretae continent mensuram, quam nunc usitate vocamus ein Eymer.. Iam sicut se habet una hydria ad duas metretas, ita se habent sex hydriae ad duodecim metretas. Donavit igitur mensuras vini, ut nos vocamus sechs Eymer, quod fuit munus non exiguum. Hoc exemplum recensui tantum, ut de loci huius titulo iuniores admonerem, ut in quotidiana numeratione cogitent magnum eius usum esse, Sed varietas eius ab Arithmeticis discenda est. Transfertur autem proportionum do-

ctrina et ad personarum collationes, de his loquuntur vulgares libelli dialectici, Sicut se habet gubernator navis ad navim, sic se habet Episcopus ad Ecclesiam, etc. Et hoc modo Aristoteles ex proportionibus erudite et venuste extruit doctrinam de iusticia: Gradus sunt rerum in vita,

> Opus est victu, doctrina, defensione,
> Ergo et agricolis, et doctoribus, et militibus opus est.

Cumque singulis gradibus opus sit, suus cuique locus et honos tribuendus est. Et ut proportiones miranda lege connexae sunt, sicut in Arithmetica cernitur, ita sit perpetua horum graduum copulatio. Sed haec alibi explicanda sunt.

Locus a pugnantibus.

Pugnantia sunt quadruplicia: Contraria, Privative opposita, Relative opposita, Contradictoria.

Quae vocantur hic contraria?

Contraria proprie hic dicuntur duae qualitates inter se oppositae, quarum una pellit alteram, aut quarum una posita in gradibus excellentibus, altera in eodem subiecto simul non ponitur, ut calor frigus, humiditas siccitas, iusticia iniusticia, virtus vitium, laeticia tristicia. Differunt autem contraria. Alia sunt Immediata, ut siccitas et humiditas. Alia sunt Mediata, ut albedo, nigredo. Sunt enim medii colores, rufus, viridis, coeruleus, gilvus, flavus, fuscus.

Dic regulas.

Prima est.

Valet universaliter haec regula: Duae contrariae qualitates graduum excellentium non sunt simul in eodem subiecto, ut, aqua valde calefacta non potest simul esse frigida. Sed gradibus remissis in eodem subiecto contrariae qualitates inter se luctandes esse possunt, ut, cum remittit calor in aqua, frigiditas, quae est naturalis qualitas, paulatim recipit vires, et rursus extinguit calorem. Sic in corde hominis simul esse possunt pavor et laeticia, sed in gradibus remissis et inter se luctantes, ut, David cum obiurgatione Nathan consternatus, postea audit consolationem, paulatim se erigit, et fides levit dolorem, et accendit aliquod gaudium. Hi affectus inter se luctantur, donec tandem vincit fides, et gaudii sensus superat. Non igitur valet consequentia:

> In Davide est fiducia et gaudium audita consolatione,
> Ergo non est in eo trepidatio.

Nam utrique affectus in gradibus remissis simul esse possunt.

Non valet consequentia:

> Dilectio foras pellit timorem,
> Abraham diligit Deum,
> Ergo Abraham non timet Deum.

Possunt enim utrique affectus simul esse, sed inter se luctantes et dissimilibus gradibus. Ideo dicit, pellit timorem, ut lucta significetur.

Secunda regula.

De omnibus pugnantibus observanda est regula: Opponi ea iuxta differentias, quibus dissident, non iuxta genus aut communia accidentia, ut non valet consequentia:

> Calor est qualitas,
> Ergo frigiditas non est qualitas.
> Pater est robustus,
> Ergo filius non est robustus.

Sed iuxta differentias fiat oppositio, ut:

> Pater genuit,
> Ergo filius non genuit.

Ex hac regula iudicari potest vetus cavillatio:

> Virginitas est bona,
> Igitur coniugium non est bonum.

Non valet consequentia, quia bonum est genus commune virginitati et coniugio, nec fit oppositio iuxta differentias. Nam bonum significat hoc loco rem a Deo concessam et probatam, et est genus complectens omnes res a Deo concessas et probatas.

Tertia regula.

In omni oppositione vitanda est ambiguitas. Nam vera oppositio illa dicitur, quae intelligitur de eodem tempore, eodem subiecto et respectu eiusdem, ut non placet consequentia:

> Aethiops est albus, quia dentes habet candidos, et niger, quia facies est atra,
> Ergo est albus et niger.

Sunt enim albedo et nigredo in diversis subiectis proximis.

Quarta regula.

Posita una qualitate in gradibus excellentibus, removetur contraria qualitas, ut valet consequentia:

Paries est niger,
Ergo non est albus.

Sed econtra, remoto uno contrario non oportet poni alterum, praesertim in contrariis mediatis, ut non valet consequentia:

Vestis non est alba,
Ergo est nigra.

Potest enim esse medii coloris, ut coerulea.

Quid sunt relative opposita?

Relative opposita sunt relativum et correlativum, ut in praedicamentis dictum est, ut: Pater, filius, Dominus, servus. Emtio, venditio.

Prima regula.

Posito relativo necesse est poni correlativum, sed in alio subiecto, et econtra, et destructo uno, destruitur alterum, horum etiam tanta connexio est, ut alterum sine altero nec esse possit, nec intelligi, ut supra in praedicamentis dictum est, ut:

Emens cum pacto de revendendo dedit precium,
Ergo necesse est vicissim ei tradi mercem aliquam.

Aliud.

Paulus Romanos quarto iuxta hunc locum connectit promissionem et fidem:

Necesse est Deo promittenti remissionem, credere sicut promissa est,
Reconciliatio autem propter Filium promissa est, non propter dignitatem nostram,
Necesse est igitur sic eam fide intuente mediatorem accipi.

Quam necessaria consolatio sit in hoc argumento proposita, in vera poenitentia et veris doloribus, magis intelligi potest. Imo ne hoc quidem ociosae mentes attendunt, qualis sit connexio promissionis et fidei, sed cum mens perterrefacta angitur de voluntate Dei, et quaerit vocem aliquam divinam, in qua promittitur remissio, et audita ea voce, paulatim erigitur, ibi agnoscit fidem relative se habere ad promissionem.

Quid sunt privative opposita?

Magnum discrimen est privationis et negationis. Nihil negative significat talem interitum, ubi nec subiectum reliquum est, ut: Alexandri equus iam nihil est negative, nam et cadaver dissipatum est in auras. At Privatio est destructio bonae rei in subiecto, quod reliquum est, aut est absentia rei bonae, quae competit subiecto, quod superest, ut caecitas est amissio visus in oculis. Ignorantia est absentia noticiae in mente. Nomen oppositum privativi Graeca consuetudine dicitur habitus, quod significat rem, quae vere est aliquid positive in natura, ut qualitatem, lucem, scientiam, figuram. Econtra privatio non est res, sed rei amissio aut destructio in subiecto, quod reliquum est, ut collapsa domo destructio seu confusio prioris figurae est privatio. Et tamen subiectum reliquum est, scilicet rudera. Ita peccatum dicitur esse privatio, non negatio, quia ingentis boni destructio est, et ordinis confusio in voluntate, et corde, cuius confusionis causa fuit ipsa voluntas hominis avertentis se a Deo. Ideo Deus subiectum, quod non est nihil, sed manet reliquum, et contaminatum est, iuste reiicit, ut coquus reiicit ollam rimosam. Crassius aliquid dicunt: Vulnus est dilacerata pars in corpore. Sic vitium actionis in Cain, est ipsa vitiosa et aberrans actio.

Regula.

In gradibus remissis simul esse possunt, habitus et privatio, ut in loco caliginoso parum lucis et aliquae tenebrae simul sunt: Sic in mente simul sunt, exigua noticia et aliqua caligo. Sed in gradibus excellentibus, detracto habitu, necesse est subiecto tribui privationem, et econtra, ut:

Furiosus est,
Igitur non consentit.
Aetas pueri nondum iudicat,
Ergo non facit votum.
Christus venit pauper,
Ergo sine regio apparatu, sine armis, sine opibus, et similibus rebus, quibus regum potentia instructa est.

De contradictione.

Nomine contradictionis utimur, non de simplicibus vocabulis, sed de duabus propositionibus

categoricis contradictoriis, ut: Sol movetur, Sol non movetur.

Regula.

Impossibile est duas contradictorias, in quibus non est ambiguitas, simul veras aut simul falsas esse, quare una parte contradictionis recepta, necesse est alteram reiici. Haec est regula divini et humani iudicii aeterna et immota. Quare prudenter cavendum est, ne assentiamur contradictoriis. Nam pariter recipere contradictoria, est ordinem mentis divinae turbare, et totam universitatem rerum confundere et evertere.

Forma per contrapositionem.

Hic recitetur et utilis forma argumentandi per contrapositionem, cum videlicet ex universali affirmativa, ducimus per conversionem consequens negativum a genere ad speciem, ut:

Omnis homo est animal,
Ergo quicquid non est animal, non est homo.

Haec consequentia valet per locum a genere ad speciem. Sed cum sic contexitur cum universali affirmativa, nominatur consequentia per contrapositionem. Nec est inanis ludus, sed multae et magnae res hoc modo iudicantur. Rom. 8.:

Omnes electi sunt vocati, aut vocantur,
Ergo qui non sunt in coetu vocatorum visibili, nec fiunt tandem membra eius coetus, non sunt electi. Nec alibi electorum Ecclesia quaerenda est, quam in hoc visibili coetu.

Quare semper in coetu vocatorum aliqui sunt electi, quae sententia de magna re pios docet, consolatur et confirmat. Iohan. 8.:

Omnis qui est ex Deo, verba Dei audit,
Ergo omnis non audiens non est ex Deo.

Etsi autem alii quaerunt, quomodo hoc argumentum Christi in syllogismi formam redigi possit, tamen rectius et expeditius est, non illigare syllogismo, sed dicere, consequentiam esse per contrapositionem. Ita consequens doctrinam amplissimam tradet, videlicet, Nullos esse electos, qui manent ignari doctrinae coelestis, aut qui eam Epicureo contemtu despiciunt, aut impia pertinacia delere conantur.

A contrario sensu.

Sic vocatur usitate forma argumentorum, cum subiecto et praedicato adduntur negationes in altera propositione, etiamsi non fiat conversio, et valet consequentia, cum subiectum et praedicatum sunt paria, ut:

Omnis agens poenitentiam, et credens sibi remitti peccata propter Filium Dei, recipitur a Deo,
Ergo omnis non agens poenitentiam et non credens, non recipitur.

Aliud.

Ubicunque duo aut tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum,
Ergo in aliis congregationibus, quae fiunt sine invocatione Filii Dei, non est salus, ut in congregatione Turcica aut Ethnica,
Necesse est igitur infantes Ecclesiae inseri.

Aliud.

Beneficium datur propter officium, id est, officium est causa finalis, propter quam datur beneficium,
Ergo non faciens officium, non fruatur beneficio.

Valet igitur haec forma, cum praedicatum est definitio aut proprium, aut cum causis proprii effectus attexuntur, aut econtra. Sed cum praedicatum est genus, utendum est forma per contrapositionem, ut:

Iniuria est offensio, quae fit consulto, studio laedendi, seu, ut vulgo dicunt, animo iniuriandi, non casu, non errore,
Ergo offensio non consulto facta, non est iniuria.

Sed cum praedicatum est accidens commune, nec a contrario sensu, nec per contrapositionem valet consequentia, ut, nihil cohaeret cum dicis:

Amicus est mutabilis,
Ergo non amicus non est mutabilis.

Nec illa cohaerent:

Amicus est mutabilis,
Ergo non mutabilis non est amicus.

Haec discrimina in argumentis a contrario sensit considerare prodest, ut ubi firma argumenta extrui possint, intelligatur.

A disparatis.

Disparata vocantur duae species diversae, quae etiamsi non habent contrariam inter se actio-

nem, tamen in unam rem confundi non possunt, ut: Homo et asinus, Albedo et scientia.

Regula.

Perspicua est et unica regula: Posita una specie, removentur omnes disparatae, ut:

Scientia est qualitas mentis,
Ergo non est magnitudo vel figura.

Aliud.

Poena, qua magistratus sontem afficit, est iuris executio,
Ergo ea poena non est iniuria, quia iuris executio et iniuria sunt diversae et disparatae species, ut recte dicitur: iuris executio non est iniuria.

Sed hic monendi sunt discentes, unicam esse exceptionem ab hac regula. Cum Deus ordinem specierum talem condiderit et sanxerit, ut impossibile sit, unum individuum esse conflatum ex diversis speciebus, ut, nihil idem potest esse, lapis et homo, tamen unum admirandum exemplum dissimile toti reliquo ordini naturae proposuit, videlicet copulationem divinae et humanae naturae in Filio Domino nostro Iesu Christo: Filius Dei est viva imago aeterni Patris, coaeterna, et est homo natus ex virgine. Hic disparatum de disparato praedicatur. Estque hoc exemplum exceptum a communi regula de disparatis.

Sciendum est autem tantum in concreto receptas esse has praedicationes: Filius Dei est homo, Deus est passus. Nam appellationibus concreti persona significatur. Sed in abstracto naturae seorsum considerantur. Ideo Ecclesia nequaquam sic loquitur: Divinitas est humanitas. Et eruditae causae sunt, cur haec discrimina in modis loquendi serventur, quae alibi diligentius exponendae sunt, hic satis est monere iuniores, ut reverenter Ecclesiae matris sermonem imitentur. Manet utraque natura, et divina humanam assumsit, ita, ut sit personae unitas. Ideo propria uni naturae tribuuntur alteri in concreto.

Inversio.

Ad locum pugnantium accommodo et locum, qui vocatur inversio, quem Hermogenes nominat *βίαιον*, eo quod in causis plurimum valet. Est enim forma argumentandi, cum causam, quam adversarius pro se citat, maxime contrarium confirmare ostendimus, ut Rhetores citant hoc exemplum de Ulysse:

Sepeliit Aiacem,
Ergo occidit.

Id invertitur: Imo, si occidissem, non sepeliissem, sed cum conscientia tranquilla esset, nihil dubitavi spectantibus aliis, inimico mortuo, cuius fuit antea magna virtus, hoc pium officium tribuere. Valde usitata est haec forma in magnis causis. Apud Paulum aliquot exempla extant, ut:

Si lex auget peccatum,
Pugnat igitur cum promissione.

Id sapienter et vere invertit Paulus:

Imo si tolleret peccatum,
Nihil opus esset promissione.

Nihil enim opus fuisset novo illo et arcano decreto de Filio et gratuita remissione, si lege potuisset aboleri peccatum.

Aliud.

Si dicant adversarii verae doctrinae: Ignoscendum nobis est, quia non didicimus doctrinam Ecclesiae. Id vere sic invertitur: Ergo magis delinquitis, quia utrunque grave scelus est, non discere, et de rebus incognitis pronunciare. Cum igitur magna vis sit inversionis, antiquitas non temere indidit huic loco tam illustrem appellationem, scilicet *βίαιον*.

A signis.

Signum est quiddam incurrens in sensus, quod ratiocinantem commonefacit de alia re, quae coniuncta est illi signo, quia illud indicium incurrens in sensus, vel est causa, vel effectus, vel comitatur causas vel effectus, vel divino ordine praenuncium est, etiamsi non est causa, ut: Pallor perpetuus in iuvenili corpore est signum malae coctionis seu epatis infirmi, qui pallor est effectus sequens malam coctionem, rubor enim fit sparso sanguine bene cocto in totum corpus etc. Cometa est signum ventorum, quia materia eius post deflagrationem dissipata, excitat ventos. Terraemotus est signum futurorum bellorum. Cumque nullo modo causa sit, tamen alio quodam ordine praenuncius est magnarum cladium, ut ante Leuctricam pugnam Bura et Helice, in Achaia, terraemotu demersae sunt in mare, ac significarunt clades Peloponnesi, quae statim se-

cutae sunt magnae et tristes, et saepe illustribus prodigiis moventur hominum animi, et inde multa ratiocinantur. Sed sciendum est, duplicia esse signa. Alia sunt Necessaria, quae vocantur *τεκμήρια*, quae sunt causae vel effectus rei significatae, vel perpetuo coniunctae cum causis aut effectibus, vel lucescere necessario significat ortum Solis, quia effectus est Solis spargentis lucem in ortu. Lac habere coniunctum est cum causa, scilicet, cum foetu in utero. Nunciat igitur certo mulierem gravidam esse aut recens peperisse. Alia signa non sunt necessaria, sed communiter Accidentia, ut: Talis est unusquisque, qualium consuetudine delectatur, plerunque ita fit, sed tamen aliqui non imitantur mores sodalium. Talia signa vocantur *εἰκότα*.

Regula.

A signis necessariis valet consequentia perpetuo. Sed a signis non necessariis plerunque valet, praesertim cum multa concurrunt: sed tamen interdum fallunt.

Exempla a signis necessariis:

Nullus motus in arteriis percipitur,
Ergo cordis vis prostrata est.

Aliud.

Sentio latus circa costas intus pungi, et accedunt difficultas anhelitus et febris,
Igitur pleuritis incipit.

Haec signa ex causis orta cum necessaria sint, non fallunt. Ac talia exempla medici recitant plurima. Ex signis non necessariis, ut:

Boreae spirant,
Ergo erit serenitas.

Stellarum positus denunciat humidam tempestatem,
Ergo pluet.

Interdum enim accedunt impedimenta propter eclipses, aut alias universales causas, aut propter iram Dei.

Aliud.

Affectus impediunt iudicium,
Aeschines odit Demosthenem,
Ergo non est credendum Aeschini criminanti Demosthenem.

Ex hoc genere non necessariorum, saepe in utranque partem signa colliguntur. Cumque humana cognitio a sensu ordiatur, diligenter circumspicienda sunt signa, et prudenter diiudicanda, ne, ut valde saepe fit in suspicionibus et aliis malis persuasionibus, decipiamus nos ipsi, asseverantes aliquid propter fallacia signa.

Locus ab exemplis.

Exempla sunt facta similia, quae in aliqua specie congruunt, de quibus propter similitudinem idem iudicatur, ut:

Theodosius recte fecit claudens templa idolorum,
Ergo pii principes, qui idolorum cultus prohibent, recte faciunt.

Valet consequentia, quia ratio similis est, Nam utrunque factum congruit ad legem: Debent obedientiam primo praecepto omnes homines, suo quisque loco.

Aliud.

Deus recipit Adam, et reddit ei vitam deserto ab omnibus creaturis post lapsum,
Ergo Deus vere facit aliquid sine causis secundis, et nos petentes recipiet, quia est aequalis sine *προσωποληψίᾳ*.

Sed ubi ratio dissimilis est, non valet consequentia, ut:

Petrus occidit Ananiam mentientem,
Ergo Episcopis licet punire gladio delinquentes.

Nego consequentiam, et ratio est, quia haec sunt dissimilia facta, punire verbo, et punire gladio.

Ministerii evangelici proprium est punire verbo,
Ideo Petrus verbo occidit Ananiam.

Sed gladio ferire officium est politici magistratus.

Nec valet consequentia, cum exempla citantur pugnantia cum legibus. Ideo dicitur: Non exemplis, sed legibus iudicandum est.

Cambyses duxit sororem,
Ideo idem licet aliis.

Nego consequentiam, et ratio est, quia allegare inconveniens, non est solvere. Et supra recitavi dictum Demosthenis: Impudens oratio est dicere, sic factum esse, Non enim, si quid contra leges factum est, id imitari licet. Et Hieronymus ait: Multitudo errantium non parit errori patrocinium. Cum autem vitam hominum

magna ex parte regant exempla, multa etiam peccata exemplis confirmantur. Ideo divinitus severissima praecepta de scandalis tradita sunt. Deinde etiam bona exempla saepe non recte imitantur homines. Quare et exempla diiudicanda sunt, et bonis in loco et recte utendum, ut vitentur κακοζηλίαι, ut non valet consequentia:

Themistocles vicit Persas,
Ergo Demosthenes vincet Macedonas.

In lege Mosaica sunt discrimina ciborum,
Ergo nunc servare discrimina ciborum necesse est.

Hae imitationes ex erroribus ortae, vocantur κακοζηλίαι, quales cum in vita plurimae sint, videndum est, quomodo circumstantiae exemplorum congruant, ut minus imitatione peccemus. Ad locum exemplorum pertinent et allegoriae, quae sunt imagines rerum similium, ut: Daniel sedens inter leones, est imago pii doctoris inter hostes docentis Ecclesiam. Valet igitur consequentia:

Daniel inter leones servatur,
Ergo defendet Deus aliquot pios doctores inter tyrannos.

Deus vestit Adam detracta pelle a corpore ovis. Ex hac imagine ratiocinabatur Adam. Sic nos iterum novo corpore immortali vestiet Deus, quod sumet ab ove, id est, a victima, videlicet, ab illo semine, quo mors rursus abolebitur. Antea enim audierat doctrinam perspicuam: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Ita postquam tradita est doctrina propriis verbis, postea gratae sunt picturae, quae eam illustrant. Nec ducuntur a Solis allegoriis firmae probationes, et curandum est, ut sint concinnae allegoriae, et ad capita doctrinae coelestis recte congruant, quod sine eruditione et magna dexteritate iudicii non potest effici.

Autoritas.

Autoritas usitate hic dicitur testimonium probati artificis. Constat autem in philosophia, in materiis, in quibus reperiri demonstrationes possunt, universaliter plus valere demonstrationem quam autoritatem. In caeteris materiis, aut antequam demonstratio inventa est, credendum est probatis artificibus, quia certiora sunt iudicia senum, qui diu res easdem cogitarunt, et sursum et deorsum, ut Plato inquit, volutarunt, et quasi evolutas intus contemplati sunt, quam iuvenum, qui velut hospites primum aspicere eas foris coeperunt. Impediunt iudicium, aetas, novitas, et imperitia. Iuventus enim per sese minus perspicax et minus intenta est, et ut audacior est, ita iudicium praecipitat: Deinde propter novitatem suas opiniones admiratur, quarum tamen vix obscura et exigua initia didicit, et nondum earum vim in usu consideravit. Econtra senectus contantior est, et artifex longo usu eruditus, collatis multorum iudiciis, veritatem propius videt. Quare sicut vulnerati perito medico assentiuntur, de vulneris curatione: ita iuventus, etiamsi degustavit doctrinarum initia, anteferat tamen senum artificum iudicia suis recentibus cogitationibus. Hoc praeceptum privatim et publice utilissimum esse, grandiores omnes magno consensu testantur. Traditur autem haec regula de autoritate: Valet affirmative argumentum ductum ab autoritate, quia perito artifici perspicue aliquid asseveranti credendum est, cum ipsi demonstrationem non tenemus, quia artifex vidit aut demonstrationem, aut probabilem rationem, cur ita iudicaret. Non autem valent haec argumenta negative, quia cum nihil expresse asseveravit artifex, non potest citari eius testimonium.

Exemplum.

Praecipuo artifici credendum est de materiis suae aliquid asseveranti,

Ptolemaeus, qui vere fuit artifex in doctrina motuum coelestium illustranda, praestantior caeteris philosophis, quorum citantur dicta de magnitudine Solis, Lunae et terrae, tradidit Solem maiorem esse terra centies sexagies sexies: terram vero maiorem Luna trigesies novies, et paulo amplius.

Assentiamur ergo huic artifici, nec furenter rideamus artificum dicta, ut multi faciunt.

Valet consequentia ab autoritate veri artificis affirmative. Econtra non valet consequentia:

Ptolemaeus non penitus inquisivit motum octavae sphaerae,
Ergo non movetur proprio motu.

Cum autem citantur falsa dicta eorum, qui non sunt artifices, brevis responsio sit haec: Ar-

tificum indiciis assentiendum esse, non aliorum, ut si quis dicat:

Epicurei et Cynici derident doctrinam de motibus coelestibus,
Est igitur inanis.

Nego consequentiam, et ratio est, quia de artibus credendum est artificibus, non ignaris aut scurriliter ludentibus.

Secunda regula.

Etsi in philosophia autoritas inter locos inferiores est, et postponenda demonstrationi, tamen in doctrina Ecclesiae autoritas divina primus et praecipuus, et firmissimus locus est, et valet affirmative et negative, quia necesse est, Deum sic agnoscere et invocare, sicut se patefecit, nec aliud de essentia Dei, aut de voluntate, aut de caeteris articulis fidei asseverandum est, quam quod Deus tradidit in scriptis propheticis et apostolicis, et symbolis.

Valet consequentia:

Certum est, Deum velle sic se agnosci et invocari, sicut se patefecit, et affirmat se aeternum Patrem una cum Filio imagine sua, et Spiritu sancto suo, omnia condidisse: Affirmat item se recipere et exaudire nos propter Filium,

Ergo sic eum agnoscamus, et mentem et oculos ad hunc Deum dirigamus, qui sic se patefecit, et sic recipi nos et exaudiri credamus, sicut voluntatem suam expressit.

Hoc argumentum sumtum ex hoc loco de autoritate divina, quotidie in invocatione cogitandum est.

Tertia regula.

Multum valent argumenta et a verae Ecclesiae autoritate ducta, sed tamen norma sit vox divina. Deinde in humanis seu civilibus legibus magna etiam vis est autoritatis, quia politicae leges, quae sunt iuris positivi, ut vulgo loquimur, propter duas partiales causas valent, videlicet partim propter rationem probabilem, qua honeste movetur legislator, partim propter autoritatem, ut:

Lex lata est de strangulandis furibus,
Ergo valet propter autoritatem, cum quidem etiam probabilem rationem habeat.

Testimonia.

Ad locum autoritatis in genere omnia testimonia pertinent, sitque regula: Valet argumentum, cum testimonia firma sunt in quolibet genere, ut in iudicio caedis, cum reus convincitur veris, perspicuis et sufficientibus testimoniis, iudex bona conscientia fert sententiam de supplicio. Iam in quolibet genere qualia testimonia proferenda sint, in suis artibus traditur. Iudex in foro aliis testimoniis utitur, Medicus aliis, cum testimonia quaerit experimentorum, ut: cum comperit multis exemplis chamaeleontem herbam prodesse initio pleuritidos. Inter testimonia recito et sententias, quarum aliae vocantur *γνῶμαι*, aliae *χρεῖαι*. *Γνῶμαι* dicuntur in philosophia morali praecepta de moribus, ut: Ne quid nimis, vel dicta de eventibus ipsis, seu bonis, seu malis, ut:

Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra pectora, pro meritis spemque metumque suis.

Suntque *γνῶμαι* velut communes regulae vitae.

Χρεῖαι sunt dicta quorumcunque artificum, aut hominum, quibus autorum nomina adduntur.

Et utroque genere saepe utendum est. Nam cum in argumentatione plerunque maior propositio, sit aliqua communis sententia, potest illustrari, aut ornari citata aliqua gnome, quod fit interdum sine autoris nomine, interdum vero etiam expresso nomine eius, cuius dictum recitamus, quia aut gratior futura est sententia, aut plus valitura propter eum, quem citamus, ut cum filiofamilias dicimus: Memini tuum patrem saepe dicere, in magnis rebus nihil faciendum esse, nisi sola necessaria, Tentare non necessaria, esse tentare Deum. Quomodo autem arte tractandae sint *γνῶμαι*, in exercitio styli discendum est, ubi animadverti potest, quomodo apte ad sententias referatur narratio aut argumentatio. Nisi enim ad praecepta adiungantur lectio atque imitatio orationum, quae a disertis scriptae sunt, frustra ars traditur. Mirifica autem voluptas est, in hac ipsa consideratione videre, quam tempestive homines eloquentes in gravissimis causis sententias intexuerint. Ac bona ingenia si degustent membra illa in orationibus, melle et nectare dulciora, ultra lectionem eorum appetent. Exempla autem

ubique obvia sunt, Si quem hortari velis, ut amico in calamitate opem ferat, argumenti summa talis propemodum syllogismus erit:

> Virtus est grata Deo, affici misericordia hominis aerumnosi, qui non accersivit sibi malum scelere aliquo, sed fortuito casu afflictus est,
> Nunc autem isti bellum Turcicum omnes fortunas eripuit,
> Quare affici misericordia ipsius pium est.

Maior propositio etiam sine ornamentis aliis recitata erit gnome, ut plerunque fit in materiis moralibus. Sed illustrari tamen potest aliorum dictis, et imaginibus, videlicet hoc modo: Theseus apud Euripidem lavat ipse suis manibus ducum ad Thebas interfectorum cadavera. Id funestum officium cum rege indignum videretur, addita est honestissima ratio, ex communi hominum foedere sumta. Non est turpe hominibus affici mutuis miseriis, *οὐκ αἰσχρὸν ἀνθρώποισιν ἀλλήλων κακά*. Potest autem addi haec amplificatio, collatio illustriori exemplo, videlicet hoc: Sed nos in Ecclesia exemplum habemus filii Dei, qui in sesę derivavit summa mala generis humani, ut nos liberaret. Talia ornamenta et in lectione bonorum scriptorum observent iuniores, et imitari in scribendo et loquendo discant.

De comparatione.

Utimur locis, aut in simplici quaestione, ut cum quaerimus: An coelum sit finitum, Quare ebrietas laedat cerebrum. Aut in comparatione, ut: Cum medicus quaerit, unde sint insomnia, utrum ex cerebri siccitate, seu calore nimio, seu ex cruditate in ventriculo non edente halitus somno utiles. Traduntur autem de comparatione singularia praecepta, quae tamen sumenda sunt ex his ipsis locis, quos hactenus recensui.

Prima regula.

Inventa seu animadversa demonstratione in speculabilibus aut practicis, manifestum est, reiiciendam esse contrariam imaginationem, nec dubitatio de comparatione maneat, ut: Cum scit Curius revera Catilinam moliri seditionem, statuat, iam sine dubitatione fugiendam esse eius amicitiam.

Secunda regula.

In speculabilibus ambiguis, cum duo verisimilia proponuntur, quaeritur, utrum sit verisimilius, ut cum de Iride quaeritur, quae sit causa arcus.

Tertia regula.

In practicis comparatio fit de electione. Sunt autem eligenda bona, et mala fugienda. Et in his gradus sunt: honestum, utile, suave. Haec si non sint coniuncta, honestum anteferendum est. Ac ut antea dixi, animadversa demonstratione, contrarium sine dubitatione reiiciatur, ut: Danieli non dubium est mortem anteferendam esse adorationi statuae. Scit Deo in confessione obediendum esse, etiamsi haec vita corporis amittenda sit. Sed multa sunt ambigua in practicis, ut cum quaerunt Athenienses, utrum defendant se contra Philippum, an vero pacem petant mediocribus conditionibus sine scelere. Hic fit collatio, utrum sit eligendum bellum, an pax, in qua etsi pactio sceleris nulla erat, tamen servitus futura erat, quam multa incommoda sequebantur. Sed Demadi videtur in bello plus mali fore. Ac inter duo mala, id quod minus malum est, eligendum est. Sed nihil sit sceleris in eo, quod eligitur. Ita cum latro minitatur mortem viatori, nisi pecuniam exhibeat, minus mali est amittere pecuniam, quam vitam. Etsi esset honesta defensio, tamen si est impossibilis, aut nimis periculosa, eligat minus malum, scilicet amissionem pecuniae. Ita cum Iudaea redacta esset in formam provinciae, nato iam Christo, et Romani magistratus tenerent superiorem iurisdictionem, ut usitate vocamus: Et tamen in doctrina de Deo et ceremoniis concessissent Iudaeis *αὐτονομίαν*, saepe Iudaei disputarunt, utrum bellum movendum esset contra Romanos, et armis recuperanda integra libertas, praesertim cum Deus promisisset huic populo libertatem et defensionem. Fuit hic quoque dubitatio, utrum eligendum esset bellum, an pax, in qua servitus erat satis dura et tristis. Sed tamen haud dubie Zacharias et similes iudicarunt, tolerandam esse servitutem, et argumenta contraria explicarunt.

> Deus promisit defensionem Ecclesiae,
> Ille populus erat Ecclesia,
> Ergo a Deo defendetur.

Hic responderi potuit, totum syllogismum verum esse. Nam et tunc defendebatur et serva-

batur Ecclesia a Deo, cum Deus poenam ita mitigasset, ut populus haberet *αὐτονομίαν* in doctrina, etiamsi politicam gubernationem Romani tenerent. Quod vero obiiciebatur: Israëlitis promissam esse libertatem, scire pios oportet, promissiones bonorum corporalium intelligendas esse, cum exceptione castigationis, ut in Psalmo dicitur: Visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam vero non amovebo ab eis. Ita in deliberationibus saepe collationes fiunt, quarum diiudicatio ex veris fontibus sumenda est, videlicet ex illis ipsis artibus, ad quas materia pertinet, et videndum est, ne vitiosae consequentiae in syllogismis texantur, ut in syllogismo Iudaeorum adversantium Ieremiae:

> Deus servat Ecclesiam,
> Nos sumus Ecclesia,
> Ergo sic servabimur, ne Chaldaei deleant Ierosolymam.

Hic plus est in conclusione, quam in praemissis. Haec de comparatione monuisse satis sit, ubi vident studiosi, hanc locorum doctrinam, non tantum esse normam iudicandi scripta, sed etiam esse normam rectricem vitae.

De nominibus distinctionum.

Ideo Deus indidit naturae intelligenti noticiam numerorum, ut discernat res. Necesse est enim discrimina rerum aliqua agnosci, nec omnia confundenda, et in unum chaos miscenda sunt. Necesse est scire, aliud esse Deum, aliud creaturas, aliud substantias, aliud accidentia, aliud natura intelligentes, aliud non intelligentes, aliud noticias, aliud appetitiones etc. Haec ipsa igitur doctrina de distinctione est quasi doctrina de rerum numeratione, et ostendit quae iungi, et quae divelli oporteat, quam, ut ita dicam, numerationem rerum, necessariam esse sani omnes intelligunt. Quare et Aristotelici dixerunt, proprietates Entis esse unum et diversum, quia in qualibet specie individuum quodlibet sit unum, id est, integrum quiddam in sua specie, et diversum ab omnibus aliis speciebus et individuis, Id fortasse obscurius dici videtur, sed tamen erudite dictum est. Planius est autem, cum ad numeros regredimur, et cogitamus res discernendas ac numerandas esse, hanc ob causam inditam esse naturae intelligenti numerorum noticiam, ut res discernantur, et ordo earum intelligatur. Utimur autem in philosophia praecipue his duobus nominibus distinctionum: Alia est distinctio realis, alia rationis. Distinctio realis est rerum diversitas, non imaginatione tantum facta, nec a voluntate nostra tantum instituta, sed quarum naturae sunt aliae. Ac regula certa est, distingui realiter omnia quae separari possunt, ut aquam a frigore distingui realiter certum est, quia aqua potest amittere frigus. Animam distingui realiter a noticia, item a virtute, a vitio certum est, quia has res amittere potest. Etsi autem usitato naturae ordine, non fit separatio omnium accidentium in singulis subiectis, tamen aliud est substantia, aliud accidens: Calor non separatur ab igni, at separatur ab aqua. Hoc exemplo commonefacti deprehendimus, aliud esse substantiam, aliud accidens. Est et altera regula perpetua: Quae subiectis distinguuntur, realiter distinguuntur, ut, opinio, et affectus. Nam opinio seu noticia est in parte cognoscente, at affectus est in corde. Necesse est igitur aliud esse opinionem, seu noticiam, aliud affectum. Distinctio rationis est, cum cogitatio aut voluntas facit discrimen in re una et eadem, ut: Idem aër est superior et inferior, superior terra, at inferior luna. Idem Carolus est imperator et rex Hispaniae. Ita una et eadem mens alias dicitur speculativa, alias practica, quia circa diversas materias versatur. Una et eadem anima est substantia intelligens et appetens. Sed actiones ipsae realiter differunt, quia noticia existere potest sine electione, aut mutata electione. Novit Cicero Clodium, et alias diligit, alias odit. Differunt igitur realiter noticia, et electio voluntatis. Ac in infinitum vagatur distinctio rationis. Eadem pugna Davidis est opus politicum, et cultus Dei, quia voluntas refert ad defensionem civium et ad illustrandam gloriam Dei. Ita vocamus distinctionem rationis, cum nostra cogitatio aut voluntas unicae actioni plures fines attribuit, aut unicae rei quasi plures personas induit, ut: Idem Roscius alias est Palamedes, alias Ulysses.

In Ecclesia vero additur ad haec duo nomina distinctionum, et aliud tertium, scilicet distinctio essentialis, quae in creaturis nihil differt a reali, Plato et Aristoteles destinguuntur realiter et essentialiter. Sed personas Divinitatis dicimus distingui realiter, non essentialiter. Sic in Ecclesia loquimur, et quae sit sententia, suo loco dicendum est. Caetera nomina distinctionum relin-

quo, nec de eis certamina moveo, videlicet de distinctione formali. Sit modus aliquis disputationum, et quaedam relinquantur iudicanda eruditis, quorum aetas maturuit, et qui norunt fontes huius doctrinae de distinctionibus et philosophia et in Ecclesia.

De ratione dissolvendi vitiosa argumenta.

Vetus dictum est, contrariorum eandem esse doctrinam, ut qui recte pingere cervum didicit, iudicare potest ex iisdem praeceptis, picturam cervi vitiosam. Ita postquam supra ratio tradita est inveniendi vera argumenta, et recte connectendi nunc de iudicandis vitiosis non est opus novis praeceptis, sed tantum videndum est, quae ad superiora praecepta congruant, ut bonus pictor inspicit ideam cervi, et cum vidit monstrosam imaginem cervi ab ea discrepare, iudicat vitiosam esse. Tantum igitur monendi sunt iuniores, ut in iudicandis vitiosis argumentis totam superiorem Dialecticae partem, ut ille pictor ideam cervi, intueantur. Id quomodo faciendum sit, iam ostendemus. Sed necesse est accedere exercitationem, quam propter magnitudinem utilitatis non defugere studiosos decet. Primum enim assuefacit discentes ad diligentiam, et acuit ingenia, ut rectius et celerius videant, in qua parte argumentorum sint vitia, et respiciant ad fontes falsarum propositionum: Deinde in tota vita, in omni sermone et collocutione, affert haec consuetudo amorem veritatis, odium sophistices, et dexteritatem in explicandis controversiis. Hae virtutes sunt ingens decus, et inprimis Ecclesiae salutare, et ad retinendam veritatem ac pacem utile. Nam sophistica non est tantum ludus, ut multi existimant, puerorum certantium in scholis talibus ridiculis captionibus, Qualis haec est:

Omnia quae cernis sunt Episcopi,
Asinos cernis,
Ergo asini sunt Episcopi.

Sed horribiliter in vita grassatur serens et confirmans falsas opiniones in Ecclesia, in curia, in foro, ex quibus maximae discordiae, bella et dissipationes generis humani oriuntur. Adversus hanc diram pestem necesse est bene praemuniri mentes et pectora. Existimemus igitur hanc doctrinam solvendi vitiosa argumenta, a doctis et amantibus veritatem magno consilio traditam esse studiosis, ut hanc Gorgonem opponere discant praestigiis sophistarum et sycophantarum, qui communem vitam, dogmata et consilia publica mendaciis et calumniis specie aliqua fucatis turbant. Etsi autem in Rhetoricis, ut in libro ad Herennium scripto, traduntur praecepta de vitiosis argumentis iudicandis, tamen illa et mutila sunt, et adeo agrestia ac obscura, ut ab ignaris Dialecticae non intelligantur. Rectior est et planior haec Aristotelis doctrina, quam sequimur. Nec aliud est liber de fallaciis, ut vocant, nisi viae solvendi falsa argumenta, congruentes ad locos dialecticos, ut infra ostendam. Primum autem haec brevis distributio teneatur, quam semper in conspectu omnibus eruditis esse oportet, ideo velut in tabella eam pingemus.

Modi solvendi vitiosa Argumenta.

Ratio solvendi vitiosa argumenta duplex est: Aut enim vitium est in forma tantum, id est, in consequentia. Haec enim vocatur forma argumentorum, Aut est in materia seu rebus.

Si vitium est in consequentia, rectissimum et expeditissimum est, reiicere argumentum reprehensione consequentiae.

Sin autem vitium est in materia seu rebus, via triplex est solvendi:

Aut enim inficiatione utimur, id est, negatione tollimus falsam propositionem, et falsitas ostenditur ex fontibus, id est, ex rerum locis, definitione, divisione, causis et aliis.

Aut utimur distinctione, ambigua enim distingui oportet, ut infra dicam.

Aut solvimus per instantiam, id est, tollimus propositionem aliquam ostensa falsitate, prolato opposito exemplo.

Prima regula.

In omni argumentatione prima cura sit, inspiciendae et iudicandae consequentiae, an ad formas et regulas supra in tota Dialectica traditas quadret. Ut enim ars in conspectu sit, hac exercitatione maxime perficitur. Cum autem consequentia discrepat ab aliqua regula totum argumentum reprehensione consequentiae reiiciatur, et monstretur regula, a qua discrepat. Haec ratio laudem affert celeritatis et ingenii, quia parvo negocio magnum periculum quasi aliquo strategemate discussum esse videtur, et existimatur acu-

men esse, cito videre monstrosam connexionem, seu membra non cohaerentia, et ἀναϰόλουθα, ut Plato nominat.

Exempla.

In omnibus sanctis in hac vita manet peccatum,
Adulterium est peccatum,
Ergo in sanctis manet adulterium.

Respondeo: Nego consequentiam, et ratio est, in secunda figura ex puris affirmativis nihil sequitur. Etsi autem hae breves captiones et responsiones videntur esse ludi pueriles, tamen re ipsa de magno errore multorum disseritur. Multi enim sibi blandientes, cum audiunt in sanctis manere peccata, attexunt falsa hoc modo: Etiamsi indulgemus pravis cupiditatibus, tamen sumus sancti. Videant ergo bonae mentes, ne hac sophistica decipiantur. Irenaeus inquit, haereticos nectere funiculos ex arena, id est, connectere non cohaerentia, ut in multis exemplis cerni potest.

Quod autem in secunda figura ex puris affirmativis nihil sequitur, ratio est, quia ex puris particularibus nihil sequitur. Est enim processus a particulari ad particulare, ut supra dictum est.

Aliud.

Paedagogia necessaria est,
Ceremoniae Moisi sunt paedagogia,
Ergo ceremoniae Moisi sunt necessariae.

Nego consequentiam, et ratio est, quia ex puris particularibus nihil sequitur. Maior tantum particularis est. Et si facias universalem, erit falsa. Omnis paedagogia, id est, omnium politiarum paedagogiae necessariae sunt. Haec falsa est, ut Laconica paedagogia non est necessaria.

Aliud.

Omnes calumniae sunt damnatae,
In iudiciis multae sunt calumniae,
Ergo iudicia sunt damnata.

Nego consequentiam, et ratio est, quia plus est in conclusione, quam in praemissis. Conclusio autem haec debebat esse, ergo hae calumniae in iudiciis damnatae sunt, non ipsa iudicia, quae non est necesse corrumpi calumniis. Animadverso igitur vitio consequentiae intelligi potest, quomodo Anabaptistae decipiantur. Ac tales captiones, quae sunt tantum scopae dissolutae, crebrae sunt in multis negociis.

Aliud.

Omnes scelerati aliquando affligentur,
Iob affligitur,
Ergo Iob est sceleratus.

Nego consequentiam, et ratio est, quia ex puris affirmativis in secunda figura nihil sequitur.

Hoc argumentum magna pars est disputationis in libro Iob, imo de tota Ecclesia sic plurimi iudicant.

Scelerati puniuntur,
Ieremias, Baptista, sunt in magnis calamitatibus,
Igitur sunt scelerati.

Hic necesse est conscientias scire huius captionis veram solutionem, quam dixi. Ideo autem in secunda figura ex puris affirmativis nihil sequitur, quia reipsa proceditur a particulari ad aliud particulare, hoc est, subiectum minoris non includitur in subiecto maioris, ut:

Omnis gallina est bipes,
Omnis homo est bipes,
Ergo omnis homo est gallina.

Aliud.

In Antonii vita apud Plutarchum, quispiam multis poculis aureis et argenteis donatur, propterea, quod alium hac captione exagitasset:

Aliquo modo febricitanti danda est aqua,
Omnis febricitans aliquo modo febricitat,
Ergo omnibus febricitantibus danda est aqua.

Nego consequentiam, quia sunt scopae dissolutae, a non distributo ad distributum non valet consequentia. Supra in figuris syllogismorum plura exempla recitata sunt, quibus commonefacti iuniores discant similes captiones refutare. Nam quotidiana lectio et vita suppeditabit infinita exempla. Complexus est autem Aristoteles vitiosas consequentias in fallacia consequentis.

De vitiis materiae.

Cum vitium in rebus est, hoc est, cum maior aut minor falsa aut ambigua est, solvitur argumentum per inficiationem, aut distinctionem, aut instantiam. Sed ut intelligi possit, quare propositio falsa sit, revocanda est ad locos. Nam

ideo falsa est propositio, quia aut definitio non congruit, aut causae, aut effectus, quorum fit mentio, non congruunt, aut caetera, de quibus loci praecipiunt. Nam cum loci gignant veras propositiones, cernitur causa falsitatis, cum ad fontes reditur.

Ex falsa definitione.

Non decet fucus Philosophos,
Eloquentia est fucus et accersitus ornatus inutilis,
Igitur eloquentia non decet Philosophos.

Sic argumentatur Picus ad Hermolaum.

Solvendum est per inficiationem hoc modo: Nego minorem, nam definitio falsa est. Eloquentia enim est facultas, res veras recte et perspicue bono genere sermonis exponendi, et in hac expositione elocutio non est fucus, sed est nativa et non monstrosa forma orationis. Ut enim picturam laudamus, recte imitantem corpora mediocribus coloribus: ita oratio res in mente recte cogitatas, verbis exprimat eas res vere significantibus ac illustrantibus. Ideo in Pici argumento definitio vitiosa est.

Aliud.

Nulla naturalia sunt mala,
Mors hominis est naturalis, ut putrefactio pomi,
Ergo mors hominis non est malum.

Sic Cicero argumentatur in prima Tusculana. Sed solvendum est argumentum per inficiationem: Nego minorem, quia naturalia sunt res et proprietates conditae a Deo, quas Deus in creatione et voluit existere, et approbavit. Mortem autem in natura humana Deus nec condidit, nec voluit existere in natura, qualem condiderat. Nequaquam enim voluit Deus huius sui operis et imaginis suae destructionem. Sed postquam homo volens et sponte se avertit a Deo, et Deum rectorem excussit, horribilis destructio secuta est. Ita mors est malum poenae, ut vulgo dicitur.

Aliud.

Omnis invocans Deum conditorem, verum Deum invocat,
Turci invocant Deum conditorem,
Ergo verum Deum invocant.

Solvendum est per inficiationem: Neganda est enim minor, quia Turci non invocant Deum conditorem, tametsi id iactitant, et valde glorientur se non adorare idola, sed mente intueri conditorem rerum. Negant enim hunc esse Deum conditorem, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, et cum Filio et Spiritu sancto mundum creavit, et se illustribus testimoniis patefecit. Hanc definitionem cum aspernentur, fingunt ipsi sibi aliud quiddam esse Deum sine Filio. Itaque idolum commenticium invocant, non verum Deum. Hanc solutionem meminisse valde utile est.

Complexus est autem Aristoteles definitionum corruptelas in fallacia aequivocationis, et fallacia accidentis.

De distinctione.

Usitata dicta sunt: Omne multiplex parit confusionem, id est, ambigua pariunt dissensiones. Item: Ambigua sunt distinguenda. Item: Qui bene distinguit, bene docet. Et Socrates apud Platonem inquit: Si nactus fuerit ducem, qui recte partiri sciat, se ipsius, tanquam Dei, vestigia secuturum esse. Haec dicta monent, ut in sermone circumspecti simus, ne ipsi ambigua spargamus, et ut aliorum ambigue dicta dextre interpretemur. Ut enim venit *Ἔρις* non vocata in convivium Pelei, in quo Iuno, Pallas et Venus consederant, et cum pomum obiectum dari formosissimae iussisset, discordiam inter deas excitavit, unde bellum Troianum ortum est: ita qui spargunt ambiguas opiniones, tanquam pomum ἔριδος populis obiiciunt, quod postea magnas dissensiones parit.

Primum autem considerandum est, an ambiguitas oriatur ex genere sermonis, an vero ex rebus, hoc est, ex genere aliquo, ubi specierum distinctio praetermissa est, aut ex divisionibus non sufficientibus. Si ambiguitas ex genere sermonis oritur, iudicatur ex Grammatica et phrasi suae linguae, qua in re sit in interprete, non solum eruditio, sed etiam amor veritatis, odium cavillationis, et candor. Quaedam enim sunt naturae cavillatrices, quarum ludus est odiosus, etiam recte dicta depravare, quo ex genere illa sunt: Cum essent dierum triginta factae induciae, Thraces noctu populati sunt agros, quia dierum non noctium induciae essent. Lacedaemonii legatos Persicos petentes terram et aquam, demerserunt in puteos, et terra obruerunt. Legatus

Romanus pactus, ut dimidium navium relinqueretur Antiocho, dissecari naves iussit, et dissectas trabes dedit Antiocho. Tales interpretationes pugnantes cum sententia, quam phrasis usitate significat, repudientur in seriis negociis, et consuetudinem huius ludi scurris relinquamus, qualis fuit Eulenspiegel. Saepe autem in foederibus et dogmatibus tales στροφαὶ deprehenduntur. Quare honesta antiquitas in formula foederum adiecit haec verba: ἄνευ δόλου καὶ ἀπάτης, et nunc dicitur: Omnia fideliter et sine calumnia.

Exempla.

Verba activa significant effectionem,
Deus dicit: Ego indurabo cor Pharaonis,
Ergo Deus efficit impiam pertinaciam in Pharaone, et causa est peccati.

Hic error ex phrasi oritur. Respondeo igitur ad maiorem: In lingua Ebraea verba activa valde crebro permissionem significant, et nequaquam effectionem. Est igitur indurabo, sinam durescere, sinam ferri suo impetu Pharaonem, cum me audire nolit, quia Deus trahit volentem, non repugnantem. Similis phrasis est: Ne nos inducas in tentationem, id est, ne sinas nos induci, ne deseras luctantes cum tentatione, ne sinas nos vinci.

Aliud.

Quod nihil est, non est dignum poena,
Peccatum nihil est,
Ergo non est dignum poena.

Distinguo maiorem. Quod nihil est negative, non est dignum poena, quia ibi nihil restat, ut equus Alexandri mortuus, iam nihil est negative. Sed nihil privative est destructio in subiecto, quod reliquum est, ut ruinae domus. Sic peccatum est nihil privative, id est, destructio in homine, propter quam subiectum abiicitur et damnatur. Ut igitur, cum caecum dicimus, intelligimus animal orbatum visu, Sic cum peccatorem dicimus, intelligimus personam, in qua est destructio, propter quam destructionem persona abiecta est, punit enim Deus subiectum, quod et fuit causa destructionis, et est res contaminata. Haec solutio, etsi in re magna videtur exilis, praesertim iunioribus, tamen grandiores intelligunt veram esse, et esse commonefactionem de rebus magnis.

Cum autem ambiguitas ex rebus oritur, ut, cum genus ponitur, omissa distinctione specierum: sumenda est distinctio ex ea parte, ad quam controversia pertinet, ut posito genere, videndum est, de qua specie proprie dicatur. Nam universaliter dicta de specie sunt certiora, et contrahunt generales sententias. Ideo Iurisconsulti dicunt: In toto iure generi per speciem derogatur, et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est.

Exemplum.

Nullus peccator exauditur a Deo, ut Iohan. 9. dicitur: Peccatores non exaudit Deus,
Omnes homines in hac sordida natura sunt peccatores,
Ergo nulli homines exaudiuntur.

Respondendum est per distinctionem: Distinguo maiorem, alii sunt peccatores agentes poenitentiam, alii non agentes poenitentiam. Maior vera est, si intelligatur de non agentibus poenitentiam: sed falsa est, si intelligatur de agentibus poenitentiam seu conversis ad Deum, et ex falsa maiore sequitur falsa conclusio. Deinde et minor distinguenda est: Omnes homines in hac sordida natura sunt peccatores, sed dissimiliter, alii sunt sine poenitentia, hi non exaudiuntur; alii sunt conversi ad Deum. Nam et in conversis haerent adhuc vitia seu pravi affectus, seu flammae cupiditatum, quibus tamen repugnant, quae vocantur praecepta venialia, sed non simul adest propositum delinquendi, et hos recipi a Deo et exaudiri certum est, ut affirmant haec dicta: Iustificati fide, pacem habemus. Item: Quanto magis pater coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus etc. Hanc doctrinam solvendi per distinctionem spargit Aristoteles in multas fallacias, quas sic vocavit, quia monere voluit, multa esse ambiguorum genera, alia sunt in una voce, alia in compositione, ut infra dicetur, et plurimum captionum oritur ex ambiguis.

Ex non sufficiente causa.

Saepe struuntur insidiae praetextu causarum, quae tamen re ipsa non sunt causae, aut recitatione causarum non sufficientium, aut aliis modis, in quibus causae non recte accommodantur. Talium captionum solutiones fiunt per inficiationem, aut distinctionem. Et Aristoteles vias in-

dicat in fallacia secundum plures interrogationes, item, in fallacia consequentis.

Exempla.

Lupus apud Aesopum accusat ovem, quod turbet flumen.
Simul bibis me bibente,
Turbas igitur mihi aquam.

Refutat ovis mentionem causae, et rationem manifestam addit, quia bibebat inferiore loco.

Dialecticus diceret: Nego consequentiam, et ratio est, quia est fallacia secundum non causam ut causam. Nam bibens inferiore loco, non potest esse causa turbationis aquae in superiore loco fluminis.

Aliud.

Deus praevidet raptum Helenae,
Ergo rapi Helenam necesse fuit.

Nego consequentiam, et ratio est, quia est fallacia secundum non causam ut causam. Praevisio enim nequaquam affert necessitatem. Sed poterat Paris omittere scelus. Praevidet autem Deus eventum, quia secuturus erat, etiamsi voluntas libera Paridis frenare se potuit, et ab aliena abstinere.

Aliud.

Quicquid auget peccatum, non docendum est,
Lex auget peccatum,
Ergo lex non docenda est.

Nego consequentiam, et ratio est, quia est fallacia accidentis. Nam lex est bona, congruens cum voluntate Dei, et prohibet peccata, et quia Deus vult a nobis conspici suam iram, vult sonare in genere humano vocem legis, ut monstret et arguat peccatum.

Hi effectus omnes sunt boni, sed natura infirma in hominibus, irascitur iudicio Dei, ita augetur peccatum a natura per se, sed a lege per accidens.

Aliud.

Apostoli docent Evangelium,
Turbant igitur concordiam orbis terrarum.

Nego consequentiam, et ratio est, quia est fallacia accidentis. Nam per se causa discordiae voluntas est multorum impiorum, qui nolunt parere voci divinae, cui obedientiam omnes debemus.

Aliud.

Voluntas congruens cum divina, est bona,
Iudaeorum voluntas congruit cum divina, quia mortem Filii Deus volebat, et interfici Christum volebant Iudaei,
Ergo est bona.

Solvitur per inficiationem. Neganda est enim minor, ac ducitur argumentum ex non sufficientibus causis. Nam maior ita demum vera est, cum voluntas nostra congruit cum voluntate divina iuxta omnes causas. Falsa est igitur minor, quia Iudaeorum voluntas nequaquam secundum omnes causas congruit cum voluntate divina. Differunt enim in immensum impulsivae, formales et finales causae, quae faciunt discrimina actionum in infinitum.

In Iudaeis impulsiva causa est ardens odium adversus doctorem, taxantem scelera et pravas opiniones. Formale, quod volunt in ipsa passione, est ipse cruciatus et laceratio, quam vellent esse aeternam. Finales causae sunt, ut ita tollatur hic doctor, ne reviviscat, et ut confirmetur licentia scelerum. Sed impulsiva movens Deum, est immensa misericordia erga genus humanum, et ipsa Filii intercessio, qui se obtulit ad poenam pro nobis luendam. Formale, quod vult Deus in passione, est non principaliter cruciatus, sed obedientia Filii. Finales causae sunt, ut ira placata per hanc obedientiam, satisfiat iusticiae Dei, et ut filius ipse reviviscat, et regnet in aeterna consuetudine cum aeterno Patre, et ibi reddat haereditati suae vitam et salutem aeternam. Constat igitur nequaquam congruere causas in Deo et Iudaeis, etiamsi in idem obiectum incurrunt, ut Chirurgus et latro in idem obiectum incurrunt, et uterque aliquid secat, sed dissimili modo et dissimilibus causis. Haec exempla recitavi, ut discant iuniores revocare argumenta ad fontes, ad definitiones, divisiones, causas, et alios locos. Ita rectius deprehendent insidias et causas falsitatis in membris argumentorum. Simul etiam ostendit, quibus locis quae fallaciae accommodandae sint, cuius vicinitatis animadversio multum lucis affert doctrinae sequenti de fallaciis, ut cum dicimus, Definitionum corruptelas esse aequivocationes, et fallaciam accidentis, iam scit studiosus recurrendum esse ad fontes, Ac inspectis veris definitionibus, corruptela emendari poterit. Absit autem studium nimiae subtilitatis,

quod multis modis nocet discentibus. Efficit enim in artibus labyrinthos, qui ingenia remorantur, et implicant inextricabilibus laqueis, ut crucientur inani cura, et a vero artium usu abducantur, deinde hebetatur iudicium, et amor argutiarum facit odiosos cavillatores et rixatores, etiam in caeteris vitae partibus.

De tertio modo, scilicet, de solutione per instantiam.

Multum valent exempla illustria, ideo interdum, cum propositio aliqua ratione perspicua non satis refutari potest, breviter eam opposito exemplo reiicimus, vocatur solutio per instantiam, ut:

> Legati seu nuncii in itineribus non violentur,
> Ergo nec iste nuncius violandus fuit.

Respondeo ad antecedens per instantiam: Athenienses interceperunt legatos Lacedaemoniorum euntes ad regem Persicum, ut eum sibi adiungerent contra civitatem Atticam, ut recitat Thucydides lib. 2. Et Romani ceperunt legatos Hannibalis euntes ad regem Macedonicum, ut narrat Livius lib. 3. decad. 3. Haec exempla ostendunt usitatum fuisse, legatos hostium perferentes mandata nocitura patriae intercipere. Ita breviter refutatur antecedens oppositis exemplis.

Aliud.

> Plato recitat hoc argumentum in Phaedro,
> Omne quod sese movet, semper movetur.
> Anima sese movet,
> Ergo semper movetur.

Brevissima responsio est ad maiorem. Nego maiorem et do instantiam, quia etiam culicis anima sese movet, nec tamen est perpetua.

Alius modus est instantiae, cum concessa propositione aliud fortius opponitur, ut studium doctrinae coelestis comitantur contemtus, odia, inopia, et innumerabilia pericula. Non nego, sed oppono aliam fortiorem causam discendi: Necessarium est id studium, cum a Deo severissime praeceptum sit, et horribilis ingratitudo sit, cum Deus tanta bonitate se patefecerit, ne quidem audire eum velle. Recitavi modos solutionum rectissimos, ad quos assuefieri discentes utile est, Ita enim et citius videbunt, in qua parte, seu quo membro vitium sit argumenti, et dexterius explicabunt captiones.

De Fallaciis.

Pertinent autem ad hanc ipsam solutionum doctrinam fallaciae, quarum tituli monent, quale sit vitium in argumento.

Cum igitur agnosces, ad quem titulum accommodanda sit captio, iam via solutionis monstrata est. Etsi autem in hac parte multae recitantur imposturae, tamen tradi eam sciamus, non ut tenera aetas assuefiat ad amorem sophistices, sed ut iudicare et solvere captiones et sophisticen odisse discat sicut doctrina de venenis traditur, ut vitentur, non ut vitae hominum insidiemur.

> Perniciosa non sunt discenda,
> Fallaciae sunt perniciosae,
> Ergo non sunt discendae.

Neganda est maior. Perniciosa enim cognosci necesse est, ut vitari aut tolli possint, ut Medicus doctrinam de morbis aut de venenis discit.

Quid est fallacia?

Fallacia est deceptio in argumento, quae specie aliqua veri insidiatur auditori. Causam autem falsitatis indicant tituli, qui in Dialecticis usitate attributi sunt fallaciarum modis, ut postea ex declaratione titulorum et ex exemplis intelligi poterit. Rursus autem monendi sunt iuniores, ut non solum haec praecepta refutandi vitiosa argumenta discant, sed simul etiam in animis veritatis amorem, et sophistices odium confirment, ac semper in conspectu habeant vocem divinam: Non dicas falsum testimonium. Ideo indidit Deus noticias virtutum hominibus, ut qualis ipse sit cogitare, et discernere eum a diabolis possimus. Agnoscamus Deum amantem esse simplicissimae veritatis, et odisse mendacia. Econtra vero diabolum esse mendaciorum autorem, qui in levibus ingeniis accendit amorem mendaciorum propter duas causas, odio Dei, et ut serat causas discordiarum et homicidiorum, sicut scriptum est: Mentes impiorum a diabolo captivas teneri. Cum igitur mendacia proponuntur, sciamus non tantum homines nobis insidiari, sed ipsum diabolum simul grassari, suum virus aliquibus afflantem. Cavenda est igitur sophistica, ne diabolus nobis laqueos iniiciat, ut omnibus aetatibus multos fascinatos falsis dogmatibus horribiliter evertit. Quia autem plerunque falsa proponuntur fucata veritatis specie, mendaciis fucus detergendus est, quod ut dextre et perspicue fieri possit, iuniori-

bus causae falsitatis in his titulis, quos recensebo, monstrantur.

Quae est divisio fallaciarum?

Aristoteles hoc modo discernit fallacias: Aliae vocantur fallaciae in dictione, aliae extra dictionem. Fallaciae in dictione sunt, ubi ambiguitas, quae parit errorem, magis est in genere sermonis, quam in rebus. Ac pleraque iudicari possunt ab iis, qui Grammaticen recte didicerunt, et linguas intelligunt, ex quibus dicta ambigua sumuntur, ut dictum Pauli: Ira Dei venit super filios incredulitatis, quidam ineptus sic interpretabatur: Filios natos ex incredulis non posse converti ad Deum. Facilis est autem enarratio intelligentibus phrasin: Ira Dei venit super filios incredulitatis, id est, super inobedientes seu contumaces. Filius contumaciae Ebraica consuetudine dicitur addictus seu proprius contumaciae, propemodum ut latine dici posset, mancipium contumaciae; filius ebrietatis, id est, ebriosus. Non igitur de natis loquitur Paulus, sed de illis ipsis, qui sunt contumaces. Fallaciae extra dictionem sunt, ubi deceptio magis ex rerum confusione, aut mala connexione oritur, quam ex Grammatica, ut rerum confusio est in fallacia accidentis:

Peccatum non gignit hominem,
Concupiscentia gignit,
Igitur concupiscentia non est peccatum.

Minor, etsi non admonitum fallere potest, tamen prorsus falsa est, quia natura, quae est res a Deo condita, gignit, non morbus seu ἀταξία, seu destructio naturae, quae postea secuta est. Hic sani omnes intelligunt rerum esse confusionem, cum generatio, quae tribuenda erat naturae, tribuitur morbo propter vicinitatem, quia haeret in natura.

Fallaciae in dictione sex.

I. Aequivocatio,
II. Amphibola,
III. Compositio et
IIII. Divisio,
V. Figura dictionis,
VI. Accentus.

Hi tituli omnes una dictione Ambigui comprehendi possunt. Sed Aristoteles diversos modos recitat, ut aliquo modo indicet discrimina ambiguorum. Alia enim sunt in una voce, alia in compositione, ut postea dicetur.

De aequivocatione.

Aequivocatio est titulus captionum, in quibus deceptio fit ambiguitate unius vocis. Causam autem iuniores considerent, quare in ambiguis non valeat consequentia, quia cum vox ambigua significet res diversas, fiunt quatuor termini in syllogismo. Sunt igitur scopae dissolutae, nec vinculum est ullum praemissarum et conclusionis, falsa igitur attexi possunt. Hac causa animadversa satis est dicere: Nego consequentiam, et ratio est, quia est fallacia aequivocationis. Sit enim nota omnibus haec causa, quam recensui, cur non valeat consequentia.

Exemplum.

Brachium est corpus, ex carne, ossibus, sanguine, venis, arteriis et nervis compositum.
Deus habet brachium,
Ergo Deus est corporeus.

Respondeo: Nego consequentiam, et ratio est, quia est fallacia aequivocationis. In maiore brachium proprie dicitur de brachio, quale est humanum, in minore brachium metaphorice significat potentiam seu robur, seu efficaciam. Recitavi puerile exemplum, ut forma citius agnoscatur. Magna est autem varietas ambiguorum, etiam ubi tantum in una voce ambiguitas est. Alia vocantur aequivoca a casu, id est, fortuito nata, ut idem nomen Fucus significat insectum, et cerussam. Alia vocantur a consilio, quae sunt arte facta propter similitudinem, ut metaphorae et aliae vicinae figurae, ut Sceptrum pro regno, Fasces pro imperio. Item saepe genus facit ambiguitatem, positum sine distinctione specierum. Talia argumenta omnia hoc titulo comprehendantur, ubi in uno vocabulo ambiguitas est, undecunque oritur.

Exempla.

Verbum est vox evanescens,
Filius Dei est verbum aeterni Patris,
Ergo est vox evanescens.

Nego consequentiam, quia est aequivocatio. Verbum enim non intelligitur de voce evanescente, cum Filius Dei vocatur verbum. Sed intelligitur de imagine durabili, quam cogitatione aeternus Pater genuit, quae imago persona est, ut suo loco copiosius dicendum est.

Aliud.

Gratia sumus iusti,
Gratia est legis promulgatio, quia Deus gratis tantum beneficium tam illustribus testimoniis exhibuit,
Ergo lex sufficit ad iusticiam.

Sic argumentabantur haeretici Pelagiani. Sed neganda est consequentia, quia est aequivocatio. Nam cum Paulus dicit: Gratia sumus iusti, non hoc vult, nos lege seu disciplina mereri remissionem peccatorum, nec legem vocat gratiam, sed gratiam vocat remissionem peccatorum, donatam propter Mediatorem per misericordiam gratis, et exhibitionem Spiritus sancti, quae fit in vera conversione ad Deum, seu poenitentia.

Aliud.

Propheta dicit: Non est malum in civitate, quod non fecit Dominus,
Peccata multa et horribilia sunt mala, quae sunt in civitate,
Ergo et peccati effector est Deus.

Nego consequentiam, quia aequivocatio est, Maior loquitur tantum de malo poenae, ut usitate nominamus calamitates, quae non sunt peccata, non loquitur de malo culpae. Ergo in minore non recte fit subsumtio, quia peccatum est malum culpae, quod nequaquam vult Deus, nec efficit. Cum autem quotidiana vita exempla plurima offerat, satis est locum monstrasse et monuisse, ut in argumentis consideretur, quae vox sit ambigua. et interpretatio eius sumatur vel ex Grammatica, vel ex definitione, vel ex divisionibus, quae in iis artibus traduntur, unde vocabulum sumtum ect. Monet vetus versiculus, ex ambiguis oriri dissensiones et falsas opiniones, qui sic recitatur: Erroris genitrix est aequivocatio semper. Ideo et proprie loqui ipsi, et aliorum ambigue dicta, dextre interpretari discamus.

Amphibola.

Discernit Aristoteles hanc classem a superiore. Supra dixi de ambiguis, in quibus unicum vocabulum parit errorem. Hic nominat Amphibola, ubi syntaxis aut plura verba errorem pariunt, ut:

Aio te Aeacida Romanos vincere posse.

Et exempla multa sunt in proverbiis ac oraculis, ut civitas Attica salva erit in muris ligneis. Etsi autem bono consilio hos gradus discernit Aristoteles, ut diligentius consideretur, unde sit ambiguitas, tamen liceat iunioribus promiscue his titulis uti. Supra autem dixi, quare consequentia non valeat. Ita in hac fallacia aut quatuor termini fiunt, aut fit plus in conclusione. Reiicienda est igitur consequentia, ut:

Croesus Halym transiens evertet magnum imperium,
Nunc moto bello transibo Halym,
Igitur evertam magnum inperium alienum, non meum.

Hic fit plus in conclusione.

Veteres etiam nominant ἐπαμφοτερίζοντα talia generalia dicta, in quibus nihil certi de individuo asseveratur, ut hic non dicitur, cuius imperium eversurus sit Croesus, propriumne an alienum. Nec opus est longa coacervatione exemplorum, cum quotidiana vita plurima offerat. Multa exempla in statu rhetorico, cui titulus est scripti et sententiae, cognitis huius fallaciae praeceptis facilius explicantur, cum quaeritur sententia vel ex Grammatica, vel ex membrorum collatione in scripto, quae inter se coagmentanda sunt, ne inter sese dissentiant, et restringenda ad certam speciem, ex definitionibus et divisionibus, ut cum dicitur: Non sitis soliciti de crastino, non prohibetur cura laboris, seu diligentia gubernans laborem, quae est magna virtus, sed prohibetur diffidentia et desperatio, cum mens angitur, quia existimat se non iuvari a Deo, item metuit labores fore irritos. Hae duae curae magna sunt impedimenta. Ideo revocat nos ad fidem, ut alibi: Iacta curam tuam in Deum. Item: Labor vester non erit inanis in Domino. Ita hic inquit: Non sitis soliciti, id est, non excruciate animos diffidentia aut desperatione. [Videndum est etiam, ubi dicta concinne aut inconcinne a nativa sententia ad aliam transferantur, ut in citandis scriptorum dictis varie luditur: Heraclitus calumniose reprehendet versum Homeri:

Sit procul a divum atque hominum discordia coetu.

Transfert ad Physicen, et dicit Homerum pugnare cum natura, quia non possint fieri generationes sine discordia qualitatum. At Homeri dictum non est physicum, sed morale. Ita ars quaeratur, ad quam proprie pertineut dicta. Optat Homerus, ut omnes obediant legibus, sine contumacia et sine discordia.

Aliud.

Pyrrhonii pro se citarunt dictum Homeri (Odysseae XVIII.):

Talis mens hominum est, qualis fortuna dierum,
Quam variis vicibus divina potentia nutat.

Ergo cum mens alias aliter se habeat, omnia iudicia sunt inconstantia et incerta. Sed nimis procul detortum est Homeri dictum a Pyrrhoniis ad omnes noticias. Homerus enim non de noticiis aut iudicio loquitur, et certe speculabilium hic non facit mentionem. Id est, non loquitur de geometricis aut arithmeticis principiis et demonstrationibus, sed de affectibus, qui variantur obiectorum varietate. Dolore afficitur Pompeius in fuga. Olim in victoriis et rebus secundis laetabatur. In his exemplis affectus diversi sunt, congruentes diversis obiectis. Interea noticiae in mente suum locum habent, et manent eadem: Bis 4 sunt 8, Vita honesta et tranquilla est res bona, Mors est res mala, etc. Tales corruptelae sententiarum verarum multae leguntur, quae interdum in iocis non sunt invenuste, sed a religione et aliis seriis negociis removeantur.

Aliud.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, etc.
Nemo servat sermonem Dei, quia nemo legi satisfacit,
Ergo nemo diligitur a Patre.

Respondeo: Videndum est genus, ad quod pertinet maior, Sitne vox legis, ut ista: Maledictus qui non manet in omnibus, quae scripta sunt in lege. An vero sit dictum Evangelii, iubens amplecti doctrinam fide et bona conscientia, qualis est phrasis in toto Psalmo 118.: Custodivi legem tuam, etc. Et eodem modo in narratione apud Iohannem postea de Apostolis dicitur: Sermonem tuum servaverunt, id est, doctrinae custodes fuerunt. Non est igitur intelligenda maior, ut lex loquitur de impletione perfecta, sed intelligenda est de professione verae doctrinae, ut Evangelium loquitur, in habente fidem et bonam conscientiam. Estque servare sermonem, amplecti veram doctrinam, fide et bona conscientia, et eam profiteri et propagare. De hac professione qualis est omnium piorum, et qualem esse et necessarium et possibile est, loquitur maior. Ac tota sententia doctrinam et consolationem dulcissimam continet: Docet membra Ecclesiae esse eos, qui veram doctrinam amplectuntur, et amant, non doctrinae hostes aut contemtores, Et addit promissionem propriam verae Ecclesiae: Pater meus diligit eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Explicata maiore, neganda est minor: Nemo servat sermonem, Imo ut hic affirmat Christus, Apostoli servarunt et servant omnes, qui veram doctrinam fide et bona conscientia amplectuntur. His omnibus consolatio hic proponitur, ut sciant se vere membra Ecclesiae esse, et Deo curae esse. Consideranda est igitur diversitas interpretationum. Qui interpretati sunt hoc dictum, ut legis vocem, his haec concio Christi terribile fulmen est, ut illud: Maledictus qui non manet in omnibus, quae scripta sunt in lege. Haec monachorum interpretatio, quanquam aliena est a dicto Christi, tamen a multis tradita est, et nativam sententiam obruit. Quare sordes illae detergantur Christi dicto, et hanc dulcissimam concionem ad nos quoque pertinere statuamus, Nos ipsos in hoc dictum includamus, Sciamus nos quoque domicilium Dei esse, si sumus fideles doctrinae auditores et custodes. Talia exempla monent, quantum lucis afferat diligentia, recte distinguendi. Nam multa etiam planissime dicta depravantur interpretationibus, in quibus hoc accidit, quod in proverbio de inconcinne saltantibus dicitur: Aliud pes, aliud cithara sonat,

Compositio et divisio.

Titulus monet interdum ambiguitatem oriri ex compositione eorum, quae non erant iungenda, interdum vero ex divisione membrorum, quae oportuit iungi. Exempla puerilia haec sunt:

Duo et tria sunt paria et imparia,
Quinque sunt duo et tria,
Igitur quinque sunt paria et imparia.

Respondeo: Nego consequentiam, quia ambiguitas oritur ex compositione.

Aliud.

Omnes sapientes Graeciae sunt septem,
Solon et Periander sunt sapientes Graeciae,
Ergo Solon et Periander sunt septem.

Nego consequentiam, quia ambiguitas oritur ex divisione: In maiore particula (omnes) posita est collective. Ideo non recte subsumitur. Reii-

cienda est autem consequentia, ut supra de ambiguis dictum est, quia fiunt quatuor termini.

Tale et vetus Graecum exemplum est:

Quicquid est in mea domo, est in oppido,
Unicus fons est in mea domo.
Ergo unicus fons est in oppido.

Nego consequentiam, quia ambiguitas est in compositione particulae (unicus) quae non debet referri ad praedicatum (in oppido), sed haec conclusio sequitur: Ergo et hic fons, qui unicus est in mea domo, simul est in oppido.

Tale et illud est:

Sola voluntas vult,
Voluntas nunquam est sola,
Igitur non vult sola.

Exclusiva determinat praedicatum: vult, id est, voluntas vult, et non alia potentia. Interea tamen non est sola. In Ecclesia et in foro plurima sunt exempla huius fallaciae. Saepe membra in dictis propheticis et apostolicis et alibi male distinguuntur, ut Ioh. 1.: Quod factum est in ipso, erat vita, insigne erratum est in distinctione. Nam haec particula: Quod factum est, pertinet ad superius membrum: Sine ipso nihil factum est. Nec est ociosa ταυτολογία, sed exclusive ponitur. Significat enim quaedam accidisse generi humano, quae non sunt facta, scilicet, peccatum et mortem.

Item saepe citantur mutilata testimonia, ut, cum Iudaei colligunt dicta de victoriis et triumphis Messiae, et praecidunt testimonia de passione. Et multi citant dicta de lege, nec addunt legis interpretationes ex Evangelio. Talis mutilatio pertinet ad fallaciam divisionis.

Exemplum.

Si vis ingredi in vitam, serva mandata,
Nemo servat mandata in hac infirmitate naturae humanae, in qua nemo est sine peccato,
Ergo nemo ingreditur in vitam.

Responde: Maior sonat ut vox legis, sed addenda est interpretatio ex Evangelio, quia finis legis est Christus. Docet autem Evangelium, conversos ad Deum iustos esse fide propter Mediatorem, et habere inchoatam obedientiam, quae etiam placet propter Mediatorem Filium Dei. Haec tanta et tam dulcis ἐπιείκεια additur legi in Evangelio. Explicata maiore, neganda est minor: Nemo servat mandata. Imo omnes conversi ad Deum servant mandata, imputatione et inchoatione, id est, placent Deo propter Mediatorem fide, et habent inchoatam obedientiam, quae in talibus etiam Deo placet, et iusticia nominatur. Reiecta igitur minore, reiicienda est et conclusio.

Figura dictionis.

Comprehendit figura dictionis ambiguitates seu errores, qui oriuntur ex depravatione casuum aut generum, aut ex Syncategorematum, ut praepositionum aut coniunctionum, abusu. Talium enim particularum magna vis est in sermone. Ad hanc fallaciam pertinet etiam error, cum non animadvertit lector, an vocabulum positum sit significative, an vero τεχνικῶς seu materialiter, ut vulgo nominant. Exemplum apud Senecam est:

Mus rodit caseum,
Mus est syllaba,
Igitur syllaba rodit caseum.

Sciant autem iuniores vocabula poni τεχνικῶς, cum non significative ponuntur, sed vel pro sono, vel ut in artibus aliquod eis accidens tribuitur, ut cum dicimus: Animal est neutri generis, cum in natura quodlibet animal sit aut mas aut foemina. De mutatione casuum recitabo puerile exemplum, ut forma citius agnoscatur:

Caseus est nequam,
Tu es caseum,
Ergo tu es nequam.

Etsi autem haec forma ridicula est, tamen multa non levia errata oriri ex talium minutarum particularum depravatione constat, ut ostendit Latina lectio Psalmorum, in qua saepe mendosa est interpretatio: Psalm. 67. Confirma hoc Deus, quod operatus est in nobis, a templo tuo in Ierusalem. Hic Latina lectio nihil significat, a templo. Sed praepositio Ebraea alias ab, alias prae, alias propter significat. Si hic legas, propter templum erit perspicua sententia. Est enim dulcis precatio, et saepe his ipsis verbis repetenda, quorum haec est sententia: Cum accenderis doctrinam et lucem tuam in nobis, adiuva haec salutaria initia, et doctrinam latius propagato, idque facias propter templum, id est, ut servetur et crescat, et non funditus intereat Ecclesia tua. Quam varias disputationes peperit dictum: Aquae quae supra coelos sunt. Cum sit phrasis: Aquae quae sunt supra in regione caelesti, id est, in

aëre. Nam coelos et aëream regionem una appellatione coelorum comprehendunt, ut cum dicunt: Volucres coeli.

Ad fallaciam figurae dictionis recte accommodantur et *ἀκυρολογίαι.*

Quicquid non amisisti, habes,
Cornua non amisisti,
Ergo cornua habes.

Vel sic:

Quicquid non amisisti, habes,
Croesi divitias non amisisti,
Ergo Croesi divitias habes.

Nego consequentiam, et ratio est, quia *ἀκυρολογία* in verbo amisisti, facit ambiguitatem. Maior propter *ἀκυρολογίαν* est falsa. Significat enim hoc: Quicquid non amisisti, sive id affuit, sive non affuit, id habes, Sequitur ergo falsa conclusio.

Deus inquit: Ego indurabo,
Ergo Deus est causa peccati.

Nego consequentiam, et ratio est, quia est *ἀκυρολογία* in verbo: indurabo, et significat, sinam durescere.

Accentus.

Recensentur in hoc titulo exempla, in quibus ambiguitas oritur ex accentu, diphthongis, aut gestu pronunciationis. De diphthongis exemplum venustum recitatur: Cum imperator Henricus Lucelpurgensis non procul a Bononia praeteriret arcem quandam propriam viri nobilis, et quaestio mota esset, an ea arx etiam imperatoris esset, duo Iurisconsulti inter se certabant, quorum alter defendebat, recte dici, omnia esse imperatoris, etiam proprias facultates privatorum: alter econtra, unumquenque facultatum propriarum dominum esse, nec recte dici, Imperatoris esse res proprias privatorum. De hac quaestione cum diu certassent, tandem imperatorem Henricum iudicem faciunt, et convenit, ut equus donaretur victori, cuius precium solveret victus. Imperator cum Bononiam rediisset, pronunciavit recte dici, omnia esse imperatoris, ut saepe iudices sibi ipsis blandiuntur. Datus est igitur equus victori. Sed faceti homines reprehendentes iniquam sententiam, vulgo hunc iocum sparserunt: Alter respondit aequum, sed alter habet equum. Gestus etiam in pronunciatione sententias mutat, ut in ironia, Cum affirmativa oratione significamus negativam, aut econtra. Inest enim interrogatio in ironia, gestu et vultu significans reprehensionem, ut in agone Christi: Dormite iam et requiescite, seu dormitis iam et requiescitis, quasi dicat: Num in hoc periculo tanta securitas est animorum, ut dormire possitis? Nunc enim maxime vigilandum erat. Est enim reprehensio securitatis et negligentiae, non modo illius temporis, sed etiam huius ultimae nostrae aetatis. Et deinde: Quid est veritas? Nam iudex prophanus omnia in religionibus fabulosa esse existimat, nec turbandam esse tranquillitatem, inquisitione veritatis, quam non posse inveniri arbitratur. Quare et nunc quoque deridentur studiosi veritatis, ita in his verbis ironica derisio est: Quid est veritas? Recenseo in hoc loco etiam dicta *μιμητικῶς,* nam in his quoque sententia gestu mutatur, et lector non animadvertens mutationem personae loquentis, decipitur. Suntque admonendi iuniores, ut in qualibet oratione hoc discrimen considerent, quae membra sint asseveratio seu dispositio docentis, et quae ponantur recitative, id est, quae narrent aliorum dicta aut facta, ut hoc dictum in historia sacra recitative ponitur: Reus est mortis. Sic in Colossensibus recitative ponuntur haec dicta: Non attingas, non gustes, non contrectes. Haec membra cum Paulus recitet, tanquam exempla traditionum, quas reprehendit, tamen aliqui oscitantes enarrarunt tanquam Pauli praecepta. Hic error corruptela est totius disputationis. Ideo discernenda sunt dicta *μιμητικῶς* ab asseveratione docentis. Si quis autem mavult talia errata in aliam fallaciam, ut supra in ambigua, transferre, quia stolidus lector non videt, quae persona loquatur, non repugno.

Fallaciae extra dictionem.

Non existiment iuniores haec praecepta temere sine veris causis tradita esse, sicut in ludis, in alea, in latrunculis, in talis, arbitrio ludentium leges factae sunt, nec sunt ex natura rerum sumtae causae. Prodest autem ad iudicandum videre praeceptorum fontes. Quare hoc loco de consilio Aristotelis pauca adiiciam, quod in enumeratione sequentium fallaciarum secutus videtur. Nam primae partitionis causa nequaquam obscura est: In omni deceptione oriri errorem, aut ex genere sermonis, aut ex rebus. Ac de verborum et orationum praestigiis iam dictum

est, quae omnes, si libet, una ambigui appellatione comprehendi possunt, ut fit in rhetoricis. Distinxit autem Aristoteles rerum modos prudenter et concinne. Prima enim in rebus quaestio est de substantia. Secunda de quantitate, videlicet de toto et partibus. Tertia de causis. Quarta de consequentia in qua iunguntur prorsus *ἀνακόλουθα*, ubi nihil causae est, cur conclusio prioribus propositionibus addatur, ut, figura coeli sphaerica est. Igitur Iulius iuste interfectus est. Hoc ordine servato, multum lucis accedit huic parti de fallaciis. Ut enim cum caeco proponuntur diversa pocula, saepe vicina pro vicinis prehendit: ita omnes homines in iudicando saepe a re principali ad umbram, seu ad vicinum quiddam aberrant. Ac alias a substantia ad accidens aut econtra delabimur, alias a parte ad totum, alias a vera causa ad aliud quiddam quod somniamus esse causam, ut, si causa sit insomniae frigidus et crudus humor in ventriculo, et medicus putans causam esse cerebri siccitatem, det frigidas potiones. Illustre exemplum est de errore, quo a substantia ad accidens delabitur, Iulianus Antagonista Augustini:

Peccatum non gignit hominem,
Concupiscentia gignit hominem,
Ergo concupiscentia non est peccatum.

Maior sine ulla dubitatione verissima est. Nam peccatum est horrenda destructio, non gignit hominem. Cum vero in minore dicitur: concupiscentia generat hominem, hallucinatio manifesta est, et accidenti tribuitur vis propria substantiae a Deo conditae, quae etiamsi vulnerata et languefacta, tamen quia Deus non voluit penitus deleri genus humanum, conservat in hac natura vim generationis, ut vitam, motum, et sensus. Et discerni opera a Deo condita oportet a vulneribus, seu ab *ἀταξίᾳ*, quae postea accessit. In hoc exemplo vides, quomodo a substantia ad accidens deflexerit Iulianus. Et hoc modo considerato quasi itinere hallucinationum, intelligi consilium Aristotelis poterit, quomodo hanc distributionem instituerit. Sunt autem modi septem:

I. Fallacia accidentis,
II. A dicto secundum quid ad simpliciter,
III. Secundum non causam ut causam,
IIII. Fallacia consequentis,
V. Secundum plures interrogationes,
VI. Petitio principii,
VII. Ignoratio Elenchi.

De fallacia accidentis.

Cum error inde oritur, quod aliquid soli substantiae conveniens, tribuitur eius accidenti, aut cum accidentia non recte iunguntur, aut cum ab eventu per accidens, ratiocinamur aliquid adesse per se, seu propter illud, tanquam veram causam, talia exempla referuntur ad hunc titulum.

Exempla.

Nulla peccata sunt facienda,
Iusticia civilis in impiis est peccatum,
Igitur iusticia civilis non est praestanda.

Nego consequentiam, quia est fallacia accidentis. Nam in minore confusio est rerum. Iusticia civilis per sese est res bona, et a Deo praecepta, sed propter vitiosam personam desunt aliquae virtutes, ut: Atticus non recte sentit de Deo, nec refert honestas actiones ad gloriam Dei. Interea tamen illas honestas actiones Deus fieri praecepit, ut, si claudo praecipiatur ut incedat, quod facit potius quoquo modo, quam ut perpetuo iaceat aut gestetur. Fiunt autem et hic quatuor termini, nam peccatum in maiore significat peccatum per se, at in minore peccatum per accidens.

Alius modus.

Saepe error inde oritur, quia cum multa uni accidunt, causae transferuntur a per se causis ad ea, quae adsunt per accidens, ut:

David est beatus,
David est adulter.
Ergo adulteri sunt beati.

Nego consequentiam, quia est fallacia accidentis, cum uni multa accidant, videndum est, quae sint per se causae eius rei, quam subiecto tribuimus. Et hoc modo saepe in exemplis et prava imitatione erratur, ut:

Elias fuit sanctus,
Elias fuit vestitus veste cameli,
Ergo ego vestitus pelle cameli, ero alter Elias.

Tales ineptiae ad fallaciam accidentis pertinent.

Aliud.

David est ruffus et est musicus,
Ergo est ruffus musicus.

Hic male iunguntur accidentia, quia non confundenda sunt accidentia animae et corporis.

Cavillatio usitata est:

Quicquid emisti, comedisti,
Crudas carnes emisti,
Ergo crudas comedisti.

Nego consequentiam, quia est fallacia accidentis, maior loquitur de substantia, conclusio de qualitate.

A dicto secundum quid ad dictum simpliciter.

Saepe hyperbolae faciunt errorem, cum totum complectimur, ubi de parte tantum dicitur, aut ubi signum in rem ipsam transformatur. Etsi autem recte traduntur exempla puerilia in Dialectica, tamen si hominum vita considerabitur, magis conspici poterit, quam late pateat haec fallacia.

Exempla.

Iniusticia est damnata,
In imperiis multa iniusta fiunt,
Ergo imperia sunt damnanda.

Sic argumentantur Anabaptistae, et multi sic cogitant. Sed neganda est consequentia, quia est fallacia a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Etsi enim multa iniusta fiunt in imperiis, tamen principale in imperiis est quiddam ordinatum a Deo, et iustum, videlicet ordo politicus, leges disciplina, contractus, iudicia, poenae. Ideo autem consequentia reiicienda est, quia plus est in conclusione, quam in praemissis.

Puerilia exempla haec sunt, cum a particulari ad universale argumentamur:

Vinum est febricitanti malum,
Ergo est prorsus malum.

Aut a parte ad totum, ut:

Aethiops est albus dentibus,
Igitur Aethiops est albus.

Neganda est consequentia, quia posito uno particulari aut duobus, non propterea necesse est poni universalem.

Unus Thebanus aut duo fuerunt sapientes et iusti, ut Pelopidas et Epaminondas,
Ergo omnes Thebani sunt sapientes et iusti.

Ita si in exigua aliqua parte magni corporis certa qualitas est, non necesse est in toto corpore eandem esse, nec ab exigua et minus principali parte fit denominatio, ut, non ideo dicitur Antonius temperans, etiamsi in castris semel aque iterum famem toleravit. Ad haec puerilia exempla conferantur argumenta de rebus gravioribus in hanc fallaciam incurrentia, ut intelligi possit, quare consequentia reiicienda sit. Nam de rebus gravissimis multae tales hyperbolae sparguntur:

Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur,
Ergo omnes milites sunt impii.

Fallacia est a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Imo aliqui sunt pii, Ionathas, David, Maccabeaus, Constantinus, Theodosius.

Aliud.

Ieremias inquit: Scio Domine, quod non est hominis via eius,
Ergo prorsus nulla est libertas voluntatis, nullus delectus, nulla deliberatio hominis.

Nego consequentiam, quia dictum Ieremiae intelligendum est exclusive, via hominis, id est, vocatio non regitur solius hominis consiliis aut viribus, nec est felix sine Deo. Sennacherib errat, cum tantum humanis consiliis et viribus existimat se victorem fore. Principalis igitur causa felicium consiliorum et eventuum Deus est. Interea aliquis locus est libertati voluntatis, diligentiae, deliberationi. Sicut laudat Christus negociantem, et ait: Habenti dabitur. Et recte dicit Chrysostomus: Deus trahit, sed volentem trahit. Vult Deus ad suam vocationem accedere nostram diligentiam. Ac Plato hyperbolen eleganter mitigat in libro quarto de legibus. Recte quidem dicitur, Deum, et cum Deo occasionem, omnia regere, sed tamen placidius est concedere, et artem oportere accedere, ut in navigatione.

Hyperbole est in hoc versu: Vitam regit fortuna, non sapientia. Imo multa regit sapientia, etiamsi interdum non respondent bonis consiliis eventus, propter aliquas externas aut arcanas causas.

Aliud Epicuri.

Nulla inordinata sunt a Deo,
In natura et genere humano valde multa sunt inordinata,
Ergo natura et genus humanum non sunt a Deo.

Nego consequentiam, quia fallacia est a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Etsi enim multa sunt inordinata, tamen praecipua sunt

ordinata, ut motus coelestes, ordo elementorum, noticiae numerorum, discrimen honestorum et turpium, conservatio specierum, generatio. Horum omnium necesse est causam et architectatricem esse, aliquam aeternam mentem.

Aliud.

Evangelium improbat traditiones in Ecclesia, conditas ab hominibus, quae vitiosae sunt, et improbat aliquarum pravum intellectum,
Ergo omnes traditiones tanquam in unum chaos miscendae et reiiciendae sunt.

Ex hoc errore aliquorum indoctorum, inprimis disputationibus de autoritate traditionum multae confusiones ortae sunt. Sed neganda est consequentia, quia est fallacia a dicto secundum quid ad dictum simpliciter.

Aliud.

Ecclesia non errat,
Pharisaei sunt Ecclesia,
Ergo non errant.

Neganda est consequentia, quia est fallacia a dicto secundum quid ad dictum simpliciter.

Aliqui in Ecclesia non errant, sed sunt custodes verae doctrinae,
Ergo nulli errant.

Maior enim synecdoche est, Ecclesia non errat, id est, aliqui in Ecclesia eruditi, et veris exercitiis pietatis commonefacti, retinent veram doctrinae lucem, de quibus dicitur: Et tu conversus, confirma fratres tuos. Alii ignavi, securi, ebrii ambitione et voluptatibus, et possunt errare, et saepe errant. Prudenter igitur synecdoche intelligenda est.

Aliud.

Iusto non est lex posita,
Filius prodigus post conversionem est iustus,
Ergo non audiat ullam vocem legis, nec coherceatur lege.

Neganda est consequentia, quia est fallacia a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Liberatus est a lege, quod ad condemnationem attinet, sed non quod ad debitum obedientiae Deo praestandae attinet. Manet enim ordo aeternus, ut creatura Deo obtemperet. Item, quatenus manet in converso prava inclinatio, etiam lege, seu disciplina frenanda est.

Aliud.

Hector est homo pictus,
Ergo est homo.

Hoc puerile exemplum monet prudenter iudicandum esse de signis, ut:

Haec statua est signum Dei,
Ergo est numen aliquod, seu quiddam, cui Deus alligatus est, ita ut hic magis quam alibi sit efficax.

Neganda est consequentia, quia signum non est res significata, nec Deus ad ullam rem alligandus est, ad quam se non alligavit suo verbo. Haec regula evertit plurima idola omnium temporum.

Secundum non causam ut causam.

Sicut ad veram et illustrem rei noticiam necessaria est vera causarum cognitio, ita magnae tenebrae sunt, nescire causas, aut decipi praetextu alicuius causae, quae tamen reipsa non est causa. Sumi exempla possunt a medicatione, ubi si non deprehensa sit causa, magna errata accidunt. Sunt et illustria exempla in proditione. Zopyrus narrat, a Dario sibi aures et nares mutilitas esse, et fingit se amicum fore Babyloniis. Hac specie, quae tota falsa est, capit Babyloniorum animos. Sic apud Virgilium Sinon fallit Troianos. Haec et similia facta referenda sunt ad hanc fallaciam, secundum non causam ut causam. Multa sunt et adulatorum, sycophantarum et impostorum exempla, quae etiam huc referenda sunt. Sed nos pauca scholastica exempla recitabimus.

Exempla.

Ebrietas est mala,
Igitur vinum est malum.

Nego consequentiam, et ratio est, quia res bona non damnanda est universaliter, etiamsi quidam ea petulanter abutuntur. Pertinent enim ad hunc titulum huius generis argumenta pleraque, in quibus res bonae damnantur propter abutentium malitiam, quia non ipsae res, sed mala voluntas causa est abusus. Vinum non est causa immoderati usus, sed mala voluntas potatoris. Quare cum vinum accusatur, ostenditur non causa ut causa. Talia sunt haec:

Paulus iubet cavere, ne per philosophiam decipiamur,
Igitur philosophia est mala.

Nego consequentiam, quia bonae rei potest esse multiplex abusus, nec tamen res ipsa universaliter damnanda est, Non damnat Paulus demonstrationes, quae sunt veritas divinitus monstrata, ut in Arithmetica, et alibi. Sed damnat abusum, ut cum doctrina coelestis transformatur in philosophiam, ut multi male confuderunt genera doctrinarum. Novi doctorem Theologiae, qui dicebat, etiam amissis libris propheticis et apostolicis, satis doceri posse Ecclesiam ex Ethicis Aristotelis. Huius sermonis multos nominare testes possum, quem quidem bono et simplici studio recito, ut adolescentes cogitent, quantae in scholis tenebrae fuerint, quia plurimi putabant Evangelium tantum esse doctrinam legis, ut vocamus, seu praecepta de moribus, nec discernebant promissiones de Mediatore, et praecepta. Nec ego ethicen abiicio, quam et amo, et honestae disciplinae partem esse affirmo, et ad moderationem morum valde utilem esse iudico. Sed suus sit locus ethicae, nec obruat vocem Evangelii prolatam ex sinu aeterni patris.

Aliud.

Multi profitentes Evangelium, laxant frenum pravis cupiditatibus,
Ergo doctrina est mala.

Nego consequentiam, et ratio est, quia est fallacia secundum non causam ut causam. Vitia enim professorum non a doctrina, sed ab aliis causis oriuntur. Talium exemplorum consideratione fit illustrior doctrina de hac fallacia, et ratio conspicietur, quare consequentia non cohaereat, quia in antecedente seu praemissis non ponitur vera causa conclusionis, ut vulgo dicitur:
Baculus stat in angulo,
Ergo Iulius vincet Pompeium.

Hic in antecedente prorsus nulla est causa consequentis.

Aliud.

A signis coeli nolite timere,
Igitur nihil mali denunciant.

Nego consequentiam, quia prohibet timere, non quia nihil mali denuncient, sed hanc ipsam ob causam, quia cum mundo et impiis denuncient poenas, tamen Deus Ecclesiae auxilium promittit, ut, cum dicitur piis, ne metuam mortem, hinc non sequitur, mortem non esse rem tristem et saevam. Sed inversio est, quae vocatur *βίαιον*, ideo promittitur consolatio, quia mors malum est. Ita Lucae 21. de signis dicitur: Haec cum fient, appropinquat liberatio vestri, ubi non ait, illas ingentes confusiones mundi, non esse res malas, sed promittit nobis liberationem. Non addam plura exempla, nam consideratio communis vitae ostendit multa quotidie. Usitatum est enim negociis iniustis speciosas causas praetexere, quas vocat Thucydides *σχῆμα πολιτικὸν λόγου*. Et apud Sophoclem queritur Oedipus insidias sibi strui mollibus verbis: *τὰ σκληρὰ μαλθακῶς λέγεις*. Caeterum in negociis honestis interdum molliorem aut plausibiliorem causam quaerimus, dissimulata veriore, quae tamen fuerat odiosa. Haec figura dicitur translatio in rhetoricis, ut si quis utatur excusatione valetudinis, cum ad negocium odiosum noluit accedere, et in hoc genere non solum prudentia, sed etiam virtus est molissimas causas cum quadam verecundiae specie excogitare. Verum haec in communi vita consideranda sunt. Demades translatione insigni usus est, cum accusaretur, quod decretum scripsisset in honestum, de petenda pace ab Alexandro. Respondet enim, non suo stylo, sed Alexandri hasta hoc decretum scriptum esse.

Aliud.

Necesse est in conversione hominum seu poenitentia, inchoari novam oboedientiam, et fieri opera a Deo praecepta,
Ergo haec opera merentur remissionem culpae.

Nego consequentiam, quia fallacia est secundum non causam ut causam. Nova obedientia necessaria est, quia Deo debetur, nec est precium pro culpa. Sed ut Filio Dei tribuatur honos proprius, et ut sit certa remissio, credendum est propter Filium Dei gratis remitti peccata iis, qui ad Deum convertuntur.

Ad hunc titulum secundum non causam ut causam pertinet etiam Perplexitas, quam sic vocant, cum contrariae causae implicant animum, ne possit alterutram partem eligere, ut in casu Iephtae, cum dubitat, utrum voto cogatur immolare filiam. Quanquam autem interdum sunt contrariae causae, tamen non sunt pares.

Fallacia consequentis.

Doctrina universa de argumentatione et doctrina locorum est doctrina de bona consequentia, nec definitio eius planior tradi potest, quam cum pene universam Dialecticen intuentes, dicimus bonam consequentiam esse connexionem membrorum argumenti non discrepantem ab aliqua regula supra tradita. Econtra mala consequentia est, cum discrepat connexio ab aliqua regula supra tradita. Etsi autem cum vitium ex rebus oritur, etiam turbari connexionem necesse est, tamen saepe vitiosa est connexio, ubi in membris per se consideratis non est falsitas. Tales connexiones supra breviter diximus reprehensione consequentiae refutari. Hoc genus collocat Aristoteles in hanc classem, cui titulum fecit fallaciam consequentis, ut cum ex puris particularibus, aut ex puris negativis falsam ratiocinamur, aut alias regulas supra traditas violamus, ut:

Omnis stella lucet,
Cometa lucet,
Ergo cometa est stella.

Hic respondes: Nego consequentiam, quia in secunda figura ex puris affirmativis nihil sequitur. Tales vitiosas connexiones ad hanc fallaciam referunt. Si quis igitur plura exempla addi volet, sumat ex regulis supra recitatis in figuris syllogismorum. Hic et regulam in locis traditam recensebo. Ex signis non propriis et non perpetuis non ducitur firmum argumentum, ut:

Pallet,
Igitur est studiosus.

Item, a possibili ad inesse non valet consequentia, ut:

Possibile est Pompeium vincere,
Ergo Pompeius vincet.

Hic Stoicum argumentum recitabo:

Bonum est, a quo dicimur boni,
A pecunia non dicimur boni,
Ergo pecunia non est bonum.

Nego consequentiam, quia in coniugatis ita valet consequentia, si non sit ambiguitas. Est autem ambiguitas in vocabulo, bonum, quod alias intelligitur de bono morali, alias de bono naturali. Tantum virtutes dicuntur bona moralia. Sed aurum, argentum, agri, dicuntur bona naturalia. Nec a bono naturali quispiam bonus dicitur usitato more loquendi, sed tantum a bono morali, et quidem non ab unica virtute, sed a copulatione virtutum, videlicet a iusticia universali. Bonus est habens iusticiam universalem. Non igitur valet Stoicum argumentum in his coniugatis, cum sit ambiguitas. Nec valet consequentia: Bona valetudo non est bonum morale, Ergo nec est bonum naturale, quia bonum naturale communius est.

Aliud.

Cambyses iuste fecit detracta pelle iniquo iudici,
Ergo Cambyses est iustus.

Nego consequentiam, et ratio est, quia in coniugatis valet consequentia, si non sit ambiguitas. At hic adverbium Iuste dicitur de una actione, Iustus vero significat habitum. Nec sequitur, posita una atque altera actione, poni habitum.

Denique in hanc classem collocari poterunt omnia ἀνακόλουθα, quae vocantur et ἀσυλλόγιστα, id est, cum membra non cohaerent, nec ulla ratio est, cur conclusio praecedentibus propositionibus attexatur, ut:

Figura coeli est sphaerica,
Igitur Croesus est dives.

Nam in confirmando oportet in propositionibus aliquam esse cognationem, videlicet rationem, propter quam conclusio sequitur, ut ex causis monstramus effectus, ex signis significata, ex definitionibus definita, et econtra, ut loci dialectici docent, quae conclusiones ex quibus materiis recte sequantur. Saepe autem controversiis rerum maximarum ἀσυλλόγιστα miscentur, quae sunt aliena a principali conclusione, ut:

Non concordat Psalterium cum cithara,
Igitur non concedatur coniugium sacerdotibus.

Tales connexiones, in quibus nullum vinculum est, quod membra coniungat, non sunt confirmationes, sed potius scopae dissolutae, ac reiiciendae sunt, quod fit expeditissime, cum dicis esse fallaciam consequentis, vel brevius dicis esse ἀνακόλουθον seu ἀσυλλόγιστον.

Secundum plures interrogationes.

Saepe accidit, ut in uno negocio insint multae partes, aliae aliis plausibiliores, aut etiam

meliores. Saepe etiam una propositio defenditur diversis rationibus, ut: Brutus voluit defendi Milonem hoc fundamento, quod tyrannum e Repub. tolli iustum sit. Cicero vidit hoc infirmius et odiosius esse, et alio fundamento usus est, quod videlicet defensio contra latronem concessa sit. Sic in disputatione de libero arbitrio Valla detraxit libertatem humanae voluntati hac ratione, quia praevisio divina afferat necessitatem bonis et malis actionibus, et ad hanc imaginationem detorsit Paulum. Etsi errat Valla, tamen hanc Stoicam imaginationem multi sequuntur. Alii dicunt impediri libertatem imbecillitate naturae humanae, et iubent aspici nosipsos. Ita saepe accidit, ut uni propositioni quaerantur diversa fundamenta, quorum alia vera sunt, alia falsa, aut alia aliis rectiora et firmiora. Ibi cum in delectu aut ipsi erramus, aut astute falsa eligimus ad decipiendos alios, pertinet deceptio ad hunc titulum, Secundum plures propositiones seu interrogationes. Sic in rhetoricis praecipitur, ut orator videat quid in causa boni sit, quid mali, bona ornet, et mala sapienter tegat, et amplificatione bonorum obruat.

Contra nos hoc tempore in disputationibus theologicis hac arte multi utuntur, qui non dicunt necessariam esse veritatis agnitionem, et veram Dei invocationem, et interim tragice declamitant, quam perniciosa sit discordia, quantum malum sit disciplinae laxatio. Haec revera sunt tristia mala, quorum cogitatione moveremur, etiamsi non proponerentur atroci et terribili oratione. Sed tamen cum illae tragoediae in oculos et aures incurrunt, magis feriuntur animi, et crescit intentio. Hic vicissim nos bona nostra opponamus, videlicet, necessariam esse veram Dei invocationem: ac gloriam Dei et salutem aeternam anteferendam esse paci et omnibus rebus humanis. In his exemplis conspici potest usus huius fallaciae, quae pro materiis propriis assumit vicinas, ut faciunt adulatores, qui vitiis indunt nomina vicinarum virtutum, etc. Sed cum vere alios docere volumus, quaerenda sunt propria negociorum fundamenta, et dicendum de re proposita *πρὸς ἔπος*, ut saepe in tota Dialectica praecipitur.

Petitio principii.

Vocatur petitio principii, cum incerta per ea, quae pariter incerta sunt, confirmare velle videmur, ut: Coelum est perpetuum et corruptibile, quia non est ex materia cognata elementis, quae sunt obnoxia corruptioni. Nam et de hac ipsa confirmatione dubitari potest, an coelum sit ex materia cognata elementis. Tale et illud vulgatissimum est: Non errant, qui a mortuis auxilia petunt, quia magna multitudo id fecit longo tempore. Nam hoc ipsum quaeritur, an recte fecerit illa multitudo. Hieronymus graviter dicit: Errantium multitudo, non parit errori patrocinium. Item, Pythagorica vera sunt, quia *αὐτὸς ἔφα*. Tales confirmationes non satis docent dubitantem in Philosophia, sed ut conclusionem recte intelligas, et firma assensione amplectaris, necesse est argumenta vera, perspicua et firma, nata in locis, quos supra recensuimus, tenere. Vicina est petitioni principii *ταυτολογία*, cum idem subinde repetitur iisdem verbis, aut paululum mutatis: Vulgo nugationem vocant et Cuculi canticum, seu *κοκκύζειν*. Etsi autem in multis membris orationis prodest eandem sententiam saepius inculcare, et amplificare mutatis verbis, ut auditor in cogitatione res detineatur: tamen aliud requiritur in confirmando, ubi necesse est non ingeri eadem, sed illustres causas conclusionis monstrari, quia nihil idem suiipsius causa est.

Ignoratio elenchi.

Elenchus significat firmam probationem. Nam *ἐλέγχειν* verbum forense est, et significat convincere, überweisen. Ubicunque igitur aliquid deest argumento, quo minus convincat auditorem, tale argumentum ad hunc titulum pertinet, qui est velut commune domicilium omnium cavillationum. Etsi enim supra modi aliquot sagacissime excogitati, utiliter traditi sunt, quorum alii a vocabulis, alii a subiectis, alii a partibus, alii a causis, alii a vicinitate sumti sunt, tamen cum infinitae sint cavillationes, restat hic titulis velit commune domicilium aliarum captionum, ut:

Coelum tegit omnia,
Ergo se quoque tegit.

Hic particulam universalem restringi oportere, iudicat communis sensus. Sed Graeci vocant hanc cavillationem *ψευδόμενον*. Estque similis isti:

Cretenses sunt mendaces,
Id dixit Epimenides, qui fuit Cretensis,
Ergo et ipse mendax fuit, Sunt igitur veraces Cretenses.

Hic ludus facile a Dialectico explicatur: Ex puris particularibus nihil sequitur. Haec propositio particularis est, Cretenses sunt mendaces, etiamsi quis contendat eam de plerisque dictam esse. Vocant Graeci quandam formam *ἀσύστατον,* ut: Si quis dicat se tacere, is vero loquitur, Ergo secum pugnat. Dialectici recentes vocarunt insolubile. Sed facile solvitur haec pugnantia: Tacere et loqui diversa respiciunt. Taceo, scilicet caetera, de quibus sermonem abrupi. Ac multae sunt cavillationes, in quibus pugnantia colligi videntur, quae proprie recensentur in hoc titulo:

Plato scribit domi, et Plato non scribit foris,
Ergo Plato scribit et non scribit.

Facilis explicatio est. Non est contradictio, cum extrema non intelliguntur respectu eiusdem. Quotidie multa exempla ad hunc titulum pertinentia animadverti possunt in legum disputationibus cum explicantur casus dissimiles et *ἀντινομίαι.* Memini Anabaptistam contendere, non esse puniendos adulteros a magistratibus, quia scriptum est:

Scortatores et adulteros puniet Deus,
Ergo non puniet magistratus.

Hoc ad fallaciam consequentis referri potest. Neganda est enim consequentia, quia antecedens non intelligendum est exclusive: Imo in antecedente comprehenditur magistratus, Puniet Deus vel per sese, vel per magistratus. Nam officium magistratus etiam divinum est. Deus Sodoma punivit sua singulari potentia, Antonium punivit per Augustum. Recenseantur hic et *ἀντιστρέφοντα*, ut illud Gellianum: Non ducenda est uxor, quia si duces deformem, erit poena, si formosam, erit communis. Imo ducenda est uxor, quia si duces deformem, non erit communis, si formosam, erit grata. Neganda est consequentia in priore parte, et ratio est, quia haec accidentia non necessario comitantur formam aut deformitatem. Commoratus sum longius in hac doctrina solvendi vitiosa argumenta, quia haec pars repetit fere totam Dialecticen supra traditam, et utiliter exercet ingenia: ac assuefieri ad dexteritatem in solvendis vitiosis argumentis, magnum decus est, et exercitatio ad agnitionem veritatis necessaria.

Addita est Aristotelis Dialecticae, doctrina verius Grammatica quam Dialectica; quam nominarunt Parvalogicalia, in qua dum praecepta immodice cumularunt, et labyrinthos inextricabiles, sine aliqua utilitate finxerunt, ut: Nullus et nemo mordent se in sacco, etiam illas admonitiones, quarum aliquis est usus, tenebris involverunt. Recensebo igitur breviter ex his quasdam utiles admonitiones. Ut gestus dissimiles in homine significant dissimiles animorum motus, alius est irati, alius amantis, alius timentis: ita omnia vocabula diversos quasi gestus in compositione habent, qui vocantur modi significandi. Idem vocabulum alias significat communem speciem, alias individua, alias latius patet, alias angustius est. Cum dico, Homo est species, intelligo ideam; cum dico, Homo currit, intelligo individuum aliquod. Haec animadversio necessaria est, ut cum dico: Dilectio est impletio legis. Id verum est de idea, id est, de integra dilectione, et non contaminata. Nam lex vere haec duo postulat, ardentem amorem Dei, et purum amorem proximi, congruentem voluntati Dei. Sed nos in hac imbecilli natura non habemus integram dilectionem. Nondum igitur nostra dilectio legi satisfacit. Ita si dicam: Eloquentia est facultas de rebus omnibus recte et ornate dicendi. Haec propositio vera est de idea. Sed nullius oratoris eloquentia par est huic ideae.

Haec fuit doctrina suppositionum, ut vocarunt. Sed satis est monere iuniores, ut observent diversos modos significandi, ac videant, quando species, quando individua significentur. Actiones enim competunt individuis, ut: Homo currit. Deinde illa attentio admodum necessaria est, videre, quando latius vagetur vocabulum, quando sit angustius. Exibat ad Baptistam omnis Iudaea. Hic particula universalis restringenda est. Non enim significat, omnes homines in Iudaea accessisse ad Baptistam, sed multos passim ex tota Iudaea. Grammatico facilis est explicatio, qui dicit esse synecdochen: nam et Grammatici ad hunc usum figuras tradiderunt, ut aliquo modo ostenderent, diversos modos significandi. Ita si dicas synecdochen esse, Omne animal fuit in arca Nohae. Haec brevis explica-

tio solvet multas quaestiones, ut Gordium nodum Alexander non longo labore evolvit, sed subito dissecuit. Ex plenitudine eius omnes accepimus, exclusive dictum est. Contrahitur enim universalis ad certam speciem, et significatur aliorum exclusio: Quotquot accepimus gratiam, a solo Christo omnes accepimus. Matth. 3.: Sic decet nos implere omnem iusticiam, distributive intelligitur, id est, te tuam, me meam, id est, te decet parere tuae vocationi, me meae. Non hoc vult, Meus baptismus est omnis iusticia. Videntur in Prophetis multae pugnantes sententiae esse. Israël servabitur, et Israël delebitur, sed ipsi Prophetae interpretantur, utrunque dictum synecdochen esse, id est, regnum delebitur: et tamen magnae reliquiae ex omnibus tribubus erunt superstites et servabuntur, et erunt haeredes aeternae salutis. Hoc modo multa iudicantur ex figuris grammaticis, de quibus regulae in parvis logicalibus obscuriores traditae sunt. Afferant igitur studiosi cognitionem figurarum ad Dialecticen, et adiungant rhetorica, et in obscuris dictis quaerant non prodigiosas interpretationes, sed veras, concinnas et congruentes iis materiis, quarum explicationem instituunt. Collatis enim membris et circumstantiis in recte scriptis, scientia nativa ab iis, qui non sunt prorsus hebetes, et sunt recte eruditi et amantes veritatis, et in iudicando dexteritatem et candorem adhibent, deprehendi potest et cerni, quae vocabula quasi laxanda sint dilatanda, quae restringenda, quae pars propriis verbis, quae figurate dicta sit. Meretrices praecedent vos in regno coelorum, laxandum est, videlicet, quae fuerunt tales, sed conversae sunt ad Deum, et mores emendaverunt. Hanc commonefactionem de illa varietate modorum significandi sufficere hic iudico, et adhortor studiosos, ut omnes Dialecticae partes diligenter exerceant, in iudicandis omnibus materiis, quas discunt et in scribendo, et in familiaribus disputationibus. Plato inquit, artem facilem esse, usum vero difficilem, quod eo dictum esse arbitror, quia multi etiam cum didicerunt praecepta, tamen sua quadam negligentia sibi indulgent, et in dicendo feruntur, quo ventus impellit, nec intuentur normam et metas artis, nec mentem et dextram, ut ita dicam, ad res ipsas, quas enarrant, intendunt. Fit usus facilis istis, qui mediocri exercitatione se assuefaciunt, ut normam artis in dicendo sequantur. Cum autem Dialectica praecipue necessaria sit Ecclesiae, ubi in docendo maxime amanda et custodienda est proprietas. Oro Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani, una cum filio suo Domino nostro Iesu Christo et Spiritu sancto, ut cum hanc ipsam lucem mentibus hominum inseverit, ut ipsum agnoscamus, et discernamus a creaturis, et suam doctrinam amplectamur, et doctrinarum discrimina intelligamus, haec utilia studia Dialectices et aliarum utilium artium accendat in multis propter Ecclesiam, eaque regat, nec extingui sinat, semperque servet semen aliquod sanctum inter nos, a quo vere invocetur et celebretur, ad quae summa hominum opera est necessaria multarum artium doctrina, Amen.

LIBRI

PHILIPPI MELANTHONIS

IN QUIBUS ENARRAVIT SCRIPTURAM SACRAM.

De meritis Melanthonis in enarrandis libris sacris scripsit *Strobelius*:

„Historisch-literärische Nachricht von Philipp Melanchthons Verdiensten um die heilige Schrift, worin von allen dessen exegetischen Arbeiten und derselben verschiedenen Ausgaben nähere Anzeige gegeben wird, von Georg Theodor Strobel, Pfarrer zu Rasch. Altdorf und Nürnb. 1773." 144 S. 8.

Liceat quaedam, quae Strobelius docte et vere de Melanthonis libris exegetecis scripsit, hic repetere.

„Zwar findet man (scribit Strob.) — bei Melanchthon nicht diejenige Vollkommenheit, deren man sich „in unsern Zeiten zu rühmen pflegt, die man aber auch nach damaliger Beschaffenheit der Zeiten nicht fordern kann. „Allein dem ungeachtet sind die Arbeiten Melanchthons in diesem Fach nicht zu verwerfen. Er hat alle seine Vor-„gänger darin weit übertroffen, und den Nachkommen eine gute Bahn gebrochen. — Er besaß alle Eigenschaften, „die von einem guten Ausleger der heil. Schrift mit Recht erfordert werden. Er war ein vortrefflicher Logicus, — „und zugleich ein vollkommener Grammaticus, und pflegte öfters zu sagen: omnis bonus Theologus et fidelis „interpres doctrinae coelestis necessario esse debet primum Grammaticus, deinde Dialecticus, denique „testis. — Obgleich damals noch keine eigentliche Auslegungswissenschaft der heil. Schrift vorhanden war, so findet „man doch hin und wieder in den Schriften Mel. die besten und richtigsten hermeneutischen Regeln, denen er in „seinen Arbeiten gefolgt ist, und von welchen ich einige mit seinen eigenen Worten anführen will:

„Non potest scriptura intelligi theologice, nisi ante intellecta sit grammatice."

„Melius res expeditur grammatica ex graecismo aut hebraismo explicatione, quam subtilitate phi-„losophandi scholastica."

„Nemo de natura sermonis et de figuris iudicare poterit, nisi legerit eloquentium hominum scripta, „Ciceronis, Livii, Virgilii, Terentii, Ovidii, Quintiliani. Addendi sunt et graeci, Homerus, He-„rodotus, Demosthenes, Lucianus."

„Multis profecto erroribus caruisset omni tempore theologia, si non hebraica graece explicata essent."

„Unus aliquis et simplex scripturae sensus est, ut et coelestis veritas simplicissima est, quem „collatis scripturis et filo ductuque orationis licet assequi."

„Licet omnino ad iudicandas scripturas adhibendi sint patres, satius est ex his locis scripturae „sententiam colligere, ubi hoc ipsum agunt, ut enarrent, quam iis, ubi vel rhetoricantur, vel affe-„ctibus suis quocunque modo indulgent."

„Quidam non contenti una interpretatione in singulis sententiis, finxerunt ex se, velut aranei, „quatuor aut plures etiam sententias, literalem, allegoricam, tropologicam, et nescio quas prae-„terea, cum una et simplex sit scripturae sententia, videlicet quam aperit ratio grammatica." — —

„Donum interpretationis est tantum penes eos, qui fontes saepe legunt, relegunt, conferunt, ex-„pendunt, et qui pietatis exercitia addunt."

„Libri II Prophetarum et Apostolorum sine literis, sine eruditione non possunt enarrari."

„Etsi monumenta Apostolorum graece scripta sunt, tamen cum semper adscitae linguae referant „aliquem quasi succum nativae, sermoni graeco (Apostolorum) multae sunt phrases et figurae „Ebraicae admixtae, quae ut recte et dextre intelligantur, studia linguae Ebraicae in Ecclesia co-„lenda sunt — —."

„Die Methode selbst (pergit Strobelius), deren sich Melanchthon in Erklärung der biblischen Bücher mehrentheils bedient, ist die dogmatische, welche man damals in exegetischen Schriften der Reformatoren fast „durchgängig antrifft, und welche D. Ernesti in s. institutio interpretis N. T. p. 171. so beschreibt: est „eorum, qui in interpretando non tam verba accurate interpretantur, quam sententias utcunque in„tellectas illustrant disputationibus de capitibus fidei et morum, controversias etiam tractant, et „veritatem doctrinae ab depravationibus haereticorum vindicant. — — Richard Simon macht in „seiner Hist. critica comment. N. T. p. 695. dem Melanchthon den Vorwurf, daß er allzumühsam ana„lysire und disputire, und besonders die Briefe Pauli so exponire, wie man die Reden Ciceronis in den „Schulen zu erklären pflege, gleich als ob der Apostel den Regeln der Rhetorik gefolgt wäre."

„Endlich bemerke ich noch, daß die zwei Bücher der Maccabäer (in bibliis Lutheri germanicis) von „Melanchthon allein ins Deutsche übersetzt worden sind. Ich ersehe dieses aus dem Zeltnerschen Leben Hans „Lufts, wo S. 25. aus Chytraei onomastico folgende Worte angeführt werden: in Germanicis bibliis „duo primi tantum Maccabaeorum libri ex graeca in teutonicam linguam conversi sunt a Philippo „Melanchthone. Eben dieß bestätigt Martin Mylius, der in seiner Chronologia scriptorum Phil. Mel. „beim Jahr 1529. schreibt: In bibliis germanicis Philippus autor est versionis duorum librorum Macca„baeorum."

Haec *Strobelius.*

Caeterum potissimum est, Lutherum in vertendis libris sacris saepissime consuluisse Melanthonem, ut ex epistolis Lutheri et Melanthonis clarissime intelligitur. Ex iisdem Melanthonis epistolis aliisque eiusdem scriptis videmus, Melanthonem etiam cognitionem aliquam habuisse linguae hebraicae, adeoque grammaticam hebraicam tradidisse tironibus in Academia Vitebergensi post Boeschensteinii (qui hebraica docebat) abitum ab Academia. In bibliotheca Ducali Gothae asservatur adhuc libellus a discipulo Melanthonis scriptus, qui continet Grammaticam hebr. a Melanthone traditam, i. e. ea, quae Melanthon discipulis in scholis dictavit. Sed tantum aliquoties id factum esse videtur; nam postquam Lector linguae hebraicae in Academiam vocatus est, Melanthon non amplius grammat. hebr. docuit.

Dedimus hic scripta Mel. exegetica secundum ordinem librorum in bibliis sacris, primum igitur commentarios in libros V. T., deinde eos, qui ad N. T. spectant.

I. COMMENTARIUS IN GENESIN.

Prodiit iam anno 1523. libellus Melanthonis inscriptus:

„In obscuriora aliquot capita Geneseos Phil. Melanchth. annotationes. Hagenoae per Ioannem Secerium anno 1523. mense Nov." 8. — Haec videtur esse prima libri editio, recusa Tubingae 1523. — Iterum: „In obscuriora aliquot capita Geneseos Phil. Mel. annotationes. Ex foelicissima Haganoa per Io. Secerium. (Praecedit praefatio Nicolai Gerbelii data a. 1524)." Vid. Panzeri annal. typogr. IX, 138. 305. — Germanice: „Philippi Melanchthonis erklärung oder anzaygung in etliche schwersten Capittel des ersten Buchs Moysi, kürztlich auß dem latein ins teutsch gebracht. M.D.XXIIII." (sine loco). — Textus latinus repetitus est in opp. Mel. Basileensibus T. I. p. 1. et iterum in opp. Mel. Viteberg. T. II. p. 377 sq. ubi Peucerus librum sic inscripsit: „*Commentarius in Genesin, qui est inter prima Autoris scripta.*"

IN GENESIN PRAEFATIO PHILIPPI MELANTHONIS.

Praeterquam quod Genesis rerum conditionem indicat, ad hoc ea potissimum utendum est, ut inde discas originem peccati, et primam gratiae promissionem, ex quibus duobus locis postea universa pendet scriptura. Sunt et exempla prodita, in quibus tum irae filios, tum gratiae filios adumbrat: timorem Dei illorum exempla docent, hi fidem. Quod enim invenias tristius exemplum diluvio, aut Zodomorum exitio? et qui poterit erigi confidentius fides, quam si consideres, quam blande, quam suaviter, et tamen in cruce, filios gratiae tueatur? Mihi certe nullis blandioribus exemplis φιλοστοργίαν suam testatus videtur.

De conditione rerum.

Ut a conditione rerum ordiretur, non historiae tantum ordo postulabat, sed et ipsa docendae pietatis ratio, quia hoc caput omnium quaestionum est: Sitne Deus: Sintne a divina aliqua vi haec condita: Reganturne aliquo divino numine. Et hoc caput est ignorantiae et impietatis humanae, quae comprehendere non potest rerum vel conditionem vel administrationem, sentitque res temere ferri, nasci, interire, redire etc. Rom. 1. et 1. Corinth. 1. Sic in universum sentit caro, ut maxime aliter doceant hypocritae. Et veteres quidem Theologi contenti fuerunt Ecclesiam contra philosophica dogmata armare: contra hypocrisin non item: Ita factum est, ut enervaretur Verbum spiritus. Nobis ea contra hypocrisin utendum est, ut quando de conditione rerum loquitur, intelligenda sint verba viva potentia etc. iuxta illud: Dixit, et facta sunt. Ita quando Deus tangit cor nostrum fide creationis, et ostendit quod ex se, in se, et per se sint omnia, erigitur cor fiducia erga Deum, sentitque se de manu Dei accipere omnia, et illi omnia resignat, sive vivat, sive moriatur. Et video non alium locum esse, in quo se mirabilius fides exerceat, quam hunc. Nam hic demum in obscurissimas tenebras ingreditur, sic sentiens: Ecce tu condidisti me, idque sine meo consilio, sine mea opera: Ita nunc egentem, morientem etc. sublevabis. Sic Christus Psalmo vigesimo primo: Tu es qui extraxisti me de ventre matris meae. Et centesimo tertio: Dante te illis colligent etc. Et Hebraeorum undecimo: Fide intelligimus aptata esse secula. Quomodo fit autem ut haec cognoscamus? Respondeo, Mortificata sapientia carnis per crucem, 1. Corinth. 1.

Litera sententiae de creatione est hypocrisis et opinio carnalis de conditione rerum. Spiritus autem est fides, hoc est, certa scientia cordi a Spiritu sancto indita, qua sentimus amplitudinem bonitatis divinae, effundentis se in omnes creaturas: et confidimus inde nos accepturos omnia bona corporalia et spiritualia, atque ita fidentes nos illi permittimus sive vivamus sive moriamur, iuxta illud: In ipso sumus, vivimus et movemur.

Literam norant illi de quibus Roman. primo: Cognoscentes Deum non sicut Deum glorificaverunt, et primae Corinthiorum primo: Non cognovit mundus Deum per sapientiam. De spiritu ad Hebraeos loquitur: Fide intelligimus condita secula, verbo Dei, ut invisibilia visibilia adparerent, id est, ut potentia et divinitas appareret in opere Creatoris. Porro haec fides cum credimus omnia regi divina providentia, nihil temere ferri, est ipsissima mortificatio rationis nostrae, negantis esse Deum, aut nostra Deo curae esse. Haec de praefatione in Genesin.

Caput I.

In principio.

De principio multa fabulati sunt, et pro eo quod est in principio, quidam in Filio legerunt, ut et Hieronymus indicat: nos simplicissime literam sequemur, ut debemus, siquidem ea sola facit ad aedificandam fidem. Principium significat exordium temporis et rerum. Ergo cum ait, In principio, significat ante rerum conditionem aeternum fuisse Deum, non enim in hoc principio Deus factus est. Porro sicut incomprehensibilis est rationi rerum aeternitas ante principium: ita et post finem incomprehensibiles abyssi sunt. Fides autem quae capit Deum, et sentit ante omnia in omnibus, et post omnia esse Deum, abyssos hos ingreditur gestata verbo Dei velut utero, sicut Esaias dicit, ut vel hinc adpareat, quid sit, quod ab Heb. ait, Omnia portans verbo Dei.

Creavit.

Cum de creatione dicitur, non est imaginandum poëtice, quod tum tantum condiderit prima rerum corpora et semina, nunc ea sinat ferri sponte, pro sua cuiusque vel natura vel industria: sed sicut a Deo condita sunt prima corpora, ita sentias omnia condi, servari et regi. Atque haec rerum administratio incomprehensibilis est rationi, fidei autem certissima est.

Sunt qui tituli vice exponunt hoc, In principio creavit Deus coelum et terram, quasi velit Moses generali propositione et titulo complecti totam creaturam, quasi diceret, Coelum et terram, id est, omnes creaturas coelestes et terrestres, quos movet, quod firmamentum secundo primum die conditum est et adpellatum coelum. Iam et vulgato more in scripturis, coeli et terrae nominibus omnes creaturae veniunt. Ego sic sentio διηγητικῶς exponendum esse, non tituli vice, ut intelligas primum opus et primi diei opificium fuisse coelum et terram.

Nam quia ratio lectionis postulat, ut de terra ita sentias, quod in principio creata sit ante lucem, cogimur ut idem de coelo sentiamus. Nam et postea inquit, non fiat terra, sed adpareat ex aquis. Sed obstat quod secundo die firmamentum conditum est, quod et dici et esse coelum nihil est quod dubitemus. Mea sic est ratio, primum omnium esse condita corpora, quae locus et receptaculum aliarum creaturarum essent. De terra non est quod laboremus, quam eodem ubique nomine signat. De coelo non convenit. Mihi simpliciter videtur, coelum quoddam conditum, quod postea abyssum, id est, obscurum quoddam aqueum corpus vocat, cum ait, Terra erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi. Vult enim significare obscura fuisse, et tenebricosa illa corpora quae condiderat, terram et abyssum seu coelum. Deinde idem coelum quod primo die conditum est, factum esse firmamentum et digestum esse in tot orbes: ita ut non creatura, sed ornatus creaturae describatur secundo die. Non enim dicit fiat coelum, sed fiat firmamentum seu extensio, id est, fiat illa coelorum compages et dispositio, quam nunc cernimus. Nam alias nusquam narrat coelorum seriem compositam, et quod secundo primum die coelos adpellavit nihil obest. Nam et tertio primum die vocavit aridam terram. Sic ergo sentio, primo die condita esse haec corpora, coelum quoddam obscurum, quod esset reliqui opificii receptaculum, et terram, et in adpellatione coelorum aquam comprehendit: nam coelos esse aquam, etiam Hebraei nominis affinitas declarat. Et cum coelum, et terram, et aquam dico, intellige solida ac integra corpora, non chaos Platonicum, aut materiem rerum, quam finxerunt prorsus informem.

Iam et hoc observandum est, quod hic Moses de solis corporalibus creaturis scribit, nihil de spiritibus, sed Prophetae opus creationis latius postea exposuerunt, ut est cernere Psalmo centesimo tertio. Et haec quidem de historia, quam frustra audieris, nisi fide sentias Deum esse infusum intra creaturas, servare eas et admini-

strare etc. Hic usus creationis docetur a Hieremia capite quinto et decimo.

Hactenus de conditione primorum corporum, nunc sequuntur causae cur reliqua condita sint. Hieronymus duo Hebraea duobus synonymis reddidit, Septuaginta interpretes, invisibilis et incomposita: ea expositio multum negocii fecit Augustino: Chaldaei, vasta et vacua, quemadmodum et nunc Iudaei exponunt, et ego naturam vocum Hebraearum recte reddi iudico. Estque sententia, Terra erat vasta, id est, incomposita, immixta aquis, nullo dum certo loco consistens: Et vacua, id est, nondum tecta plantis, nihil dum gignens. Primum ad terrae figuram pertinet, secundum ad vim gignendi. Docet autem Moses, quod sicut per sese gigni res non potuere, ita nec per sese perfici, et ut ante de conditione diximus, ita nunc de rerum conservatione et perfectione dicendum est.

Philosophi docuerunt eam esse terrae naturam, ut si extra suum naturalem locum dimoveatur, sua sponte relabatur ad locum suum, ut in saxo adparet. Hic ostendit Moses non esse naturam terrae hoc vel illo loco subsidere: sed voluntatem Dei, qui ei definivit locum, sicut postea dicetur.

Item nemo Philosophorum non putat esse terrae naturam, quod seminibus in eam coniectis gignit plantas. At Moses dicit terram vacuam fuisse, id est, cum iam condita esset adhuc immixta aquis circunlatam, et nihil gignere potuisse. Ergo quod talis est terra, quod credita semina cum foenore reddit, non terrae natura est, sed voluntas Dei est: et hanc immensitatem Dei undique se in omnia effundentis qui capiat humana ratio? Et recte quidem terrae vastitatem et vacuitatem tribuit, abysso tenebras: nam et terra est quae gignit, coelum corpus lucis capax, ideo ait: Et tenebrae erant super faciem abyssi.

Abyssus aquae sunt, quae coeli et receptaculi vice erant, nam de eo certe corpore loquitur, cui postea lux indita est. Atque hic iterum docemur non natura corporibus congenitam esse lucem, sed voluntate Dei inditam, ut sciamus non initia tantum, sed et conservationem corporum Dei opus esse.

Hic fere de iustificatione hominis et nova creatura disseritur, quomodo infatuari carnem et tenebras fieri in nobis oporteat, ut reficiamur spiritu et luce Dei: tecte quidem illi, sed haec nos suo loco capite tertio dicemus. Caeterum fateri necesse est, eandem esse rationem creandi et recreandi, sed hic Moses hoc potissimum docebat, quod Apostolus ait: Omnia ex ipso, per ipsum, et in ipso esse, ut discamus confidere ei, cui scimus creaturas curae esse.

Spiritus ferebatur super aquas.

Haec de aquis dicit, quas abyssus illa intra se continebat.

Spiritus Dei in scripturis Spiritum sanctum significat, ideo non exponemus de aëre, nam aër aqua est, et pro ferebatur, fovebat, legunt Basilius, Ambrosius et Hieronymus, et Syrum quendam testem citat Basilius. Atque ita idem hic docetur, quod supra: conservationem aquae non naturae esse, sed Spiritus sancti incubantis aquae. Et haec de causis sequentium operum.

Et dixit Deus.

Sequitur creaturae seu opificii mundi dispositio.

Ex hoc loco fere accepta sunt, quae de verbo dicuntur Psalmo trigesimo secundo: Verbo Domini coeli firmati sunt etc. Item: Ipse dixit et facta sunt. Et Iohannis primo: Omnia per verbum ipsum facta sunt. Et Hebrae. 1.: Portans omnia verbo virtutis etc.

Dicere, est parere verbum aliquod, et quia ante omnia sese considerat pater, et in consideratione suae potentiae ordinem et rationem omnium, quae condi possunt: Ideo Verbum parit, quod et imago patris est, et ipsissimum consilium faciendi omnia etc. Per hoc Verbum et condita sunt omnia, et servantur omnia, et renovantur omnia. Ideoque Iohannes in eo ait esse vitam et lucem, sicut in hoc textu videmus lucem et viventia per verbum condi. Discemus ergo hic praeter caetera, quam oporteat esse verbi incarnati operationem in corde nostro, nimirum condere novam vitam et novum lumen, iuxta Psalmum centesimum sextum: Misit verbum suum, et sanavit eos. Ita facile intelligi poterit, quid Iohannes secutus sit in Evangelii sui principio. Caeterum de verbi potentia vide Psalmum vigesimum octavum. Habes quid sit quod ait, dixit, id est, Verbum effudit, quod est eius consilium condendi omnia. Sed hic mirari quispiam possit, cum per Verbum omnia condantur, cur non et supra addiderit,

dixit, et creavit coelum et terram: ego causam non video, nisi forte verbi naturam Moses indicari certius ita putavit, penes hoc, quod tum demum fecit eius mentionem cum lucem condi scriberet. Certe enim Verbum lux est, et splendor paternae gloriae, et illa ipsa illuminatio vultus Dei, quam sic ubique vocant Prophetae. Nam creaturae sic describuntur, ut ex eis disci divinitas debeat: sicut et antea Spiritum sanctum supra aquas ferri scripsit, ut eius naturam nobis indicaret aliqua parte: et huc respexit Iohannes, cum vim illuminandi verbo tribuit.

Lux quid sit, cerni rectius potest, quam dici, estque illa ipsa claritas quae cernitur, quae omnia ostendit, sic et in corde nostro, clara ostensio, lux est.

Et vidit Deus lucem quod esset bona.

Id est, adprobavit, porro adprobatio est eius conservatio. Ita iterum vides non condi tantum res, sed et servari a Deo. Bona, id est, cuius esset aliqua in creaturis utilitas. Nam omnes creaturae alicui officio seu ministerio destinatae sunt.

Et divisit Deus lucem.

A vespere ad mane supputatur dies, tum ut intelligamus in hoc signo, omnia ex tenebris, et nihilo progressa esse, tum ut universaliter intelligamus opera Dei a nihilo adesse creaturarum progredi etc. Item vices diei et noctis, somni et vigiliarum, haud dubie significationes sunt, mortis et resurrectionis.

Dixit.

Idem verbum est, quod paulo ante diximus esse consilium patris. Hic observabis egregiam sententiam Secundae Petri tertio, ubi docet et conditionem et conservationem, et durationem coelorum in verbo Dei consistere: reprehendit enim impias cogitationes de natura rerum (sic enim cogitat ratio) hi motus, stati sunt et regulares, hic naturae cursus est, quem videmus: quid negocii esset Deo, cum tam minutis et vilibus creaturis, res quaeque pro sua natura fertur etc. commentum est de die novissimo etc. Has dico rationis nostrae cogitationes reprehendit, inquiens: Imo verbo Dei consistunt coeli, non natura sua, et idem verbum Dei est, quod praedicatum est vobis, de die novissimo, de renovanda creatura: ergo tantisper coeli durant, donec Verbo conservantur, et pulcerrima voce ibi usus est, ut thesauri repositi verbo. Idem est in Psalmo centesimo quadragesimo octavo. Statuit et non praeteribit. Ita vides urgere scripturam, ut discamus et omnia in manu Dei esse, et postea confidere Deo, et timere Deum.

Firmamentum sive extensio.

Haud dubie significat illam orbium compositionem et distinctionem, quae nunc est: et sic huius diei opus a primo opere distinguitur, quod primo die conditi sunt coeli, aquea quaedam moles etc. quam hic opinor vocari aquas supra coelos: secundo die digestos esse hos orbes inter aquas, iuxta Psalmum centesimum tertium: Extendens coelum sicut pellem, laqueans inter aquas altitudinem eius: nam coeli sunt aquea corpora. Quia Ezechiel primo capite scribit se supra firmamentum vidisse thronum, et in throno sedentem velut hominem, intelligamus aquas supra coelos locum illum, qualis qualis est: ego aërem esse iudico.

Quod hic locus est, Hebraeis rectius statio est, ut significet ad verbum Dei constitisse aquas, etiam nullo commodo receptaculo. Quis enim aquarum receptaculum aestimet? Huc illud Proverb. octavo pertinet: Legem ponebat aquis ne transirent fines suos. Et Proverb. decimo: Qui colligavit aquas etc. Sic de terra consistente in aquis, sicut in Proverbiis ait, Adpendebat fundamenta terrae etc. Haec cum considerant Sancti, aquas, terram, suspensas esse Verbo Dei, certe intelligunt omnia divinitus regi, servari, et donari. Et vidimus exempla ubi aquae cesserunt verbo Dei contra naturam, sicut in diluvio, in profectione ex Aegypto.

Videre quod sit bonum.

Est aspectus seu decretum Dei ordinantis creaturam ad utilitatem aliquam, sicut infra de homine latius dicemus.

Primum hic observabis vanum esse commentum Philosophorum, quod de ordine causarum et de fluxu siderum prodiderunt. Nam ante astra conduntur planetae, quas potissimum nasci et servari virtute siderum existimaverunt.

Quod non simpliciter dixit herbam aut lignum, significat non naturam herbae esse aut ligni semen gignere, sed Dei donum esse, ut Matth. 6. dicitur: Foenum agri vestit, et eodem loco vides, quomodo creationis argumento Christus ad confirmandam fidem usus sit.

Item quod dicit facientem semen, non eo pertinet, quasi seminis natura sit gignere: nam Verbi Dei est. Dicit enim Christus, Pater vestit, sed ideo sic loquitur, ut doceat creaturas esse instrumenta in quibus operetur, Quod si res tantillas administrat et salvat, cur non animas etiam nostras regeret et salvaret? Ideo minutae istae creaturae conditae sunt, ut significaret velle se in vilibus et abiectis rebus operari. In hoc opere disputari solet, quomodo cum antea lux creata sit, et distinctus a nocte dies, iam hoc Soli tribuatur. Basilius respondet, antea conditam esse lucem, nunc lucernam, et illius lucis velut candelam.

Nazianzenus bene explicans quod a Basilio dictum est, ait, primo die lucem esse conditam, diffusam passim in totam universitatem mundi, quae postea ceu undique collecta atque coacta sit in Solem.

Ambrosius aliam lucem esse, quae primo die, aliam quae quarto condita est in Sole, putat. Ego sic sentio, et lucem primo die conditam esse, et diei noctisque discrimina. Deinde die quarto additum esse Solem lumen clarius, et diei discriminatorem nobiliorem. Fuerunt ante Solem certe orbes coelestes, quos lucidos esse etiam si vacarent Sole aut Stellis verisimile est.

Sint in signa.

Hic palam redarguuntur Philosophi, qui vim quandam sideribus tribuunt, defluentem in rerum inferiorum corpora, cum Scriptura dicat ea esse tantum signa: sed hic laboratur, quarum rerum et quorum eventuum signa sint? Respondeo, eorum ad quae is instituit qui condidit, et ille se exponit in lege, cum vetat praedictiones humanas audiri: In Evangelio, cum inquit: Erunt signa in Luna, significat indicari magnas calamitates per eiusmodi signa. Sunt ergo Stellae non autores, sed signa, et signa non omnium eventuum, sed eorum ad quae Deus ordinavit, et quorsum ordinarit haec signa, sciri non potest nisi ex Scripturis. Porro Scripturae docent signa esse operum vel eventuum, sicut vocant naturalium, seu tempestatum.

Vices temporum.

Hic vero pulcerrimum opus sapientiae Dei, et discrimina motuum orbium coelestium indicantur. Sed et hic observabis motibus orbium non res, sed tempora variari.

Quintus dies.

Quod ex aquis volatilia produxit, id est quod ante dixit, aërem aquam esse. Iam inter natantia et volantia magna cognatio est, quod eodem modo in suo elemento utraque ferantur: deinde multis avibus et natare et volare concessum est, sicut mergis et similibus quae ad aquas colunt.

Dignissimum observatum est, quod quanquam aquis praecepit, ut producerent, tamen postea subiicit, creavit Deus, ut significet omnia nascentia, quanquam naturali modo gigni videantur, tamen divina ope condi. Sic nobis inculcat accurate Moses, omnia fieri arbitrio et virtute Dei.

Vidit quod esset bonum.

Prima utilitas omnium creaturarum est, quod conditae sunt ad declarandam autoris gloriam. Ideoque in singulis animantibus praeter alia commoda, singula fere vitae exempla, item significationem tum potentiae, tum potestatis suae prodidit. Et quia de venenatis potissimum quaeri solet, primum considerabis nullum esse venenum, cuius non sit aliqua insignis commoditas. Deinde quam vilibus bestiolis quanta saepe conficiat Deus, ut cum vides solo aspectu aspidis necari robustissima corpora: considerabis quam horrendus sit aspectus autoris, si irascatur.

In Leone manifesta saevitia adversum saeva et repugnantia, manifesta clementia erga imbecilles. Et huc pertinent discrimina animantium, quae sunt in Lege, ubi alia conceduntur, alia interdicuntur. Caeterum quae sit utilitas ex piscibus, ex capite nono adparebit, ubi primum Deus ius fecit hominibus vescendi animantibus.

Dies sextus.

Plenissimus hic locus est multis et evangelicis mysteriis, propterea singulas eius partes ordine exequamur, et principio intelligamus hic loqui Mosen de homine, qualis conditus est incorrupto et gerente imaginem Dei. De aliis animantibus inquit: Producat terra, producant aquae etc.,

de hominis ortu ait: Faciamus etc., ut significet aliter nasci et interire alia animantia atque hominem. Quod dicit Faciamus, certa nota est Trinitatis, neque hoc temere est, quod Trinitatem indicat, cum de homine condendo loquitur (nam antea dixit: Fiat lux): Ad imaginem et similitudinem nostram, Hebraice: In imagine nostra secundum similitudinem nostram.

Nondum apud me constitui quid velit sibi haec loquendi figura, de sententia convenit hominem esse imaginem Dei, quod quid sit paucis exponendum est.

Sunt qui rationem imaginis eo referunt, quod homo praesit aliis creaturis, sicut Apostolus videtur dicere prima Corinthiorum undecimo: Vir est imago et gloria Dei, id est, vir praeest. Quae sententia quanquam mihi non satisfacit, tamen in eam cadit quoque quam nos sequimur.

Quid sit imago ex quarto Ephesiorum intelligi potest, cum inquit: Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iusticia et sanctitate veritatis. Et ad Colossenses tertio: Renovatur in agnitione Dei secundum imaginem eius qui creavit eum. Et 2. Corinth. 3.: Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur. Est ergo imago Dei, natura perfusa sapientia et iusticia, lumine et gloria Dei. Et hinc intelligis, qui fuerit status primae conditionis, et qua gloria exciderimus, nunc caro nihil nisi carnalia intelligit aut quaerit etc. Et quia talis fuit homo, ideo praefectus fuit omnibus creaturis. Ita vides priorem sententiam cum hac convenere, et de hoc imperio Psalmus loquitur: Omnia subiecisti sub pedibus eius. Nam quod in Adam amisimus, per *Christum* recuperatum est. Et quid sit esse Dominos omnium creaturarum, notum est. Est enim omnibus creaturis ad salutem uti, nulli creaturae subiici posse, sed soli Deo subiici. De hoc imperio ad Romanos octavo loquitur Paulus: Confido quod neque mors etc. Quae hic dicuntur de imagine et de imperio in creaturas, non dubium est, quin ad Christum pertineant, qui et perfecta imago est Patris, et sedet a dextris Patris etc. Ita vides omnia esse condita in Christum, Christum vero factum esse, ad declarandam magnitudinem gratiae et misericordiae Patris etc.

Quando in universa scriptura omnia sunt ad fidem et caritatem referenda, disces ex primo capite fidem, in eo quod condi, servari, ali et regi omnia manu Dei scribitur. Nam cum humanae impietatis caput sit ignoratio Dei, qua cogitamus omnia nasci et evenire naturali quadam dispositione, nec curari res tam viles a Deo, necesse est Verbo Dei fidem aedificemus, qua credamus et committamus nos ei, hoc Christus ait Matthaei decimo: Vestri capilli capitis omnes numerati sunt. Huc pertinet totus Ecclesiastes. Praeterea et Christum disces, cum scribitur ad similitudinem et imaginem Dei conditum esse hominem, cui imagini nos restituit Christus, qui fuit nativa et propria imago Patris. Sunt et alia de verbo, de Spiritu sancto, quae suo cuiusque spiritui meditanda relinquo.

Caritatem hinc disces, quod omnes creaturas usui alicui destinat, cum inquit: Vidit Deus omnia quae condidit, et erant valde bona. Quae sententia primum hoc docet, gloriam Dei, potentiam et misericordiam in singulis creaturis repraesentari: sapientiam in dispositione orbium coelestium: potentiam vultus irae eius in aspide etiam aspectu necante: misericordiam in plerisque, ut in pullis corvorum. Deinde iubet ut singula singulis per sua dona serviant. De lege naturae varie disputatum est a multis: mihi non aliter posse rectius explicari videtur, quam hic expressit Moses, Decretum Dei esse legem naturae, ordinantis singula ad gloriae suae ostensionem, et ad mutuum obsequium inter creaturas: ut si de homine loquaris, Homo conditus est ad imaginem Dei, Et vidit Deus bonum esse opus quod fecerat, id est, ordinat hominem ad imaginem illam conservandam: et cum imago Dei sit perfusum esse luce et cognitione Dei, ordinatur homo ad cognoscendum et glorificandum Deum. Deinde, quod videt bonum opus esse, destinat utilitati creaturarum, ut mutuum obsequium alii aliis praestemus. Item lex caritatis expressa est, cum iubet crescere et multiplicari. Nam cum gignere iubet, certe excolere praecipit quae genuimus. Ita inter se omnes homines necessitudine geniturae cohaeremus. Iam in Hebraeis pro crescite est fructificate, quod ad omnia obsequia pertinere videtur.

Caput II.

In Scripturis de Sabbato passim multa leguntur, quae ex hoc loco velut ex fonte derivata sunt. Primum autem hic quaeritur, quomodo septimo

die quieverit, cum tamen perpetuo creet, iuxta illud in Iohanne: Pater meus usque modo operatur. Et in Actis: In ipso sumus, vivimus et movemur. Respondeo primum, hanc requiem esse accipiendam sic, quod non perrexerit plura genera rerum condere, quam enumerata sunt, adeoque quod conquiescat Deus in hoc opificio. Ita certe sentimus, non plures esse aut futuros mundos, hunc solum esse hominum ortum et lapsum, hoc solum esse hominum genus, ad quos Christus pertineat, quod expectet consummationem seculi et iudicium.

Item ideo circumscripsit creaturas, et finivit opus die septimo, cum iam omnia homini subiecisset, ut certo sciremus, omnia nobis subiecta esse, siquidem nulla alia genera creaturarum erant condenda: hoc dominium in Adam amissum, in Christo recuperavimus. Postremo ideo conquiescit in hoc opificio, ut sciamus hoc esse opificium, quod glorificandum sit.

Requies finit genera creaturarum, sed haec non consummatur, nisi ubi nihil prorsus operatur Deus, et creaturae intereunt. Ea requies est Christi, qui Deus est, morientis et quiescentis Sabbato in sepulcro, et vere sabbatizantis: significavit ergo Moses hoc verum Sabbatum Dei. Praeterea hoc Sabbatum Dei, et interitus creaturarum benedicitur et sanctificatur, ergo non sic intereunt creaturae, ut non renoventur, sed ut ex hoc interitu renascantur glorificatae et sanctificatae.

Et hoc est quod Exodi vigesimo praecipitur sanctificatio Sabbati, scilicet ut credamus Sabbatum Christi sanctum esse et salutare, et nostrum Sabbatum seu interitum benedici, eo quod Sabbatum Christi benedictum est. Huc pertinent ea quae de Sabbato ad Hebraeos tertio scribuntur, et quarto: Requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis.

Deus quiescit in his creaturis, quia vult has glorificare.

Adam excidit. In lege iterum praecipitur Sabbatum, ut significetur futurum tamen quanquam ceciderimus, ut quiescat in nobis Deus.

Quiescere Deum in nobis, est non movere creaturas, ut agant naturalia opera, sed absorbere nos intra se, ubi est aeterna quies. Huc facient quae sunt apud Esaiam de Sabbato, et in Epistola ad Hebraeos.

Illud quiescere non potest fieri integra vetere creatura, quia vetus creatura tantum est capax motionum naturalium, ergo oportet eam destrui.

Vetus creatura destruitur vacante Deo ipso, sic quievit in sepulcro Christus.

Benedicere, est incolumitatem et profectum imperare, sicut supra benedixit animantibus, id est, dixit, ut existant. Ita hic septimo diei benedicit, id est, dicit, ut proficiat hic dies. Nam cum in creaturis incipit quiescere Deus, septimus dies est: illa vero quies est perpetua, iuxta illud Esaiae sexagesimo sexto: Erit Sabbatum ex Sabbato. Sanctificare est ad usus Dei accommodare, sicut sancta vasa dicuntur. Itaque dies septimus est accommodatus usui Dei, Et vide pugnantiam, Deus quiescit Sabbato etc., tamen cum Sabbatum eius usui sanctificatum sit, necesse est ut agat aliquid in eo? Respondeo, Sabbato cessat movere naturali motione, et absorbet in se creaturas, quod Esaias vocavit Sabbatum dedicatum. Itaque quoad naturaliter movemur, nondum Sabbatum est.

Praecedit conditio rerum ante describendam hominis conditionem, ut intelligatur omnia esse condita propter hominem, et hominem esse praepositum universae creaturae: quae hominis praerogativa describitur Psalmo octavo. Et Coloss. primo de Christo Paulus ait: Omnia per ipsum, in ipso, et in ipsum, id est, ut in haeredem qui dominetur omnibus. Et ad Romanos quarto: Promissio Abrahae, et semini eius, ut haeres esset mundi. Nam omnia quae de hominis dignitate dicuntur, in quo recuperavimus dignitatem amissam in Adam. Magnum est autem credere Christum dominari, credere nobis subiecta esse omnia.

Haec multis verbis describuntur, ut fides de creatione confirmetur etc., de qua supra. Iam hoc quoque observabis, Pluviam esse non naturalem colluviem aquarum, sed opus Dei foecundantis terram etc., ut Deuteronomii undecimo, De coelo expectans pluviam: et Actorum decimo quarto, De coelo dans pluviam et tempora fructifera. Sic scriptura per omnia nobis inculcat non naturam aliquam esse, quae per sese gignat, sed Dei beneficia esse omnia quae gignuntur etc. Quod homo compositus est ex pulveribus terrae saepe in scripturis repetitur, Psalmo centesimo secundo: Recordatus est quod pulvis sumus, homo sicut foenum, dies eius sicut flos agri, id est, respexit

vilitatem et miseriam nostram, ideo quemadmodum pater miseretur filiorum etc. Itaque mortalitas et infirmitas nostra nobis proposita est in pulvere, sicut infra repetit: Pulvis es, et in pulverem reverteris.

Tractat Apostolus prima Corinthiorum decimo quinto: Adam primus factus est in animam viventem: novissimus Adam in spiritum vivificantem, id est, primus Adam factus est, ut esset vivus vita naturali, ederet, biberet, gigneret, haberet actiones naturales. Item ita conditus est, ut mori tamen posset. Novissimus Adam, id est, omnes qui in Christo resurgunt sic sunt conditi in spiritum vivificantem, ut perpetuo vivificentur spiritu, non habeant actiones ullas naturales, sed tantum spirituales, amorem Dei, cognitionem Dei, laetitiam spiritualem, laudem Dei.

Plantaverat autem Dominus.

Qui totam terram opinantur Paradisi vice futuram fuisse, eos necesse est fateri tamen prae caeteris terrae partibus unam aliquam amoenissimam, hic Paradisum vocari, quando et fluvium in eo esse sic scribitur, e quo deriventur Ganges, Nilus, Tigris et Euphrates, et infra capite sequente dicitur, Cherub et gladius flammeus eum locum custodire. Porro ubi sit sciri nequit, nam et ortus Nili ac Gangis ignorantur: ita ut in Proverbium cesserit de re ignota, Nili caput quaerere. Nobis satis esto, locum in Oriente esse, ubicunque est, quem hortum hic vocat. Porro quod homo in Paradisum positus est, iterum significat, eum propositum fuisse omnibus creaturis. Indicatur item cura Patris de servando et alendo homine. Lignum vitae, cuius fructus vivificabant perpetuo. Lignum scientiae boni et mali ea arbor dicitur, quam lex interdixerat, quia enim lex bona et mala docet, ideo arbor de qua lege cautum fuit, lignum scientiae boni et mali dicitur. Et ex iis facile est allegoriam invenire ut verbum vivificum, intelligas lignum vitae dici, Proverbiorum tertio: Lignum vitae est, his qui apprehenderint eam, et qui tenuerint eam beati. Lex autem lignum scientiae boni et mali.

Quod Paradiso imposuit hominem significatum est, hominem praeesse reliquis omnibus creaturis, sicut supra dicit, hominem conditum non in Spiritum vivificantem, qui spiritualiter tantum movetur, sed in animam viventem, hoc est, cuius opera essent naturalia, edere, bibere, gignere etc. Ea opera hic quoque indicat, cum ait, homini Paradisum commissum esse ut eum coleret.

Haec lex duo insignia docet. Primum in legibus divinis non esse spectandum, quantum sit opus quod praeceptum est, sed spectanda est voluntas Dei praecipientis, qualecunque, quantilluncunque sit opus: quia ratio semper disputat de lege divina, et iudicat eam iniquam esse, cur hoc vel illud constituerit, et voluntatem Dei ab operis modo aestimat. Ita primum peccatum quotiescunque lex violatur, est infidelitas: Sicut in Luca praecepit Dominus, ut caveamus ne graventur corda nostra crapula, caro cogitat vile opus esse, et ab operis modo aestimans voluntatem Dei, legem contemnit. Sic in multis aliis fit, quae in speciem non sunt turpia, ubi sic cogitat caro, age quid ista curet Deus, et hoc est quod Paulus ait: Omne quod non est ex fide, peccatum est.

Secundo hic spectanda est infirmitas nostra, quod si natura integra Adae non potuit consistere re tam facili praecepta, quanto minus nunc consistent corrupta, et hic se contemplentur hostes gratiae.

Morte morieris.

Quidam hic offensi sunt, quare dicat morte morieris, cum tamen Adam non sit statim mortuus. Respondent alii, statim mortuum esse quo ad animam. Alii dicunt, quia in Hebraeis est moriens morieris, significari mortalem fieri. Ego sic sentio, simplicissime intelligendum esse textum, ut sonant verba. Nam et eo die mortuus est Adam, sicut ex capite sequenti apparet. Nam mori in scripturis proprie significat confundi a conspectu Dei. In Ioanne ait Christus: Qui credunt in me, non morientur. Apud Esaiam: Omnis qui invocaverit eum, non confundetur. Illa confusio ipsissima mors est. Et extinctus plane fuisset Adam, nisi vivificatus fuisset iterum verbo gratiae: Ipsum semen conteret caput tuum. Item tota natura sine spiritu Dei vivificante, plane moritur, quanquam non semper sentiat mortem, quo modo Apostolus ait: Prudentia carnis mors est.

Non est bonum hominem esse solum.

Hic expressa est lex caritatis, tum multiplicandi generis humani causa, adeoque hominis

adiuvandi causa homo conditus scribitur, ortus noster, nutricio, educatio, breviter omnes vitae necessitates ab alieno praesidio pendent. Et hanc societatem hominum magnifecit Salomon Ecclesiast. quarto: Si unus ceciderit, ab altero fulcietur: vae soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se etc. Et in corporalibus quidem satis apparet, quis sit mutuus usus hominum inter se.

In spiritualibus idem Christus expressit, cum dedit potestatem remittendi peccata. Item, Quod fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis etc., et quae hic naturae hominis tribuuntur, ea potissimum ac primum sunt in Christo requirenda, quia in Christi cognitionem haec omnia destinata sunt, quod homo conditus est, ut homini sit auxilio, id ita proprium est naturae Christi, ut praeterea nulli. Et nisi hoc in Christo videris, nondum novisti Christum, ipse pro nobis mortuus, ideo resuscitatus est, ut adiuvaret, ut sublevaret, ut tueretur fratres suos. Praeterea nos sumus costa ex eius latere execta, et pro costa lateri eius caro inserta est, ut ipse sit infirmus, nos validi etc.

Hoc nunc os ex ossibus meis.

Hoc quoque argumentum est omnia homini subiecta esse etc.

Erat autem uterque nudus.

Pudor ex peccati conscientia fit, propterea vacasse peccato eos significat, cum negat erubuisse.

Caput III.

Quia de Spirituum conditione nihil supra dixit: ideo Satanam non suo aliquo nomine, sed serpentis vocat, et in serpente repraesentat, ut versutiam, insidias, ingenium Satanae ex serpente aestimemus: ut infra, Super pectus tuum ingredieris etc. Sunt enim omnes creaturae corporales rerum et eventuum typi et figurae.

Dixi supra, in omni lege non opus, sed voluntatem divinam spectandam esse. Caro de voluntate Dei non iudicat, sed opere: et de opere iudicare incipit, nec tribuit Deo sapientiam et iusticiam, sicut est experiri in omnibus tentationibus, in quibus alias stulte, alias inique constituisse Deum, iudicamus. Hoc argumento primum sollicitat imbecillem rationem mulierculae Satan. Et quae hic extrinsecus geruntur, omnia geri solent in cordibus hominum. Sic enim Satan alios alio impellit, illum ad libidines carnis, hunc ad caedes etc., quia cogitatione aliqua cor occupat etc., princeps enim mundi est. Et Apostolus dicit eum excaecare corda incredulorum, ut non illucescat eis illuminatio Evangelii.

Vides infidelitatem primum peccatum esse, credit mulier Satanae, et vocem Dei pro vano terriculamento, pro irritis minis habet. Et hic considera blasphemi spiritus impietatem, qui mendacii divinam vocem accusat: et hoc est quod eum Christus apud Ioannem patrem mendacii vocat, et satis declarat hoc exemplum, quae sit Satanae voluntas, scilicet gloriam Deo velle detractam, et velle omnia perditum iri. Iam ubicunque tale cor est, quod verbum Dei ad eum modum pro vanitate habet, ita certo scias, captivum teneri a diabolo.

Calumniatur autem hic Satan, cum in bonam partem vertit, quod extrema miseria erat, scilicet scire bonum et malum. Nam scire bonum et malum est experiri iusticiam et peccatum, pacem et mortem etc. Sic observa Satanam pervertere verba Dei.

Cumque cognovissent.

Hactenus peccatum, nunc fructus peccati describuntur, conscientia et mors. Videre se nudos, est pudore tangi, pudor malae conscientiae opus est: conscientiam vero caro, verbo Dei carens, erigere conatur operibus, et satisfactionibus suis. Has satisfactiones folia fici significant, hoc est, quidquid humana industria parat quo tegatur peccatum. Sed id quam nihil prosit, declarant quae sequuntur, ubi voce Dei occiditur Adam, et rursum vivificatur, non aliquo humano opere, sed promisso semine, quod conterat caput serpentis.

Et cum audissent vocem.

Sequitur poenitentiae descriptio, et Adae iustificatio. Primum autem est poenitentia, confundi conscientiam, id quod fit, cum audimus vocem Dei accusantem, et coarguentem nos peccati. Hic iam nihil prosunt περιζώματα, quo minus moriamur, nullae satisfactiones nostrae, nulla creatura potest nos conservare iudicante Domino, iuxta illud: Sileat a facie Domini omnis terra. Et hoc est quod dicit Christus in Evangelio aedificare supra arenam, qui audiunt vocem suam. Iam moriebatur Adam iuxta legis sententiam, inten-

tabatur ira, et redactus fuisset in pulverem, nisi statim resuscitatus esset voce Dei.

Hic primum observa, quod ait vespere Dominum deambulasse in Paradiso, quo significat novissimis temporibus Dominum venturum fuisse, iuxta illud Ioëlis Actuum secundo: Et erit in novissimis diebus etc. Deinde non simpliciter dicit, cum audissent Dominum, sed cum audissent vocem Domini, ut significaretur filius descensurus in mundum, qui vox seu verbum patris est.

Itaque quod hic in solo Adam, parente generis humani gestum est, geritur in toto genere humano per praedicationem Evangelii, accusantis et remittentis peccata nostra. Et quod hic resurgit Adam remisso peccato, et audita promissione de conterendo serpentis capite, id perficietur die iudicii, cum mors destruetur, prima Corinth. decimo quinto. Interrogat Dominus de peccato, ut ad autorem peccati perveniat, hoc est, quod Adam mulierem, mulier serpentem accusat. Non enim in hoc, opinor, transferri culpam in serpentem, quod vellent videri se excusasse, aut negare se peccasse: nam hoc non solet vera poenitentia. Interrogat autem de peccato ut condemnetur et maledicatur serpens. Nam in hoc textu mirabili mysterio serpenti maledicitur, cum homini non maledicatur, ut homini relinquatur spes recuperandae salutis: et nos disceremus, ut antea potentiam Satanae, nunc rursus imbecillitatem eius. Praeterea hoc spectandum est, quia maledicitur Satan, non potest vicissim non maledicere: ergo voluntas eius est omnia velle perdita et pessum ire quae sunt Dei, sed non praevalet, quod a semine Evae conteratur.

Et ait Dominus ad serpentem.

Hoc loco duo proponuntur, maledictio aeterna Satanae et corporis illius, homo autem non maledicitur aeterna maledictione, quod futurum fuerit, ut redimeretur. Nam quae postea sequuntur, quae videntur esse poenae, non maledictiones sunt, sed crux et benedictio. Deinde, quid sit aeterna maledictio indicat, cum inquit: Super pectus tuum ingredieris, et pulverem etc. Porro super pectus ingredi, est pavere: atque ea est poena iuxta Iob, Sempiternus horror inhabitans. Deinde ubi haec aeterna confusio et mors est, ibi esse non potest consolatio spiritualis. Nam cum verbum vita sit, et lux: Maledicti autem verbo careant, necesse est eos et vita et luce carere. Alterum est quod observes, promissio gratiae, per quam promissionem vivificatus est Adam. Est autem haec. Ipsum semen conteret caput tuum. Est autem semen mulieris Christus, et quicunque sunt in Christo, Caput autem serpentis propriissime regnum peccati et mortis est: Peccatum aculeus mortis est, prima Corinthiorum decimo quinto, id est, mors vires accipit a peccato, ut sit metus aeternae irae Dei. Porro insidiae Satanae sunt, victoria autem nostra est, iuxta illud, Absorpta est mors in victoriam.

Mulieri quoque dixit.

Mors et omnes afflictiones corporis poena sunt peccati primi, sed ea poena desiit esse poena iustificatis, fitque instrumentum mortificandae carnis, hoc est, maledictio sublata est, et benedicta crux est. Ad eum modum hic cum mori oportuisset primos homines, vivificati sunt spiritu, et imposita est eis crux, quae porro carnem mortificet. Vivificatio spiritus facta est verbo promissionis, Ipsum semen conteret caput tuum: et crux imponitur verbis sequentibus.

Mirum vero, quod simul praecipit ut laboremus, simul maledicit terrae, ut frustra videamur laboraturi, siquidem terra nihil praeter spinas et tribulos latura est? Respondeo, in cruce potissimum hoc esse cognoscendum, quod nondum deseruerit nos Dominus. Ita hic, ideo terrae maledicit, ut sciat Adam donum Dei fore, quidquid terra tulerit, et laturam tantum, quantum nos credimus, nihil laturam, ubi nos non credimus.

Et sub viri potestate eris.

Observandus est locus necessarius, in eo quod ait: Sub potestate viri eris, quod iisdem verbis viro commissa est potestas regendi, non mulierem tantum, sed praeter eam omnia. Id Apostolus prima Corinthiorum undecimo sentit, cum virum caput mulieris vocat. Item imaginem et gloriam Dei, id est, praesidentem et regentem. Nunc cum viro committitur imperium, vult Deus per illum non mulierem tantum, sed omnia humana regi, a patre sobolem et familiam etc., quae ordinatio et in Decalogo continetur, Honora patrem et matrem, ubi parentibus committitur imperium. Hoc item est quod Rom. tredecimo, Dei ordinationem potestatem vocat: nam hac ordinatione, cum viro committitur gubernatio, facit

autoritatem civili ordinationi, in qua multi se, velut unius patris curae familia, committunt. Cui ordinationi Apostolus iubet obedire, quanquam saepe hi qui regunt, per vim usurparunt imperium, sit fieri vix possit, ut unus tam multis regendis satis et, tamen quia Dei ordinatio est, parendum est. Sed haec observa, quod mulieri praecipit, ut pareat, non viro ut imperet, quanquam hoc necessario sequatur, sicut et in Decalogo, Honora patrem et matrem, ut eos qui parent, doceat, autoritati divinae obnoxios esse magistratui, et parendum esse magistratui, sicut Paulus scribit ad Ephesios, sicut Domino. Hic autem locus de magistratibus subinde in hoc libro et reliqua scriptura latius explicatur.

Et vocavit Adam.

Quod indidit mulieri nomen Vivae iam post lapsum, auditis iam verbis Dei, haud dubie significavit Moses fidem Adae, conceptam iam de vita e promissione Dei, quasi sic velit dicere Adam: Vivemus ergo qui morti destinati eramus, peccatum condonavit pater, reliqua vita, iam vere vita esto, quia spiritu vivificamur, et quia semen tuum conteret caput serpentis, hoc est, regnum mortis, adpello te matrem viventium, ut sit haec adpellatio mulieris testimonium fidei Adam, et mnemosynon gratiae Dei promissae per semen mulieris: et breviter, signum fidei credentis mortem iam non esse mortem, sed vitam.

Fecit quoque Dominus Deus.

Ex perizomatis et vestium significatio colligenda est. Perizomata autem certum est Adam fecisse, quod nuditatis puderet. Sic enim ait: Cum cognovissent se nudos esse etc., quae perizomata nuditatem tegere, veniente Deo in Paradisum, non potuerunt. Itidem ait: Timui eo quod nudus essem. Fuit itaque haec faciendae vestis causa, ut tegeretur Adae nuditas, hoc est, turpitudo: nam haec nuditas est, cuius pudet Adam. Proinde cum tegitur veste, confirmatur eius conscientia a Deo, ut sustinere eius conspectum et vocem possit. Nullis humanis operibus aut satisfactionibus tegi peccata nostra possunt. Teguntur autem fide verbi Dei, iuxta illud: Beati quorum tecta sunt peccata. Nam iudicio Dei nihil opponas, praeter verbum eius, quo velut propiciatorio tegimur, ne gloria seu claritate Dei consumamur. Primum ergo tegitur Adae nuditas a Deo, quia nullo humano opere conscientia confirmari potest, iudicante Deo, deinde pellibus tegitur, hoc est, verbo crucis, interim dum glorificemur. Nam hic haud dubie significatum est, futurum, ut tegat nuditatem nostram nova carne in resurrectione mortuorum, sicut secunda Corinthiorum quinto de vestiendo et supervestiendo disserit Apostolus. Ita hic dicimus primum vestiri nos verbo crucis, postea etiam glorificari carne nova et spirituali.

Ecce Adam quasi unus.

Ironiam esse volunt coarguentis Adam, quod serpenti crediderit, pollicenti similem fore Deo, quasi diceret: Vide Adam cuius verbo credideris, ego iussi, ne ederetis e ligno scientiae boni et mali. Serpens contra, edentibus pollicitus est similes fore Deo, meo verbo non credidisti, quod veritas et vita est, ergo mori te oportuit credentem mendacio, vide quam non similis nostri factus sis, morti, peccato factus es obnoxius, ubi sunt igitur illae formae Dei, sapientia, iusticia, vita, quas promisit serpens? Sed praeter haec sentio simul coargui Adam, et promitti similem fore Deo, quasi diceret: Vide qualis sis, scilicet damnata caro et immunda, quae non salvabitur: erit tamen, cum sicut unus ex nobis fias, non hac via qua volebat serpens, sed hac via quam ego nunc propono tibi, nempe via crucis et mortis: erimus enim similes Dei in Christo induti gloria Dei etc. Ioannis tertio. Cum apparuerit similes erimus ei etc.

Emisit eum Dominus Deus.

Quanquam iam obscure promissum sit Adam similem fore Deo, tamen nunc eiicitur e Paradiso, quia non ante Deus glorificat quam humiliavit, adeo sunt dona Dei iusticia et vita abscondita formis crucis seu mortis. Et hoc est cur eiiciatur Adam, et obiiciatur morti, quanquam Spiritu vivificatus sit.

Et collocavit ante Paradisum.

Dixi supra hoc loco me cogi, ut sentiam Paradisum esse peculiarem quendam locum in terra, a qua simplicitate textus non facile discedo, qui volet haec curiosius persequi, is sciat incerta esse, quae scriptura non docet, et nobis in iis locis potius immorandum esse, qui fidem et caritatem

aedificant, quam in huiusmodi quaestionibus curiosis magis quam utilibus.

Certum est autem haec ideo scripta esse, ut sciamus ad vitam nullis humanis viribus nos redire posse, iuxta illud: Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo.

Atque hic observa miram contradictionem, antea dictum est, futurum ut semen Evae conterat caput serpentis: hic negat ad vitam reditum esse hominibus: ergo necesse est, e coelo venire qui viam faceret ad vitam. Caeterum si quis allegoriam requirat, angelus armatus gladio legem significat, quae instrumentum mortis est, custodit igitur viam ad lignum vitae.

Caput IV.

Vide fidei conflictationem, unico verbo sublevatus est Adam, Ipsum semen etc., e quo verbo spes salutis concepta est, postea eiicitur e Paradiso, iter ad vitam intercluditur per angelum, inter hos insultus tamen concipit fidem. Confirmata est fides genito Cain, quod iam cerneret non se tantum victuros, sed et posteritatem fore, imo quod scirent promissam de semine salutem, quasi sic dicerent, Ecce promissionem de semine habemus, quod conteret caput serpentis, gaudeamus igitur nobis sobolem esse, e qua nascatur olim, qui serpentem conterat: hunc adfectum testata est mulier, cum ait, Acquisivi hominem per Deum etc. Sed iterum concussa est fides, ubi viderunt Abel occisum, Cain a Deo reiectum.

Sequenti exemplo exhibentur nobis primum, cura Dei pro nobis, donantis verbum, docet autem hoc verbo suo fidem et caritatem.

Docetur caritas cum reprehendit Deus Cainum iratum fratri.

Fides docetur et discrimen operum, cum ait, Nonne si bonus fueris, acceptus es etc., id est, valebit quidem opus, si cor bonum est, quod quid aliud est, quam quod scriptura ubique docet, ex operibus legis non esse iusticiam.

Proposito discrimine operum et fidei legem subiicit, nisi enim discrimen operum et fidei tenetur, frustra docetur lex: Sub te erit cupiditas eius, scilicet peccati, id est, Ira concepta adversus fratrem sub te esto, et tu domineris illius, id est, ne obsecundes irae, ne subigat te ira, sed tu illi imperes. Nam quod futura et indicativa verba sunt, sub te erit, Hebraica phrasis est, quae pro imperativis solet indicativis uti, ut in aliis legibus est cernere: Non concupisces. Porro iisdem verbis supra dictum est, sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. Vides autem hic praecepta utriusque tabulae, primae tabulae de colendo Deum, non operibus, sed fide, ubi negat oblationem esse, qualecunque opus. Deinde secundae tabulae praeceptum, cum vetat occidere fratrem, neque id solum, sed et irasci vetat, hoc est, quomodocunque alterius famae, rebus, vitae, male velle. Quid autem efficiat lex sine spiritu vide, animus Cain magis insolescit, quanquam interim dissimulet iram, dicit enim scriptura: Et locutus est Cain cum Abel fratre suo, id est, iam velut posita ira, in speciem benigne compellavit et tractavit fratrem, nihil minus prae se ferens, quam quod gerebat in pectore.

Ubi est frater tuus.

Multa sunt in hac historia observanda. Primum, Dei cura pro fidelibus, sive vivant sive moriantur, iuxta illud: Domini sumus sive vivimus sive morimur. Secundum cum tanta cura sit, cur non potius viventem servavit, cur connivebat cum occideretur Abel? Respondeo: Haec doctrina crucis est, ut discamus non esse desertos, tunc, cum maxime deserti videmur. Item: Post mortem vindicat Dominus, ut ostendat illi meliorem spem repositam esse post mortem,

Figurata est Ecclesia: nam ut Christo sublato, putabant iam Iudaei se regnare, tum resurgit Christus, et illos disperdit etc.

Fides est certo sentire Deo nos curae esse, Deum praesto esse, opem ferre etc., qualecunque est quod patimur. Sed quod hic non ostendit se Deus, nec adiuvat prius quam Abel interfectus sit, non solum ostendit quae spes supersit mortuis, sed et docet primum bonam voluntatem esse suam occidi nos, et ne tum quidem abesse, cum minime adesse videtur: desertus videtur Abel a Deo, cum iam a fratre oppressus esset, sed post illius mortem palam testatur, se nondum deseruisse eum, quem putat esse desertum: curae erat Abel Deo, nec tamen adiuvit ille, tum cum oportuisse videtur, ergo bona voluntas Dei est adfligi et occidi sanctos.

Caro vult iustificari omnia sua, spiritus est qui Deo gloriam veritatis et iusticiae tribuit, iuxta

illud: Tibi soli peccavi, et malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris, id est, peccatum meum confiteor tibi, ut palam fiat, quod tu sis iustus, non ego, et vincas cum te iudicant hypocritae. Itaque non tribuunt Deo impii gloriam veritatis et iusticiae. Quare hic Cain dissimulat caedem, et id quidem coram Deo, quem putat falli posse, atque haec radix est omnium peccatorum, quod in carne talis est ignoratio Dei, ut putet Deo nec bona nec mala nostra curae esse, Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Et in universum sic in sanctos impii per contemtum Dei grassantur, sic peccant in universum quicunque peccant.

Impii non possunt fateri peccatum, aut tribuere gloriam iusticiae Deo, et tamen convincuntur a Deo, et confunduntur. Nam a facie Domini sileat omnis caro. Pii fatentur peccatum, ideo non confunduntur.

In quorum cordibus non est cognitio Dei, ea corda sua tantum quaerunt, se volunt magnifieri, adorari etc. Ideo in huiusmodi cordibus nec caritas est, quae se aliis subiicit, cedit honorem aliis, inseruit omnibus, sentit se omnium custodem esse: quare hic Cain negat se fratris custodem esse, quod fide careret cum tamen antea legem audisset, quare iratus est?

Convincitur Cain, cum inquit: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, qui clamor iuxta phrasin scripturae non est sanguinis, sed Dei, ea solicitudo est eius pro sanctis, cum vivis tum mortuis, ut etiam ex anima clamare dicat. Iam et indicat nondum interiisse Abel, quanquam occisus sit, cum vocem cum clamorem sanguini tribuit. Porro hac loquendi forma usus est, ut Evangelium figuraret, quod vox sanguinis Christi est, quae iam extincto, ut illi putabant, Christo erupit. Haec maledictio cum superiore illa conferenda est, superiore non maledicitur Adae et Evae, ne universo generi humano maledicatur, sed serpenti tantum et eius semini, hoc est, corpori et regno Satanae maledicit. Haec maledictio Cain, non ad universum genus pertinebat humanum, ideoque ipsi maledicitur: nam ex semine serpentis est.

Hic statim peccatum vindicta secuta est, ne dubitemus iudicaturum et multaturum sontes, quanquam interim dissimulare et differre videatur. Caro secura minas divinas contemnit, cum iusserit Dominus vigilare nescientes qua hora venturus sit etc., quid quod universa Cain extincta est diluvio Noë?

Vagus et profugus.

Quod de serpente dictum est, futurum, ut perpetuo pronus ingrediatur, et incumbat terrae, idem hic dicit: Vagus et passim fugiens eris in terra etc.

Maior est etc.

Sicut antea gloriam iusticiae non tribuebat Deo Cain, ita nec modo gloriam misericordiae tribuit. Huiusmodi sunt corda fide vacua, florente carne Deum contemnunt, in adflictione desperant. Econtra, qui Deum norunt, sicut sentiunt nihil esse horribilius ira Dei: ita rursum, quia Deum norunt, sentiunt nullum esse peccatum, quo non sit ille maior, qui vocat ea quae non sunt, ut sint, Rom. quarto, et cuius gloria nostro mendacio fit celebrior. Caro autem de Deo iudicat carnaliter, extra adflictionem cum stertere putat, propterea sua libidine fertur etc. In afflictione quia adversantem sentit, fugit tanquam malum iniquum etc.

Vide autem quam multipliciter describantur poenae. Primo, est desperatio. Deinde, corda ita perpetuo pavere, ut nullo certo loco consistas. Tertio, quaerere quorsum effugias vultum Dei. Quarto, metus adsiduus mortis.

Nequaquam ita fiat.

Quid igitur de iure gladii, an in homicidam animadvertere non licet? Respondeo, nihil hic de iure gladii constitui, sed generalem legem esse qualis illa in Decalogo est, non occides. De iure gladii infra constitutum est capite nono: Quicunque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius.

Posuit Dominus in Cain signum.

Quidam sentiunt tremorem quendam perpetuum in Cain fuisse.

Et aedificavit civitatem.

Quod in Hismaël et Esau scriptura reprehendit, idem hic in posteritate Cain accusat, scilicet condidisse eum urbem, constituisse imperium, militasse, conversum esse ad excolendas res humanas etc. Nam imperium aliud constitutum est, praeter id, quod est Patris imperium,

quod erat scilicet uno usurpante sibi dominationem in multos. Nam lex ita ordinavit, ut singuli patresfamillias familiarum suarum Domini essent iuxta legem: Honora patrem et matrem.

Dixitque Lamech.

Lex de caritate multipliciter prodita est hoc capitulo supra: Quare iratus est, et cur concidit facies tua? Et deinde: Qui occiderit Cain, septuplum punietur. Et hic: Occidi virum in vulnus meum, id est, luam poenam caedis illius, quandoquidem divina lege cautum erat, ne quis occideret eum.

De Lamech vero septua.

Ex Evangelii loco Matthaei decimo octavo, de septuplo et septuagies septies satis adparet accipiendum esse numerum certum pro incerto. Nam Hebraeis septenarius numerus universalitatis numerus est. Porro quod septuagies septies poenam se daturum inquit, non aliud est quam supra dixit Cain: Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear.

Cognovit quoque adhuc.

Supra recensuit impium genus Cain, cui imperium, militiam et civilem cultum tribuit, voco autem cultum civilem et luxum, et concupiscentiam oculorum, quod gestientes nos extollere, excolimus civilia munera quaecunque, non ex fide, sed ut celebremus nomen nostrum, ut infra de conditoribus Babylonicae turris dicitur: Gaudent ingenia et superbiunt opibus suis. Hoc nomine potissimum Tyrus accusatur apud Ezechielem 26. 27 et 28.: O Tyre, dixisti perfecti decoris ego sum. Nunc redit ad genus pium. Hic primum consideranda fides Adae et Evae, qui e Paradiso eiecti sperabant benedictum Semen inter tantas adflictiones, cum Abel occiditur, Cain maledicitur, nec reddita est soboles pia ante trigesimum annum supra trecentesimum. Seth filio nomen factum est a ponendo, quo haud dubie significavit non nasci natura filios Dei, sed a Deo donari, quasi sic dicat: Ecce video ea quae e carne nascuntur maledicta esse omnia, solum id semen Deo acceptum esse, quod ipse ponit, sicut alias saepe dicitur: Suscitabo mihi semen etc.

Tunc coeptum est.

Id est, posteaquam non Adae tantum, sed et filio pium semen fuit, latius propagatus est iam cultus Dei. Et quia multitudo docenda fuit, necesse fuit institui quasdam ceremonias quibus moveretur multitudo. Item ad consolationem pertinet, qua confirmati Adam et Eva, posteaquam viderunt pium semen exortum esse, cum annos plus centum nihil vidissent praeter impiam et maledictam multitudinem familiae Cain.

Caput V.

Sicut supra diximus ortum mundi, lapsum et restitutionem hominum describi, ut sciamus et nos esse, ad quos verbum Dei pertinuerit, et idem esse verbum, quod a principio mundi praedicatum est, et quod nos accipimus. Ita hic γενεαλογίαι recensentur, et ut certi simus, nos esse ad quos praedictiones pertineant, et ut certi simus, unde et ex quibus Patribus sit Christus. Nam hoc egit in universum scriptura, ut redderet nos de Christo certissimos, atque id ita oportuit, eo quod venerit Christus tectus formis crucis, ut a carne agnosci non potuerit. Quod Enoch translatus est ad Deum exemplum ostensum est, quo confirmaretur fides Patrum. Sicut nato Seth renovata est generatio sanctorum, cum tota posteritas Cain oblita Dei suis cupiditatibus ferreretur: ita hic nato Noë renovata est sanctorum generatio: nam paulo ante decesserant Adam et Seth, et Enoch translatus erat, et sicut Seth a ponendo nomen est inditum, Dominus enim est qui semen sanctum donat: ita Noae nomen inditum est a fructu, quod ipse inter tot impios futurus esset, qui consolaretur sanctos, conservaret verbum et promissionem Dei, et confirmaret fidem expectantium semen, quo restitueretur vita.

Caput VI.

Quae peccata diluvium praecesserint textus hic exponit: Promiscua libido atque adeo luxus omnis generis, qui cum libidine coniunctus est. Sic enim inquit, Acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant, id est, quotquot libebat corrumpebant. Et quia secum habet libido potissimum securitatem contemtricem iudiciorum Dei, accusatur hic quoque securitas et contemtus verbi Dei, cum inquit: Iudicabit spiritus meus in ho-

mine, quia caro est, id est, verbum meum non audient, non credent, non metuent, non mortificabuntur: et in Corinthiis huic peccato potissimum tribuit Apostolus, quod carnaliores faciat, quia qui adhaeret scorto, unum corpus est cum scorto: qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est cum Domino. Non peccabant tantum filii Cain generationis impiae, sed filii Dei, hoc est, filii generationis sanctae, et principes, ut iam prope in universum Dei memoria interiret. Opprimebantur inopes pro libidine potentiorum, nam hi gigantes erant. Terribilissimum omnium est, quod octo tantum animae relictae sunt, quae servatae sunt.

Haec conferre potes cum signis iudicii, dicit enim Christus: Edent, bibent, nubent etc. Hic primum libidines et luxum notavit. Securitatem accusat, cum inquit: Et non cognoverunt etc. Et Paulus: Cum dixerint pax et securitas etc., et de hypocrisi: Duae erunt molentes in una mola. Neglectum doctrinae accusat Apostolus in 2. Thessal. de Antichristo.

Non permanebit spiritus meus.

Videmus interpretis hanc fuisse sententiam, brevi futurum, ut aboleatur creatura, cum vertit non permanebit spiritus meus in homine. Sed in Hebraeis est: Non iudicabit, ut hic causam explicet cur extincturus sit genus humanum, quia non sit auditurus homo verbum Dei, non sit iudicaturus et mortificaturus carnem, ideo perdendum esse. Sicut et Matthaei 24. dicitur: Nisi abbreviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro.

Quia caro est.

Id est, tota nihil nisi carnalia sapit et quaerit.

Eruntque dies illius.

Id est, centum et viginti annos permitto eis, quibus resipiscant interim, tum perdam eos diluvio.

Videns autem Deus.

Deus potissimum loci hic considerandi sunt, prior, sit ne universalis sententia et iudicium adversus omnes homines, quod ait: Videns Deus quod multa esset hominis malicia in terra, et omne figmentum cogitationum cordis eorum vanum et pravum omni tempore. Deinde, si universalis est sententia, quomodo Noë excipitur? Posterior locus: quomodo cadunt in Deum verba dolendi et poenitentiae.

Primo, Universalem esse sententiam, et iudicium universale adversus omnem carnem, apparet ex eo quod postea dicit, Omnis caro corruperat viam suam. Et quia inquit, Videns Deus, necesse sententiam, quod videre idem sit quod iudicare. Nunc autem satis constat, quod iudicio Dei tota caro damnata sit.

Psalmo centesimo quadragesimo secundo: Non intres cum servo tuo in iudicium etc. Et videmus Psal. 13. hinc acceptum esse: Dominus prospexit super filios hominum.

Noë ab universali sententia excipitur, non quod ipse non sit peccator, aut non iudicetur, sed quia ut textus inquit, Invenit gratiam coram Domino. Id quod hoc loco animadvertendum est, quod hoc exemplum secuti Prophetae, damnant universaliter omnes homines, et tamen postea excipiunt pios, quod sic accipiendum est, cum damnant Prophetae universaliter omnes homines, damnari, quia et electi peccatores sunt, et ante iudicantur quam iustificentur, et omnes sanctos oportet coram Deo fateri se esse peccatores, et resignare se voluntati divinae, quae pro sua gloria vel salvet vel damnet. Sic Hieremiae quadragesimo sexto: Cum damnasset omnes homines terror undique etc., adiecit tandem et de Israël: Te vero non consumam, sed castigabo te in iudicio, nec quasi innocenti parcam tibi. Et prima Petri quarto: Iudicium incipit a domo Dei; Et si iustus vix salvabitur, impius et peccator ubi apparebit? Et ad Romanos primo: Revelatur ira Dei super omnem impietatem. Proinde hanc accusationem scias universalem esse, non συνεκδοχικῶς ad impios tantum pertinere, sed iudicari simul omnes homines, hoc est, et pios et impios, quia oportet humiliari omnia Deo, requirit enim et a sanctis timorem sui. Ita hoc loco videt, hoc est, iudicat omnium corda esse vana et prava, necesse est, ut fateatur Noë se quoque talem esse, se quoque mortem et exitium commeruisse, nec habet quod ipse prae caeteris praesumat. Nam et David sic queritur Psal. 88.: Memorare quae mea substantia, nunquid vane constituisti omnes filios hominum? Sed cum iudicatur, servantur pii, non operum merito, sed gratuita misericordia Dei. Ita hic de Noë dicitur: Invenit gratiam coram Deo. Ad eum mo-

dum plane Esaiae 1. scribitur: Omne caput languidum etc., quod iudicium ad omnes pertinet. Et paulo post: Nisi Dominus fecisset nobis reliquum semen, sicut Sodoma et Gomorra facti essemus.

Poenituit eum quod hominem etc.

Primum omnium simplicissime exposueris verbum poenitendi, si sentias idem esse quod mutare rem praesentem, ut cum dicit Dominus: Quod poeniteat fecisse genus humanum, intelligas simpliciter, hanc creaturam odi, et sic odi ut uunc mutaturus sim, et perditurus genus humanum. Secundo, sicut in verbo miserendi adfectus est benevolentiae paternae erga eos quorum est misertus Deus: ita hic in argumento irae divinae, adfectus irae, furoris et similes, in verbo poenitendi comprehendi debent, ita, ut sit poenitere, rem praesentem mutare, et significatione irae vel furoris sui mutare. Sic uti verbo poenitendi Scripturam satis liquet, Psalmo centesimo nono: Poenituit eum secundum multitudinem misericordiae suae, id est, simpliciter adflictiones finivit, et mutavit in consolationes. Et Hieremiae vigesimo sexto: Poeniteat me mali quod cogitavi facere. Grammaticis verbum poenitendi displicere significat, id quod antea placuit, quo modo si hic exponas poenitendi verbum, redit res ad disputationem de praedestinatione. Sed quia in confesso est verbo poenitendi scripturam latius usam esse, scilicet mutare tantum rem praesentem, satis fuerit id hic quoque interpretari. Habes exemplum superius, Poenituit secundum multitudinem misericordiae suae etc. Non enim antea sic intulit adflictiones, quasi parum prospiceret se aliquando mutaturum, nec finivit sic, ut doluerit illatas adflictiones, quandoquidem per crucem humiliat, et ideo iudicat, ne cum hoc mundo damnemur: quod si sunt adflictiones bono electis, ergo non dolet adflixisse. Poenituit scilicet declaravit Noë quod perditurus esset genus humanum, tactus dolore intrinsecus, quia poenitere cum dolore cordis mutare significat. Poenitet enim me fecisse eos, id est, muto factum, aboleo quod antea feceram.

Noë vero invenit gratiam.

Quanquam et ipse reus esset iudicii, et iam iudicaretur audiens verbum et sententiam damnationis, tamen ereptus est gratuita misericordia Dei.

II. ARGUMENTUM IN ESAIAM PROPHETAM,

PHILIPPI MELANTHONIS.

(Editum haud dubie ex schedis Melanth. a Peucero in opp. Witeb. T. II. p. 398.)

Causae, cur et quomodo Prophetae inde usque ab initio generis humani missi sint, sumantur ab ipsa patefactione Dei, et promissione tradita, mox post lapsum primorum parentum. Sunt enim haec summa Dei beneficia, quod certis et illustribus testimoniis sese patefecit generi humano, et tradidit promissionem de Mediatore, per quem et propter quem generi humano iusticia et vita aeterna restituenda esset. Haec etsi multi fabulis poëmatum similia esse cogitant, tamen nos in Ecclesia scimus esse vera et certa et confirmata subinde illustribus testimoniis.

Estque haec praecipua causa, cur Prophetae vocati et missi sint, ut per viros antecellentes testimonia ostenderentur patefactionis divinae, et per eos renovaretur doctrina de Deo, et promissio de Mediatore repeteretur et illustraretur.

Et quanquam multa politica Prophetae gubernarunt, ut Ioseph regnum Aegypti rexit, Samuel, Helisaeus reges unxerunt: tamen haec negocia non sunt praecipua pars prophetici ministerii, sed fuerunt occasiones miraculorum, in quibus Deus illustria testimonia de sese ederet. Multi ignari doctrinae Christianae, cum audiunt nominari Prophetas, intelligunt tantum gubernatores politicos, praestantes aliis consilio et felicitate, quales fuerunt apud Ethnicos Zaleucus, Solon aut alii legumlatores sapientes et felices.

Sed nos sciamus praecipuum munus esse omnium Prophetarum, inde usque ab Adam, ut per eos testimonia patefactionis divinae ostendantur, et renovetur promissio Evangelii, et tota doctrina de Deo repurgetur, et Ecclesia instauretur.

Fiunt autem miracula, ut diversis temporibus, ita et in negociis diversis. Servari Noë familiam in diluvio, testimonium fuit et est omnibus seculis postea, Deum vere se patefecisse, et eius doctrinae autorem esse, quae Nohae voce propagata est.

Talia testimonia fuerunt, nasci Isaac ex matre sterili et effoeta, praedictiones et tota gubernatio Ioseph in Aegypto, eductio populi ex Aegypto, victoriae Iosuae, in quibus Sol, omisso suo itinere, non progressus est biduo. Resuscitatio mortuorum facta ab Elia et Elisaeo, Solis regressio tempore Esaiae facta. Denique omnes mirandae victoriae et liberationes factae in gubernatione Prophetarum, testantur Deum se patefecisse et veram esse Prophetarum doctrinam. Aliis temporibus aliae fuerunt politiae, et alii Prophetae aliis maiores fuerunt. Sed tamen causa praecipua, cur missi sint, eadem est, idem ministerium et doctrina eadem est.

Definitio igitur Prophetae teneatur. Propheta est persona immediate a Deo vocata ad docendum Evangelium, et ad consilia certa politica, habens testimonia divina, quod non erret. Iam hic initio bonitatem Dei immensam consideres, ut ei gratias agas, quod toties renovavit doctrinae lucem. Ut in acie post alios manipulos alii collocantur, ita continua successione non longis intervallis, Prophetae missi sunt, post Adam Seth, deinde Henoch, Matusalem, Noha, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moses, Iosuae, et post hos alii. Deinde Samuel, Nathan, David, Ahias Silonites, Elias, Elisaeus. Post Elisaei mortem anni quinquaginta sunt aut circiter, usque

ad initia gubernationis Esaiae. Ieremias, ut existimo, vidit Esaiam, Ieremiam vidit et audivit Daniel, atque ita deinceps continuo aliqui fuerunt Doctores ornati singularibus testimoniis, alii aliis praestantiores.

Et, ut dixi, praecipuum munus fuit repurgatio doctrinae, postquam enim promissio post lapsum primorum parentum edita est, Deus immensa bonitate eam saepe repetivit, nova voce edita, ut cum ad Abrahae semen restricta est. Deinde et illustrata est, ut de abolendo peccato et morte, et de instauratione iusticiae et vitae aeternae intelligeretur. Fulsit igitur singularis lux divina in his Doctoribus, qui promissionem enarraverunt, ut in priori Epistola Petri dicitur, de qua salute scrutati sunt Prophetae, tempus considerantes, quod ostendit eis Spiritus Christi.

Sed interea, ut esset occasio miraculorum, et ut hospitia Ecclesiae servarentur, simul ad certa consilia gubernationis missi sunt Prophetae, ut Nohae mandatum est, ut arcam extrueret, in qua reliquias generis humani Deus servari voluit. Sic alii ad alia negocia sui temporis politiae convenientia vocantur, David ad regnum vocatur, et ornatur illustribus miraculis, quae sunt testimonia doctrinae. Sic Esaias expressa Dei voce mittitur ad docendum in populo Dei, etiamsi ex stirpe Iuda erat, non ex tribu Levi, et ad Regum consilia gubernanda, et ornatur ingentibus miraculis. Eo deprecante pro populo, urbs Hierosolyma liberatur obsidione, et ingens exercitus regis Assyrii Sennacherib trucidatur. Sol etiam omisso usitato itinere regreditur. His testimoniis confirmavit Deus doctrinam, quam Esaias propagabat, quae erat, ut postea dicam, enarratio promissionis de Messia.

Postquam igitur in genere dictum est, quare et quomodo Prophetae vocentur, et monui ordine singulorum tempora et politias considerandas esse, iam quo tempore, et in qua politia vixerit Esaias, et quarum calamitatum spectator fuerit, quid docuerit, et quid egerit, quaeramus.

Non longo tempore post mortem Elisaei vocatus est Esaias, regnante in Iuda Ozia, sub quo Amos praedixit exilium decem tribuum Israël. Ac ab initio praedictionis Amos sumtum esse numerum scribunt, qui recitatur Capite septimo Esaiae his verbis: Adhuc sexaginta et quinque anni, et desinet Ephraim esse populus. Constat autem Samariam deletam esse sexto anno regis Iuda Ezechiae, inde, cum retro numeramus annos quinque et sexaginta, perveniemus ad annum regis Oziae vicesimum quartum, quo tempore Amos vaticinatus est, ad cuius vaticinium referunt eius numeri initium, ut suo loco copiosius dicetur.

Sed vocatum esse Esaiam regnante Ozia, manifestum est ex ipsis narrationibus Esaiae. Inde annos amplius octoginta sub regibus Iothan, Achas, Ezechia, et spectator fuit ingentium calamitatum Israël et Iuda, et sua voce Ecclesiam fovit, et multa consilia publica gubernavit.

Nec solus fuit doctrinae et praedictionum testis, sed eadem aetate vixerunt Ionas, Amos, qui prius vocati fuerunt ad sua mysteria, et deinde Micheas.

Vidit autem Esaias bella civilia in decem tribubus, cum brevibus intervallis subinde alii regnum invaderent, qualia certamina omnium regnorum interitus antecedunt. Vidit a regibus Assyriis duobus Tiglat Phul Assur, et deinde a Salmanassar dilacerari et dissipari decem tribus Israël. Nihil autem tristius in vita hominum cogitari potest dissipatione gentium, eversis politiis, in quibus vel mediocris disciplina fuit. Ac doloris sui magnitudinem Propheta significat in crebris et lugubribus deplorationibus harum miseriarum. Vidit interea et in Iuda regem impium et infelicem Achas, quo regnante Hierosolyma cincta est obsidione a rege Syriae, et a rege Israël, quo tempore et regis hypocritae impietas et stulticia auxit dolorem Esaiae.

Cum enim suaderet Esaias, ne Achas foedus faceret cum rege Assyrio, et ostenderet Deum affuturum esse quiescenti et non moventi bellum, Achas diffidens Deo, et humana praesidia contra vocem Prophetae quaerens, praebuit occasionem maioribus malis, quo in loco apud Esaiam in Capite septimo insignis doctrina est, ut in adversis rebus simus quieti, id est, non moveamur impatientia, ut confugiamus ad auxilia inconcessa, aut ordine non probato quaeramus humana praesidia, sicut nostra aetate vidimus in Pannoniam accersi Turcica auxilia, vidimus et alibi fiducia foederum moveri bella, quae vitari poterant. Ac saepe fit in publicis et privatis calamitatibus, ut errent homines impatientia, ubi augent mala medicando, quae facile sanarent, si quiescerent, sed haec suo loco dicentur.

Vidit postea Esaias alteram obsidionem Ierosolymae, cum Senacherib rex Assyrius, multo potentior patre, vastata magna parte Iudaeae, accessisset ad urbem Ierosolymam. Hic valuit Prophetae vox et consilium, et Deus hac miranda liberatione testimonium dedit doctrinae Esaiae.

Postea accessit aliud testimonium, videlicet Solis regressio, et consentaneum est in tam longa gubernatione multos mirabiles eventus fuisse consiliorum Esaiae, quos Deus exhibuit, et ut interea hospitium Ecclesiae his consiliis servaret, et ut ostenderet non esse felicem gubernationem solius humanae sapientiae, sine voce prophetica et sine invocatione Dei, et ut testimonia doctrinae ederet.

Cum autem dissimiles reges habuerit, necesse est eum magna pericula et certamina sustinuisse. Etsi autem de morte eius nihil narrat historia in libris propheticis, tamen scribunt Epiphanius et Hieronymus, a rege impio Manasse interfectum esse, ac serra dissectum. Quare autem et tota Ecclesia subiecta sit cruci, et cur velit Deus summos Doctores sustinere tristissima supplicia, saepe alias exponendum est. Nos enim vult similes fieri imagines Filii sui, et tali morte testari se doctrinam non voluptatis aut utilitatis suae causa profiteri, nec simulatam esse assensionem, sed cum confessionem vitae anteferunt, ostendere, se vere timere iudicium Dei, ac sentire vera esse quae docent.

Hactenus de tempore dixi, quo vixit Esaias. Nunc de toto genere doctrinae dicendum est, quas materias docuerit et illustraverit, ut ipsius operis argumentum teneatur. Una et perpetua vox est ministerii evangelici, inde usque a prima concione post lapsum Adae, videlicet praedicatio poenitentiae, arguens peccatum, et deinde promissio remissionis peccatorum et reconciliationis.

Quare praecipuae conciones in Esaia hae sunt, gravissimae accusationes peccatorum multiplicium, et certae praedictiones horribilium poenarum. Et econtra consolationes, quae repetunt et illustrant promissionem de Messia, et affirmant remitti peccata agentibus poenitentiam, et mansuram esse Ecclesiam, narrant quales futuri sint exitus calamitatum.

Hic inseruntur vaticinia de multorum regnorum eversione, quae propter duas causas recitantur. Primum ut Ecclesiae consolatio proponatur, ne existimet Deo magis placere florentia imperia, quae defendunt idola, quam hunc parvum et aerumnosum coetum custodem doctrinae coelestis. Altera causa est, ut hae ipsae praedictiones de ruinis et successione imperiorum testentur doctrinam Prophetarum veram, et a Deo traditam esse. Cum enim respondent eventus, qui a nulla creatura prospici poterant, manifestum est a Deo monstratos esse, et vocem Prophetarum divinam esse. Imo nulla doctrina ullius gentis aut religionis unquam seriem monarchiarum ita complexa est, sicut solius Ecclesiae doctrina. Hoc signo confirmamur, ut aliis miraculis, ut firmius statuamus, doctrinam Ecclesiae a Deo traditam esse.

Nec in accusatione peccatorum arguunt Prophetae tantum scelera, quae humana ratio iudicare potest, ut tragoediae. Etsi enim aliqua est similitudo propheticorum scriptorum et tragoediarum, tamen ingens discrimen est. Prophetae taxant vitiosos cultus Dei, et interiora mala humani cordis, ignorationem Dei, securitatem carnalem, hypocrisin, fiduciam propriae sapientiae, iusticiae, potentiae et alia arcana vitia.

Differunt etiam praedictiones poenarum. Tragoediae vaticinantur ex communi lege, quae affirmat atrocia scelera puniri praesentibus poenis: sed Prophetae aliquoties modum et tempora poenarum praedicunt.

Differunt et Prophetarum scripta a tragoediis consolatione, quia in tragoediis aut nullae consolationes proponuntur, aut tantum philosophicae, quae non ostendunt auxilium, nec dicunt, quomodo aut quando penitus tollatur malum, sed iubent moderate ferri dolores. At in concionibus Prophetarum exponuntur causae, quare Ecclesia cruci subiecta sit, et adduntur consolationes verae et efficaces, recitatur et illustratur promissio de Mediatore, de remissione peccatorum, de conservatione Ecclesiae, de praesentia Dei in Ecclesia, exaudientis nos et mitigantis poenas in hac vita, ut servet Ecclesiam, et de donatione vitae et gloriae aeternae, in qua prorsus tolluntur omnia mala.

Cum autem singula membra Ecclesiae Dei necesse sit tenere fundamentum, id est, articulos fidei omnes, quaerenda sunt de singulis articulis Prophetarum testimonia, et apud Esaiam, cum sit copiosus, extant praecipuorum articulorum omnium illustria testimonia.

De unitate essentiae Dei Cap. 43.

De natura divina in Messia Cap. 9. Vocabitur nomen eius Deus fortis, Pater aeternitatis.

De Spiritu sancto Cap. 44. Effundam spiritum meum super semen tuum.

De natura humana in Messia Cap. 7. Ecce virgo concipiet, et pariet filium. Idem locus testatur matrem esse virginem.

Deinde de morte Messiae, et causis, cur fiat victima. Item de resurrectione concionatur totum Caput 53.

Deinde de Ecclesia collecta ex Iudaeis et Gentibus, et qualis coetus sit Ecclesia, et quod semper mansura sit, repetuntur conciones in multis Capitibus 54. et 55. Item 59. et 60.

Item de beneficiis Messiae, et de remissione peccatorum Cap. 61.

De restitutione vitae aeternae Cap. 25.

De praemiis et poenis aeternis Cap. 66.

Utilissimum est autem meminisse in singulis testimoniis ipsa Prophetae verba, in quibus amplissima doctrina continetur, quam nunc in Praefatione complecti nimis longum esset. Sed cum ad singula veniemus, addenda erit expositio.

Nunc recito hanc admonitionem, ut recentes Lectores sciant, eandem esse vocem verae Ecclesiae omnium seculorum, et idem Evangelium, et congruere vocem Prophetarum cum voce Filii Dei et Apostolorum, nisi quod Prophetae de venturo Messia concionantur, Apostoli de exhibito. Caetera sunt eadem.

Intexit autem vaticinia de imperiis, ut, sicut supra dixi, consolationem hanc teneamus, mansuram esse Ecclesiam, etiam ruentibus imperiis, et expresse trium monarchiarum mentionem facit, Babylonicae, Persicae et Graecae. Et praedicit Babyloniis et Assyriis regibus exitium, et imperio potituros esse Medos et Persas. Deinde Macedonas, quos nominat Cithim et Graecos, quos nominat Dodanim, id est, Dodoneos.

Series autem monarchiarum in Prophetis ideo recitatur, ut tempus certum significaretur adventus Messiae, praeterire enim has monarchias Babylonicam, Persicam et Graecam oportuit, postea venturus erat Messias. Et consolatio proponitur infirmissimae genti, inter tantas ruinas maximorum imperiorum mansuram esse politiam Mosi, et sedem Ecclesiae ac doctrinae certam fore in Iuda, donec Messias ipse in eo templo concionaretur.

Haec consolatio quam grata fuerit piis, intelligere possumus ex nostra solicitudine de posteritate. Scimus mansuram esse Ecclesiam, sed ubi mansura sit, angimur. Tribus Iuda sciebat in sua posteritate, et in hoc ipso vestigio, in Zion, mansuram esse, etiamsi intervenerunt exilia et multae clades.

Sunt autem anni a morte Oziae ad natalem Christi 776, ad resurrectionem vero anni 809, ac numerus significatus est Capite nono in literis vocabuli Lemarbeh hammisrah.

Postquam autem de doctrina prophetica dictum est, iam et accommodatio ad virtutes consideretur. Fungitur munere Prophetae, sed manifesta voce Dei vocatus. Et Deus ornat eum miraculis, ut extent testimonia vocationis et doctrinae. Hinc discendum est, ne ad gubernationem sine vocatione accedamus.

Deinde lucet fides in vera invocatione, in reprehensione falsorum cultuum, in illustratione doctrinae, in consiliis gubernationis, in expectatione auxilii divini, in prohibitione foederum, et reprehendenda *πολυπραγμοσύνη*, quae oriebatur ex diffidentia. Quia enim reges erant impii, et solis humanis consiliis munire se volebant, ideo passim discurrebant, nunc ab Aegyptiis, nunc ab Assyriis petebant auxilium, a quibus fallebantur.

Ac dissimilis est gubernatio prophetica a gubernatione Ciceronis aut Themistoclis. Cicero tantum humana consilia sequitur, et quaerit humana praesidia. At Propheta manet intra metas mandatorum divinorum, et exitus Deo commendat et fide expectat a Deo auxilium. Cumque adsit Deus in tali gubernatione, eventus sunt felices. Hoc discrimen ostendit, inquiens Cap. 30.: In silentio et spe erit fortitudo vestra.

Praeterea in cruce tolerantiam et constantiam confessionis et praestat Propheta, et praecipit, ut Cap. 51. inquit: Ne timete probra hominum.

Praemonet etiam posteritatem de futuris tenebris in Ecclesia, et orat, ne lux doctrinae prorsus extinguatur, ut Cap. 29. et Cap. 64.: Et nunc Domine Pater noster es tu, nos vero lutum. Ecce respice, populus tuus omnes nos.

Hactenus utcunque exposui argumentum universi operis Esaiae, ut quae sit principalis materia et propria Prophetae, ac discernenda a philosophicis adhortationibus, consideretur. Deinde vero addam singulorum Capitum argumenta.

Argumentum primi Capitis.

Initium est titulus, quia non vult Deus extare in Ecclesia libros sine certis autoribus: sed ideo vocat Prophetas et Apostolos, et ornat eos testimoniis, ut sciamus, unde et per quos accepta sit doctrina. Necesse est igitur praeponi titulos.

Exordium autem valde grande est, Audite coelum et terra, quia Deus vult exaudiri suam vocem a toto genere humano, et vult Ecclesiam in mundo notam esse, ut scriptum est, In omnem terram exivit sonus eorum.

Est autem totum primum Caput concio poenitentiae. Arguit peccata, et praecipue idolorum cultum, et falsas opiniones de sacrificiis. Et huic accusationi intexta est querela, quod latissime vagentur peccata, et paucissimi reliqui sint recte sentientes et recte invocantes Deum. Haec pars simul testatur exiguam esse veram Dei Ecclesiam, et tamen aliquas manere veras reliquias. Ideo dicit, Nisi Deus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma et Gomorra essemus.

Postea addit accusationi promissionem de remissione peccatorum, cuius declaratio copiosior sumenda est ex aliis locis, in quibus sunt conciones de Messia, quae affirmant propter hanc victimam, et non propter alia opera et sacrificia dari remissionem peccatorum. Hic tantum in genere loquitur de conversione ad verum Deum, scilicet, quem adprehendi necesse est per promissionem et agnitionem Messiae: Desinite perverse agere.

Est autem illustris pictura in hac parte, in qua recitatur promissio: Si peccata vestra fuerint ut coccinum, sicut nix dealbabuntur, et si fuerint rubra ut vermiculus, eritis candidi ut lana.

Cruentum esse est reum esse, ut cruentus fit latro in supplicio, cum caput praeciditur. Sic igitur dicit: Etiamsi rei estis, et tristissimae poenae vos oppresserunt, tamen si convertimini ad Deum, remittentur peccata, et poenae tollentur aut mitigabuntur.

Coccinum significat purpureum colorem. Idem significat vermiculus, quia κόκκος βαφική est granum in ilice nascens, quod in vermiculum vertitur, que vocant σκωλήκιον. Inde color est coccineus, et putant vocabulum Scharlach a Graeca voce σκωλήκιον factum esse. Sed tota imago pulcre ad Filium Dei quadrat, is fit pro nobis cruentus vermiculus, ut nostra peccata tollat.

In Caput Esaiae secundum.

Initium est consolatio. Est enim promissio promulgationis Evangelii et incoationis Ecclesiae aeternae, quae fiet in hoc ipso monte Zion. Mansura est igitur posteritas Abrahae in hoc loco, et mansura haec politia, donec fiant haec quae praedicit.

Congruit autem haec prophetia ad verbum cum dicto Psalmi: Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Zion. Ita hic dicitur: Ex Zion egredietur lex. Mentio fit certi loci, et haec tota politia Mosaica ideo constituta fuit, ut ibi repeterentur promissiones additis illustribus testimoniis miraculorum, et ibi certo exhiberetur Messias. Vult enim Deus certam esse Ecclesiam de Messia et de Evangelio. Ideo certo loco patefactiones fieri miranda bonitate voluit.

Quod vero dicit, Conflabunt gladios in vomeres, discrimen indicatur inter vetus et novum Testamentum, quasi dicat, In novo Testamento non constituetur mundana politia, ut Iudaei putabant, sed incoabitur vera agnitio Dei, et iusticia, et vita aeterna, in qua erit pax perpetua et consuetudo cum Deo. Nec erit similis vita huic politicae et mortali vitae.

Reliqua pars secundi Capitis est praedicatio poenitentiae, arguens cultum idolorum, et magicas divinationes. Econtra vero praedicit fore iudicium, in quo Messias iudicabit et delebit omnes impios, et omnes creaturae agnoscent solum hunc Deum vere Deum esse, qui se patefecit datis promissionibus in populo Israël. Ideo dicit: In die illa exaltabitur Dominus solus.

In tertium et quartum Caput Esaiae.

Cum narratio continua sit praedictionum in tertio et quarto Capite, quarum altera concionatur de excidio Ierosolymae et fine regni, et politiae Mosaicae, altera promissionem dulcissimam repetit de servandis reliquiis in Ecclesia Dei, sicut supra dictum est, Prophetas non solum proponere comminationes, sed etiam consolationes, necesse est haec duo Capita coniungi.

Et quanquam haec concio praecipue loquitur de ultimo excidio, et de collectione Ecclesiae facta voce Apostolorum, tamen universaliter ad poenas eius populi, et ad nostras comminationes accommodanda est, quia similes causae sunt, et similes

viae interitus omnium imperiorum, durant aliquantisper, donec adhuc multi Deum recte invocant, et donec gubernatores puniunt scelera, deinde cum numerus recte colentium Deum fit nimis parvus, et iam gubernatores certa genera scelerum magnorum non puniunt, tales civitates Deus evertit, sicut hoc loco dicitur, Peccatum suum sicut Sodoma praedicaverunt, nec absconderunt. Hic enim accusat hunc ultimum gradum, scilicet impunitatem, quae auget licentiam, et magis magisque disciplinam laxat.

Quanquam enim semper in quacunque frequentia hominum multa sunt vitia, et multi tetri lapsus, tamen donec manet disciplina, id est, gubernatorum severitas, et coërcet petulantes, et punit lapsus et contumaciam, tantisper Deus parcit civitatibus. Sed quando ventum est ad hunc gradum, ut impunitas licentiam confirmet, et iam petulantia pene ducatur esse virtus, hic statim Deus ipse est vindex, et horrendis modis punit totas gentes, Ut quia principes in tribu Beniamin nolebant punire eos, qui Levitae coniugem compressam interfecerant, exarsit ira Dei, sic, ut fere tota tribus deleta sit. Et regula est, cum magistratus non punit atrocia scelera, poenae publicae divinitus magistratum et populum opprimunt, ut ut Deut. 19. dicitur: Non misereberis eius, ut bene sit tibi.

Sunt autem initia ruinae civitatum universaliter talia, ut primum orbatae civitates vel gentes sapientibus gubernatoribus, tumultuentur inter sese, vel irritent alios. Ideo hic talis poena describitur, Auferet Dominus fortes et sapientes. Et dabo pueros principes eorum, et effoeminati dominabuntur eorum.

Deinde sequuntur seditiones, ut hic dicitur, Corruet vir ad virum. Erunt diversae factiones, et quaerent diversos duces.

Et cum in his certaminibus utrinque vires labefactatae sunt, postea vel sine externis hostibus dissipantur, vel opprimuntur ab externis hostibus, ut Graecia oppressa est a Turcis, cum duo fratres inter se de imperio certarent. Et similia exempla multa sunt omnium aetatum.

Repetit autem Propheta subinde easdem conciones et comminationes. Et quia plerunque principes et sapientes volunt perhiberi iusti, et accusari nolunt, ac de populi stulticia et peccatis queruntur, nominatim inserta est accusatio principum. Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui et principibus, Vos estis vastatores vineae meae, sicut et in tertio capite Micheae dicitur: Propter vos Zion quasi ager arabitur.

Videmus nunc quoque tantum miserae et indoctae plebeculae vitia et delicta accusari, cum longe maiora sint principum et sapientum, et doctorum peccata. Hi audacissime corrumpunt doctrinam de Deo, et inflectunt religiones ad suas cupiditates, stabiliunt idola, et confirmant errores et multiplicia peccata. Et talia consilia nominant sapientiam salutarem patriae, dicunt se nervos pacis et bonae gubernationis tueri. Sed Deus hos praetextus haud dubie iudicabit, iuxta secundum mandatum Decalogi: Non erit impunitus, qui nomen Domini vane usurpat. Et infra dicit Esaias: Vae vobis, qui malum dicitis esse bonum.

Post accusationem virorum et mulierum, et postquam poenas et calamitates utrisque, et excidium Hierosolymae denunciavit, addit consolationem, ut supra dictum est, Prophetas non tantum denunciare calamitates, sed etiam addere promissiones de reliquiis Ecclesiae servandis. Ideo tristissimae concioni addit postea dulcissimam promissionem, quae adfirmat inter has tantas clades, tamen Deum immensa misericordia servaturum esse aliquos coetus.

Quanto in dolore nunc sunt multi mediocres homines, qui vident subinde novas dissipationes fieri, et paulatim tenebras et barbariem crescere? Hinc Turci, alibi Pontifices et Reges opprimunt veram doctrinam, et inter imperiorum tumultus studia doctrinae languefiunt, et insuper fiunt variae distractiones Ecclesiarum et docentium, iuxta tristissimam Esaiae querelam: Iniquitates nostrae ut venti dissipaverunt nos.

Quanquam autem manifestum est, humana consilia non posse his tantis malis mederi, tamen speremus Deum collecturum esse aliquos coetus, et hac spe studia doctrinae colamus. Sciamus etiam in illis ipsis gentibus mansuras esse Ecclesiae reliquias, ubi pia doctrinae studia erunt. Quia Filius Dei est custos Ecclesiae, et semper aliquos coetus colligit. Hunc modum liberationis hic quoque recitat Propheta, et beneficia praecipua nominatim commemorat.

Primum inquit, In illo ipso excidio tamen servabuntur aliquae reliquiae per Messiam, qui est germen Domini. Hoc germen Filius Dei servabit aliquos coetus, et agnoscetur ab eis, et erit eis gaudio, et vicissim celebrabitur ab eis.

Haec etsi de tempore praedicationis Apostolorum hic dicuntur, tamen liberationes similes sunt, Ipse filius Dei sedens ad dexteram aeterni Patris, servat aliquam partem generis humani, et colligit aliquos coetus, nec sinit funditus deleri totum genus humanum. Vicissim autem in servatis reliquiis sonat vox Evangelii, qua noticia eius propagatur, et ei gratiae aguntur.

Qualis est autem liberatio? Est remissio peccatorum, sanctificatio, gubernatio, et defensio divina; ideo in textu dicit: Dominus abluet sordes filiorum Zion.

Affirmat igitur annunciandam esse remissionem peccatorum, et cum hac fit sanctificatio, id est, conversi ad Deum, sunt iam vere sanctus et Deo dicatus populus, sunt custodes verbi Dei, et eum agnoscunt, et serviunt ei veris officiis et veris cultibus, et quidem purificantur ab eo, per Spiritum sanctum, ut ibi dicit, spiritu ardoris et iudicii, id est, Spiritu iudicante et tollente carnales opiniones et cupiditates.

Quae sequuntur, perpetuam defensionem et gubernationem significant, et sumta est descriptio a typo, a defensione populi in deserto, qui interdiu tegebatur nube, et noctu lucentibus flammis circumdatus erat.

Haec pictura dulcissimam consolationem proponit, et quidem commonefacit nos simul de magnitudine miseriarum et periculorum, et de defensione. Deus est ignis consumens, ut in Mose scriptum est, Nec iram et iudicium eius sustinere Ecclesia posset. Ideo nube tegimur, et Filius Dei umbraculum est inter Deum iudicantem et nos. Dulciter fovemur, ne consumamur horrenda ira Dei.

Deinde oppugnatur Ecclesia a diabolis, a tyrannis, et premitur inter communes calamitates generis humani, et inter tumultus imperiorum. Sed tanquam flammeo muro cincta est, ne diabolus et tyranni saevire in eam possint, ut furenter cupiunt. Et tota haec defensio comprehensa est in dicto Christi, quo nos dulcissime consolatur: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

Sed quoties has promissiones legimus, audimus, cogitamus, quas quidem propter assidua pericula semper in conspectu esse oportet, simul doctrinam de fide et spe complectamur.

Non satis est audire promissionem, sed nostrae mentes fiducia filii Dei faciant invocationem, ardenti fide petant gubernationem et defensionem, et constanti spe eam expectent. Et intuentes in Filium Dei, qui nobis umbraculum est et flammeus murus, vincamus dubitationes, metum, dolores nostros, et statuamus nos ab ipso servari, regi et protegi. Et hac fide et spe constantes simus in confessione et omnibus officiis vocationis nostrae.

In reliqua Capita desiderantur argumenta.

III. ARGUMENTUM IN IEREMIAM PROPHETAM

PER PHILIPPUM MELANTHONEM.

(Hoc quoque argumentum post mortem Mel. ex eius schedis editum est in opp. Wit. T. II. p. 407 sq.)

Argumentum complectitur multos gravissimos et utilissimos locos, quorum praecipuos valde prodest semper in conspectu habere in tota lectione prophetae.

I.

Primus locus et praecipua pars Argumenti.

Summa prophetiae principalis est, exemplum servatae Ecclesiae, mirabili et novo modo, in populo Iuda, et promissionum mirabili modo et fide expectandarum, non sicut iudicat humana ratio.

Quod enim exemplum servatae Ecclesiae novum sit, res ostendit. Superiores Duces et Prophetae servaverunt populum gloriosis victoriis, ut Moses, Iosua, Samuel, David, Esaias. Sed hic Ieremias servat populum suadendo deditionem, quae videbatur excidium populi. Quomodo enim sperari potuit reditus ex dissipatione totius gentis? Aut quae unquam gens dissipata, in ulla historia, veteres sedes post tam longum tempus recuperavit? Ac profecto recuperatio maius est miraculum, quam prima occupatio.

Deinde, quam difficile fuit suadere deditionem, cum post deditionem regis Ieconiae intercederent anni undecim usque ad obsidionem. Interea qui manserant reliqui, exercrabantur Prophetam, et dicebant eum errasse, et esse impostorem, Pseudoprophetam, ipse tamen manet in sententia contra omnium iudicia, et contra illam eventuum speciem. Haec quam sint difficilia in tantis rebus, ubi regnum, patria, populus Dei, templum, cultus, sunt in extremo discrimine, cogitari a prudentibus utcunque possunt, verbis explicari non possunt.

De Promissionibus.

Maxime autem urgebatur Ieremias oppositis promissionibus. Non auferetur sceptrum de Iuda, donec venerit Siloh. Item, Hunc cultum, hoc templum mansurum esse usque ad Messiam.

Hic Ieremiae fuit opus spirituali sapientia, interpretante promissiones. Praestat eas Deus, sed non more cogitato a ratione humana. Dat Abrahae posteritatem, sed non more cogitato ab ipso. Ita servat Deus hunc populum et cultum, sed non ut cogitabat humana ratio. Prius universam gentem dissipat, templum funditus evertit, cultum abolet, et tamen reducto populo praestat promissionem.

Haec discenda sunt, ut verbum Dei omnibus eventibus et nostris consiliis et cogitationibus anteferamus. Apostolis promissa erat Ecclesiae conservatio. Ipsi et auditores trucidantur, et tamen interim propagatur, et magis magisque florescit Ecclesia. Ita in omni vita cogitemus, promissiones mirabili modo praestari.

Moses nequaquam cogitavit se quadraginta annis in deserto vagaturum esse. Quam multi interim desperaverunt et execrati sunt Mosen, tanquam impostorem, seditiosum et tyrannum. Et tamen Deus tandem perficit, id quod per Mosen incoarat.

Hoc exemplum diligenter observandum est, quod Deus promissiones praestet, aliter quam humana ratio cogitat.

Secundus locus.

Huic interpretationi promissionum temporalium de reductione, admiscentur etiam promissiones de Messia. Sicut alioqui constat omnes temporales referendas esse ad hanc de Messia, quae est principalis. Et est doctrina de iusticia fidei, et de novo et perpetuo Testamento.

Praedicat igitur Ieremias, ut omnes Prophetae, partim legem, partim promissiones de iusticia promissa propter Messiam, cuius nomen ponit, Deus iustificator noster, nam hoc est potissimum officium Prophetarum, de venturo Messia et eius beneficiis concionari.

Tertius locus.

Tota prophetia horrendum exemplum est poenae impiorum pontificum, regum et omnium in Ecclesia defendentium idolatriam. Item adulteriorum, et violationis Sabbati, id est, contemti ministerii. Nam haec peccata allegat Ieremias. Ista est haud dubie imago postremi temporis in Ecclesia. Punietur orbis terrarum propter idolatriam, libidines et contemtum ministerii Evangelii.

Quartus locus.

Ipsa persona Prophetae est egregium exemplum totius gubernationis Ecclesiae et ministerii Evangelii et ipsius Christi. Quod videlicet Ecclesia regatur, liberetur et servetur, non humana potentia, sed divina, per infirmos, ideoque per infirmos tantae res geruntur, ut agnoscatur Dei potentia, ut apud Paulum dicitur: Virtus mea in infirmitate tua perficitur.

Ieremias rem maximam gerit, et quae superat omnia humana consilia. Suadet regi et populo, ut faciant deditionem, contra omnia superiora exempla magnorum Ducum et Prophetarum. Et hoc novo modo ait futurum, ut serventur regnum, cultus et populus, concionatur etiam contra impios cultus et alia scelera. Denique per ipsum servatur populus.

Interim qualis est eius persona? Annis quadraginta vagatur, sicut erro, deridetur ut fatuus, includitur carceri, eximitur, rursus includitur. Non facit subita miracula gloriosa, ut Esaias aut Elias, aut Elisaeus, sed videtur infirmus, cum per eum Deus res maximas gerat ac servet electos.

Hoc exemplum nobis considerandum est, ut discamus non nostra sapientia, nostris consiliis Ecclesiam regi posse, sed tantum divinis, et nostras aerumnas boni consulamus, nec desperemus propter potentiam adversariorum.

Quintus locus.

Utile exemplum est, in quo discimus Ecclesiae regimen dissimile esse humano. In regimine humano plus valent suffragia maioris partis, in Ecclesia plus valet unus vir habens verbum Dei, ut Ieremias contradicit Regibus, Pontificibus, Sacerdotibus, et maiori parti populi.

Ac maxime nos hoc tempore confirmat contra iudicia Papae, Episcoporum et totius ordinariae potestatis, cum sic clamant, nos dissentire ab Ecclesia, quia dissentimus a maiori parte et ordinaria potestate. Intueamur Ieremiam, et ab ipso discamus anteferendum esse mandatum Dei autoritati Pontificum et Episcoporum. Est quidem durum dissentire a legitima potestate, quae se ornat promissionibus Dei. Sed exemplum Ieremiae valde consolatur nos, quod est illustre. Nam hic Propheta acerrime adversatus est suis regibus et Pontificibus, non solum de migratione, sed etiam de cultibus, sicut nos cum Pontificibus litigamus.

Antea dictum est de mirabili conservatione et gubernatione Ecclesiae. Nunc etiam Prophetae persona consideretur. Non solum docet, praedicit exitus, terret impios, consolatur pios, et regit eos suo consilio, sed etiam sustinet personam alteram, saepe orat pro populo, ita fungitur integro munere sacerdotis. Et in his precibus sunt acerbissimae querelae et sensus irae Dei.

Hae sunt propheticae tentationes, in quibus degustant Prophetae passiones Christi, quas etiam significant hi terrores. Ipsi enim agnoscunt iram Dei adversus peccatum, sentiunt Deum horribiliter irasci idolatriae populi, audaciae hypocritarum, qui falsa docebant, et iactitabant se Prophetas esse divinitus missos. Item in universum prophano contemtui Dei, deinde vident et suam immunditiem, metuunt se una abiici cum populo, metuunt tantam esse iram, quae absorbeat universam Ecclesiam, ne reliquiae ullae serventur. Sicut in diluvio, in conflagratione Sodomae, in perditione Aegypti, postea in derelictione Cananaeorum. Haec exempla habent Prophe-

tae ob oculos, et lugent ac clamitant, ne funditus deleatur Ecclesia, ne ipsi una pereant.

Hinc sunt hae voces Capituli 10.: Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me, effunde indignationem tuam super Gentes etc.

Ex his exemplis multa discimus, videlicet, debere nos affici communi luctu pro peccatis populi, et simul agnoscere immunditiem. Nunc quoque grassantur peccata atrocissima idolatriae, blasphemiae, prophanae opiniones, et turpitudo omnis generis. Haec non aspiciamus sine dolore, sine metu horrendae irae Dei, cogitemus impendere poenas, et deprecemur, ne funditus omnes pereamus.

Est etiam doctrina consideranda in ipsa precatione, Oportet Ecclesiam castigari, sicut hic dicit: Corripe me etc. Idem dicit Cap. 31.: Castigasti me Domine, et eruditus sum quasi iuvenculus indomitus. Et hae castigationes non sunt leves, sed videntur significare prorsus nos abiectos et damnatos esse a Deo.

In hac tentatione consolatur Ecclesiam, et docet imponi castigationes, ut revocemur ad poenitentiam, Et non esse voluntatem Dei, ut pereamus. Ideo orat se corripi in iudicio, non in furore, ne penitus pereat. Item Cap. 31.: Conturbata sunt viscera mea super eum, miserans miserabor. Item Cap. 20.: Cogito super vos cogitationes pacis et non afflictionis, ut dem vobis finem, quem expectatis, et invocabitis me, et ibitis et orabitis me, et ego exaudiam vos. Quaeretis me et invenietis: Cum quaesieritis me in toto corde vestro, inveniar a vobis, ait Dominus.

Consideranda est igitur persona Prophetae orantis, considerandae sunt et ipsae precationes, quae sunt plenae doctrinae, de peccato, de ira Dei, de poenis, de fide accipiente remissionem peccatorum, propter immutabilem promissionem de venturo Salvatore.

Sextus locus.

In persona Prophetae sunt et peculiares tentationes considerandae, Quod mora eventus praedicti praebet occasionem hypocritis calumniandi praedictiones Ieremiae. Suaserat Ieremias Ieconiae et magnae multitudini, ut discederent ultro in exilium. Postea cum fere per decem annos urbs staret, et mediocrem pacem haberet, sperabant multi nullum periculum reliquum esse. Hi qui manserant, gratulabantur sibi de sua constantia. Et deridebant eos, qui consilio Ieremiae obtemperaverant. Accusabant Ieremiam, quod decepisset populum, Et prodibant aliqui, tanquam Prophetae, contra Ieremiam, ut Hananias Capite 24. et alii Cap. 29. Et reges et principes assentiuntur adulatoribus bene pollicentibus, Ideo persequebantur Ieremiam.

In hac mora non sine magno certamine retinet fidem commendatae prophetiae, ut Cap. 20.: Et dixi, Non recordabor eius, neque loquar ultra in nomine eius. Hic pene succumbit dolori, ut videatur defecturus. Sed rursus erigitur mox, inquiens: Dominus autem mecum est, tanquam bellator fortis. Ideo qui persequuntur me, cadent, et infirmi erunt.

Deinde rursus in eo ingens impatientia oritur, ut quasi desperare et fremere adversus voluntatem Dei videatur.

Haec sunt singularia Sanctorum certamina, in quibus ipsi cernunt peccati magnitudinem in natura humana. Et conveniunt haec cum Paulo, Rom. 7. Et alibi cum ait, Sibi datos esse cruciatus seu aculeos in carne, id est, ingentes pavores et trepidationes. Sed in his Spiritus inenarrabili gemitu petit auxilium et eluctatur.

Septimus locus.

Cum eventus responderit de 70 annis, item, cum caeterae praedictiones de aliis regnis evenerint, habemus testimonium firmum, quod doctrina huius populi, tradita per Prophetas, sit verbum Dei. Nulla alia gens habet tales praedictiones de certo numero annorum, ut hic de 70 annis dicitur.

Nec erat exigua res populi reductio et totius politiae restitutio, Nec ullum simile exemplum extat in toto mundo et omnibus aetatibus. Nulla politia penitus deleta sic restituta est, praesertim post tam longum tempus. Ideo tota haec historia est plena ingentium miraculorum et operum Dei. Et ipsa prophetia miraculum est, quod testatur hanc doctrinam a Deo traditam esse. Complectitur autem Propheta et totam Evangelii doctrinam, ut Cap. 31.

Octavus locus.

Videtur autem prophetia de tanta calamitate populi etiam significare vastationes Ecclesiae ultimis temporibus, sicut Turci vastarunt Ecclesias in Asia et Graecia. Ut autem tunc vastata Iudaea, manserunt tamen reliquiae, sic sciamus nunc mansuras esse reliquias, sed accedent ingentes vastationes.

Ideo sicut Ieremias suis precibus mitigavit mala, ita et nos exciteraus nos ad poenitentiam et invocationem Dei, et nobis iam in praesenti periculo concionari Ieremiam statuamus, sicut vere concionatur nobis praesertim hac ultima aetate.

Nonus locus.

Exempla memorabilia et haec sunt, Quod Propheta servatur mirabiliter in tanta persecutione, postea liberatur per regem Babylonicum, is etiam donat ei aliquam partem populi, et hi ab ipso servantur, postea eum interficiunt. Hic est finis laborum ingentium, quos sustinuit per annos quadraginta in hac admiranda vocatione, in qua Deus novo et inusitato modo populum servavit voce et ministerio Ieremiae.

IV. ARGUMENTUM IN THRENOS IEREMIAE

PHILIPPI MELANTHONIS.

(Ex schedis Mel. editum in opp. Witeb. T. II. p. 411.)

In totius veteris Testamenti lectione prudenter discerni oportet promissionem generalem gratiae, pertinentem ad omnium temporum, locorum et gentium Ecclesiam, et alteram promissionem singularem de politia Mosaica certi populi Israël, quae etsi et ipsa est ingens beneficium Dei, tamen immensum discrimen est inter aeternarum rerum et praesentis politiae promissionem.

Fuit autem constituta politia, ut certus populus et certus locus esset, qui esset velut certa scholae sedes, ubi illustribus testimoniis et miraculis ederentur promissiones, et subinde repeterentur et confirmarentur, et ubi velut in schola excitaret Deus doctores sonantes doctrinam de coelo traditam, et ubi libri eius doctrinae per certos testes custodirentur, et ad posteros transmitterentur. Denique ut certum esset, quo in loco, inter quos homines, et pene in quo vestigio Deus Messiam nasci, conspici, deceri et pati vellet. Propter has tantas causas politiam Israël Deus constituit, et assiduis miraculis ornavit, ut certum esset in eo populo, veram doctrinam divinitus traditam, veri Dei agnitionem, invocationem, et veram Ecclesiam esse.

Erant membra Ecclesiae Dei etiam alibi, aliqui qui didicerant ab hoc populo promissiones, et fide cum hoc populo coniuncti erant, et hunc verum Deum qui se patefecerat in hoc populo, invocabant, ac se recipi propter Messiam venturum credebant: sed tamen sedes doctrinae erat in isto populo.

Etsi igitur discrimen est promissionis gratiae, et promissionis de politia, tamen, quia haec politia erat schola et sedes Ecclesiae certa, plurimum referebat hanc sedem non deleri, quod ea deleta magna dissipatio fiebat Ecclesiae, impediebantur et negligebantur studia doctrinae, atque ita funditus interitura Ecclecia videbatur, sicut et magna ex parte post exilium secutus est interitus Ecclesiae. Ideo excidium urbis Hierosolymae et dissipatio gentis Iudaicae non fuit tantum corporalis calamitas, sed simul etiam duriter adflixit Ecclesiam, eamque angustiorem et squalidiorem reddidit.

Cum igitur de excidio urbis Hierosolymae cogitamus, aut legimus hanc tristissimam querelam, causae cogitandae sunt tanti luctus Prophetae, et discernenda sunt excidia Troiae et Hierosolymae. Deplorat Aeneas interitum suae patriae, et nemo sine ingenti dolore potest ruentem patriam videre: sed de Ierosolyma tunc graviores causae doloris erant, quia hic locus erat sedes doctrinae, et forma Ecclesiae conspectior et venerabilior fuit, donec certa sedes mansit, et populus melius doceri et regi potuit, et consensus doctrinae facilius retinebatur.

Miserum est in talibus excidiis distrahi parentes et natos, coniuges. Haec deplorant etiam Ethnici, sed multo tristiora sunt haec Ecclesiae, quae scit distractos oblivisci verae doctrinae, ut nunc saepe fit, cum Turci abducunt captam aliquam multitudinem.

Harum horribilium miseriarum magnitudo non subit animos securos, qui in ocio et in pace haec mala nec experti sunt, nec viderunt, sed vicini Turcicae tyrannidi quotidiana exempla vident. Et umbram vidimus in hoc Germanico bello, factae sunt multis locis dissipationes Eccle-

siarum et scholarum, quae etiamsi nondum magnae fuerunt, tamen orandus est Deus, ut sua immensa misericordia parcat huic infirmae senectae Ecclesiae, nec sinat alias atrociores dissipationes sequi.

Dictum vetus est Pindari: Domestica angunt animos, aliena leviter curantur. Sic igitur Ieremiae querelae magis intelligentur, et magis adficient animos nostros, cum ad nostras et recentes calamitates conferentur.

Quae collatio ideo etiam facienda est, quia scripsit Ieremias haec lugubria carmina, non suae tantum aetati, sed Ecclesiae secuturae post eum omnibus temporibus. Nunquam fuit Ecclesia sine ingentibus aerumnis, sed tamen postquam tunc Ieremiae tempore regni forma deleta est, neque haec Respub. etiam restituta est, perinde postea floruit, ut ante exilium floruerat, neque ulla post Christi praedicationem similis politia fuit Ecclesiae toto orbe terrarum. Nec habet nunc Ecclesia promissionem certae sedis, ut tunc habuit.

Paulus et Iohannes Apostolus docuerunt Ecclesiam in Epheso, nunc nihil est Ephesus. Talia exempla sunt innumerabilia, ac ruinas talium Ecclesiarum simul hic significat et deplorat Ieremias, et miscet querelis consolationes.

Haec initio cogitanda sunt in lectione huius querelae Ieremiae, videlicet, quid et cur doleat, et quid vaticinetur futurae Ecclesiae, deinde etiam, quas proponat consolationes. Omnes enim veras doloris causas recitat, deinde et veras consolationes ignotas Philosophiae, ac proprias Ecclesiae, proponit.

Estque lectio utilis non solum in publico luctu, sed etiam in privatis doloribus, quia de publicis et privatis miseriis et causas monstrat, et proponit consolationes ignotas Philosophiae ac patefactas in Ecclesia.

Est itaque argumentum huius querelae Ieremiae. Narrat excidium urbis Ierosolymae, et dissipationem Ecclesiae Dei, et causas recitat veri et magni doloris, quod non solum, ut alii, patriae interitum defleat, sed deploret sedem doctrinae everti, dissipari Ecclesiam, distrahi liberos a parentibus, populum a doctoribus, a quibus erudiri debebat, quod doleat multos in hac ipsa dissipatione defecturos esse a Deo, quod scandalo excrucietur, quia Ethnici insultabant victis, obiiciebant Iudaeis falsam eos de suo Deo persuasionem habere. Postremo hunc ingentem dolorem auxerunt ipsae causae, ira Dei nos propter nostra peccata oppressit.

Est aliquid magnis crimen abesse malis.

Id vere dicitur. Crescit igitur dolor, cum nos ipsos culpa nostra accersivisse calamitatem agnoscimus, et cum iram Dei sentimus, sicut hic dicitur: Propter peccata Prophetarum etc., qui effuderunt sanguinem iustorum.

Haec pars de causis doloris primum consideranda est, postea et consolationes quaerendae sunt, ac de causis diligenter hic observetur indignatio Prophetae. Multi erant in hoc ipso populo, qui ut Ethnici ad casum, aut ad fatales causas referebant initia, incrementa et inclinationes imperiorum, et excidia urbium. Horum impietati irascitur Propheta, quod nec constitutam esse a Deo hanc politiam, nec Deo curae esse, nec eam propter iram Dei everti sentiebant.

Docet igitur praecipuam causam esse magnarum calamitatum publicarum, contumaciam in peccatis atrocibus, videlicet in cultu idolorum, epicureo contemtu Dei, parricidiis sanctorum, et libidinibus.

Etsi autem nulla, quanquam parva domus sine peccatis est, tamen differunt peccata et contumacia in atrocibus peccatis: parcit Deus populo, donec manet disciplina, ac puniuntur peccata, ut aliqua pars populi mores emendet. Sed cum non solum peccat multitudo, sed etiam impune peccat, et confirmantur idola, ac ridentur epicureae opiniones et libidines, tunc sine ulla dubitatione impendent extremae calamitates, ut accidit Asiae, Graeciae et vicinis gentibus, et similes poenae opprimeat alias gentes.

Nunc quidem mediocri castigatione commonefacti sumus, et iudicium a domo Dei incepit, satis triste, quod sic descripsit Esaias, loquens de bello civili, Unusquisque vorabit carnem brachii sui. Hac castigatione si flectemur ad emendationem, mitigabuntur mala, Et aliquorum paucorum emendationem fore spero, et Deum oro, ut propter Ecclesiam et iuventutem mitiget poenas. Sed si nimis magna multitudo erit contemnentium Deum, et potentes stabilient magna peccata, odium verae doctrinae et alia, metuo secuturas esse horrendas vastationes.

Haec de causis calamitatum in horum lugubrium carminum lectione cogitanda sunt. Postea

et opponendae sunt consolationes. Cum autem omnis consolatio intueatur obiectum bonum, tria hic bona recensentur, quorum consideratio triplicem consolationem parit, primum in conspectu erat hoc bonum, quod videbat Ieremias non totam gentem deleri, sed servari florem Ecclesiae, regem, summum sacerdotem Danielem, et multa millia civium.

Prima igitur consolatio est ex ipso facto sumta. Cum Deus servarit florem populi, non doleas, quasi funditus perierit Ecclesia, propterea dicit: Misericordiae Domini, quod non consumti sumus. Ingens Dei beneficium est, quod non funditus deleti sumus. Ut, cum Adam ac Heva meruissent aeternum exitium, tamen immensa misericordia Dei restituti sunt, ita, cum nostra peccata meruissent tristiores poenas, tamen Deus, ne genus humanum frustra conditum sit, reliquias Ecclesiae sibi inter nos servavit, imo maiore gloria nos in exilio ornavit, quam quantam domi habuimus. Miracula ingentia edita sunt, cum servati sunt viri Israëlitae in igni, cum rex conversus est, cum Daniel vaticinatus est de imperiis, et servatus inter leones, et alia multa.

Secundum bonum, quod intuetur Ieremias, est promissio servandae et liberandae Ecclesiae, scit Ieremias promissiones Dei non fore irritas, sed certo mansuras esse populi reliquias et redituras, etiamsi nunc dissipantur, quia sciebat oportere Messiam, stante adhuc politia Mosaica, nasci, concionari, pati et resurgere. Facilius autem toleramus adversa, cum scimus nos aut nostros eluctaturos esse, et hanc consolationem in aliis concionibus saepe repetit et inculcat. Et hic breviter inquit: Pars mea Dominus, propterea expectabo eum. Sicut nos iam in magna confusione imperiorum et dogmatum, oportet intueri hanc consolationem, videlicet, quod promissiones nobis traditae sunt, quae adfirmant Ecclesiam mansuram esse, ut Filius Dei inquit: Maneo vobiscum usque ad consummationem seculi. Item Esaiae 59.: Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps et usque in sempiternum. Et notissima tunc populo erat promissio: Non auferetur sceptrum a Iuda, donec venerit Siloh.

Etsi autem impii Iudaei offendebantur, eversa urbe, abducto rege, dissipata gente, ac disputabant hanc promissionem inanem esse, tamen Ieremias et alii pii norant eam ratam et firmam esse, sciebantque promissiones bonorum corporalium intelligendas esse cum exceptione castigationis et crucis, ut Psalmus dicit: Visitabo eos in virga, Misericordiam autem meam non amovebo ab eis. Respondit eventus promissioni mirabiliter, non ut humana imaginatio ratiocinatur, Servatur enim hic populus in ipso exilio, et ibi magna gloria ornatur, et postea reducitur ad urbis et templi restaurationem. Nec minus miraculum est instauratio illa collapsae politiae, quam fuit eductio populi ex Aegypto. Monetque hoc ipsum exemplum, quomodo intelligendae sint promissiones corporalium bonorum, et cum non isto modo praestentur, quem humana imaginatio prospicit, fide expectandas esse, ut fides exerceatur, et crescat in utroque genere, in expectatione aeternae salutis et expectatione corporalium. Ideo inquit: Bonum est expectare cum silentio salutare Domini. Servat Deus et liberat Ecclesiam, sed non istis modis, quos humana imaginatio prospicit, ut nunc cogitamus, hos principes in hoc periculo fore defensores etc. Tales imaginationes saepe fefellerunt Israëlitas, saepe fallunt et alios omnibus aetatibus.

Tertia consolatio sumta est ab hoc bono, quod calamitas non sit signum abiectionis populi, sed est exercitium fidei piis. Ideo inquit: Bonum est viro portare iugum ab adolescentia. Humana iudicia, cum intuenter Hierosolymae excidium, non aliter sentiunt quam de Troiae excidio, existimant uno et eodem modo imperia ruere, vel casu, vel causis fatalibus, vel quia Deus ea evertat, ut exempla iusticiae suae ostendat. Et fatetur Ieremias hanc calamitatem esse poenam, sed tamen negat significare abiectionem.

Hic promissionibus corporalibus addit promissionem gratiae, quae interpres est poenarum: Punimur non ut pereamus, sed ut revocemur ad poenitentiam, sicut hanc ipsam consolationem Deus in concione Ezechielis proposuit populo his verbis: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Amittimus patriam, domos, et omnia ornamenta vitae corporalis: sed non propterea putes amitti promissionem gratiae. Haec promissio simpliciter immota est, ac docet commonefieri nos hac castigatione, ut ad misericordiae agnitionem et invocationem, et veros cultus redeamus. Hoc cum facimus, mitigantur

et poenae corporales, ut Esaiae 1. dicitur: Si peccata vestra fuerint ut coccinum, erunt candida ut nix.

Ita promissio gratiae interpres est poenarum, et docet calamitatem non tantum esse poenas exitiales, sed commonefactionem. Et haec necessaria doctrina saepe in concionibus Ieremiae repetita est.

Has veras consolationes nos quoque in privato et publico dolore intueamur, Ipse eventus ostendit servari aliquas Ecclesiae reliquias, pro quo beneficio agamus Deo gratias. Deinde promissiones de servanda Ecclesia nobis proponamus, et fidem in nobis confirmemus, ac petamus, ut servetur et sanetur Ecclesia, et hac spe studia doctrinae colamus, et non deseramus gubernationem.

Tertio vulnera etiam nostra agnoscamus, et puniri peccata sciamus, nosque ad poenitentiam exuscitemus. Ideoque Ecclesiam cruci subiectam esse sciamus, ne in ocio et in luxu crescant pravae cupiditates, ut plerunque fieri solet.

Scripsit Ieremias hoc lugubre carmen, non suae tantum aetati, sed scit eius temporis calamitatem, imaginem multarum ingentium ruinarum esse, quae secuturae erant, in his vult nos eodem modo et dolorum causas et consolationes considerare.

V. IN DANIELEM PROPHETAM COMMENTARIUS,

EDITUS A PHILIPPO MELANTHONE. ANNO M.D.XLIII.

(Primum Mel. edidit enarrationem Danielis sic inscriptam: „Danielis enarratio. Praefatio ad Regem Ferdinandum. Authore Phil. Melanchth. Haganoae apud Jo. Secerium 1529." 8. — Praefationem ad Regem Ferdinandum dedimus supra in Epistolis Vol. I. p. 1051. — Librum ipsum non vidi, neque vidit illum Strobelius, neque, quod miror, recusus est in Melanthonis opp. Basil. — Postea a. 1543. Melanthon in lucem misit uberiorem Danielis enarrationem: „In Danielem Prophetam Commentarius editus a Phil. Melanthone anno 1543. Witebergae per Josephum Clug. 1543." 1 Alph. 2 pl. 8. — Recusus est hic liber Witebergae per Joann. Lufft, anno M.D.XLIII. 19 pl. — Lipsiae 1543. — Francof. in officina Petri Burbachii 1546. — in opp. Mel. Witeb. T. II. p. 416 sqq. — Germanice: „Der Prophet Daniel ausgelegt von Ph. M., verdeutscht durch Justum Jonam. Wittenb. 1546." 2 Alph. 4 pl. 4. Dedimus hic librum secundum textum in opp. Witeb., praetermissa autem Epistola dedicatoria ad Mauritium, Ducem Saxoniae, quam supra vide in Epistolis Vol. V. p. 8.)

ARGUMENTUM LIBRI DANIELIS.

Multas res magnas, utiles et dignas cogitatione bonarum mentium complexus est Daniel, quas evolvere et explicare omnes ingenii nostri angustia certe non potest. Multum se profecisse studiosus lector sciat, si praecipua Capita mediocriter animadverterit, et ad pia exercitia transferre didicerit, ac viderit quae pars erudiat mentes de vera invocatione, quae pars confirmet fidem, quae refutet Iudaeos, quae concionetur de poenitentia et de certis virtutibus. Nam ad hos locos referre narrationes utilissimum est.

Recensebo igitur quasi titulos rerum praecipuarum quae hic continentur, qui ostendent, quae sit utilitas huius lectionis.

Primum cogitabis de universo opere. Testimonium est tota historia Danielis servatae Ecclesiae et ornatae ingenti gloria, tum cum videretur pene extincta. Monet igitur et castigari Ecclesiam, et in cruce rursus eam instaurari. Testatur item Ecclesiam non humanis consiliis, viribus, ordinationibus, sed singulari Dei opere inde usque ab initio defensam et propagatam esse.

Monet item de promissionibus, Deum praestare promissa, etiamsi non eo modo praestat, quem nos cogitaveramus, ut tribui Iuda facta est promissio, Non auferetur sceptrum, nec doctor a Iuda, donec venerit Salvator. Hac freti promissione reges Iuda toties rebellabant, et Ieremiae praedictionem de eversione regni audacissime damnabant, tanquam pugnantem cum manifesta promissione Dei. Sed Ieremias norat utrumque, fore ut castigaretur populus, et tamen familia regia non extingueretur, nec deessent Prophetae. Atque ita accidit praeter hominum opinionem, Regia familia etiam in exilio, honore affecta est, Et excitavit Deus Prophetas, et suam Ecclesiam ingenti gloria ornavit. Imo adiunxit ad societatem Ecclesiae gentes, Facta est conversio Gentium ad Deum insignis.

Secundo observabis testimonia de Messia. Ut caeteri Prophetae praecipue ad hoc excitati sunt, ut per eos sonaret promissio Messiae: ita et Danielem hoc munere fungi oportuit, qui quidem multa docet, vaticinatur de tempore quo nasci Messiam durante politia Iudaica oportuit. Diserte vaticinatur de passione Christi, ait fore, ut occidatur.

Tertio considerabis seriem monarchiarum, quae ideo tradita est, ut indicaretur tempus, quo

Christum nasci Deus voluit, et significaretur tempus resurrectionis mortuorum ac iudicii.

Quarto observandi sunt loci doctrinae de poenitentia, de fide, de iustificatione.

Quinto exempla bonorum et malorum regum excerpenda sunt.

Sexto testimonia de resurrectione mortuorum considerentur.

Septimo praemonitio traditur de regnis impiis, quae circa finem mundi Evangelium Dei delere conabuntur. Et luctuosa dispersio Ecclesiae describitur, ut nunc sub Turcis et aliis regibus, qui magna crudelitate idola defendunt, dispersi sunt pii, doctrinam Evangelii puram amplectentes. In tanta gentium confusione multae sunt humanae rationis disputationes: An sit discrimen gentium seu hominum futurum post hanc vitam? An Deus sit praemia et poenas distributurus hominibus? An sit certus hominum coetus, quem Deus amet reiectis caeteris hominibus? Epicurus negat superstites esse animus hominum. Alii Philosophi cogitant animas esse flammas aethereas, si quid sunt alienum a materia Elementorum, evolantes in sublime nescio quo.

Adversus has prophanas imaginationes discamus ex Evangelio, vere Filium Dei resuscitaturum esse mortuos, ut pios ornet aeternis praemiis, et impios poenis adficiat. Et testimonium huius doctrinae editum est illustre, Resuscitatio mortuorum, id signum peculiare et proprium est eius coetus, qui profitetur doctrinam traditam per Prophetas, Christum et Apostolos. Nec quisquam alius mortuos in vitam revocavit, nisi eius doctrinae professores. Certum est igitur hanc doctrinam esse divinam, quae quidem sola prima est omnium in mundo. Et haec pronunciat Ecclesiam seu populum Dei esse eos qui hanc doctrinam amplectuntur, caeteros non esse. Docet item Ecclesiam non esse maximam hominum multitudinem, imo saepe exiguum et miserum coetum esse oppressum servitute et aliis multis calamitatibus, saepe penes impios et hostes Dei esse imperia et opes.

Cum autem haec species offendat humanam rationem, quae ignara irae Dei adversus peccatum haerens in natura hominum, somniat illos potius Deo caros esse, quibus dat opes et imperia, ideo valde opus est nobis hac praemonitione, quae docet quomodo de Ecclesia Dei sentiendum sit, ubi sit quaerenda, videlicet tantum in eo coetu, qui complectitur doctrinam traditam per Prophetas, Christum et Apostolos. Non imperia, non opes, non multitudo, non temporum diuturnitas moveat, ut populum esse Dei existimes, eos qui aut universam doctrinam propheticam et apostolicam abiiciunt, aut palam et pertinaciter idola defendunt.

Haec Capita breviter recensui, ut studiosus lector in vestibulo statim videat res magnas et utiles in hac historia tradi. Accedunt obiter et alii multi loci doctrinae Christianae. Estque prudentia adhibenda in distribuendis rebus et usurpandis, videndum quae pars contineat leges, quae concionetur de promissionibus et de Evangelio. Nam ad haec prima Capita utile est materias omnes referri, Videndum quae pars illustret dogmata. Ut, quid potest illustrius *καὶ ἐναργέστερον* dici contra Iudaeos, quam quod Daniel diserte adfirmat Christum nasci oportere durante politia Mosaica. Ergo illud horrendum excidium urbis Ierosolymae, et ruinae totius Iudaeae, iam annis 1470 testimonium dicunt, Christum natum esse, et refutant Iudaeorum amentiam et execrandam pertinaciam. Videndum etiam quae ad usum in invocatione transferre possimus. Daniel sic precatur, agnoscit peccata, et petit a Deo liberationem fiducia misericordiae, et nominatim addit: *Propter Dominum*, videlicet, propter promissum Messiam.

Haec est vera precationis forma in Ecclesia Dei, accedere ad Deum fiducia misericordiae promissae propter Filium mediatorem ac deprecatorem. Arcana res est, et ignota mundo haec invocatio, sed piis qui vere Deum timent, in quotidianis exercitiis discenda est, ac prodest in conspectu habere hanc formam in Daniele propositam, ut suo loco copiosius dicetur. Habent usum in horum temporum periculis et praemonitiones, quae ostendunt quae sit Ecclesia, et iubent vitare societatem eorum, qui nomen Christi delere conentur, aut idola contra Evangelium defendunt.

Loci praecipue observandi in primo Capite.

I.

Poena impietatis, videlicet, ingens calamitas populi Iudaici.

II.

Quod Deus mirabiliter praestat promissiones, et servat suam Ecclesiam, etiam cum punit impios.

III.

De moderatione victoriae. Item, quod regum officium sit curare, ut iuventus instituatur.

IIII.

Danielis et trium Adolescentum fides et perseverantia, Quod non defecerunt a lege divina inter Ethnicos, nec vel exemplis vel voluptatibus, vel admiratione potentiae impiorum depravati sunt.

V.

Praemia corporalia et spiritualia pro illa fide, perseverantia et temperantia. Data est melior valetudo, gratia apud regem et principes, doctrina et prophetia. Haec dona eis contigerunt, quia Deus testari volebat se servare suam Ecclesiam, et promissiones non esse irritas. Docet item hoc exemplum Deo placere haec fidei et confessionis officia, et mereri ingentia praemia.

VI.

Observandum est ad quem finem debeat esse destinata temperantia. Daniel abstinet a regiis cibis, non propter humanas traditiones, sed propter legem Dei, Quia multi regii cibi interdicti erant Iudaeis, ut lepores, sanguis, et multa piscium genera.

Vini usus non erat prohibitus, et Daniel infra legitur bibisse vinum. Non ergo tum superstitione a vino abstinuit, sed propter adolescentiam et cavenda sodalitia etc.

De I. loco.

Ad primum et secundum locum pene omnes Ieremiae conciones pertinent, qui vaticinatur de poena, et causas exponit, ut cap. 22.: Quare sic fecit Dominus huic civitati, Quia reliquerunt pactum Dei sui, et adoraverunt Deos alienos.

Item de Ioiakim, cuius hic fit mentio, inquit: Sepultura asini sepelietur, proiectus extra portas Ierusalem.

Discamus igitur timere iudicium et iram Dei, et fugiamus impios cultus et alia flagitia, Quia si illi populo Deus non pepercit, cui amplissimas promissiones dederat, multo minus caeteris parcet.

II.

De secundo loco etiam extant multae conciones apud Ieremiam, Quod promissiones non sint irritae, et tamen impii puniantur, et interea promissiones mirabiliter serventur, aliis modis quam humana sapientia cogitat.

Ideo Ieremias taxat stultas spes impiorum, qui promissiones eo detorquebant, ut negarent poenas illas venturas esse. Iere. 7.: Nolite confidere in verba mendacii, dicentes, Templum Domini, Templum Domini etc.

Cap. 28. Cum Hananias vaticinaretur, post biennium redituros esse Iudaeos ex Babylone, et rupisset catenam quam gestabat Ieremias, increpat eum Ieremias, et addit, Hananiam eo anno moriturum esse, quia adversus Dominum locutus sit, ac respondit eventus vaticinio Ieremiae.

Ex hac historia apparet maximam fuisse autoritatem Pseudoprophetarum, quia iactabant promissiones, sed male detortas. Econtra Ieremias praedicebat poenas, et tamen consolabatur pios, ut in sequentibus Capitibus 29 et 30. ac deinceps.

Cap. 30. inquit: Castigabo te in iudicio, ne tibi videaris innocens. Vulnera tua sanabo etc., ubi docet, quare Deus in illis communibus poenis corporalibus, Sanctos una rapiat, Quia hos quoque vult agnoscere, quod habeant peccata, et detrahit eis fiduciam propriae iusticiae. Ita Propheta docet de poenitentia, et postea promittit liberationem.

Cap. 31.: Castigasti me Domine, et eruditus sum, sicut iuvenculus indomitus etc. Hic quoque docet affligi Sanctos, ut crescat poenitentia. Dupliciter ergo consolatur eos, docet ad quid prosint adflictiones, et pollicetur liberationem.

Hic igitur valde prodest observare certamen de promissionibus. Sic omnes in adflictionibus decurrunt ad promissiones, et cum non contingunt cito, et illo modo sicut imaginatur ratio humana, languescunt animi, et deficiunt a Deo, sicut Saul deficiebat. Et hic multi Iudaei defecerunt, arbitrantes hunc populum a Deo desertum esse.

Sed pii agnoscant primum, quare adflictiones nobis imponantur, et quod Deus in illis requirat obedientiam. Deinde etiam fide erigamus nos, sustentemus nos promissionibus, et petamus et expectemus auxilium, sicut Iere. 29. dicitur: Orabitis me, et ego exaudiam vos etc. Et

Ezech. 33.: Vivo ego, nolo mortem peccatoris. Et hic prudentia opus est, sciamus Deum gubernaturum esse eventus, supra nostra consilia, ideo etiamsi differtur liberatio, non dificiamus.

Hoc docet Paulus cum inquit ad Ephes.: Ei qui potens est facere supra quam petimus aut intelligimus, sit gloria etc. Ita hic populus maiorem gloriam in exilio habuit, quam domi. Habuit Prophetas multos, Danielem, Ezechielem, Zachariam, Haggaeum. Deus miraculis ingentibus testatus est, hunc populum habere verbum Dei, veros cultus, et promissionem salutis. Quale fuit miraculum liberatorum ex camino. Item summi reges conversi sunt ad verum cultum Dei, Conservatur et regia stirps, et regaliter tractatur. Non igitur erat irrita promissio, non auferetur sceptrum etc. Sed Deus aliis modis praestitit promissiones, quam Pseudoprophetae cogitaverunt.

Discamus igitur et nos in afflictione retinere fidem, invocare et expectare auxilium, etiamsi eventus non contingunt iuxta nostra imaginationes, nec languescamus, sed expectemus eos, sicut Dei consilio gubernantur. Ideo scriptum est: In oratione instantes. Oratio humiliati non discedet a Deo.

Quidam hic litigant de annotatione temporum, quando Daniel in captivitatem abductus sit. Sed facilis est explicatio. Textus ipse narrat abductum esse anno tertio Ioiakim, videlicet septennio ante migrationem spontaneam Ieconiae. Nam Ioiakim regnavit ante Ieconiam. Venerat autem Nabogdonosor Ierosolymam etiam regnante Ioiakim, exacto tertio anno regni Ioiakim, ac praedam abstulit, et captivos aliquos abduxit. Regi vero Ioiakim non eripuit regnum, sed socium esse iussit, qui cum post annos sex rebellasset redeuntibus Chaldaeis, in patria interfectus est, et cadaver inter vulgi cadavera abiectum, ut Ieremias ei praedixit, Cap. 22. de sepultura asini.

Saepe rebellabant reges Iudaeorum, ideo saepe redibant Chaldaei. Illud autem est considerandum, Quod Deus diu distulit extremam poenam, ut eos ad poenitentiam invitaret. Sicut concionatur Ieremias 26.: Sed cum putarent impii se perfunctos esse poenis, fiebant contumaciores etc.

III.

Finis victoriae debet esse non vastitas, sed constitutio melioris status. Ideo moderatione opus est, et saniores servandi sunt. Sicut Nabugdonosor servavit Ieremiam et regem, et maximam multitudinem populi.

Huc pertinent praecepta de clementia, quae est benefacere bonis, discernere bonos a malis, moderari poenas illorum qui sunt sanabiles, impios vero et insanabiles e medio tollere. Proverb. 20.: Misericordia et veritas custodiunt regem, et clementia fulcitur thronus eius.

Praeterea, quod principum officium sit curare, ut cives discant verbum Dei, et alias artes vitae necessarias, testatur praeceptum Deute. 17., ubi iubet regem tenere in manibus librum legis, ut legat et discat. Ergo necesse est reges curare, ut habeant a quibus discant.

Et huc pertinet dictum Esaiae, Reges erunt nutritores tui, id est, Praecipue regibus mandat Deus, ut doctores Ecclesiae foveant et tueantur.

2. Paral. 31. Laudatur Ezechias, quod studia sacerdotum restituit. Quare docendi sunt principes, ut sciant Deum ab ipsis hoc officium poscere, ut studia necessaria Ecclesiae foveant.

Iudaei persecuti fuerant Prophetas, nunc alit eos rex ethnicus, et magna ab eis beneficia accipiet. Convertetur ad pietatem, habebit florens regnum propter hos gubernatores, Quia Deus hoc genus officii largiter compensat, iuxta illud: Qui dederit potum aquae, propter doctrinam etc., habebit mercedem. Econtra tyranni, qui negligunt aut persequuntur studia Ecclesiae, aut ministros pios, afficientur horribilibus poenis.

Deinde quod privatim singuli discere debeamus, praecipit Petrus: Parati ad satisfactionem etc. Item de caeteris artibus inquit Paulus ad Titum 3.: Discant nostri bonis operibus praeesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi.

VI.

De postremo loco principaliter hic observandum est, Danielis temperantiam fuisse opus confessionis, et quidem hanc abstinentiam fuisse praeceptam lege Dei, non humanis traditionibus. Ergo abstinebat Daniel, ut testaretur se non abiicere doctrinam, in qua sola extabat verbum Dei, et abhorrere ab aliarum gentium religionibus.

Hoc exemplum nos quoque ad confessionem, perseverentiam et temperantiam hortetur. Quia Deus haec officia requirit, et ornat magnis praemiis.

Daniel in aula nec minis nec contemtu, nec illecebris voluptatum aut potentiae victus est, ut deficeret a vero cultu. Hanc constantiam pauci imitantur, sed qui imitantur habebunt ingentia praemia corporalia et spiritualia, sicut inquit textus: Glorificantes me glorificabo, etc.

II. Capitis loci praecipui.

I.

Deus revelat ordine quatuor monarchias, et testatur in fine mundi venturum regnum sempiternum Sanctorum, qui Deum vere coluerunt.

In hac revelatione primum populo proposita est consolatio et doctrina. Videbant se non desertos esse a Deo, cum habebant Prophetas tales, qualis fuit Daniel. Discebant etiam quando expectanda esse illa perpetua gloria promissa patribus.

Deinde rex et alii multi Ethnici hac doctrina admoniti sunt, ut agnoscerent verum Deum, et amplecterentur veros cultus et verbum Dei.

II.

Exemplum, quod testatur Deum exaudire pios, et dare petentibus dona, sapientiam et alia bona.

III.

Testimonium, quod imperia divinitus constituantur.

IIII.

Admonitio, quod imperia paulatim ruant in deterius. Posteriora subinde magis turbulenta erunt, et minus iusta, sicut Romanum multo fuit asperius quam Persicum.

V.

Testimonium, quod liceat Sanctis gerere magistratus, quia Daniel hic impetrat sociis provincias.

De I. loco.

Totum hoc miraculum exhibitum est propter quatuor causas.

Quia Deus testari voluit solum Iudaicum populum habere verbum Dei, et veros cultus.

Ut Iudaei haberent consolationem.

Ut de tempore venturi regni perpetui admonerentur.

Ut converterentur etiam Gentes ad agnitionem Dei.

Propter has tantas causas miracula ingentia proposita sunt, et ad hoc delectae sunt non vulgares personae, sed rex ipse et principes.

Ac ut magis perspicuum fieret, religiones Chaldaicas falsas esse, Unum esse verum Deum, qui tradidit verbum populo Israël, ideo primum confunditur sapientia Magorum, et patefit eorum impietas et caecitas.

Hoc ut fieri posset, Deus voluit regem oblivisci somnii, et tamen talis fuit consternatio animi et ἔκστασις in eo somnio, ut senserit esse quandam divinam admonitionem. Ideo tam dura edicta proponit, Minatur mortem coniectoribus, nisi ipsum somnium narrent.

Et habet probabilem rationem. Si interpretationes divinitus monstrantur, ut iactitabant coniectores, potest divinitus monstrari non tantum interpretatio, sed etiam ipsum somnium. Si vero interpretatio est humana coniectura, et non proficiscitur a Deo, est ambigna et fallax.

Ergo, quia non possunt reperire somnium, et Daniel reperit, constat Chaldaeorum doctrinam non esse a Deo, sed Danielis doctrinam et religionem a Deo traditam esse.

Ita primum ostenditur testimonium, doctrinam et religiones Chaldaicas falsas et ementitas esse, sicut in Aegypto convicti sunt Magi etc. Sic universaliter in revelatione Evangelii arguit Deus contrariam doctrinam.

De somnio breviter dico, Illis somniis certo credendum esse, quibus Deus dat testimonium, quod sint divinitus ostensa, sicut hic miraculum reperti somnii testatur hoc somnium a Deo esse, et Deus alibi aliter reddidit certas conscientias.

Postquam autem Daniel recenset somnium, ipse interpretatur de quatuor monarchiis, et de regno perpetuo Christi. Haec enarratio non tantum est politica de imperiis, sed etiam praebet occasionem Danieli concionandi de toto regno Christi, de novissimo iudicio, de causa peccati, de redemtione et instauratione humani generis. Cur sit tanta mundi brevitas, Quale sit futurum perpetuum regnum, Utrum in hac natura immunda vel alia: Qualis sit futurus Redemtor, et quomodo ad hoc regnum perveniatur. Ita haec brevis narratio complectitur summam Evangelii. Ideo non tantum hic politica doctrina observetur, sed multo magis evangelica.

Politicum est, quod admonemur divinitus constitui imperia. Item, quod mirabili consilio Deus voluit consociare Gentes per monarchias, sive ut melius regerentur disciplina, legibus, iudiciis, poenis, sive ut per eam occasionem facilius propagari et innotescere Evangelium posset. Sicut in singulis monarchiis fulsit Evangelium aliquantisper apud Gentes.

Aureum caput significat primam monarchiam, quae complectitur successionem Chaldaeorum et Assyriorum.

Argenteum pectus secundam monarchiam significat, complectentem Medorum imperium et Persicum.

Venter aeneus, Alexandrum et successores potentiores, qui erant coniuncti foedere.

Tibiae ferreae Romanum imperium, cui adiicit descriptionem, quod fuerit futurum asperius caeteris, quia reipsa durius imperaverunt gentibus, et inter se gesserunt bella civilia, et deleverunt gentem Iudaicam, et exercuerunt crudelissimas persecutiones in Ecclesiam.

Pedes partim testacei, partim ferrei, significant regna nata post dissipatam monarchiam, videlicet, Francicum, Hispanicum, Germanicum, Sarracenicum, Turcicum, et in his alia sunt aliis bellicosiora. Et quanquam inter se luctantur, et conantur efficere monarchiam, tamen non perficient.

Porro in quarta monarchia inquit Daniel venturum esse Christum, qui sit incoaturus regnum aeternum promissum Patribus. Voluit Deus patefieri tempus adventus Christi, ut inter caetera testimonia de Christo etiam circumstantia temporis pios admoneret, et refelleret impios. Sicut Iudaei nunc manifeste refelli possunt per circumstantiam temporis. Oportet Christum nasci ante dissipationem gentis Iudaicae in quarta monarchia, durante adhuc politia Iudaica, in Bethlehem etc. Ergo necesse est fateri, quod sit natus, quia nunc eversa est Bethlehem, et nulla est politia Iudaica.

Item proderat pios tenere consolationes de tempore, ut interea afflictiones sustinere possent et expectarent venturam liberationem, nec errarent, arbitrantes tempus praeteriisse.

Postrrmo prodest omnibus scire, quod mundi tempus sit exiguum spacium, quod instet iam et sit in foribus dies indicii, sicut et hunc regem Babylonicum Deus admonere voluit, de brevitate temporum mundi, de venturo iudicio, de salute piorum, de aeternis poenis impiorum, ne rex putaret omnia casu fieri, sed disceret esse Deum salvantem pios, et punientem impios, constituentem imperia, et adiuvantem iustos principes. Ita hic locus complectitur totius religionis et Evangelii doctrinam. Dixi de tempore.

Sic autem describit hoc regnum. Ait, Lapidem abscissum esse de monte sine manibus. Lapis significat Christum, qui de monte, id est, ex populo Israël natus est, sed sine manibus inde abscissus est, id est, non humano consilio datus est huic populo, nec postea regnum constituit humana potentia aut viribus illius populi. Tota res geritur divinitus, Filius Dei venit a Patre aeterno missus, nascitur sine virili semine, regnum constituit sine humanis consiliis et viribus. Haec est simplicissima enarratio, ut mons intelligatur de regno seu populo Iudaico, quia postea rursus dicit: Hunc lapidem fieri magnum montem, id est, ingens regnum.

Alii interpretati sunt montem de matre Maria, alii de coelo, sed has interpretationes omitto. Sine manibus etiam alii interpretantur, impolitum lapidem, id est, spretum et abiectum, sicut in Psal. 118. dicitur: Lapis quem reprobaverunt etc. Sed hanc interpretationem nostra complectitur, Sine manibus, id est, sine humanis consiliis, sine humana potentia.

Breviter autem concionatur Daniel de utroque adventu Christi, Deus suscitabit regnum durantibus adhuc aliis regnis. Qualis haec est pugnantia, quo modo durante monarchia Romana, tamen regnabit Christus? Hic significat regnum Christi non futurum politicum, sed spirituale, quod per verbum administrabitur. Et dicit diserte: Deus constituet id regnum, nam hoc regnum immediate constituit et regit ipse, per verbum suum palam traditum, et per Spiritum sanctum. Caetera etiamsi divinitus constituuntur, tamen mediate per humanam potentiam constituuntur et reguntur.

Iocoabitur ergo hoc sempiternum regnum durantibus adhuc imperiis, quae id regnum contemnent, et ei adversabuntur, ideo conteret et finiet omnia regna. Primum enim arguet praedicatione, postea evertet et afficiet hostes aeternis poenis. Christus autem cum sua Ecclesia permanet, retinet regnum, et fruitur aeterna gloria.

Hactenus breviter percurrimus historiam et interpretationem, in qua, ut ante dictum est, non tantum politicae sententiae, sed etiam evangelicae considerandae sunt, et cogitandum, quid haec historia vel interpretatio nos ipsos moneat. Confirmant autem nos testimonia de tempore adventus Christi, cum in quarta monarchia, durante adhuc politia Mosaica, Christum nasci oportuerit, necesse est fateri, quod sit natus.

Praeterea, quia hic de regno aeterno dicitur, necesse est dici de causa abolente mortem. Item, de causa mortis, de peccato, de promissionibus liberationis, de Christo, de redemtione nostra per sacrificium Christi, de resurrectione mortuorum.

Quomodo autem regnaturi sunt Sancti perpetuo, cum plurimi sint mortui tot seculis, et deinceps morituri reliqui, nisi resurgant? Ergo hic locus complectitur universam Evangelii doctrinam, ad hanc respiciendum est, cum haec concio Danielis legitur.

Interim haec praecipue consideremus de Lapide praeciso a monte, Unum esse Dominum, scilicet Iesum Christum, qui hoc regnum aeternum incoat, qui abolet mortem, qui vincit universam diaboli et mundi potentiam. Nec aliud hic dicit Daniel, quam quod antea extabat apud Esaiam, qui nominat Christum patrem perpetuae vitaë.

Hae sententiae prorsus idem volunt, quod toties repetit Evangelium, Ioh. 3.: Qui credit in Filium, habet vitam aeternam. Qui autem non credit in Filium, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum.

Et rursus Iohan. 17.: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum.

Sic ergo incoat vitam aeternam, cum credimus hunc Lapidem datum esse, ut aboleat peccatum et mortem, et credimus nobis propter eum donari remissionem peccatorum et vitam aeternam. Haec de Lapide hoc loco praecipue considerentur, quomodo incoët vitam aeternam.

Et diligenter observetur in doctrina de fide, particula Gratis, sicut alias saepe dictum est, Quod gratis donentur nobis beneficia Christi, ne transferatur honos Christi in iusticiam humanam. Item, ut maneat fidei certitudo, Non posset fides existere, si penderet ex conditione nostrae dignitatis, aut legis. Et quid sit haec fides in invocatione, discendum est in omnibus vitae negociis et periculis, tunc intueamur Christum Mediatorem et Pontificem, et cogitemus eum hunc esse Lapidem, qui destruit potentiam diaboli, sicut Iohannes inquit: In hoc apparuit Filius Dei, ut destruat opera diaboli. Et meminerimus particulae Gratis, quam ipse Daniel nobis inculcat infra cap. 9.: Neque enim in iustificationibus nostris invocamus, sed in miserationibus tuis multis.

Postremo excerpantur testimonia de politicis negociis. Primum, quod imperia divinitus constituantur, testatur hic Daniel inquiens, Sit nomen Dei benedictum etc. Qui transfert regem et consistere facit.

Secundo, quod piis liceat administrare imperia, testantur hic exempla Danielis, et aliorum Sanctorum, qui praefuerunt provinciis, et quidem dixerunt ius, non ex legibus Mosaicis, sed ex Babylonicis.

Loci III. Capitis.

I.

Exemplum humanae caecitatis et audaciae instituentis novos cultus sine verbo Dei, quos hic ostendit se Deus improbare.

II.

Doctrina est, quod oporteat reprehendi impios cultus.

III.

Quod oporteat mandatum Dei anteferre omnibus rebus humanis, potestati, legibus humanis, paci, tranquillitati vitae nostrae.

IIII.

Blasphemia refutanda est, ut hic refutatur dictum regis: Quis Deus potest vos liberare?

V.

Qualis debeat esse fides de corporali liberatione, videlicet cum conditione, si Deo placet. Et de discrimine promissionum, Aliae habent conditionem, aliae non habent.

VI.

Glorificatio piorum contra blasphemiam, et poena impiorum, praesertim satellitum, qui alieni furoris ministri sunt.

VII.

Testimonium, quod in periculis Deus addat angelos piis.

VIII.

Conversio regis, sequens concionem et glorificationem piorum.

IX.

Edictum, quod docet pertinere ad officium principum, prohibere et punire blasphemias.

De I. loco.

Cum magnitudo rerum non possit verbis explicari, sum brevior, et tantum admonere lectores cupio. Primum igitur hic discant pii, ingens et horribile peccatum esse contra primum praeceptum, instituere et defendere cultus sine verbo Dei.

Ac sciamus non unum Nabogdonosor hic significari, sed idolatriam totius mundi. Sicut Nabogdonosor horribili audacia, et tamen summa opinione religionis, instituit cultum, ita multi fecerunt aliis temporibus. Imperia plerunque defendunt idolatriam: in Ecclesia vero impii pontifices regna sibi constituunt, et muniunt praetextu novorum cultuum, sicut Ieroboam fecit. Et eo spectavit consilium Nabogdonosor, ut suo cultu consociaret gentes etc.

Ideo cogitandum est, ingens peccatum esse pontificum et principum, qui defendunt cultus institutos sine verbo Dei, et pugnantes cum verbo Dei, Missam, Monachatus, et alias traditiones. Ut Esaiae 29 dicitur: Miscuit vobis Dominus spiritum soporis etc., quia coluerunt me mandatis hominum etc.

Et Iere. 2.: Duo mala fecit populus, Me dereliquerunt fontem, et sibi fecerunt cisternas.

Haec cogitanda sunt, ne nos polluamus societate defendentium impios cultus, ne eis assentiamur, ne eos adiuvemus etc.

II.

Colligendae sunt sententiae, quae hortantur nos, ut reprehendamus impios cultus, ut primum praeceptum ait: Non habebis Deos alienos.

Item: Qui non confitebitur me coram hominibus, confitebor eum coram Patre coelesti.

Item: Quod anteferendum sit mandatum Dei legibus humanis, et potestati. Iuxta illud: Oportet Deo magis obedire quam hominibus.

Item de scandalis: Sinite illos, caeci sunt, et duces caecorum.

IIII.

Rex non solum praecepit honorem statuae haberi, sed addidit manifestam blasphemiam, qua suam potentiam antefert divinae. Et omnibus temporibus tyranni derident pios, expectantes auxilium divinum, quia aut sunt Epicurei, aut sibi persuadent se esse praecipua membra populi Dei, sicut Pharisaei de sese sentiebant.

Deus autem plerunque insignibus exemplis et corporali liberatione vindicat gloriam nominis sui, ut 4. Reg. 19. de Senacherib: Insanisti adversus me, superbia tua ascendit ad aures meas etc.

Et post subsannationes in historia passionis Christi statim sequuntur terraemotus, Eclipsis, et ipsa rerum natura testatur, se abhorrere ab istis blasphemiis, ita solet sequi gloriosa vindicta.

Porro pii tales blasphemias dissimulare non debent, sed aperte refutare, sicut hic dicunt: Est Deus noster quem colimus, qui potest nos liberare. Diserte autem dicunt, quem colimus, ut significent se praedicare illum solum esse Deum, qui hoc verbum et hos cultus certis testimoniis tradidit, quos populus Israël habebat.

Quare discamus Deum non agnosci neque coli nisi in illo verbo, quod ipse nobis proposuit, Et repudiandos esse cultus et opiniones de Deo extra hoc verbum, sicut docet Christus, inquiens: Qui me videt, videt Patrem.

V.

Hic de promissionibus quaerendum est, et natura fidei consideranda, quomodo expectet liberationem? Nam textus aperte praedicat fidem horum confitentium. Respondeo: Promissiones omnes requirunt utrunque, scilicet, ut credamus, Deum et posse et velle nobis opitulari. Sed de voluntate discrimen est, Promissio gratiae postulat, ut nominatim credamus hoc ipsum tribui, videlicet remissionem peccatorum et imputationem iusticiae, et vitam aeternam. Nam hic expressit Deus suam voluntatem, et haec petenda et expectanda sunt nominatim sine aliqua conditione, sicut textus inquit: Omnis qui credit in Filium, habet vitam aeternam.

Et haec fides semper debet praelucere et gubernare expectationem corporalium beneficiorum. Quanquam autem promissiones corporalium beneficiorum etiam requirunt, ut credamus, non

solum de potentia Dei, sed etiam de voluntate, quod Deus velit iuvare: tamen fides de praesenti liberatione addit conditionem, scilicet: Si Deo placuerit, me in praesentia liberabit. Neque conditio pugnat cum natura fidei, sed praestat obedientiam, quia simul requiruntur ista, ut simus parati ad obedientiam, ut invocemus, petamus, et expectemus auxilium, sed iuxta consilium Dei.

Ita orat David: Si Dominus volet, reducet me, si non volet, fiat voluntas Domini.

Ita dicunt et hoc loco isti confitentes: Non oportet nos respondere, id est: An Deus sit nos exemturus ex hoc camino, non scimus, Quasi dicant: Exitum et eventum et modum liberationis consilio Dei permittimus, sumus etiam parati ad obedientiam. Sed gloriam Dei defendimus, affirmamus eum nos posse liberare, et hunc vere Deum esse, quem colimus, id est, qui nobis verbum et cultus tradidit, Et interea ipsorum fides tamen expectat a Deo qualemcunque consolationem et auxilium, iuxta consilium Dei.

VI.

Ac diligenter hic observandum est, ideo nobis imponi afflictiones corporales, ut excitemur ad invocationem et fidem. Sicut Esaiae 26. dicitur: Angustia ad clamandum disciplina tua eis. Ideo non est indulgendum diffidentiae, nec cogitandum, frustra fieri invocationem, aut promissiones esse irritas, etiamsi illa conditio additur. Liberat enim Deus, cum invocamus, ut nobis testimonia ostendat suae praesentiae, sicut inquit in Psalmo: Eripiam te, et glorificabis me.

Et cum non vult praesentem calamitatem tollere, tamen addit consolationem. Quare nunquam promissio est irrita, iubet igitur Christus incessanter orare, id est: Etsi differtur liberatio, ut exerceamur, tamen orare non desinas, quia invocatio non est irrita.

Sed hoc agere difficile est rationi, cum Deus non liberat, franguntur animi, existimant se non exaudiri, incipiunt indignari ac prorsus deficere a Deo, sicut Saul defecit.

Huic tentationi fides repugnare debet, ut crescat et ardentius petat, et expectet auxilium, etiamsi non statim aut prorsus tollitur praesens calamitas. Nam quia Deus hanc invocationem exaudit, opitulabitur, vel praesenti consolatione ac mitigatione calamitatis, vel constituens suo mirabili consilio bonum eventum, sicut Paulus inquit: Fidelis Deus, qui dat cum tentatione eventum, etc.

VII.

Miraculum editum est, ut rex converteretur ad agnitionem Dei, qui conversus etiam edit confessionem, et prohibet blasphemias.

Hic discamus ad officium principum pertinere, ut impiam doctrinam et impios cultus aboleant, et curent piam doctrinam et pios cultus proponi. Nam magistratus est custos totius legis, quod ad disciplinam attinet: sicut prohibet homicidia, etiamsi non mutet corda, ita prohibere debet externam idolatriam, blasphemias, impios cultus.

Quanquam enim magistratus non est ministerium spiritus, id est, quanquam non convertit corda, tamen est minister tuendae externae disciplinae totius legis, et ut membrum Ecclesiae praecipuum, adiuvare reliqua membra debet, ut pia doctrina propagetur.

Loci IIII. Capitis.

I.

Exemplum, quod indicat conversos postea subiici horrendis adflictionibus. Sicut rex Nabogdonosor post conversionem hic in acerbissimam calamitatem incidit, iuxta illud: Iudicium a domo Dei incipit. Item: Humiliamini sub potenti manu Dei. Nec dubium est, fuisse multos, qui dixerunt eum poenas dare mutatae religionis.

II.

Poena securitatis, superbiae et negligentiae in secundis rebus, quia textus dicit: Erat florens in palatio. Et postea: Nonne haec est Babylon, quam ego aedificavi? Et angelus ipse dicit: Hoc exemplum proponi, ut omnes gentes Deum agnoscant, et sciant eum resistere superbis, et humiles tueri.

III.

Imago regni, rex est arbor, sub qua pascuntur animantia. Ergo principes non sint tyranni, sed praebeant umbram, id est, defensionem subditis, et concedant eis, ut quaerere victum, et frui suis possint. Item: Angelus additur custos regis.

IIII.

Mitigatio poenae. Daniel iubet regem agere poenitentiam. Ergo comminationes mitigari possunt, ut testatur exemplum Ninives. Et scriptum est: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Nec sunt huc afferendae disputationes de stoico fato.

V.

Concio de poenitentia: Libera te a peccatis per iusticiam et beneficia erga oppressos, Et erit longanimitas ad tuam salutem, vel erit sanatio delictorum tuorum.

Haec concio utrumque complectitur, doctrinam contritionis, scilicet legem, quae arguit peccata, et promissionem gratiae seu absolutionem.

VI.

Testimonium, quod Evangelium pertineat ad Gentes. Item, de libertate evangelica, quod cultus legis non fuerint necessarii ad gratiam.

VII.

Cum hic tradatur promissio, Erit sanatio, necessario sequitur requiri fidem. Quare non intelligunt hoc dictum, qui detorquent contra doctrinam de fide.

VIII.

Cum fides non nitatur nostra dignitate, sed intueatur promissionem, necesse est intelligi, gratuitam esse remissionem.

IX.

Nec satis est intelligi dictum de remissione poenae temporalis, quia poenae non mitigantur sine vera poenitentia et remissione culpae. Ideo prius hic intelligatur remissio culpae.

X.

Post concionem conceditur intervallum regi ad poenitentiam totus annus, sed manent securitas et superbia. Ideo sequitur poena.

XI.

Poenae infliguntur, ut admoneant nos de poenitentia, sicut inquit Paulus: A Domino corripimur, ne cum mundo damnemur.

XII.

Post poenam hic rex praestat veram contritionem, fidem, confessionem et invocationem. Vox est contritionis, Gradientes in superbia ipse humiliat. Fidei, Levavi oculos meos ad coelum. Invocationis et confessionis, Laudo et glorifico regem coeli.

Sic igitur in poenis agnoscenda est ira Dei adversus peccatum, Et rursus agnoscenda misericordia, quod puniat Deus, non ut perdat, sed ut vocet ad poenitentiam etc.

XIII.

Utrumque considerent, praecipue principes, deinde et alii, videlicet poenas impendere securis, superbis, et praeditis excellentibus donis, sicut inquit Christus: Abominatio est coram Deo, quidquid est sublime apud homines.

Rursus etiam misericordiae exemplum consideretur, quod tantus idolatra, tam superbus tyrannus recipitur in gratiam, et quidem liberatur etiam a corporalibus poenis, Et consolatur pios hoc exemplum contra tentationem de magnitudine peccati, ut discant exuberare gratiam supra peccatum, ut inquit Paulus.

Breviter complexus est Propheta imaginem et officia pii principis, requirit primum pietatem, agnitionem Dei, et fidem. Deinde beneficentiam erga oppressos, hoc est, iusticiam in administratione, defensionem piorum, et Ecclesiae adversus tyrannos.

De II. loco.

Textus ostendit peccata regis fuisse, securitatem et superbiam, quae ambo sunt arcana, et multorum Sanctorum peccata, et facilius obrepunt in rebus secundis, ac praecipue excellentibus viris, qui habent admirabiles successus, ingentem gloriam, magna Dei dona. His commodis cum delectatur animus, nec sentit significationes irae Dei, paulatim extinguitur timor irae et iudicii divini, incipit animus immodice mirari et amare haec bona, et obliviscitur Dei, nec cogitat successus illos a Deo esse, sed intuetur suam sapientiam, suas virtutes, suam potentiam, harum rerum ope iudicat se tantas res gerere et efficere, et confidit similes se perpetuo gesturum esse. Confidit se munitum esse his praesidiis contra omnes fortunae casus, sicut Pompeius dicebat se supplosione pedis Italiam totam completurum esse exercitibus. Et Timotheus dux Atheniensis in concione dixit: Hoc ego feci, non fortuna. Post eam vocem scribunt ei postea nihil successisse.

Porro elatus animus illa fiducia sui, quod per sese res magnas efficiat, quae sua sapientia sit munitus adversus omnes casus, incipit alios homines contemnere, sese amat et admiratur, sibi permittit licentiam multorum scelerum. Vult

coli et magnifieri, et fit asper non colentibus. Exempla illustria conspiciuntur in Alexandro, Pompeio et Caesare. Existimant sua sapientia, sua virtute et potentia, tot victorias partas esse, et se invictos esse. Ideo contemnunt caeteros, sibi permittunt licentiam, et ruunt in varia scelera, volunt coli nequaquam familiari consuetudine.

Sic etiam Sanctis obrepit negligentia, ut Samsoni et Davidi, quia David in praesentia non sentit significationes irae Dei, minus timet iudicium, et obsequitur illecebris voluptatum.

Plerunque autem in magnis viris securitatem comitatur superbia, id est, fiducia propriae sapientiae, iusticiae, potentiae, oblivio Dei. Postea accedunt iracundia, crudelitas, et alia vicia. Cum autem Deus praecipue superbiam, id est, fiduciam propriae virtutis horribiliter puniat, exempla omnium historiarum continent tristissimos casus magnorum virorum, ut Saulis, Herculis, Thesei, Miltiadae, Themistoclis, Pompeii, Caesaris etc.

Et apud Euripidem inquit Oedipus, Ego qui excellui omnes reges sapientia, nunc quid sum, nisi evanescens umbra, vel cadaver, vel volatile somnium? Haec est magni regis vox, et summo gradu detracti in acerbissimas calamitates.

Talis fuit imago Davidis in seditione, cum ipse cogitaret, quanti sceleris poenas daret.

Talis fuit imago huius Babylonici regis, qui non solum fit furiosus, sed, ut insania sit celebratior, vagatur inter bestias. In hac calamitate non solum amisit regnum et autoritatem, sed quod multo plus est, mentem etiam. Consideremus igitur quale sit eius peccatum, ut discamus timere Deum, et non alere securitatem et superbiam, quae pariunt multa alia peccata et poenas, sicut scriptum est: Sedit populus manducare et bibere, et surrexit ludere. Item: Cum dixerint, Pax et securitas etc.

De IIII. loco.

Concio poenitentiae diligenter consideranda est. Nam ut dixi, utraque pars hic breviter proponitur, doctrina legis et promissio. Prima pars est concio legis: Remove peccata tua per iustitiam, et per beneficia erga miseros. Haec est vox legis, quae praecipit de poenitentia seu de contritione. Nec aliud est, quam quod dicit Esaias: Desinite male facere, et discite recta facere. Item: Si egeritis poenitentiam, peccata vestra remittuntur etc.

Requirit poenitentiam, nec tamen sentit opera mereri remissionem. Necessaria enim est poenitentia seu contritio, sed non est causa nec meritum remissionis peccatorum. Nec hoc dicit Daniel, sed praecipit cessationem: Aufer peccata tua per iusticiam, id est, cessa, desine peccare, et incipe iusta facere. Haec est simplex et non perplexa interpretatio. Manifestum est autem hanc esse vocem legis, et concionem de poenitentia seu contritione.

Sed omissis adversariis, de re dicamus. Quanquam non vult Daniel opera mereri remissionem, tamen huic ipsi concioni est implicita promissio de remissione peccatorum. Nisi enim esset proposita remissio, non diceret: Aufer peccata tua. Certe enim hoc vult: Emenda te, et conversus habebis remissionem. Ita saepe implicitae sunt promissiones doctrinae operum, et tamen discerni fidem ab operibus et merito necesse est, sicut Esaias capite 1. Non potest enim existere fides, si nitatur conditione nostrae dignitatis.

Sed sequens pars expresse addit promissionem: Ecce erit sanatio delictorum tuorum. Porro omnis promissio requirit fidem, et quidem promissio reconciliationis requirit fidem, quae statuat gratis condonari peccata, quia fieret incerta, et excuteretur animis, si penderet ex conditione dignitatis nostrae. Ergo nemo peritus negare potest, quin hic requiratur fides proposita promissione. Ubicunque igitur vel aperte vel tecte promissio traditur simul fidem requiri sciamus, sicut docet Paulus Rom. 4.: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio.

Adversarii insulse intelligunt has gravissimas conciones. Nec discernunt promissiones a lege, nec intelligunt usum promissionum et certamina fidei, tantum somniant haec esse puerilia praecepta de moribus. Abducamus igitur animos ab eorum deliramentis, et cogitemus hic proponi seriam et gravissimam concionem de re maxima, de remissione peccatorum, de vita aeterna.

Ac Daniel in hac concione haud dubie complexus est totam doctrinam de promissionibus. Nam haec absolutio non est humana vox, sed sententia divina, ex promissionibus sumta, in quibus norat Daniel propter venturum Christum promissam esse remissionem peccatorum, Et beneficium non tantum ad Iudaeos pertinere, sed etiam ad Gentes, hoc est, ad omnes, qui promissioni de Christo credunt. Nec fuit vulgaris sapientiae,

sic intelligere promissiones, quod etiam ad Gentes pertineant. Et simul docet nos Daniel de vocatione Gentium, de abrogatione legis, de gratuita iustificatione. Ostendit enim ceremonias Iudaicas non esse iusticiam, nec mereri remissionem peccatorum, quia has non imponit regi. Haec omnia complexus est in hoc exemplo.

De fructibus poenitentiae seu bonis operibus.

Ut autem in conversione seu poenitentia semper sequi debet nova obedientia, sicut Iohannes inquit: Facite fructus dignos poenitentia, ita hic adiicit Daniel doctrinam de bonis operibus. Ac primum vide quae opera flagitet, videlicet non opera monastica, non humanas traditiones, sed opera, quae Deus praecipit. Et nominatim concionatur de officio vocationis. Cum iubet eum praestare iusticiam, intelligenda est universalis obedientia, scilicet agnitio Dei, timor, fides, dilectio Dei, iusticia in regendo imperio, continentia et caeterae virtutes, quas Deus postulat.

Nominatim vero additur particula de praecipuo opere vocationis: singuli enim praecipue debent opera suae vocationis praestare, sicut Paulus 1. Thessal. 4. iubet singulos in hoc studio excellere, ut suum officium faciant. Item: Melior est obedientia quam victima. Ideo hic Daniel regi de propria functione concionatur, iubet eum praestare beneficentiam erga oppressos, hic complectitur generaliter iudicia, poenas, bella, et omnem defensionem innocentum.

Sed praecipue admonet eum de defensione verae Ecclesiae, quae tunc in exilio ab impiis crudeliter tractabatur. Hortatur ergo Daniel regem, ne sinat Ecclesiam Dei deleri, sed ut eam conservet, ornet, et adiuvet suis beneficiis, hoc est praecipuum munus regum et principum, sicut inquit Esaias: Reges erunt nutritores tui etc.

Meminerimus ergo hanc concionem, ut eam principibus etiam hoc tempore proponamus, quo exercetur iniustissima crudelitas contra veram Ecclesiam. Quanquam enim non omnes tyranni flecti ad pietatem possunt, tamen pii principes confirmantur his dictis Prophetarum, et aliqui hostes revocantur in viam, sicut hic Nabogdonosor, qui etsi fuerat hostis, tamen convertitur ad agnitionem Dei, et defendit pios. De his officiis praecipue concionatur Daniel, Et hanc regiam concionem sciamus ad omnia tempora et omnes principes pertinere.

Sciamus et illud, Haec opera a Deo mandata, veros fructus poenitentiae esse, seu novam obedientiam, in qua lucet et exercetur fides: quia enim rex iam ornat Ecclesiam, ostendit signum confessionis, quod agnoscat unum esse Deum, conditorem coeli et terrae, qui velit agnosci per verbum, quod huic uni populo Israël tradiderat, qui dederit promissiones de remissione peccatorum, exaudiat et salvet. Testatur caeteros Deos et cultus extra hoc verbum reiiciendos esse. In hac confessione multos invitavit rex ad pietatem. Exercuit et fidem in periculis, quia non dubium est, fuisse impios principes, qui ei adversati et insidiati sunt, sed ipse pertulit has difficultates, et expectavit a Deo defensionem.

De his gravissimis rebus concionatur Daniel, de poenitentia, promissione, fide, de veris fructibus poenitentiae, de proprio regum officio, de exercitiis fidei in periculis administrationis.

Sed monachi multis modis contaminaverunt hunc locum, transferunt ad satisfactiones et opera indebita, quia hic rex affligitur, disputant, non remitti peccata sine satisfactionibus. Item, quia interpres hic nominat eleemosynas, ipsi detorquent dictum ad ceremonias certas eius officii, et fingunt eas esse satisfactiones, et mereri remissionem culpae et poenae. Haec facile refutari possunt.

Primum igitur sciendum est, totum deliramentum de satisfactionibus, quas vocant opera indebita reiiciendum esse, iuxta hoc dictum: Frustra colunt me mandatis hominum. Sed post poenitentiam sequi debet nova obedientia, a Deo praecepta. Ad hanc etiam eleemosynae pertinent, quae dandae sunt pro modo facultatum. Et quanquam haec opera non merentur remissionem culpae vel poenae aeternae, tamen promissio Dei certa et credenda est, quod Deus vere ignoscat agentibus poenitentiam, credentibus et invocantibus ipsum, et velit tollere aut mitigare poenas corporales. Haec beneficia fide petenda et expectanda sunt, cum agimus poenitentiam. Ac minus esset calamitatum publicarum et privatarum, si hac fide peteremus mitigationem, et ageremus poenitentiam, iuxta illud Zachariae: Convertimini ad me, scilicet agentes poenitentiam, et credentes et invocantes me, Et convertar ad vos, scilicet dandis beneficiis.

Quod autem de poenis obiicitur: Adam, David, Osias, Manasses, Nabogdonosor, et multi quotidie puniuntur, Ergo cum peccata non sine poenis remittantur, necessaria est satisfactio. Respondeo: Neganda est consequentia, nam poenae illae nec satisfactiones, nec compensationes sunt, nec merentur remissionem culpae nec damnationis. Sed sunt singularia Dei opera, quibus vocat lapsos ad poenitentiam, aut exercet Sanctos, sicut scriptum est: Iudicium a domo Dei incipit, et quanquam Deus vult poenas illas exempla esse omnibus, quae admoneant omnes de ira et iudicio Dei, tamen multis parcit, ut Ninivitis, et in Evangelio passim remittit sine poenis.

Exempla poenarum sunt testimonia iudicii Dei, quod vere Deus aliquando omnes impios puniturus sit, sicut prima concio inquit: Si malefeceris, peccatum tuum quiescet donec revelabitur, Quasi dicat: Etsi aliquandiu differtur poena, et eris securo ac ocioso animo, tamen tandem Deus iudicabit et puniet.

Ex Exod. 23.: Ego autem in die visitationis meae visitabo peccata eorum, Quasi dicat: Etsi differo poenas, tamen non propterea existimate me oblivisci scelera, non humano consilio, sed meo, constituo poenas, do spacium poenitentiae, ideo metui volo, et vos ad poenitentiam voco.

Sic de poenis sentiendum est, non quod sint satisfactiones, sed sint testimonia iudicii Dei, et nos vocent ad poenitentiam, aut exerceant Sanctos.

Alia exempla, ubi mitigatae aut sublatae sunt poenae, sunt dulcissimae consolationes, quae testantur agentibus poenitentiam, remitti aut mitigari poenam, sicut docet Esa. cap. 1.

Caeterum exempla Sanctorum, ut Abel, Esaiae, Ieremiae, Iohannis Baptistae, et similium non sunt poenae, sed exercitia, ut ante dictum est. Quia oportet Ecclesiam subiectam esse cruci, ut agnoscat magnitudinem peccati haerentis in carne, et rursus abolita carne, incoëtur novitas spiritualis inter afflictiones.

Haec breviter de afflictionibus adieci, ut lectores admoniti repudient deliramenta de satisfactionibus, et sciant nec poenas divinitus irrogatas, nec nostra opera satisfactiones esse.

Sed hic obiiciunt, Textus inquit: Redime. Ergo significat opera esse precium seu meritum. Respondeo breviter: Vocabulum significat cessationem, non compensationem, Quasi dicat: Cessa a peccatis, et recte facito, seu liberate a peccatis, quod idem est, Cessa a peccatis etc. Sed non ero prolixus in hac grammatica cavillatione tractanda. Opponantur alia illustria testimonia, quae loquuntur de gratuita remissione, et de fide in Christum, et de sacrificio Christi.

Origenes transformavit hanc historiam in allegoriam prorsus intempestivam de diabolo. Scripsit significari per regem Babylonicum, diabolum eiectum per superbiam etc. Et aiunt addidisse errorem de liberatione diaboli. Sed haec portentosa deliria improbanda sunt, et fugiendae absurdae allegoriae.

Nos historiam retineamus, et meminerimus illustre exemplum poenitentiae propositum esse, in quo admonemur de securitate, de poenis, de gratuita remissione peccatorum, de vocatione Gentium, de promissione, de vera fide, de fructibus poenitentiae, de principum officiis etc.

Verae fidei vox est, qua hic cognoscit non solum potentiam Dei, sed etiam voluntatem, scilicet, quod puniat superbos, et remittat peccata agentibus poenitentiam, exaudiat et salvet invocantes. Haec agnitio est vera fides, quam hic profitetur, cum ait: Gradientes in superbia humiliat. Ergo agnoscit Deum non ociosum, sed vere punientem.

Addit etiam: Omnes viae eius iudicia, id est, praedicat Deum esse iustum, punientem eos, qui ipsum contemnunt, et recipientem in gratiam agentes poenitentiam, sicut ei Propheta dixerat. Nam ad Prophetae concionem respiciendum est, Agnoscit rex se a Deo punitum esse, et nunc poena liberatum. Agit igitur gratias pro liberatione, et recordatur promissionis, credit remissionem peccatorum etc.

Caput V.

Supra proposuit regem agentem poenitentiam, et propagantem veros cultus, quem Deus etiam ornavit praemiis. Nunc addit contrarium exemplum regis impii, restituentis idolatriam, non agentis poenitentiam, quem Deus punit et regno exuit.

Primum autem historia consideranda est, Nabogdonosor regnavit annos 45. Patris pietatem imitatus est filius Evilmerodach, qui Ieconiae regi Iuda tribuit regium honorem, et magnis beneficiis affecit populum Dei, regnavit autem Evilmerodach annos 23.

Huic successit Balthasar dissimilis maiorum, et relapsus ad idolatriam, Qui ut testaretur se hostem esse verae doctrinae, et confirmaret idolatras, profanabat Iudaica pocula, et manifesto contemtu insultabat Deo. Sicut Rapsaces et Senacherib 4. Reg. 18. et 19. Et sicut Iudaei Christum deridebant: Si Filius Dei est, descendat de cruce. Has blasphemias cito sequuntur poenae, iuxta secundum praeceptum, Non habebit Deus insontem etc.

I.

Haec historia primum admonet nos de horribili potentia diaboli, qui omnibus seculis abutitur summis principibus ad confirmandam idolatriam, et lacerandam Ecclesiam, Quare pauci principes retinent veros cultus Dei, et contra hoc scandalum necesse est praemunitos esse animos piorum, Et prodest piis intelligere principum peccata, qui ideo corrumpunt veram doctrinam, ut attemperent religiones suis utilitatibus, quod est vere et simpliciter illudere Christo, Et huius rei habet haec aetas multa exempla.

II.

Secundo, Haec historia hortatur principes ad pietatem, et admonet de poenis impiorum.

III.

Tertio, testatur mutationes regnorum fieri divinitus, propter varia peccata principum. Hic punit Deus idolatriam et blasphemiam, sicut in Manasse et regibus Israël, in Davide punivit adulterium et consilium caedis.

Sed plerumque fit, ut concurrant peccata populi et principum, sicut Oseae 4. dicitur: Qualis sacerdos, talis populus. Nec dubium est plerasque calamitates mundi nunc accidere, propter multiplicem idolatriam, in missis, invocatione Sanctorum, et aliis erroribus ac impiis cultibus. Hinc sunt Turcici successus, bella intestina, et aliae dissipationes.

IIII.

De rebus sacris.

Quarto, Hic de sacris rebus quaeritur: An non liceat eas transferre ad profanos usus? Respondeo, Consecratas sine verbo Dei non esse discernendas a prophanis, quod ad consecrationem attinet, quia nulla est consecratio sine verbo Dei, imo impietas est fingere consecrationem sine verbo Dei, sicut in Act. 11. clare dicitur: Quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris etc.

Quare pii rebus illis uti possunt, quae fuerunt dedicatae templis nostris, si alioqui teneant eas, sine furto aut aliorum iniuria, imo peccant, qui non utuntur propter superstitionem, quasi sint res sacrae, quibus velit Deus peculiarem reverentiam tribui, quia sine verbo Dei non debet ille honos tribui ullis rebus. Praeterea recte faciunt qui idolis consecrata prophanant, sicut Rachel patri simulcra aurea rapuit.

Aliud est de consecratis verbo Dei, sicut in lege Mosaica erant certae res consecratae, a quibus populus debebat abstinere propter verbum Dei, quod ad illa tempora et illas res pertinebat. Et tamen ibi quoque licuit piis in necessitate uti illis rebus, ut ostendit exemplum Davidis comedentis panes propositionis etc.

Sed Balthasar hic prophanat res divinitus consecratas, et addit blasphemias, ideo enim prophanat, ut ostendat se esse hostem Dei, sicut textus clare dicit: Laudabant Deos aureos, ligneos etc. Sicut enim Iulianus restituere conatus est idolatriam: ita hic Balthasar adiunxerat sibi hostes verae doctrinae, et faciebat spem restituendae idolatriae. Quare prudenter discernenda sunt facta Rachel et Balthasaris, ut similia iudicari possint.

Non peccat qui res templorum ad usus prophanos transfert, scilicet, si id sine furto et aliorum iniuria fiat. Ut enim furtum est, si privatus, res fisci civitatis auferat, sine legitimo contractu, ita furtum est, si privatus aliquid auferat ex rebus ecclesiasticis, sine iusto contractu. Possunt autem res ecclesiasticae, per contractus transferri ab iis qui legitime administrant eas, ex probabili causa, sicut aliae res fisci.

Porro superior Dominus, ut defensor est aliorum publicorum bonorum, sic est defensor ecclesiasticorum bonorum, Et ut principis interest, si civitas bona fisci male administrat, curare ut diligentius et utilius collocentur: ita de facultatibus ecclesiasticis interest principum curare, ut inde alantur idonei doctores et scholastici, Et si fruuntur eis hostes Evangelii aut ociosi, debent curare ut his remotis homines idonei substituantur. Sicut in C. praecipitur, et scriptura inquit: Qui non laborat, non manducet.

Quare singuli principes in suis ditionibus debebant ociosos et hostes Evangelii, Episcopos,

Canonicos et Monachos eiicere ex possessionibus facultatum ecclesiasticarum, et curare ut idonei ministri cum coniugibus et liberis honeste alerentur. Item ut pauperes scholastici ex ecclesiasticis facultatibus sustentarentur, ad conservanda studia Ecclesiae necessaria, sicut inquit Paulus: Nemo militat suis stipendiis, Quare victus non solum docentibus, sed etiam discentibus debetur. Et iniustissimum est suppeditare luxui canonicorum, et interea negligere non solum Pastores, sed etiam ipsa studia, quae sine publicis auxiliis conservari non possunt.

Nec habent potestatem superiores Domini transferendi ad se illa bona ecclesiastica defraudatis Ecclesiis, hoc est, quantum opus est Ecclesiis, impertire debent. Id debebant facere etiam si de proprio esset largiendum, quanto magis ante partae res Ecclesiis conservandae sunt.

Sed si superest, aut sunt bona quae Ecclesia non potest administrare, quia Episcopis non congruunt politica imperia, haec superior Dominus recte ad se transfert, ut superiores Domini debebant imperia, ditiones, exercitus Episcoporum ad se transferre, sed interea curare, ut ex bonis prospiceretur Ecclesiis.

V.

Quinto, In mutatione regni Deus non obliviscitur Ecclesiae suae, sicut Christus nos consolatur, Matth. 24.: Cum audietis rumores bellorum, ne turbemini. Prudenter enim discernenda sunt regna mundi a regno aeterno, quod est Ecclesia. Et quanquam bella concutiunt Ecclesias in mutationibus regnorum, tamen pii debent intueri hanc consolationem, quod Ecclesia sit aeternum regnum, non debent desperatione desciscere ad impios, sicut fit nunc in Graecia. Contra hanc infirmitatem consolari pios Christus voluit: Cum audietis rumores bellorum, ne turbemini.

Itaque hic in regni mutatione Deus rursus evehit Danielem, et attribuit ei maiorem autoritatem, quam antea habuit, ut novi reges etiam convertantur ad agnitionem Dei, ut servetur Ecclesia, et extent publica miracula, quae testentur hunc populum habere verbum Dei et veros cultus.

Non tantum huic regi denunciant exitium verba scripta in pariete, sed exemplum in genere significat modum mutationum omnibus temporibus.

Prima vox Mane, id est, numeravit, significat Deum constituere metas tyrannis, ultra quas progredi non possunt, Consolatur itaque omnes pios omnibus temporibus, ut sciant saevitiam nec perpetuam nec diuturnam esse, sicut Psalmus inquit: Fiant dies eius pauci etc. Quare prima vox admonet principes de iudicio Dei, quod metas eis constituerit, Consolatur pios quod non sit duratura saevitia, sicut omnium temporum historiae testantur.

Reliquae duae voces loquuntur de poenis. Est autem regum et gubernatorum prima poena, autoritatis amissio, sicut dicitur Psal. 107.: Effusus est contemtus super principes, et errare fecit eos in invio, et non in via, et adiuvit pauperem ex afflictione, et pavit familias ut oves. Cum enim imperia stent divinitus, Deus addit gubernatoribus autoritatem, ut 1. Regum 10.: Et abiit cum eo pars exercitus, quorum Deus tetigerat corda. Et alio Psalmo: Qui dat salutem regibus. Et exempla omnium aetatum testantur, heroicos viros autoritate valuisse, et non humanis modis aut viribus retinuisse voluntates. Ideo quandocunque impendet mutatio, autoritas mutatur. Aliter iudicat consensus bonorum, alio inclinant animi, quam ante, ut nunc de statu pontificio apparet.

Altera poena est ultima, videlicet regni amissio, Ut Sauli succedit David, et hic Chaldaeis et Assyriis succedunt Medi et Persae. Atque ita finis est primae monarchiae et aurei regni.

Desinant igitur nunc quoque tyranni opibus et potentia sua confidere, et cogitent se facili casu posse amittere sua imperia: Ut illud florentissimum regnum occupaverunt Persae, qui admodum exiguas vires initio habuerunt. Agnoscebant igitur divinitus se potitos esse Babylone, nam et Xenophon scribit, Captam esse urbem tali tempore, cum celebrarentur dies festi, et agitarentur convivia magna securitate, Alludens haud dubie ad hoc convivium a Daniele descriptum.

Scribit etiam apud Cyrum fuisse duos principes ex regno Balthasaris, Gobriam et Gadatam, qui primi ingressi sunt urbem atque arcem, et regem trucidaverunt, nam Gobriae filium in venatione rex Balthasar iniuste per invidiam occiderat. Ex horum et similium sermonibus haud dubie Daniel cepit innotescere duobus regibus, Dario et Cyro. Etsi autem hunc Darium Medum ante Cyrum Graeci non nominant, tamen videtur ille

ipse esse, qui a Xenophonte appellatur Cyaxares Medus, cui successit Cyrus.

Caput VI.

I.

Primum exemplum monet, quod victorias sequi debeat constitutio reipub. et praecipue verae religionis restitutio, Sicut hic Provinciae ordinantur, leguntur praesides, et praeficitur Daniel doctor verae religionis. Itaque vicissim ornat Deus Persas ingenti gloria, iuxta illud: Glorificantes me glorificabo.

II.

Secundum exemplum ostendit, non deesse Ecclesiae persecutionem, et artificiose irretiri principum animos. Erant duo reges, Darius senior et Cyrus iunior, et non natus patre rege, sed gloria superior. Haec dissimilitudo facilime parit suspiciones et simultates, sicut et Xenophon scribit, Cyaxaren offensum gloria Cyri, etiam lacrymantem cum eo expostulasse et questum esse, se contemni, tametsi placatur mirifica diligentia et fide Cyri. Facile igitur fuit astutis et aulicis ingeniis invenire technam ad impellendum regem, qui nolebant crescere Cyrum. Ideo patitur fieri edictum, ut a se omnia beneficia petantur.

Tales habet diabolus ministros, qui captatis occasionibus regum animos astute a veritate avertunt, ubi summa officii et virtutis specie insidiae struuntur. Ita hic dum bonus senex suo honori adversus collegam consuli arbitratur, non videt quantum admittat sceleris, quod in edicto etiam Dei invocatio prohibetur.

Monet igitur hoc exemplum, ut cauti sint principes in observandis talibus insidiis, ac praesertim in legibus et edictis condendis.

III.

Tertio, proponitur exemplum infirmae fidei. Diligenter autem discernendum est inter infirmos et persecutores. Infirmus est, qui amat et amplectitur doctrinam et propagare cupit, patitur se doceri, ac studet proficere. Cupit etiam salvos esse doctores, et confitetur aliquo modo, etiamsi non satis libere nec satis fortiter propugnat: neque tamen negat aut oppugnet doctrinam. Talem iubet Paulus recipi, et addit: Deus eum recepit, et potest eum confirmare. Tales erant Apostoli tempore mortis Christi.

Et quidem ita gubernat Deus Sanctos, ut suam infirmitatem et habeant et agnoscant, ex qua tandem eluctantur. Ideo dicit Esaias: Linum fumigans non extinguit. Et Psal. 144.: Allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos.

Sic et hoc loco infirmius est Darius, amplectitur doctrinam, cupit defendere confitentem, adiuvat etiam eum suo testimonio et sua confessione. Haec sunt signa piae mentis, nec dubitat de causa, sed de facultate sua dubitat. Arbitratur se unum, praesertim in hac regni novitate, non posse obtinere quod volebat, nec licere soli sententiam omnium principum improbare. Et isti non leviter pugnaverunt, toto die contendunt, urgent legis autoritatem, dicunt exemplum fore perniciosum, et contra regnum, si retractentur edicta. Tandem igitur victus rex dubitans vel de autoritate sua, vel de facultate, permittit ut vincant accusatores.

Quanquam igitur peccavit Darius, tamen infirmitate lapsus est, et contra furorem accusatorum sustentat se quadam scintilla fidei, quae ostendit, non ipsum, sed principes esse supplicii autores, etiamsi ipse non satis fortiter eos represserat. Ostendit igitur suam confessionem, Deus tuus, inquiens, liberabit te. Tales infirmos Deus sublevat, ut hic apparet. Sequitur enim statim acerbissima poenitentia regis, ac deinde tantum fidei robur, tanta magnitudo animi, ut puniat etiam accusatores.

Econtra vero persecutores sunt, qui non amant nec amplectuntur doctrinam, nec doceri se patiuntur, nec proficere student, nec tuentur doctores, nec propagare cupiunt ea quae intelligunt, sed mallent quoque sepelire et obruere, ac significant odium. Haec qui faciunt cognita doctrina, timeant iudicium Dei de blasphemis. Estque de eis servanda regula Pauli: Haereticum hominem post unam atque alteram monitionem vitabis, quia est suo ipsius testimonio condemnatus.

Iam nos exemplo Darii agnoscamus nostram infirmitatem et proficere studeamus, ac rogemus, sicut ille Marci 9.: Credo Domine, sed adiuva incredulitatem meam.

Et memineris hoc loco duplicem consolationem regi exhibitam esse, videlicet, Non solum Daniel liberatus est a suo periculo, sed etiam rex liberatus est a contagio parricidii, et consecutus remissionem peccatorum. Haec consolatio quae

ad ipsius conscientiam proprie pertinuit, non minus miraculum fuit quam alterum.

IIII.

Quarto exemplum de iniustis legibus retractandis, hoc tempore maxime observandum est.

V.

Quinto Danielis confessio hortatur nos ut adversemur impiis edictis, quia publice oravit apertis fenestris, Hortatur item ad precandum, et quidem significat modum, quod spectans ad Hierusalem, dixerit suas preces, id est, fretus promissione data verae Ecclesiae. Quia 3. Reg. 8. iubentur exules orantes se vertere versus Hierosolymam, sic se vertit Daniel versus occasum meridianum, hoc est, cogitans de mandato et promissione, quod Deus velit servare hunc populum, et exaudire propter promissum Dominum. Prorsus sicut Evangelium docet nos orando intueri promissionem, et petere ac expectare auxilium propter Christum. Sic illi templum intuentes, de promissione et de venturo Domino cogitabant.

VI.

Sexto, Periculum Danielis pingit robur et violentiam hostium Christi. Sicut Daniel imbecillis obiicitur leonibus: sic tota Ecclesia habet hostes validissimos, diabolum, reges, potentes, superbos, praestantes autoritate et opibus in mundo.

VII.

Septimo, Liberatio Danielis est testimonium quod Deus adsit Sanctis, et servet eos suo iudicio, alias corpore, alias spiritu.

Est autem hic duplex liberatio, Daniel liberatur a morte, rex liberatur a peccato et a morte aeterna, Discit hic remissionem peccatorum et confirmatur in fide. Eam liberationem et Daniel praecipue optavit, ut Deus glorificaretur, et rex revocaretur in viam, et intelligit rex ipse multo hanc esse maiorem, quam erat incolumitas Danielis. Ideo ardentissimo pectore agit gratias Deo, ac edit testimonia confessionis.

VIII.

Octavo, Tres sunt insignes sententiae in textu, de fide et operibus. Praecipua est de fide, cum inquit: Credidit Deo suo.

Quanquam autem brevis est sententia, tamen admonet lectorem de tota doctrina fidei, quod Deus requirat fidem et quod fides impetret ingentia dona. Credidit, videlicet initio proposito impio edicto, non abiecit fidem et professionem, sed constanter confessus, se Deum Israël invocare, et hac fide petivit et expectavit a Deo auxilium, pro rege et pro se, videlicet ne deleretur in regno vera doctrina.

Significat igitur fides hic, ut alibi, fiduciam quae audet constanter confiteri, et statuit Deum nos per misericordiam recipere, et velle salvare, et expectat auxilium pro Ecclesia, pro nobis, pro iis, qui sunt convertendi. Hanc fidem requirit Deus, et haec impetrat beneficia, iuxta illud Esaiae: Qui confidit in Dominum, non pudefiet. Item Matth. 21.: Quicquid petieritis credentes accipietis. Ut igitur fide impetrarunt auxilium, Moises ad mare rubrum, Esaias in obsidione urbis et alii Sancti in veris periculis, ita hic Daniel fide impetrat liberationem.

Haec exempla nos quoque in confessione et omnibus periculis exuscitent, et ad fidem ac invocationem adhortentur, suntque opponenda haec testimonia adversariis, qui de operibus multum vociferantur et reiiciunt doctrinam de fide.

Reliquae duae sententiae loquuntur de iusticia operum, quae et coram Deo in credentibus esse debet, et coram hominibus. Diserte inquit Daniel: Inventa est mihi iusticia coram Deo. Deinde addit etiam: Coram te rex nihil mali feci.

Observabis igitur haec tria proponi, fidem, item incoatam obedientiam, quae etiamsi est immunda, tamen placet Deo in credentibus, qui fide iusti sunt: oportet enim adesse in nobis iusticiam bonae conscientiae, ut inquit Paulus 2. Corinth. 1.: Haec est gloriatio nostra testimonium conscientiae nostrae.

Ita hic Daniel ait: Inventa est mihi iusticia coram Deo. Quod ut recte intelligatur, adiunge alteram sententiam de fide, Credidit Deo suo. Nequaquam enim vult Daniel se esse iustum propter propriam dignitatem aut suas virtutes, sed per misericordiam fide. Et tamen scit requiri et placere Deo iusticiam bonae conscientiae in credentibus.

Tertio additur iusticia erga homines, nam et coram hominibus conspici innocentiam oportet exempli causa, iuxta illud: Luceat lux vestra etc.

Et diligenter observandum est. Quod quanquam fecit contra edictum, tamen affirmat se nihil

mali fecisse. Hanc vocem Danielis ad nos hoc tempore transferamus. Quanquam enim contra edicta imperatoris facimus, tamen sciamus nos nihil mali contra eum facere, nec esse seditiosos nec laedere maiestatem superiorum. Talia enim edicta violari necesse est, quae quidem ipsi pro inanibus habere debent. Ita nihil mali contra imperatorem faciebat Nicomedensis patricius, qui edictum publice propositum concerpsit. Opponamus igitur vocem Danielis, his qui accusant nos contumaciae, et vituperant tanquam seditiosos. Ad haec reclamemus, Nos nihil mali contra imperatorem facere.

IX.

Nono, Poena calumniatorum admonet hostes Evangelii de iudicio Dei, et adhortatur eos ad poenitentiam.

X.

Decimo, Ut supra exemplum Nabogdonosor de officio principum docet, quod debeant abolere impios cultus etc., sic Darii exemplum hoc loco idem docet, qui etiam edictum proponit de colendo Deo Danielis.

XI.

Undecimo, Observanda est in edicto regis evangelica concio, ait, Hunc Deum Danielis esse Liberatorem et Salvatorem. Nominat Deum Danielis, id est, qui agnoscitur et colitur fide verbi, quod praedicat Daniel, quia verbum divinitus traditum discernit Ecclesiam a Gentibus. Deus enim non vult agnosci aut coli sine aliquo suo verbo et testimonio. Ideo dicitur: Deus Abraham, id est, qui dedit hoc verbum, has promissiones Abrahae etc. Sic dicitur Deus Israël, qui eduxi te de terra Aegypti. Sic nos invocamus Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi. Testatur igitur rex illum Deum esse verum Deum, cuius verbum praedicat Daniel.

Deinde addit alterum discrimen, Hunc Deum esse liberatorem et salvatorem, nam et hoc discrimen est verae religionis a caeteris omnibus.

Ubi tantum est legis noticia, manet dubitatio, et afflicti non possunt statuere, Deum vere velle misereri, exaudire, iuvare, sed Evangelium clamitat, quod Deus gratis nos recipiat credentes, item, quod vere velit exaudire et salvare, quod hanc fidem requirat, quod hoc cultu praecipue coli velit. Opponenda est igitur vox Evangelii et promissio naturali dubitationi et ethnicis opinionibus, et excitanda fides, ne arguamus Deum mendacii. Quare haec concio in edicto, quae praedicat Deum esse liberatorem et salvatorem, vere evangelica est, sicut illa in Psal. 147.: Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum. Haec fides in quotidiana invocatione exercenda est.

Caput VII.

Hic Daniel incoat proprias visiones de successione imperiorum, et de adventu Christi, ac certamine Ecclesiae, quod postremis temporibus futurum erat. Ideo enim haec visio exhibita est, ut significaretur tempus adventus Christi, ne propter moram et propter afflictiones pii desperarent de promissis.

Porro iterum in his vaticiniis admoneo, quod supra dictum est, multipliciter erudiri et confirmari Ecclesiam. Primum testantur Deum esse autorem imperiorum, item defendi et servari Ecclesiam inter haec imperia.

Secundo, cum praedictiones de omnibus imperiis evenerint, constat haud dubie divinas esse. Quare fatendum est istos Prophetas vere habuisse verbum Dei, et hanc doctrinam quam nobis tradiderunt vere divinam esse.

Tertio, monent etiam nos de futuris periculis, ut observemus, qualis sit Antichristus, ne incauti assentiamur belligerantibus cum vera Ecclesia, nec propter scandala deficiamus a fide.

Enarratio.

Ut autem supra quatuor monarchias constituit, ita haec visio easdem monarchias ostendit alia specie.

Leo significat Chaldaeos et Assyrios. Duae alae significant duas praecipuas gentes, quae per vices regnaverunt Chaldaeos et Assyrios. Elevatur supra terram, et mutatur in figuram hominis, id est, regnum valde fit gloriosum, et deponit immanitatem, quia vocatur ad agnitionem Dei.

Ursus significat Persas. Tres longi dentes in ore significant tres praecipuos reges, Cyrum, Darium, Artaxerxen.

Pardus significat Alexandrum Macedonem. Quatuor alae et quatuor capita successores sunt: nam post ingentia certamina quatuor duces post Alexandrum, obtinuerunt regna maxima, Seleucus Syriam et ulteriora, Ptolemaeus Aegyptum,

Antigonus Asiam minorem, Antipater Macedoniam.

Natura Pardi vel Pantherae convenit Graecis ingeniis, sunt maculosae, fragrantes, terribili capite, venantur bestias odore, et occultato capite, animosissime dimicant pro natis et sobole, nulla tela formidantes, capiuntur vino inebriatae.

Quarta bestia significat Romanum imperium, quod significat omnium fore truculentissimum: vel quia foris difficilima bella gessit, vel quia habuit plurima civilia bella, vel quia maxime saeviit in Ecclesiam, vel quia delevit gentem Iudaicam.

Sed praecipue observanda est haec particula, quod inquit: Residuum pedibus conculcabat. Haec pictura significat postremam imperii partem habituram plus crudelitatis et calamitatum. Ut apparet Italiam nunc annis fere non gentis miserabiliter dilaceratam esse, primum a Gottis, Graecis, postea a Longobardis, deinde a nostris imperatoribua usque ad hoc tempus, Residuum, id est, partem imperii reliquam, Pedes, id est, postremi imperatores, maxime conculcabunt.

Sed non solum accommodanda est significatio ad civilia, verum etiam ad Ecclesiam. Reges postremi maxime conculcabunt Ecclesiam, sicut iam annis sexcentis apparet, Reges esse satellites Pontificum, et crudelitatem horribilem in Ecclesiam exercere ad defensionem idolatriae.

Decem cornua significant maximas provincias imperii, Nec de numero anxie disputandum est, septenarius et denarius usitate in scripturis significant magnum numerum, ut in Hiob: En decies me confunditis. Item in Evangelio Matth. 25.: Simile est regnum coelorum decem virginibus. Intelligit igitur multa ampla regna, ac plura quam superiores monarchiae habuerunt.

Sed tamen si quis volet numerare, non inepte quadrat enumeratio maximarum provinciarum, ut Italia, Hispania, Gallia, Germania, Illyricum, Graecia, Africa, Aegyptus, Asia, Syria. Hae fuerunt amplissimae imperii provinciae, ac singulis vicinae partes addendae sunt, ut Illyrico Pannonia, Graeciae Macedonia.

Exoritur autem in fronte ingens cornu tribus aliis cornibus evulsis: Id cornu ait potentius fore caeteris vicinis, mutaturum religionem Christi, et habiturum ingentes successus, bellaturum cum Sanctis.

Haec necesse est intelligi de regno aliquo exorto in dissipatione Romanae monarchiae, quod est potentius caeteris regnis, et profitetur religionem ac doctrinam pugnantem cum Evangelio, interfecit Sanctos, et habet ingentes successus.

Cum autem constet multo ante praeteriisse tempus, quo Romana monarchia collapsa est, historiam mundi consideremus, et ex ipso eventu sumamus interpretationem. Praesertim cum haec ipsa vaticinia maxime tradita sint, ut moneant et confirment pios, quorum aetas incidit in ea pericula, quae minitatur Ecclesiae nova illa dominatio, oriens post collapsam Romanam monarchiam.

Quod est autem regnum statim natum collabente Romana mornarchia, proponens dogma, quod aperte contumeliosum est in Filium Dei, et aperte abolet scripturam propheticam et apostolicam, et cogit armis alias Gentes ad amplectendam novam, commentitiam et impiam doctrinam, et potentia omnibus regnis antecellit? Res loquitur ipsa id esse regnum Mahometicum, hoc est, Saracenicum et Turcicum, nam Turcicum ortum est ex Saracenico, seu pars est.

Nec admisceo huic loco pontificiam dominationem, nam haec alio loco describitur, ut postea indicabo. Fit hic mentio regni armis constituti, at dominatio pontificia praestigiis ceremoniarum et hypocrisi crevit, et magis alienis armis regum quam suis munita est. Sequitur autem alius locus infra, quem cum Paulus ad pontificiam dominationem transferat, sequar et ego Apostoli interpretationem ut decet.

Nunc de vaticinio huius loci dicam breviter. Conveniunt ad Saracenicum regnum. Tempus, Doctrina, Potentia et Locus.

De tempore notae sunt historiae: Iam Galliam Franci tenebant, Italiam Longobardi cum in oriente Mahometus Heraclii tempore seditionem movet circiter annum a natali Christi 623. Collabente igitur monarchia Romana Saracenicum regnum constitutum est, et quidem brevi magnae factae sunt accessiones.

Doctrina describitur in textu cum ait, Cornu habere oculos hominis, et os loquens grandia, et contumeliosa in Deum.

Constat Mahometum, horribili audacia abolere omnia Prophetarum et Apostolorum scripta. Est autem verissimum et praecipuum signum Ec-

clesiae, professio propheticae et apostolicae doctrinae. Quare satis perspicue constat, id regnum Deo bellum inferre, quod abolet scripta Prophetarum et Apostolorum, deinde et articulos praecipuos Evangelii penitus delet. Finxit Christum esse doctorem similem Mosi aut aliis Prophetis, nec agnoscit esse Salvatorem et victimam pro peccatis hominum. Abiicit prorsus ea quae de Filio Dei in Evangelio dicuntur, ignorat prorsus doctrinam de fide et vera invocatione, denique propriam Evangelii doctrinam delet. Tantum particulam retinet civilium praeceptorum, quanquam haec quoque corrumpit. Concedit flagitiosas libidines, iubet armis cogi Gentes ad amplectendam impiam doctrinam, et interfici adversantes. Hoc vere est impium et infinitum latrocinium praecipere.

De potentia etiam notae sunt historiae. Tota Africa, magna pars Asiae, magna Europae, tenetur ab iis qui Mahometi sententiam defendunt. Et nunc Turci omnium latissime dominantur, quorum imperium hic non distinguitur a Saracenico.

Sed Ezechiel et Apocalypsis nominatim de hac barbarie concionantur, quam scribit Ezechiel venturam ab Aquilone postrema mundi aetate, et tribuit eis appellationes Gog et Magog, quod Scythico more tecta circumferat, nec habeant certas sedes. Constat autem Turcos a Caucasi rupibus progressos, postea in Asia vagatos esse ac paulatim Galatiam et Ponti oram occupasse. Hanc barbariem vaticinantur Ezechiel et Apocalypsis postremo imperaturam esse, et quidem late vastaturam esse Ecclesias Dei, et tandem in montibus Israël perituram esse, ut postea dicam.

De loco observandum est, quod nominatim inquit Daniel, Evulsa esse priora vel anteriora cornua. Significat defecturas fuisse provincias Romanas in Oriente sitas. Et nominantur tria cornua. Primum enim statim coniunxerunt Saraceni has tres regiones, Aegyptum, Syriam et Ciliciae oram. Quod vero postea plures provinciae domitae sunt, id non pugnat cum textu, qui hoc loco initium regni describit.

Postquam exposui, quod regnum describatur, iam causas consideremus, cur Deus haec patefecerit? Humanae mentes sunt avidae cognitionis futurorum quadam perversa curiositate. Sed Deus maximas res initio patefecit, Adventum filii sui, futurum iudicium, resuscitationem mortuorum, aeternas poenas impiorum, aeternam gloriam piorum, regnorum praecipuorum successionem seu ordinem ante ultimum iudicium. Has tantas res cum non frustra monstrarit Deus, voluntas eius diligenter consideranda est, ac tunc quidem Danielem et caeteros hac doctrina erudiit de vita aeterna et venturo iudicio.

Nos magis etiam confirmare eadem doctrina debet, videmus enim respondisse eventus, Extiterunt ordine quatuor monarchiae, Nunc dominatur gens inimica Deo, quae palam delet scripta prophetica et apostolica. Non dubitemus igitur eventura et caetera quae visio ostendit, videlicet de iudicio, de poenis impiorum, de glória piorum. Sciamus certo hanc doctrinam, quam Daniel professus est, divinam esse, nec ab ea avelli nos sinamus.

Continet autem hic locus doctrinam, comminationem et consolationem.

Doctrina ad hanc ultimam aetatem maxime pertinet, valde moventur homines fortuna in utramque partem. Cum autem fuerint ingentes successus, et admirandae victoriae regni Turcici, Ecclesiae vero tam late vastatae sint, sequuntur homines fortunam, multi ad Turcos deficiunt, et amplectuntur impiam doctrinam. Alii expetunt societatem et συμμαχίαν cum Turcis, et quanquam non amplectuntur eorum doctrinam tamen regnum impium adiuvant.

Praemonet igitur nos Deus, ne capti admiratione potentiae, aut fracti nostris aerumnis, deficiamus ab Evangelio. Manifestae notae sunt impii regni quae hic describuntur, quod doctrina est contumeliosa in Deum, et Sanctos trucidat. Sed evidens signum sit, quod scimus a Mahometo prorsus aboleri scripta prophetica et apostolica. Ad has notas addidit Deus hoc testimonium quod sit damnaturus et in supplicia aeterna abiecturus hanc bestiam, id est, totum regnum impium.

Comminatio est in textu, quam modo recensui, quae regno Mahometico exitium denunciat.

Sed alia etiam comminatio hic observanda est, quae de calamitatibus Ecclesiae concionatur. Praedicit regnum Mahometicum bella moturum esse adversus Sanctos, et futuras vastationes Ecclesiarum, et caedes Sanctorum. Haec est tristis concio et aliena a iudiciis humanis. Cur imperium et victorias tribuit Deus genti impiae, pa-

lam contumeliosae in Christum, palam delenti doctrinam propheticam et apostolicam? Cur nos qui invocamus Deum et mediatorem Filium Dei, qui retinemus doctrinam propheticam et apostolicam, sinit aut deleri aut opprimit.

Nec de exigua aut brevi calamitate concionari Danielem eventus ostendit. In tota Africa et magna parte Asiae deletum est nomen Christi. In Europa, etsi in imperio Turcico adhuc passim reliquiae sunt Ecclesiae, tamen adeo crudeli et barbarica servitute premuntur, ut studia literarum coli non possint, et sint Ecclesiae sine doctoribus, et multi paulatim nomen Christianum abiiciant. Ipse etiam tyrannus a parentibus abstrahit certum numerum liberorum, quos ad militiam et suos ritus instituit. Haec tristiora sunt Aegyptiaca servitute, et tamen quidam amentes expetunt hoc imperium.

Quae sunt autem causae tantarum calamitatum Ecclesiae? Si hic humana iudicia consulantur, Nonne dubitabunt, an vere hunc oppressum coetum diligat Deus? An sanguine filii redemerit?

Sed hic intuenda est Ecclesiae species inde usque ab initio. Cum primi parentes vidissent testimonium de coelo exhibitum in sacrificio Abel, quo in spem adducebantur propagandae Ecclesiae ad posteritatem, mox Abel interficitur, et reliquus est unus Cain impius, huius etiam posteritas impia civitatem condit, et dominatur vivis adhuc primis parentibus, qui contemnebantur.

Post diluvium condita Babylone rursus Gentes palam contemta doctrina Nohae et Sem, deficiunt a Deo, et exiguus coetus piorum reliquus manet, qui miser vagatur incertis sedibus, videlicet familia Abrahae.

Deinde in Aegypto quam atrox saevitia in posteritatem exercetur.

Cum vero occupassent Palaestinam, quantae clades, regni mutationes, et dissipationes secutae sunt, et quantula mundi pars erant Israëlitae, cum interim Gentes ignarae Dei summa imperia tenuerint.

Talis cum plerumque fuerit Ecclesiae species, agnoscamus iram Dei adversus mundum, et non deficiamus a Deo, etiamsi hoc postremo tempore videmus Ecclesiam duriter quassari. Illam autem hypothesin teneamus infixam animis. Mirabili Dei consilio et voluntate, Ecclesiam subiectam esse cruci. Causae etiam indicantur in doctrina Prophetarum et Apostolorum, quas omnes nunc non recenseo.

Tantum hoc de postrema senecta mundi consideremus, quod praedicunt Prophetae et Apostoli mundum poenas daturum esse, quod post sparsum Evangelium tyranni saeviant in membra Christi, deinde et ab illis ipsis qui gubernant Ecclesiam, polluta sit Ecclesia, idolis, falsis dogmatibus, parricidiis Sanctorum, et libidinibus. Et ex his seminibus ortam esse Mahometicam pestem historia ostendit.

Cum Arabia et Aegyptus multis monstrosis dogmatibus dilacerarentur, opinionum confusio movit leves homines, ut novo dogmati Mahometi adplauderent, quod tollebat controversias veteres, et tantum politicas sententias et gratas humanis iudiciis proponit. Ideo dicit Daniel, Cornu habere oculos humanos. Vides igitur his ipsis exordiis punita esse dissidia, punitas factiones Samosatenam, Arianam, Manichaeam: nam his deliriis omnibus et pluribus illa ipsa loca referta erant.

Crevit postea potentia Turcica, ut puniretur mundus propter idola, cultus Sanctorum et prophanatam coenam Domini, et impurum coelibatum.

Ac vide quomodo congruant tempora. Decretum de transsubstantiatione, ut vocant, quod confirmavit horribilem εἰδωλομανίαν, factum est anno a natali Christi 1215. Innocentio tertio Pontifice. Statim secuta sunt auspicia regni Othomanici, anno a natali Christi 1250. Mox igitur post confirmationem idolomaniae regnum alibi exoriri cepit, et proferre arma versus Occidentem ad has Ecclesiae labes puniendas.

Haec in comminatione hoc loco apud Danielem consideranda sunt, et errores emendandi et mores corrigendi, ac vera doctrina, vera invocatio Dei in Ecclesia restituenda. Id si faciemus, Deus mitigabit poenas, et reprimet arma Turcica: non enim sinet funditus deleri Ecclesiam.

Consolatio est addita, quod Daniel significat non futuram quintam monarchiam, quare Turcica potentia non erit par Romanae, non opprimet totam Europam.

De tempore verba sunt obscura, usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis. Sed in genere intelligo longum tempus, et deinde subitam ac inexpectatam inclinationem, quia dicit, Dimidium temporis, quasi dicat, Cum per-

venerit ad fastigium Turcica potentia, et iam sperabit se potituram imperio totius orbis, et pollicebitur sibi dominationem sine fine, subita aliqua fiet inclinatio. Et mox illucescet laetissimus ille dies, quo Filius Dei resuscitabit mortuos, et Ecclesiae suae vitam et gloriam aeternam tribuet, ac impios omnes abiiciet in aeternos cruciatus.

Eadem de Gog et Magog apud Ezechielem et in Apocalypsi dicuntur. Ezechiel ait, Gog et Magog, factis ingentibus vastationibus, tandem in montibus Israël perituros esse.

Etsi de iudicio ultimo Christi intelligi potest, tamen arbitror significari praelia, quae piis erunt in hac ultima mundi senecta cum Turcis, qui vincuntur in montibus Israël, id est, seu in locis Ecclesiae, in qua vere sonat Evangelium, vel a populis vere invocantibus Deum in fide filii eius Iesu Christi. Non enim vincentur Turcae, nisi per Filium Dei dimicantem pro sua Ecclesia, ut infra clare inquit Daniel, cap. 12.: Stabit Michaël, id est, Christus, dux magnus pro filiis populi. Sed et apud Danielem et apud Ezechielem magnae vastationes denunciantur, quas ut Deus mitiget, toto pectore petamus.

Caput VIII.

Aliquoties dictum est, ad quid prosit tenere praedictiones de serie monarchiarum, et omnium temporum usque ad extremum iudicium. Est enim Ecclesiae hac doctrina et consolatione opus, ne inter tot afflictiones et scandala desperet.

Est etiam admonitione opus, ut causas cogitemus afflictionum. Hic diserte in cap. 8. inquit: Propter peccata populi permitti ut tantam crudelitatem Antiochus exerceat, sicut Paulus inquit, 2 Thes. 2.: Quia veritatem non dilexerunt, mittit eis Deus efficicacem deceptionem, ut credant mendacio. Hae atroces comminationes exuscitent nos, ut simus diligentiores in conservanda puritate doctrinae, et in vita, ne Deus sinat exoriri maiores tenebras.

Porro cum in proximo capite Daniel omnes monarchias et postremum regnum, belligerans cum vera Ecclesia descripserit, nunc redit ad duas monarchias clarius describendas, ad Persicam et Graecam, nam hae erant proximae, Et proderat piis, praescire horribilem dissipationem, quam Antiochus Epiphanes facturus erat, ut haberent consolationem, nec deficerent, neve putarent fore, ut omnino deleretur populus Dei.

Est autem perspicuum vaticinium, et a filio Dei declaratum angelo interroganti. Summam breviter recitabo. Daniel sub Balthasaro abfuit ab aula, nec fuit in urbe Babylone, sed in Persia, quam Ebraei vocant Elam in arce Susis, quae a rosis appellationem habet ad amnem Ulai, quem Strabo et Plinius Euleum vocant. Cum igitur iam instaret finis primae monarchiae, vidit Daniel Persas imperio potituros esse, ideo haec ipsa visio ei in Persia exhibetur.

Videt Arietem in Persia stantem, hoc est ducem Cyrum, qui utrunque exercitum Medicum et Persicum duxit, ideo duo cornua adduntur Arieti, quae significant regnum Medorum et Persarum. Ac duravit monarchia Persica circiter ducentos annos. Postea Alexander Asiam occupavit, qui hic significatur per Hircum. Quatuor cornua significant successores Alexandri, qui foederibus varie coniuncti summam potentiam habuerunt. Haec est summa historiae, quae hic recitatur usque ad Antiochum Epiphanem.

Non dubium est autem in picturis contineri certas significationes, ut supra de Pardali breviter dixi, quae et sagax est et animosa, et celeritate insigni praedita, audet occurere armato venatori et celeritate excutit tela, nec vi capitur, sed opprimitur ebria, quia enim Pardalides sunt avidae vini, venator in loco vicino eius bestiae latebris vinum fundit, postea longiore intervallo, collocat cymbia plena vini. Statim odor elicit ex antris Pardalides, quae cum ad cymbia ventum est, hausto vino accensae discurrunt, ludunt una, et coëunt, Deinde ebriae et coitu defatigatae sopiuntur, ibi sopitas opprimit venator. Huius rei luculenta descriptio est apud Oppianum libro 4. *κυνηγετικῶν*, ubi et hi versus leguntur:

Λάπτουσι διόνυσον, ἐπ᾽ ἀλλήλοισι δὲ πᾶσαι
Σκιρτῶσι μὲν πρῶτα χοροιτυπέουσιν ὅμοιαι.

Quae potest autem cogitari imago illustrior regem Macedonicorum plurimorum, Sagacitate, hoc est, solertia et consilio, vix ulli duces antecelluerunt Philippo et Alexandro. Deinde quod decreverant re cogitata, et occasionibus prospectis, celerrime suscipiebant, quae virtus in ducibus plurimum pollet. Erant autem et in dimicando acerrimi et invicti, postremo vero voluptatibus periere, alter Venere, alter temulentia.

Tales et postea fuerunt Demetrius, et posterior Philippus.

Nec raro accidit, ut viri praestantes cum in rebus gerendis acerrimi fuissent, et nec periculis ullis nec laboribus succubissent, postea tamen voluptatibus fracti, calamitosos et tragicos exitus habuerint.

Possem recentia exempla magnorum ducum recitare. In Francisco Sfortia, quanta primum virtus fuit, quanta magnitudo animi, senex vero, quasi Circes venenis natura eius mutata esset, priora decora libidinibus deformavit atque obruit.

Sed omitto exempla, quae lector admonitus consideret ipse in communi vita. Nam et Daniel has picturas proposuit, ut magna ingenia admoneat, ne sibi indulgeant, sed impetus et cupiditates moderentur, ne poenas sibi accersant, ut illi ipsi quos recensui fecerunt, Philippus, Alexander, Demetrius, et alii innumerabiles.

In hoc loco alia est pictura Graecae gentis. Capras vocat Daniel: ut enim hae eximiam habent in scandendo solertiam, et saltationibus assiduis gaudent, ita Graecorum ingeniorum mira fuit in experiundis novis rebus, artibus et consiliis curiositas. Taxari etiam existimo ludos scenicos, quibus ea gens praecipue dedita fuit, qui quidem multa magna flagitia pepererunt et confirmaverunt.

Redeo autem ad narrationem vaticinii. Longus Catalogus successorum Alexandri infra ab ipso Daniele recensebitur. Nunc caeteris omissis de Antiocho Epiphane dicit, qui fuit ortus a Seleuco, ut infra exponam, ac regnum Syriae tenuit. Cepit autem regnare anno post Alexandri mortem 137, ut testatur primus liber Macabaeorum, hoc est, secundo anno Olympiadis centesimae quadragesimae nonae.

Usitatum est autem, ut omnium aetatum historiae ostendunt, reges attemperare atque religiones ad suam utilitatem. Itaque cum Epiphanes sciret Iudaeos propter religionem non facile pati externa imperia, et videret tamen se nactum esse occasionem utriusque rei, potiundae Iudaeae, et mutandae religionis, homo atheos et qui omnes religiones pariter fabulosas esse ducebat, et immani petulantia ruebat in libidines, et in omnia flagitia, quo caeco impetu rapiebatur, in utrumque incubuit omnibus viribus, ut et Iudaeam in servitutem redigeret, et veterem de Deo doctrinam a Prophetis acceptam prorsus aboleret.

Obtulerant autem occasionem scelera pontificum. Cum teneret pontificatum vir pius Onias, frater eius Iason profectus ad Antiochum, in auspiciis regni pecuniam ei dedit, ut capto fratre pontificatum sibi traderet. Simili fraude alius postea Menelaus eripuit pontificatum Iasoni, et uterque invexit Graecos ludos in urbem, contemnebant et negligebant studium divinae legis, imitabantur ethnicum splendorem, delicias, mores ethnicos etc. Menelao postea interfecto successit Alcimus pontifex, qui etiam fuit hostis Macabaeorum, Haec scelera pontificum fuerunt initia calamitatum eius temporis.

Describuntur autem duae expeditiones Epiphanis, quibus venit Hierosolymam. Bis enim in Aegyptum profectus, in reditu venit Hierosolymam, petivit autem Aegyptum iactitans se tutorem esse cognati, et vicini regis adolescentis, ut praetextu tutelae Aegyptum occuparet. Et in prima expeditione aliquot urbibus praesidia imposuit, adhuc simulans amicitiam cum cognato adolescente. Rediens autem accersitus est Hierosolymam a Iasone, ubi spoliato templo, et facta magna caede, rursus discessit nondum mutans Iudaeorum Repub. Haec acciderunt cum iam sexto anno regnaret Epiphanes, videlicet, post Alexandri mortem 143. anno.

Post biennium rediit Antiochus in Aegyptum, nam Philometor expulerat praesidia Antiochi, et petiverat auxilium a Romanis. Venit igitur Antiochus bellum illaturus cognato. Sed Romanus legatus Popilius vetuit bellum inferri Aegypto, et commemoravit Senatum defensurum esse Aegyptum. Cumque Antiochus ambigue responderet, Popilius circumducto gyro circum Antiochum, inquit, Se postulare, ut diserte respondeat, An ex Aegypto discessurus sit, et abducturus exercitum, aut non, priusquam ex hoc circulo egrederetur? Ibi perterritus Antiochus promittit pacem.

Rediens igitur iam a Menelao vocatur Hierosolymam, ibi celebrat Bacchanalia, adiutore Menelao, prophanat templum collocato ibi idolo Iovis Olympii, ubique ante domos extruuntur arae, et imponuntur idola gentilium more, prohibet legem et circumcisionem. Et addidit Menelao pontifici cohortem quae tueatur regia edicta. Cremantur sacri libri, multi pii interficiuntur, maxima pars populi defecit ad Ethnicos. Haec acciderunt anno 145. post mortem Alexandri.

Hic Deus excitat senem Matathiam ex tribu sacerdotali, patrem Macabaeorum, qui collecto exercitu cepit passim evertere idola, et dimicare cum cohorte Antiochi. Post patrem Iudas Macabaeus duxit exercitum. Hae parvae copiae, privato consilio collectae recuperarunt templum, et deleverunt Antiochi exercitus multis praeliis, ideo infra dicit: Sublevabuntur auxilio parvulo. Estque templum recuperatum 3. anno postquam Antiochus ibi collocaverat idolum et praesidia, videlicet anno post mortem Alexandri 148. Reliqua Historia petatur e libris Macabaeorum, nam hanc partem propter numeros hic positos recitavi, et ut vaticinii verba diligentius expendantur.

Daniel tempus ponit hic, dies bis mille trecentos, hoc est, sex annos, tres menses et viginti dies. Id tempus incoari iudico a secunda expeditione Epiphanis, hoc est, ab anno 145. usque ad annum 151. quo tota regio recuperata fuit, deleto Nicanoris exercitu, Et vides eventum rectissime respondere vaticinio.

Hanc consolationem aliqui pii intellexerunt, qua promitti senserunt, non fore hanc calamitatem diuturnam, adeoque ad hanc interpretationem quadrat numerus, ut menses etiam congruant: statua enim in templo posita est anno 145. mense Casleu, qui nobis est November. Deinde victus est Nicanor anno 151. mense Adar, qui nòbis est Februarius. Sunt igitur anni Iudaici integri sex, qui incoabantur a verno aequinoctio, his adde menses proximos post statuam in templo collocatam, Decembrem, Ianuarium, Februarium. Item aliquot dies, nam mense Novembri statua in templo collocata est, exactissime igitur convenit tempus Danielis cum hoc eventu.

Quod autem hoc vaticinium proprie concionetur de historia Antiochi Epiphanis, testatur angelus Gabriel, interpres in textu, qui quidem colloquens cum Filio Dei, accepit ab eo interpretationem.

Porro hic locus admoneat nos de praesentia Christi, Quod videlicet Filius Dei semper affuerit Patribus, quodque vere nunc quoque Ecclesiae adsit, exaudiat et gubernet invocantes ipsum, sicut dicit in Evangelio: Ecce ego vobiscum sum etc.

Item: Ubicunque duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Item: Ascendit in altum, ut det dona hominibus etc.

Gene. 48. inquit Iacob de Christo: Angelus qui eripuit me ex omni malo, benedicat pueris etc.

Et Iohan. 1. dicitur: Omnia per ipsum facta sunt etc.

Et hic interest colloquio angelorum apud Danielem.

Et Paulus inquit: Omnes bibebant de spirituali petra eos comitante, petra autem erat Christus.

Sic nos statuere debemus adesse Christum, exaudire, iuvare et gubernare nos, idque vocat scriptura regnum Christi. Sed infirmitas humanae mentis non potest sic intelligere regnum Christi, cogitat de eo, tanquam de absente, non agente aliquid nobiscum. Sed his tenebris humanae rationis repugnandum est, et iuxta testimonia promissionum, et iuxta haec exempla credendum, quod vere adsit nobis, exaudiat et iuvet invocantes ipsum.

Haec breviter adieci de interprete vaticinii, quem hic vocat Palmoni, id est, admirabilem quendam, sicut alibi Christus vocatur admirabilis Consiliarius.

Est et illud considerandum, quod adest Filius Dei, cum fit mentio summae calamitatis, ut significet se in illa ipsa calamitate futurum esse in excubiis, sicut infra inquit: In illo tempore Michaël, qui stat pro filiis populi etc. Haec est magna consolatio, praesertim hoc tempore, scire quod Christus sit in excubiis pro nobis.

De accommodatione ad regnum Antichristi.

Quanquam vaticinium de Antiocho et de populo Iudaico, primum concionatur, tamen simul Propheta significat similem calamitatem Ecclesiae venturam ante finem mundi, postquam Christus passus esset, et Evangelium inter gentes sparsum. Quod autem Daniel simul depinxerit imaginem impii regni, in Ecclesia belligerantis cum Christo, testatur Paulus, qui verba de Antiocho dicta expresse accommodat ad Antichristum 2. Thessal. 2. Cumque testem habeamus Paulum huius accommodationis, autoritatem eius sequamur omissis aliorum cavillationibus, qui haec nolunt accommodari ad Antichristum.

Deinde cogitemus, ut piis profuit apud Iudaeos esse praemonitos, ne assentirentur regno Antiochi, ita sciamus nos quoque commoneri, ne

assentiamur regno Antichristi, seu regno impio dominanti in Ecclesia.

Nomine Antichristi comprehenduntur ambo regna, Mahometicum et pontificatus Romanus, ut de utroque concionatur scriptura, et utrumque damnat. Ut Apoca. 13. apparet, ubi de utroque vaticinatur cum ait, perituros esse Gog et Magog, bestiam et Pseudoprophetam. Hic complectitur regnum Turcicum et alterum regnum, in quo dominatur Pseudopropheta, id est, pontifex defendens idola.

Cum autem aliquid intersit inter haec duo regna: Mahometicum seu Turcicum armis partum est, nec tenet titulum Ecclesiae Christi, ideo de eo supra dixi, ubi imperia describebantur armis parta. Sed pontificium regnum fraude et superstitione constitutum est, et retinet titulum Ecclesiae Christi.

Cum igitur Paulus accommodet imaginem Antiochi ad regnum, quod in Ecclesia dominatur, hoc est, quod retinet titulum Ecclesiae, sequar et ipse Paulum, et hoc vaticinium de Antiocho accommodabo ad pontificium regnum, quo nomine non tantum Romanum pontificem intelligo, sed omnes Episcopos ubique terrarum eius idolatriam defendentes, sive ei alioqui sint coniuncti, sive non sint coniuncti.

Ac infra notae duae tribuuntur Antiocho, quae praecipue conveniunt ad pontificium regnum, videlicet, quod idolum in templo collocet, et auro ac argento colat. Item, quod non adficiat honore mulieres.

Haec sunt duo propria pontificatus, Idola manifesta sunt impiae missae, cultus Sanctorum et statuae, quae in auro et argento ostenduntur, ut ibi colantur. Id nusquam fit, nisi in pontificio regno. Item in nullo regno unquam prohibitum fuit legitimum coniugium, nisi in pontificio. Ergo convenit ad id, quod ait Daniel, Non futuras in honore mulieres, Porro ubi non est honos coniugio, sequuntur vagae libidines et multiplex turpitudo. Haec apertissime conveniunt ad regnum pontificium. Quare nihil dubium est, Danielem et Paulum concionari de regno pontificio, quod cum ita sit, admoneri nos sciamus, ne assentiamur impietati pontificum, neve eam adiuvemus ac stabiliamus.

Iam redeo ad descriptionem Antiochi in textu, in quo sunt multae particulae, quae tristissimas significationes continent, quas attentus lector per sese expendat, intuens in haec nostra tempora.

Prosternetur, inquit, *veritas in terra.* Videmus iam Episcopos et eorum satellites manifestissima flagitia contra conscientiam defendere, ut prodigiosos Missarum abusus, cultus Sanctorum, coelibatum et libidines. Constat igitur eos veritatem ludibrio habere, et vere conculcare pedibus etc.

De Antiocho sic inquit textus: *Surget rex impudens facie, et intelligens propositiones*, id est, audax, contemtor Dei, ut Mezentius, et tamen astutus, *Is crescet non suis viribus*, sed pontificum Iudaicorum perfidia, et populi levitate. *Et supra quam credi potest omnia vastabit*, id est, abolebit veros cultus, invehet idolatriam et late propagabit, traducet populum ad ritus et voluptates Ethnicorum, habebit magnos successus, interficiet pios, et deliniet sibi multos largitionibus, et retinebit inescatos magnis commodis et illecebris opum, dignitatum, ac voluptatum.

Tandem vero sine manu conteretur. Quia Antiochus non est interfectus a Iudaeis, sed in apparatu novi belli, domi ex lapsu mortuus est, cum iam multas nationes a se defecisse videret, quae eum propter crudelitatem et morum turpitudinem oderant et contemnebant. Saltabat enim in scena inter histriones, bacchabatur per omnes ganeas, spargebat pecuniam in compitis, ut a multis non ἐπιφανὴς, sed ἐπιμανὴς diceretur.

Haec imago conferatur ad pontifices, hi de regno cogitantes, vident reges et populum duabus rebus maxime teneri, videlicet superstitione et utilitatibus. Astute ergo excogitaverunt cultus, quos valde admirantur principes et populus, moventur animi illis prodigiosis laudibus missae, quod mereatur omnis generis bona, victorias, lucra, prosperos eventus in omnibus negociis. Et quia animus impius non potest a Deo expectare auxilium, quaeruntur plures Dii, et placabiliores. Ideo gratissimus est hominibus cultus Sanctorum.

Postea ceperunt templa compleri statuis Sanctorum, et secuta est prorsus ethnica idolomania. Simul etiam obruta est doctrina de iusticia fidei et veris cultibus. Receptae sunt superstitiosae traditiones, vota, coelibatus, discrimina ciborum, vestium etc. Et in his excogitandis simul et astutia et audacia usi sunt. Est enim summa audacia

spreto verbo Dei, novos cultus instituere, contra mandatum Dei, vel sine mandato. Et calliditas est videre, quibus artibus capiantur hominum animi. Item videre aucupia augendae potentiae et quaestus. Paulatim igitur opes creverunt miris modis.

Quare nunc addicti Romano pontifici, retinentur partim superstitione, partim magnitudine utilitatum. Huc pertinent verba Danielis: *Copia rerum multos interficiet*, id est, pontifices invitabunt et retinebunt multos inescatos opibus, dignitatibus, splendore, voluptatibus, sicut palam est.

Nec propriis viribus sive armis, ut caetera regna, parta est, aut munita pontificia dominatio, sed partim superstitione regum et populorum, partim quia ultro homines impii expetunt et defendunt ista ingentia commoda. Sicut hoc tempore nobilitas acerrime dimicat, ut retineat in manibus collegia sui commodi causa. Reges defendunt pompam pontificum, ut nobilitati gratificentur. Item, ut ipsi habeant aulas frequentiores et splendidiores, ideo inquit Daniel: *Crescet non suis viribus.*

Et quidem tradunt mutuas operas pontifices et reges, sicut Menelaus invitarat Antiochum, offerens ei praedam ex templo et regnum. Et vicissim Antiochus addidit cohortem Menelao. Ita nunc reges, principes, et nobiles fruuntur opibus ecclesiasticis, neglectis officiis vere ecclesiasticis. Vicissim autem reges addunt pontificibus cohortem, hoc est, in eorum gratiam exercent saevitiam, etiam contra conscientiam. Ut hoc tempore constat multos reges et principes, etsi non probant pontificum idola et tyrannides, tamen in pontificum gratiam exercere horribilem crudelitatem. Et interea sibi pulcre blandiuntur, conficta inani excusatione, quod prosit tueri autoritatem Ecclesiae.

Quod vero Daniel inquit, Dolus prosperabitur in manu eius, hoc late patet. Primum significat falsa dogmata, magna specie commendata mundo, ut supra dixi. Deinde significat alias technas, quibus reges sibi obligaverunt, aut regum potentiam imminuerunt, aut regna ad se traxerunt. Nunc quoque mira calliditate de novo pingunt abusus, et solicitant reges miris artibus ad exercendam saevitiam. Haec omnia complectitur, cum nominat dolum.

Postremo quod inquit, Sine manu conteretur, significat ante extremum iudicium venturam renovationem Evangelii, in qua autoritas pontificum labefactabitur sine armis, hoc est, Docendo reprehendentur errores pontificii, renovata luce Evangelii, sicut et infra inquit, Docti in populo docebunt multos, et ruent in gladio. Et ad Thessal.: Tunc revelabitur ille iniquus, quem destruet Dominus spiritu oris sui. Significat enim futurum, ut quaedam reprehensio errorum Antichristi praecedat extremum iudicium, sicut aurora Solem praecedit.

Porro satis perspicue apparet, hoc vaticinium pertinere ad hanc nostram aetatem, et doctrinam hoc tempore divinitus patefactam. Sicut Daniel et Paulus significant postremo futura certamina de doctrina, quare utraque pars haec vaticinia contempletur, nec contemnat admonitionem Spiritus sancti.

Nomen Ecclesiae multos movet ac detinet, quo minus adversentur pontificibus. Sed Spiritus sanctus apud Danielem et Paulum clare testatur, id regnum, videlicet pontificium, quod defendit εἰδωλομανίας, et interficit pios, non esse Ecclesiam, sed factionem a Deo reiectam, hortatur omnes, ut eam deserant, sicut in Apocalypsi clamat angelus: Exite ex Babylone.

Econtra consolatur pios, qui reprehendunt errores, ut sciant se habere mandatum Dei, Deo placere hanc sedulitatem et defendere se veram Ecclesiam. Sicut diserte inquit Daniel: Docti in populo docebunt multos, et ruent etc. Et tamen pollicetur mansuram esse veram Ecclesiam, etsi multi trucidabuntur. Sic enim inquit: Populus sciens Deum suum vincet etc. Non igitur deterreamur a professione verae doctrinae, nec frangamur animis, etiamsi adversarii vociferantur, nos seditiosos esse, et concitant omnes reges ad exercendam crudelitatem.

Neque tamen ruet totum regnum pontificum ante novissimum diem, sed pars aliqua manebit, ut Paulus inquit: Abolebit eum illustri adventu suo. Idem significat Apocalypsis de Pseudopropheta abiecto in voraginem.

Caput IX.

Etsi singula Capita uberrimam doctrinam continent, tamen hoc Caput longe antecellit caeteris. Tradit enim illustre testimonium de tem-

pore adventus Christi, de morte Christi, de iusticia novi Testamenti, de excidio politiae Iudaicae. Complectitur et in precatione doctrinam poenitentiae, taxat fiduciam propriae iusticiae, et monstrat iusticiam fidei. Quare hoc Caput doctrinam utilissimam continet, ad erudiendos et confirmandos pios de multis articulis.

Ad haec perspicue refutat amentiam Iudaeorum, qui negant Messiam venisse, negant Messiam oportuisse pati, contendunt Iudaeos habituros regnum mundanum etc. Hic locus maxime convincit Iudaeos, et ostendit eos contra conscientiam suam pervicaces esse.

Sed primum historica consideremus, Iere. cap. 25. et 29. praedicit exilium populi Iudaici in Babylone duraturum esse annos 70. Haec prophetia diluebat argumenta Pseudoprophetarum, qui obiiciebant promissiones, Deus promisit se servaturum esse hunc cultum et hoc regnum, donec veniat Messias. Ergo iudicabant non posse deleri templum, nec populum abduci, nec politiam huius populi redigi in vastitatem. Ieremias diluit argumentum, Deus promisit et praestabit, sed aliter quam nos imaginamur, interea etiam castigabit et castigatos mirabiliter restituet.

Ac profecto haec ipsa reductio ex Babylone non fuit minus miraculum, quam eductio ex Aegypto. Et tarde processit hic reditus et templi restitutio. Nam paulatim alii post alios redierunt, et aedificatio impedita fuit toto Cyri tempore, et deinceps annos 42 usque ad secundum annum Longimani.

Haec legentes, cogitare debemus, quam sit horribilis ira Dei adversus peccata, cum de hoc suo populo tantas poenas sumserit. Cogitandum etiam, quam sit exigua Ecclesia.

Rursus consolatio piis proponitur, vident in tantis periculis, tamen nulla mundi potentia opprimi Ecclesiam posse, sed regi eam et servari divinitus. Videmus et hoc, pia consilia bonorum principum multis modis impediri, sicut Cyri beneficium impeditum fuit tempore Cyri, et postea tempore Darii, quem Graeci sic vocant.

Cum igitur iam ageretur annus septuagesimus exilii, primo anno Cyri, post captam Babylonem, Daniel memor promissionum, et sperans restitutionem populi, recordatur vaticinium Ieremiae, et ingenti impetu movetur ad precandum.

Hic locus significat Prophetas ex lectione quaesivisse consolationem, et profecisse.

Monet item, quod, etsi promiserat Deus reditum, tamen voluerit peti hoc beneficium precando, et invocatione exerceri fidem Sanctorum, sicut inquit Christus: Petite, et accipietis. Item: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te etc. Etiamsi promisit Deus beneficia corporalia vel spiritualia, tamen precibus vult exerceri fidem, et vult crescere poenitentiam, sicut inquit Zacharias: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos etc. Et orat Daniel de restituenda Ecclesia, ita nos quoque afficiamur vero dolore propter Ecclesiae calamitates, et oremus, ut Deus eam augeat, gubernet et servet.

Maxime displicet Deo securitas illorum, qui nihil afficiuntur calamitatibus Ecclesiae, sicut queritur Amos cap. 6.: Vae opulentis etc., qui nihil patiuntur super contritione Ioseph. Ac Daniel intelligit magnitudinem calamitatum, ideo tam tristem querelam de peccatis populi et de poena recitat.

Dixi autem hic tradi doctrinam poenitentiae, Daniel fatetur peccata populi, et tribuit Deo laudem iusticiae, quod iuste puniverit populum. Deinde petit remissionem peccatorum, et reductionem populi. Est ergo vera contritio, agnoscere iram Dei adversus nostra peccata, expavescere propter iram Dei, dolere quod Deum offenderimus, tribuere ei laudem, quod iuste nos puniat et obedire in poenis. Hanc confessionem hic recitat: Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei. Haec est vox verae contritionis, sicut et Psalmus 32. docet: Dixi, confitebor adversum me iniusticiam meam Domino etc.

Et Psalmo 51.: Tibi solum peccavi, et malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris, id est, Agnosco me tantum esse peccatorem, ac reum coram te. Ut iustificeris, id est, Ut tibi tribuam laudem iuste punientis ac plectentis. Ac vincas cum te iudicant hypocritae, scilicet qui cogitant Deum nimis asperum, nimis durum esse adversus hanc miseram naturam, accusant iudicium Dei, non possunt se ei ita subiicere, ut agnoscant se iuste plecti.

Hic fremitus est ingens et arcanum malum in animis hominum. Ideo Paulus aliquoties in-

culcat haec duo: Ut sit Deus iustus et iustificans, id est, Tribuamus ei laudem iuste punientis, non arrogemus nobis iusticiam, sed credamus, quod Deus sit iustificator, id est, Quod ita iusti pronunciemur, cum ipse nostri miseretur, nos iustificat. Facile est verbis tribuere Deo laudem iusticiae, sed ex corde agnoscere magnitudinem nostrorum peccatorum ac sentire, quod iuste plectamur, ac petere veniam, haec sunt ardua et difficilia.

Necesse est autem hanc doctrinam contritionis diligenter inculcari Ecclesiis, ut vere agnoscant peccata, vere sciant poenas et calamitates nobis infligi propter peccata. Sicut Ieremias inquit cap. 5.: Peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis. Et hoc loco: Iustus est Dominus Deus noster in omnibus operibus quae fecit, videlicet, quamvis gravissimas poenas de nobis sumserit etc.

Nec tamen satis est peccata agnoscere, intueri poenas, sed accedat etiam consolatio. Ergo Daniel non solum doctrinam contritionis proponit, sed addit alteram partem. Docet suo exemplo petere, et expectare veniam, propter misericordiam et promissiones. Sicut alibi dicitur: Agite poenitentiam, et credite Evangelio. Accedat fides ad contritionem et intueatur promissiones, sicut hic Daniel non tantum dicit: Tibi Domine iusticia, sed addit: Tibi misericordia et propiciatio, Tu promisisti te velle misereri et ignoscere. Et hanc sententiam aliquoties repetit, diserte excludens merita: Non in iusticia nostra petimus, sed propter magnam misericordiam tuam.

Et nominatim dicit: Exaudi Deus orationem servi tui, et aspice templum tuum desertum, propter Dominum, id est, Exaudi, aspice propter Dominum. Nam apud Ebraeos haec particula sic inseritur, ut Daniel loquens ad Deum secunda persona, Exaudi Deus, aspice etc. Postea adiiciat tertiam personam in fine: Propter Dominum. Ideoque Iudaei interpretati sunt: Propter Abraham, sed haec interpretatio aliena et repudianda est. Sciebat enim Daniel non Abraham esse Dominum populi, sed promissum liberatorem, sicut in Psalmo dicitur: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis etc. Nec dubium est quin hic Daniel Christum intellexerit, inquiens: Propter Dominum, id est, propter Christum.

Ac similes conciones de contritione et fide passim extant in Prophetis, ut Iere. cap. 14.: Si iniquitates nostrae responderint nobis, Domine fac propter nomen tuum, tibi peccavimus, Salvator noster in tempore tribulationis non relinquens nos etc.

Discamus autem et nos, et exerceamus utramque doctrinam, agnoscamus peccata, et petamus veniam, excitent nos publicae et privatae calamitates. Quia haec exempla in Prophetis proposita sunt, ut intelligamus et consideremus Ecclesiae calamitates, et petamus liberationem. Nam praesertim postremis temporibus non est futura Ecclesiae minor calamitas, quam fuit illud exilium Babylonicum istius populi. Et haec Danielis precatio recitanda est, tanquam communis precatio pro Ecclesia his temporibus.

Hic admonendi sunt lectores, ut observent hanc concionem Danielis confirmandae sententiae causa, quae traditur a Paulo de iusticia fidei. Hic enim proponitur certum et perspicuum testimonium doctrinae Pauli, nam astuti quidam conantur inflectere Pauli sententiam ad iudicium humanum de iustitia operum et clamitant horridius eam a nobis accipi. Negant illas propositiones, Omnes homines sub peccato esse, Nostra opera non mereri reconciliationem, Naturam hominis viciosam esse, non posse satisfacere legi, Item gratis per misericordiam homines reputari iustos propter Christum, non propter opera.

Haec paradoxa, inquiunt, aliena esse a communi sensu. Ideo quaerunt cavillationes ad eludenda Pauli dicta, et ita mitigant ea. Fatentur ceremoniis detrahi iusticiam, sed aiunt propter moralia opera homines iustos esse. Sicut Philosophi dicunt, Hominem iustum esse propter civiles mores. Quia enim habent securos et ociosos animos, admirantur illam civilem iusticiam, et putant eam satisfacere legi Dei, putant se sine peccato esse, ideo consolationes alias nec quaerunt nec intelligunt.

Sed in veris pavoribus experimur opus esse doctrina de gratuita misericordia. Ac nisi hac fide sustentemur, animi ruunt in desperationes et blasphemias, non possunt Deum invocare, non possunt expectare, aut petere auxilium. Quare pii non sinant se decipi ab illis securis, qui obruunt doctrinam Pauli de Fide. Fateamur nos esse auditores Pauli, ab ipso discamus, non arrogemus nobis censuram contra eius dicta.

Deinde illud consideremus. Cum Paulus concionetur de iusticia coram Deo, necesse est eius

sententiam congruere cum Prophetis ac Patribus. Atque ita est profecto, ordine omnes Prophetae idem docent, testantur omnes homines sub peccato esse, accusant humanam iusticiam. Et rursus proponunt gratuitam misericordiam revelatam in promissionibus a Deo propter promissum liberatorem, et hanc misericordiam iubent fide accipi, ita affirmant nobis ignosci.

Haec est una et consentiens vox omnium Prophetarum. Ideo Petrus inquit: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Et haec est liberatio promissa per Messiam, liberari a peccato, et restitui integram iusticiam, et vitam aeternam. At Iudaei somniant se esse iustos lege, et expectant liberationem non a peccato et a morte, sed ab exilio et inopia. Hunc errorem Prophetae et Apostoli taxabant.

Quod autem congruat Paulus hic cum Daniele, manifestum est, Daniel inquit: *Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei nostrae.* Agnoscit totam Ecclesiam habere peccata, et nominatim dicit: Non in iusticia nostra precamur etc. Item ne quis fingat synecdochen, loqui eum de multis, non de omnibus (sicut Origenes corrumpit dictum Danielis) nominatim dicit: *Cum confiterer peccata mea, et peccata populi.* Sed ita est, peccati onus tantum sentiunt pii, alii securi contemnunt.

Ut igitur Paulus tollit meritum, et contendit omnes sub peccato esse, item inculcat particulam gratis. Ita hic docet Daniel, inquiens: Non in iusticia nostra etc. Deinde ut Paulus inquit, Remitti peccata per gratiam. Ita hic clamitat (confugimus ad misericordiam quae magna est) et nominat Mediatorem, inquiens: *Propter Dominum.* Porro quoties fit mentio misericordiae, correlative intelligenda est fides, qua statuimus nobis contingere misericordiam. Omnino igitur cum Paulo congruit Daniel.

Ita prodest in caeteris Prophetis consentientes sententias considerare, ut in Psalmis. Quod omnes sint rei, testantur haec dicta: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item: Delicta quis intelligit? Item: Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Rursus de misericordia et remissione gratuita: Dixi confitebor adversum me iniquitatem meam. Sic Esaias uno versiculo utramque partem complexus, accusat omnes, et proponit misericordiam: Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in suam viam, et posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum.

Sic agnoscebant Prophetae venturum Liberatorem, longe maius beneficium allaturum esse quam voluptates et opes, videlicet destructurum esse opera diaboli, id est, peccatum, quo natura humana oppressa est, tyrannidem diaboli et mortem aeternam.

Quare legentes Paulum intueamur animo omnes Patrum ac Prophetarum conciones, inde usque ab initio, et de peccati magnitudine cogitemus, et sciamus non esse levia beneficia, quae filius Dei attulit. Haec breviter adieci, ut confirmentur studiosi adversus sophisticam, qua nonnulli cavillantur et corrumpunt Pauli dicta de iusticia fidei.

Vaticinium de LXX hebdomadibus.

Sequitur vaticinium de septuaginta hebdomadibus traditum Danieli, quod est perspicuum testimonium contra Iudaeos, de tempore adventus Christi, et de fine politiae Iudaicae. Ac multa breviter complexus est Daniel, ut fit in vaticiniis. Cum loquitur de Christi adventu, simul monet de beneficiis, quae allaturus est. Interpretatur promissiones, videlicet, futurum ut aboleatur peccatum, et incoëtur perpetua iusticia, et nova ac aeterna vita. Addit etiam Christum moriturum esse, et tamen multis ex populo daturum sua beneficia. Et postea finem fore huius politiae Iudaicae. Haec est summa vaticinii, in qua satis apparet proponi testimonia de multis articulis contra Iudaeos.

Primum refutat hic locus errorem de lege retinenda et de regno politico Christi, Si erit perpetua iusticia, item, Si Christus occidetur, sequitur legem Mosaicam non retinendam esse, nec fore mundanum regnum.

Secundo tradit testimonium de passione Christi.

Tertio cum politia iam desierit, ita ut nullos habeat duces, nullos Prophetas, nulla tribuum discrimina, constat impletum esse dictum Iacob: Non auferetur sceptrum de Iuda, donec venerit Salvator. Necesse est igitur venisse Salvatorem.

Estque diligenter consideranda diuturnitas temporis post excidium Hierosolymorum, et conferenda cum duratione legis ante excidium. Nec

est consentaneum, velle Deum iacere deletam politiam diutius, quam florere, si eam iam approbaret. Sunt autem anni a data lege usque ad excidium Hierosolymorum, capta urbe a Tito, mille quingenti sexaginta quatuor. Nunc econtra iacet politia deleta annis 1468 usque ad hunc annum, quo iam numeramus a nato Christo 1542. Cum igitur tam diu iaceat politia Iudaica, necesse est vaticinium Iacob impletum esse, ac Christum venisse.

Ac voluit Deus hanc politiam deleri, tum, ut esset exemplum irae adversus impios, tum, quia non potuisset eximi persuasio hominibus de iusticia legis, si durasset ea politia. Voluit autem Deus ostendere ritus illos, non esse iusticiam. Item, Iusticiam legis non esse iusticiam, de qua concionantur promissiones. Item voluit exaequare Gentes Iudaeis, ut intelligeremus perspicue gratuitam reconciliationem.

Porro Danieli etiam numerus annorum revelatus est usque ad Christi praedicationem et resurrectionem. Nam postea post missionem Spiritus sancti, et incoatam Evangelii praedicationem, populus Iudaicus desinit esse populus Dei. Ideo non loquitur de anno excidii, sed de prioribus usque ad Christi resurrectionem et circiter.

Nominat autem septuaginta hebdomadas, quae faciunt annos quadringentos et nonaginta. Sunt enim intelligendae annorum hebdomades, nam in scripturis tantum sunt vel dierum vel annorum hebdomades. Manifestum est autem hic dierum hebdomadas numerari non posse. Nam septuaginta hebdomades dierum non faciunt nisi annum, 4 menses et dies 14. Eo tempore satis constat nec aedificationem Hierosolymae fuisse absolutam, nec populum universum adhuc reductum. Necesse est igitur numerari hic hebdomadas annorum, ut Levitici 25. fit mentio hebdomadum annorum. Sunt igitur 70 hebdomades annorum intelligendae, videlicet 490 anni.

Subductio hebdomadum.

Manifestum est, Angelum velle tempus patefacere, ac praefinire post exilium Babylonicum usque ad Christum seu nascentem seu praedicantem, ut et ea aetas de adventu Messiae admoneretur, et nos confirmaremur, ac certo sciremus, deleta funditus Iudaica politia, iam adparuisse Messiam.

Ac Iudaeis quidem post Danielem facilis fuit observatio annorum, praesertim cum in eo populo sacerdotes tempora diligenter annotarent, et multi essent longaevi. Nehemias qui Danielem senem viderat adolescens, Alexandrum senex vidit. Postea Antiochi tempore multi senes interfecti sunt. Servavit tamen Deus posteritatem aliquam, Simeon qui Christum infantem gestavit in sinu, vidit adolescens senes, qui Macabaeum viderant. Tales viri tempore quo Christus natus est intellexerunt annos hic praefinitos exacte quadrare ad Christi adventum.

Esset autem et nobis facilior accommodatio, si anni regni Persici certius annotati essent. Nam retro a Christi nativitate usque ad Alexandrum series annorum mediocri diligentia animadversa et praescripta est. Extat enim in Ptolemaeo tempus annotatum, a morte Alexandri ad primum annum regni Augusti post Antonii mortem. Anni videlicet 294. Locus est in fine libri tertii:

ἀπὸ δὲ τῆς ἀλεξάνδρου τελευτῆς, μεχρὶ τῆς αὐγούστου βασιλείας ἔτη 294.

Ergo si principium Augusti post interfectum Caesarem habere voles, detrahendi erunt anni 12. Eruntque a morte Alexandri ad interfectum Caesarem 282. His adde annos 42 Augusti, eruntque ad natum Christum a morte Alexandri, iuxta hanc computationem, anni 324, vel circiter. Adde annos 30 Christi usque ad baptismum eius; ita erunt anni 354. Adde a morte Alexandri retro collectos annos usque ad secundum Longimani iuxta graecam supputationem annos 136; ita erunt anni a secundo Longimani usque ad baptismum Christi 490. Tot anni sunt septuaginta hebdomadum.

Cur autem ordiamur hanc computationem a secundo Longimani anno postea dicemus. Sed si cui non placet ordiri a Longimano, sed potius a Cyri monarchia post captam Babylonem, convenient hebdomades Danielis ad tempus quo nascitur Christus, non quo baptizatur.

Ac ut intelligat lector hanc computationem, quam dixi probabilem esse, annotatio temporum alia conferatur. Certum est Alexandrum cepisse regnare Olympiade centesima undecima. Ita magno consensu traditur, et consentaneum est propter magnitudinem rerum gestarum Alexandri, tempus diligenter annotatum esse.

Deinde scribit Iosephus, Olympiade 184. Herodem regem creatum esse. Erunt ergo iuxta hanc computationem inter Alexandrum et Herodem anni 292. Id tempus recte congruit ad annos quos supra ex Ptolemaeo sumsi. Nam hic additur initium Alexandri. Porro ab Alexandro usque ad eversionem templi, factam a rege Nabogdonosor sunt anni 256. Si tamen ut Veteres scripserunt templi destructio facta est Olympiade 47. Quod si rursus demas tempus exilii, videlicet annos 70, erunt a 70. anno post eversionem templi usque ad Herodem regem creatum 478. Adde autem annos ad Christum natum 30; ita habebis hebdomadum annos 490, et paulo amplius. Sed bonis mentibus hoc sufficit, quod vident ad Danielis vaticinium congruere tempus, quod est inter reditum populi ex Babylone, et Christum, etiamsi exactissimam supputationem non habent.

Quantulum autem in his supputationibus desideratur? Testatur Angelus post 490 annos Messiam se populo huic ostensurum esse. Constat autem a liberatione populi ad Christum natum tot esse annos, nec multo plures, aut pauciores. Notum enim tempus ab Augusto ad Alexandrum. Constat et hoc, monarchiam Persicam non plus ducentis annis durasse. Venit igitur Messias Filius Dei, et respondit eventus vaticinio Danielis.

Sed quoniam Angelus diserte dicit, *Christum multis confirmaturum esse testamentum hebdomade una et dimidia*, *et tunc cessaturas esse hostias.* Si volumus hebdomadas continuas esse, numerandae erunt hebdomades ad Christi baptismum, quod fiet, si a secundo anno Longimani numerentur, quo vaticinia Zachariae et Haggaei edita sunt de populi reditu, qui fuerat antea impeditus, nunc sublatis impedimentis, reditus concessus est. Nam Angelus iubet numerari ab exitu sermonis de reditu populi et instauratione Ierosolymae.

Porro haec verba alii aliter acceperunt. Quidam de regum edictis interpretantur, quorum prius fuit Cyri, quod eo absente in bello Scythico impeditum est. Alterum post annos 42 a Longimano editum est, qui in Esdra vocatur et Artaxerxes et Darius. Nam haec fuerunt communia regum nomina, ut Romae Caesar, Augustus. Et Herodotus libro sexto inquit, Darii voce idem significari, quod significat vocabulum coërcentis: Xerxen ait esse bellatorem, Artaxerxen, magnum bellatorem.

Porro eo tempore quo Longimanus decretum de concessione reditus renovavit, simul Haggaeo et Zachariae facta est revelatio de liberatione et aedificatione deinceps processura. Quare hinc a secundo Longimani anno incoatur a quibusdam computatio, eo quod tunc sermo exierit et a Deo et a Longimano, ne liberatio et aedificatio deinceps impedirentur. Et si hinc sumemus initium, erunt continuae hebdomades usque ad Christum praedicantem. Sed si quis mavult a Cyri decreto ordiri, perveniet ad natum Christum.

Est autem utraque sententia seu computatio concinna, et quod ad summam negocii attinet, rem eandem confirmat utraque computatio, ostendit inter liberationem populi et Christum esse 490 annos. Hoc cum declaratum est, sciunt pii, non esse postea, deleta politia Iudaica, alium Messiam expectandum. Nam hoc praecipue agitur in hoc vaticinio, ut extet testimonium, oportere adhuc durante politia Mosaica nasci et conspici Messiam. Sicut idem docet versiculus: Et tu Bethlehem parvula in millibus Iuda, ex te egredietur Dominator in Israël. Oportuit stante politia Mosaica in Bethlehem Messiam nasci.

Constat autem nunc politiam totam Mosaicam iacere deletam, Ierusalem, Bethlehem, non tam oppida, quam casas esse aut spelaea latrunculorum Arabicorum, annos mille quadringentos sexaginta septem. Necesse est igitur Messiam natum esse.

Quid contra haec dicere Iudaei possunt, si modo Prophetarum scripta non iudicant fabulosa esse? Sed quia gens Iudaica amat suas tenebras, nobis ipsis legamus, et expendamus Prophetarum dicta, ut fidem nostram accendamus et confirmemus. Interim et gratias agamus Deo, quod Ecclesiam curat, quod subinde doctrinam illustravit, quod certis testimoniis subinde erudiit.

Venio igitur ad computationem, sed initio recensendus est catalogus regum Persicorum.

Catalogus regum Persicorum iuxta Graecos.

Cyrus	29.
Cambyses	7 annos, menses 5.
Darius filius Hystaspis	36.
Xerxes	20.

Artaxerxes Longimanus	40.
Darius Nothus	19.
Artaxerxes Mnemon	40.
Ochus	26.
Arsames	3.
Darius ultimus.	6.

Haec series nota est eruditis omnibus, qui Graecas historias legerunt. Et inscitia Iudaeorum recentium vituperanda est, qui fingunt non plures fuisse reges Persicos, quam quatuor, et propter hanc inscitiam amittunt ex serie annorum mundi centum annos.

Extat autem et alius catalogus in fragmento Metasthenis, in quo appellationes magis congruunt cum Esdra. Etsi autem apud quosdam levis est autoritas Metasthenis, tamen quia congruit cum Esdra et Philone, non aspernor, praesertim cum primi tres de quibus discrepant catalogi, eodem modo recenseantur et nuncupentur ab Esdra et Philone, de caeteris ambo catalogi consentiunt, et in prioribus facilis est conciliatio.

Darius Medus et Cyrus simul regnarunt	annos 2.
Cyrus solus	22.
Artaxerxes Assverus	20.
Darius Artaxerxes Longimanus	37.
Darius Nothus	19.
Artaxerxes Mnemon	55.
Ochus	26.
Arsames	4.
Darius	6.

Ignotus est Graecis primus Darius, qui Medus dicitur, et putant nonnulli Cyaxaren esse. Certum est autem ex Daniele, regnasse initio hunc Darium Medum cum Cyro. Et quidem Daniel ipse discernit hunc Darium a Cyro, ait Darium esse Medum, Persam vero Cyrum. Non igitur pugnant haec cum Graecis, qui omissis Medis, numerant Persas.

Cambysen praeterit Metasthenes, ut ego existimo, quia non regnavit post mortem patris: sed cum pater Cyrus in Scythiam duceret exercitum, more usitato prius domi regem creavit, ne absente ipso, de successione certamina orirentur.

Est ergo Artaxerxes Assverus is, quem nominant Graeci Darium Histaspis filium, quod ita esse ex historia intelligitur. Quia Philo narrat hunc Assverum recuperasse Assyriam et Babylonem, quae defecerant. Id apud Herodotum narratur de Dario filio Hystaspis. Et scribit Herodotus, Dario concubinam fuisse omnium carissimam Artistonam, quae appellatio convenit cum appellatione Esther.

Ex Esdra manifestum est successisse Assvero Artaxerxen, huic additur cognomen a Metasthene et Philone Longimanus, seu μακρόχειρ. Nec dubium est, hunc eundem esse Longimanum, quem sic nominant Graeci.

Sed cur hic omittitur Xerxes? Id rursus eo fieri iudico, quia Xerxe procul in Europam ducente exercitum, necesse fuit cooptari regem collegam domi, ne in Oriente seditiones orirentur, si nemo praeesset regia autoritate, post Xerxis discessum. Deinceps convenit series cum Graecis.

Nunc redeo ad hebdomadas. Cum Cyri et Assveri tempore fuisset impedita aedificatio, ut constat ex Esdra, postea sub tertio rege, scilicet Longimano, rursus aedificatio permissa est. Nam ut Cyrus, ita hic Longimanus benignior fuit erga Iudaeos, quam Assverus, etsi hunc quoque flexit Esther, quae fortassis disciplina domestica Longimanum ad veram pietatem assuefecit. Ac fuisse amplexum Longimanum doctrinam populi Israël de Deo inde constat, quia praecipui gubernatores in aula fuerunt duo viri vere colentes Deum, et duces Israëlitarum, Esdras et Nehemias.

Saepe autem iam dixi eodem tempore Haggaeum et Zachariam coepisse vaticinari de aedificatione templi processura. De hoc vaticinio existimant loqui Angelum, cum ait: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem etc. Constituamus ergo initium hebdomadum a secundo anno Longimani.

Huic supputationi grave testimonium addit eventus ipse. Nam ante interruptae erant operae, nunc primum processerunt, et anno sexto Longimani instauratio templi absoluta est. Ideo arbitrantur quidam dici in Iohanne, Quadraginta sex annis aedificatum esse templum. Sunt enim a Cyro usque ad secundum annum Longimani anni 44, quibus impedita fuit aedificatio, etiamsi incoatum erat templum. Postea vero sub Longimano rursus novo decreto concessa aedificatione templum absolutum est intra quadriennium. Ita fient anni a prima incoatione 46.

Sunt autem iuxta Metasthenem a secundo anno Longimani usque ad initium Alexandri anni 145.

7 annis regnavit Alexander post interfectum Darium.

146 post Alexandri mortem usque ad initium ducis Iudae Macabaei, ut clare constat ex libro Macabaeorum.

127 ab initio Iudae Macabaei usque ad Herodis initium.

30 anni ab initio Herodis usque ad natum Christum.

In hac supputatione post Alexandrum secuti sumus librum Macabaeorum, qui numerat annos ab Alexandro usque ad Macabaeos. Nec vero dubium est, singularem fuisse diligentiam in populo Iudaico, in annotanda serie annorum, quare etiamsi haec series aliquanto brevior est, quam altera supra tradita, ex Olympiadum catalogo, tamen hanc propter autoritatem libri Macabaeorum non aspernandam duco.

Sed summam colligamus.

310 ab initio Alexandri usque ad natum Christum. Adde annos a Longimano usque ad Alexandrum 145. Et annos à nato Christo usque ad eius baptismum 30. His annis collectis habebis a secundo Longimani anno usque ad Christum praedicantem annos 485. Iam sexaginta novem hebdomades continent annos 483.

Diserte autem inquit Angelus: usque ad Christum ducem, id est, praedicantem esse hebdomades sexaginda novem. Ac deinde subiicit repetitionem, inquiens: Post sexaginta duas hebdomades occidetur Christus, quo loco ex superiore versiculo etiam repetendae erunt septem hebdomades, sicut antea dixerat: septem et sexaginta novem. Nam postrema hebdomade, quae tantum est dimidiata, Christus suo ministerio perfunctus, crucifixus et resuscitatus est, misit Spiritum sanctum, ac publice edidit praedicationem Evangelii, missis Apostolis ad Gentes.

Ideo inquit Angelus ad Danielem de Christo: Confirmabit testamentum multis, id est, incoabit suum regnum, praedicabit Evangelium, fiet victima pro genere humano, resuscitatus dabit Spiritum sanctum, mittit Apostolos, ut Evangelium doceant, multos in illa dimidia hebdomade donabit aeterna salute. Nam antequam postrema hebdomas tota post baptismum peracta est, Christus anno, scilicet post baptismum suum, quarto, crucifixus et resuscitatus est.

In hac supputatione non interrumpuntur hebdomades usque ad praedicantem et resuscitatum Christum. Et significasse continuam seriem Angelus magis videtur.

Nec comprehendendum est tempus excidii Ierosolymorum in ipso hebdomadum numero, quia post Christi resurrectionem et Evangelii promulgationem misso Spiritu sancto, cum iam politia Iudaica adversaretur Evangelio, reiecta est, sicut in textu dicitur: Et non erit ei populus, scilicet qui fuit.

Praeterea Angelus significat postrema hebdomade futurum, ut pactum confirmetur, id est, ut Christus fiat victima, et resuscitatus incoët novum regnum. Haec cum postremae hebdomadi tribuantur, manifestum est, Angelum non complecti tempus reliquum usque ad Titum, seu excidium Ierosolymorum. Iam antea desierat haec politia esse politia Dei, cum abiecit Filium Dei.

Habes, lector, non intricatas supputationes, quae ex testimoniis non contemnendis sumtae sunt. Sed fortassis homines contentiosi talem subductionem postulant, in qua metae hebdomadum congruant cum ipsis temporum articulis, ad natalem diem Christi, aut diem baptismi. Etsi arbitror prophetiam exacte congruere, tamen qui hanc scrupulosam diligentiam requirunt, non hoc agunt, ut rem explicent, sed ut ea, quae mediocriter sunt explicata, eludant. Quare aut propiora tradant, aut haec cavillari desinant, si quid habent candoris.

Hoc vero piis sufficit, quod vident praefinitum esse tempus adventus Messiae, videlicet post reditum ex Babylone circiter annos 490. Et oportuisse nasci Messiam adhuc durante politia Iudaica. Haec testimonia nobis hic praecipue observanda sunt. Et quanquam articulos temporum difficile est constituere, tamen hoc apparet congruere hos annos 490, vel a Cyro ad nascentem Christum, vel a Longimano ad baptismum Christi. Nam series annorum post Alexandrum notior est. Ab Alexandro si retro quaerantur anni iuxta Graecos ad Longimanum, magis etiam quadrabit computatio. Constat Alexandrum coepisse regnare Olympiade 111.

Iam si retro numeres annos, certum est ex Polybio diligentissimo et fideli scriptore captas esse Athenas a Lysandro Olympiade 92. Habebis ergo annos 76, aut circiter. Nam articulum

ipsum difficile est constituere. Duravit autem bellum illud tempore Periclis motum, aliquanto ante Darium Nothum annos 27. Si igitur coniunges annos, ab Alexandro ad initium belli Peloponnesiaci, habebis annos 103. Haec a Graecis certa fide traduntur. Reliquum est tempus regni Longimani, qui circiter 40 annos regnavit. Consentaneum est igitur, quod antea posuimus ex Metasthene, a Longimano ad Alexandrum esse annos 145.

Ita collatio historiarum ostendit has computationes omnes, quas recensui, congruere, nec procul aberrare, etiamsi ipsi temporum articuli seu momenta non exactissime monstrantur, summa tamen rei tenetur. Et spero eruditos et candidos probaturos esse, cum studium nostrum in inquirenda temporum serie et collatione historiarum, tum vero etiam ipsas supputationes.

Illud iterum monendi sunt lectores, ut cogitent, quid piis haec concio Angeli, et hoc testimonium utilitatis adferat. Perspicue refutantur multa Iudaeorum deliramenta. Nam cum durante politia Iudaica nasci Messiam oportuerit, ut hic dicitur, necesse est natum et exhibitum nobis esse Messiam. Refutantur etiam somnia de mundano imperio Messiae, quod adhuc Iudaei sibi pollicentur. Docemur de passione Christi, et de veris beneficiis, de abolendo peccato, abolenda morte, de restitutione iusticiae et vitae aeternae. Denique summam Evangelii paucis versiculis Angelus complexus est. Prodest igitur haec concio Angeli piis mentibus ad confirmandam fidem, quia vident eventus, qui in Evangelio describuntur, cum praedictione congruere.

Nunc breviter textum percurram.

Septuaginta hebdomades praecisae sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam.

Id est, anni 490 praefiniti sunt seu constituti. Nam id haud dubie significat vocabulum, quo Daniel utitur. Tantisper, inquit, hic populus et urbs vestra, hoc est, urbs et politia servabitur ad id tempus usque, quo finietur praevaricatio, et claudetur peccatum, id est, quo per adventum Messiae delebitur peccatum, cum Christus erit victima, et cum Evangelium revelabitur, delebitur enim in his, qui Evangelio credituri sunt, seu qui postea erunt membra populi Dei. Etsi enim in hac mortali vita manent in his, qui per Evangelium renati sunt, imbecillitas naturae carnalis repugnans legi Dei, et mors corporis, tamen remissio praedicatur, et peccatum est, ut hic dicitur, clausum, tectum condonatione, et incoatur regnum Christi, nova agnitio Dei, nova iusticia et vita aeterna in his, qui ad Christum convertuntur.

Et expiabitur iniquitas.

Hic declarat Angelus priores particulas. Quomodo finietur peccatum? Sic scilicet, quia fiet expiatio, fiet sacrificium Messiae promissum, quo solo pater aeternus placabitur.

Et veniet iusticia perpetua.

Usitatum est Prophetis, cum de regno Christi loquuntur, complecti integram instaurationem, abolito peccato, abolita morte, eo tempore exhibebitur nova et perpetua iusticia et vita, quae in hac mortali vita per Evangelium, et dato Spiritu sancto incoatur, sed postea post resurrectionem erit integra.

Et signabitur prophetia et visio.

Id est, complebitur ac finietur, videlicet, quia promissa in prophetiis de Messia exhibebuntur.

Et ungetur Sanctus sanctorum.

Id est, pontifex et rex ab aeterno patre unctus, id est, missus, ut fungatur munere pontificis et regis, et perfusus Spiritu sancto. Hic inquam: Pontifex et rex Messias ipse tunc aderit, et munere suo fungetur, docebit Evangelium, sacrificium suum offeret, ostendet se esse Dominum, per quem Deus aboleri peccatum et mortem velit, sanctificabit credentes, id est, remittet eis peccata, et effundet in eos Spiritum sanctum. Clare igitur adfirmat tunc adventurum esse Messiam promissum.

Ut autem pontifices et reges ungebantur, sic et Filius Dei, cum mittitur, ungi dicitur, id est, mitti ad functionem sacerdotii et regii muneris, et perfundi Spiritu sancto, ut Iohan. 6. dicitur: Hunc Pater signavit Deus, id est, peculiariter unum hunc ad tantum munus delegit, et misit. Ingens et inenarrabilis est ira Dei adversus peccatum generis humani, nec ulla victima alia, nec alio modo placanda erat, nisi intercessione Filii,

qui se abiecit, ut fieret victima. Hanc victimam unam Pater signavit, delegit, approbavit, perfudit Spiritu sancto, ita, ut ex eius plenitudine caeteri haurirent, ut Baptista inquit.

Hactenus igitur haec dixit: Nascetur et exhibebitur promissus liberator, ac fungetur suo munere post annos 490 durante adhuc urbe Ierusalem ex politia vestra. Haec sententia pios tunc in publicis periculis uberrime consolabatur. Quid enim nobis optatius esset, quam scire mansuram esse in his ipsis locis Ecclesiam, in quibus nostra erit posteritas.

Et scies et intelliges: Ab exitu sermonis de reditu et aedificatione Ierusalem.

Id est, a secundo anno Longimani, quo Deus per vaticinium Haggaei et Zachariae pollicetur aedificationem processuram esse, et quo anno Longimanus decretum edidit, ne impediretur aedificatio. Inde, inquit Angelus, numerabis hebdomadas sexaginta novem, a populi reditu usque ed Christum ducem, seu natum, seu praedicantem. Cum enim nominatim dicat, usque ad ducem Christum, significat iam fungentem ministerio, quod post baptismum palam exercuit. Admonui autem supra non interrumpi hebdomadas, si ad baptismum Christi a Longimano numerentur.

Cur autem iubet 69 hebdomadas numerari, id est, annos 483. Postremam hic non addit, describit enim tempus, quod praecedit baptismum Christi, et pios confirmat, ut sciant interim non delendam esse urbem, etsi magni motus, magnae mutationes regnorum secuturae erant. Et futurum erat, ut Iudaea duriter quassaretur inter vicinarum gentium tumultus. Ideo additur consolatio.

Usque ad Christum ducem hebdomadibus septem et hebdomadibus sexaginta duabus habitabitur Ierusalem, et aedificata erit platea et murus.

Emphasis verborum in hac brevitate vaticinii expendenda est. Diserte inquit: Habitabitur Ierusalem, et erit aedificata etc., hoc est, urbs et politia Iudaica interim non delebuntur. Addit autem textus (In angustia temporum) hoc est, et tamen varie vexabitur Iudaea. Primum in instauratione urbis et templi adversabantur proximae gentes in Samaria, et praefecti Persici. Postea Ochus crudeliter saeviit in Iudaeos. Post Alexandrum cum essent bella inter successores assidua, praesertim inter Aegyptios et Syriacos, Iudaea in medio interiecta, utrisque praedae erat.

Inter haec pericula et mala tamen hic vox divina pollicetur urbem Ierusalem et politiam Iudaicam non interituram esse. Hic pius lector imaginem verae Ecclesiae Dei et laborum Ecclesiae consideret. Non minus miraculum fuit reductio ex Babylone, et instauratio politiae, quam olim fuerat eductio populi ex Aegypto. Primum a Cyro concessus est reditus, aliquanto post Cyrus ex regno discedens in bello interficitur.

Amisso hoc patrono beneficium concessum Iudaeis rursus eripitur. Hic quanto in dolore fuit Daniel? Lugebat regem amicum, videbat inimicos verae doctrinae gratulaturos sibi esse interitum Cyri, et impiae factionis potentiam iterum confirmaturos esse, ut sunt in aulis vices. Haec viri sapientissimi Danielis animum non leviter excruciabant. Sed is tamen se hac consolatione sustentabat, norat Dei promissiones certas, veras et ratas esse, etiamsi eventus mirandi sunt, nec nostris coniecturis respondeant. Nam hac doctrina oportet nos in Ecclesia instructos esse, ut fide petamus et expectemus eventus. Tandem rursus concessa aedificatione, quam variae aerumnae, quam varii tumultus intervenerunt.

Ita Ecclesia semper exercetur inopinatis et variis terroribus et difficultatibus. Nos nunc in instauratione Ecclesiae Dei in scholis et in templis, quibus conflictamur difficultatibus? undique obiiciuntur impedimenta domi et foris, sed consolemur nos illo exemplo veteri instaurationis Ierosolymae.

Et post hebdomadas sexaginta et duas excidetur Christus.

Hic repete ex superiore versu septem, sicut antea dixit: Post sexaginta septem et duas, id est, post sexaginta novem hebdomadas, videlicet post annos 483 Christus interficietur, et fiet victima pro Ecclesia. Antea dixit, mansuram esse urbem et politiam, donec veniat dux Christus. Nunc expresse concionatur de Christi passione, et perspicuum est testimonium de morte Messiae, qualia sunt et apud Esaiam cap. 53.: Abcissus est de

terra viventium. Item: Ponet animam suam hostiam pro peccato.

Haec cum sint perspicue dicta, non sunt alienis interpretationibus depravanda, ut faciunt caeci et scelerati Iudaei, qui quia somniant Messiam occupaturum imperia mundi, et regnaturum Alexandri aut Augusti more, corrumpunt dicta de passione Messiae. Non enim intelligunt qualis sit liberatio a peccato et a morte, promissa primis patribus. Fingunt pueriliter eo tantum mitti Messiam, ut in hac mortali, misera et fragili vita cumulet opibus et voluptatibus posteros Abrahae. Nec cogitant longe maiorem liberationem primis patribus promissam esse, qui intelligebant, quas res amiserit humana natura, scilicet firmam agnitionem Dei, perpetuam iusticiam et vitam. Ideo Esaias vocat Messiam patrem aeternae vitae. Et cap. 53. cum de morte eius concionatus esset, addit concionem de eius resurrectione et regno aeterno.

Itaque repudiatis Iudaeorum corruptelis, ipsum audiamus Angelum, *τὸ ῥητὸν* teneamus, simus disciputi vocis divinae, eamque dextre intelligamus, non adfingamus ipsi interpretationes, omissa verborum significatione.

De persona loquitur, cum nominat Messiam, ac de illo ipso, quem in proximo versiculo nominavit sanctum sanctorum, hic, inquit, excidetur, sicut et Esaias ait: Abscissus est de terra viventium. Meminerimus ergo hic certum et perspicuum testimonium tradi de morte et supplicio Christi. Sed id cum legimus aut audimus, circumstantias etiam cogitemus, sumtas ex aliis locis Prophetarum, cogitemus et de resurrectione. Ideo adficitur supplicio, ut fiat victima pro peccatis generis humani. Id Esaias declaravit pluribus verbis in eo capite, quod toties iam citavimus. Quia ponet animam suam hostiam pro peccato, videbit semen longaevum. In hoc dicto mors, ratio victimae, resurrectio, et regnum comprehenduntur.

Lex habuit antea victimas, sed non placarunt iram Dei. Haec una victima placat. Hoc vere est inenarrabile consilium Dei, sed utrumque ostendit, irae Dei et misericordiae magnitudinem. Cum enim nullius hominis virtus aut obedientia placare iram Dei potuerit, nisi unius Filii obedientia ac mors, necesse est veram, ingentem et inenarrabilem iram esse. Rursus vis amoris ingens est, quod Filium nobis donavit, quod tali dato pignore nos ex aeternis cruciatibus reducit, et certos reddit nos a se diligi, sicut inquit Filius ipse: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit etc.

Denique in hoc brevi dicto lector universam doctrinam Evangelii cogitet de beneficiis, quae propter Christi mortem nobis data sunt. Cogitet item doctrinam de fide et invocatione. Nam beneficia illa fide accipienda sunt: Ita tibi vere placatus et propicius est Deus aeternus pater, cum fide propter Filii mortem statuis eum tibi propicium esse, et hac fide invocas. Hanc fidem vult ut in invocatione adferas, ut Rom. 5. dicitur: Per hunc habemus accessum. Item ad Heb. 4.: Habentes pontificem Iesum Filium Dei, qui potest compati infirmitati nostrae, Accedamus cum fiducia ad thronum gratiae. Haec satis sit hic breviter attigisse, quae copiosius explicantur in epistola ad Romanos et alibi, quoties de iustificatione dicitur.

Et non erit ei populus.

In textu maior etiam brevitas est in hoc membro. His verbis (Et non ei) seu (Et non ad eum) necesse est intelligi non esse ei gloriam, seu populum. Et ut potius intelligamus de populo, movet sequens sententia de excidio urbis et templi. Hic populus mox desinet esse Messiae ac Dei Ecclesia, sicut in Iohanne breviter dicitur: Et sui eum non receperunt. Reiecta est gens Iudaica propter Evangelii contemtum. Et rursus collecta est Deo Ecclesia ex reliquiis huius populi et ex Gentibus, ut saepe in concionibus Evangelii praedicitur, et postea disputat Paulus de vocatione Gentium.

Et civitatem et Sanctuarium destruet populus ducis venientis.

Id est, Titi exercitus.

Et finis eius diluvium, et usque ad finem belli definita seu constituta desolatio seu vastitas.

Id est, Deinde sequetur finis populi Iudaici et politiae Iudaicae, ex quo non rursus emerget, ut antea ex Babylonico exilio rediit, sed velut obrutus diluvio funditus peribit.

Et quidem acre et difficile bellum erit. Nam Romani non sine multis et variis certaminibus Iudaeos oppresserunt, sed postquam erit debella-

tum, mansura est perpetua vastitas et solitudo. Nunquam sacerdotium Leviticum, nunquam regnum aut principatus Iuda, nunquam politia Mosaica, nunquam civitas Ierosolyma restituetur. Sed ut Oseas inquit, deinceps Gentes vocabuntur ad societatem populi Dei, Eruntque populus Dei, omnes, qui Evangelium Messiae amplectentur, ut Rom. 9. et 10. dicitur.

Constat Iudaeos post Titum aliquoties conatos esse suam politiam restituere. Sub Adriano convenerat multitudo Iudaeorum undique collecta, et patriam armis invadebat: sed ab Adriano profligata et deleta est. Postea Iulianus odio Christiani nominis concessit Iudaeis rursus urbem et templum condere. Incoatum est opus, collecta ingenti pecunia: sed terrae motu aedificatio impedita est, et magna multitudo hominum saxis et ruderibus quassatis oppressa est. Narrat etiam Nazianzenus passim vestibus populi figuras crucis prodigiose impressas esse. Absterriti ergo Iudaei coelestibus signis incoatum opus reliquerunt, quia Deus decrevit, ne politia Iudaica restistuatur. Vult conspici exemplum irae ab omnibus gentibus, quod Filii contemtum horribilibus suppliciis puniat. Vult etiam sepultam esse politiam Moisi, ne confirmetur opinio de ceremoniis: Homines lege seu ceremoniis iustos esse.

Et confirmabit pactum seu testamentum multis.

Addit declarationem superiori concioni, quia non satis est de morte Christi et de exitio populi dicere. Addenda sunt etiam testimonia de resurrectione, de regno et de beneficiis Christi. Item de reliquiis populi, quae liberantur, sicut caeteri Prophetae promiserunt, ut Esaias ait: Reliquias salvas fore, hoc est, non pontifices, non principes, non robur populi, sed coetum exiguum et spretum.

Cohorresco intuens hoc tam triste exemplum, Cur gloriantur nostri pontifices se esse Ecclesiam, non posse prorsus abiici suum coetum? Cur nos confidimus propter professionem esse filios Dei? Si non pepercit Deus posteris Abrahae et Prophetarum et aliorum, qui res maximas gesserunt: quid fiet de nostris pontificibus, qui Evangelium contemnunt? Quid de nobis, si indulgebimus pravis cupiditatibus, ambitioni, livori, avariciae, luxui, et tantum propter professionem arrogabimus nobis augustum Ecclesiae titulum.

Sic autem inquit Angelus:

Confirmabit Messias testamentum multis una hebdomade.

Id est, Postrema hebdomade palam Christus Evangelium praedicabit, addet testimonia, vocabit multos ad Evangelium et vitae aeternae societatem, fiet victima, et resuscitatus incoabit regnum aeternum, ostendet se esse datorem iusticiae et vitae aeternae, mittet Apostolos ad colligendam Ecclesiam, donabit eos Spiritu sancto.

Haec fient in dimidiata hebdomade, id est, non confectis annis septem. Nam a Christi baptismo ad resurreetionem sunt anni tres et aliquot menses. Accedit et tempus Pentecostes, intra hoc tempus pactum confirmatum est, id est, exhibitae sunt promissiones novi Testamenti, praedicatum Evangelium de remissione peccatorum, Filius Dei factus est victima, resuscitatus incoavit regnum aeternum, misit Apostolos, dedit Spiritum sanctum, coepit colligere Ecclesiam quam sanctificat, gubernat, et donaturus est vita, luce, iusticia, gloria aeterna. Haec propria Christi opera et beneficia vocat confirmationem pacti, id est, exhibitionem promissionum, quae sunt factae ad Patres et Prophetas, sicut apud Ieremiam dicitur cap. 31.: Ecce dies venient, et feriam cum domo Israël pactum novum, dabo legem meam in corda eorum, ero Deus eorum etc.

De hoc ipso foedere, quod in Prophetis copiose describitur, Angelum loqui nihil dubium est, cum ait: Confirmabit pactum seu foedus multis. Iam pius lector promissionem Evangelii et vitae aeternae datam inde usque ab initio cogitet, ut beneficia Filii Dei diligenter reputet animo, ut agnoscat et vere invocet hunc Messiam, et liberatione per eum donata fruatur.

Et in dimidio hebdomadis cessare faciet hostiam et oblationem.

O triste vaticinium, tristem vocem Iudaeis ignorantibus Evangelium, et admirantibus atque amantibus suas ceremonias, et ritus pulcerrimos a Deo traditos, tantorum Prophetarum et ducum consuetudine comprobatos. Amamus enim patrios mores, et aegre ferimus eos reiici ac damnari.

Sed Danieli et piis intelligentibus Evangelium gratissima est haec vox Angeli, quae testatur prius ceremonias illas fuisse signa et typos

venturi sacrificii. Exhibito autem ipso Messia, signorum finem fore, rebus exhibitis umbras cessaturas esse. Messias incoavit iusticiam et vitam aeternam dato Evangelio et Spiritu sancto. Haec ingentia beneficia agnoscamus et accipiamus, nec spectacula ceremoniarum veterum, in quibus hae res adumbratae fuerunt, requiramus.

Est ergo sententia. In dimidio hebdomadis, postquam Christus suum sacrificium fecerit, resurrexerit, et dederit Spiritum sanctum, postea reiectae fuerunt ceremoniae Leviticae. Ideo postea Apostoli, ut in Actis narratur cap. 15. perspicuo decreto abrogarunt circumcisionem et reliquos Leviticos ritus. Et dimicat eadem de re acerrime Paulus, ut constat. Observetur ergo apud Danielem hoc testimonium, quod adfirmat, post Messiae praedicationem cessaturas esse Leviticas ceremonias.

Et super alam abominationes desolationis, et usque ad consummationem definitam stillabit super vastitatem.

Haec ultima pars vaticinii continet vere tristem sententiam. Superiores versus res laetas promiserunt, duraturam esse politiam usque ad Messiae adventum, venturum esse Messiam, daturum beneficia aeterno foedere patribus promissa. Sed addita fuit sententia de excidio civitatis. Est autem multo tristius, quod hic de templo dicitur: Hoc ipsum templum, in quo Deus olim invocari voluit, ubi exaudivit, quod defendit, iam ita diris execrationibus damnatur, ut dicat deinceps, post Christi praedicationem fore sedem execrandi idoli vastantis cultum Dei.

Etsi autem et huic loco Iudaicae corruptelae tenebras inducunt, tamen nihil dubium est hoc dicere Angelum, in templo futura esse idola execranda, post quae secutura sit perpetua vastitas et solitudo. Sic interpretatus est Christus ipse hunc textum: Cum videbitis abominationem desolationis, dictam per Danielem Prophetam, stantem in loco sancto (qui legit intelligat), Tunc qui sunt in Iudaea fugiant etc. Signum excidii Ierosolymae, et interitus gentis Iudaicae, fore inquit, Cum in loco sancto stabit idolum, quod vocat Ebraica consuetudine *βδέλυγμα*. Quanquam autem Angelus totum cultum intelligit fore idolum execrandum, postquam pontifices interfecerint Messiam, tamen ut conspici ira Dei possit, permisit Deus post resurrectionem templum multis tetris exemplis prophanari.

Et quanquam pii intelligebant, cultus ipsos pugnantes cum Filio Dei, res esse damnatas a Deo, seu sacrificia eorum, qui adversabantur Evangelio, displicere Deo, et vere esse idola et *βδελύγματα*, quia nulla invocatio placet Deo nisi ea, quae fit in agnitione vera et fiducia Filii mediatoris, Tamen arbitror etiam externas prophanationes accessisse incurrentes in oculos, ut vexilla Tiberii et caedes factas in ipso templo, cum Iudaei vexilla eiicere conarentur, et fortasse statuas Caligulae, etsi Iosephus eam historiam aliquanto aliter narrat. Fuisse enim aliqua tetra signa incurrentia in oculos, quae pios admonuerunt de praedictione Danielis et Christi, et significarunt instare tempus excidii, consentaneum est.

Ut nunc ad opiniones pravas Episcoporum, Canonicorum et Monachorum accedunt externae notae, incurrentes in oculos, quae commonefacere mediocres homines possunt, cultus hostium Evangelii damnatos esse. Fit concursus ad certas statuas, petitur ab hominibus mortuis auxilium et salus, prorsus ut olim ab Hercule, Castore, Polluce et similibus. Coenae Domini multiplex est et manifesta prophanatio, ut infra dicam. Quid caetera commemorem, vagae libidines sacrificulorum certe *βδελύγματα* sunt, et testantur Deo displicere hoc genus sacrificulorum, quod pene in epicureo contemtu Dei vivit. Ita fuisse insignes notas externas impietatis apud Iudaeos post Christi resurrectionem existimo.

Sed verba textus expendamus. Res ipsa loquitur Iudaeos propter inscitiam quaedam membra hic insulsissime interpretari. Ut autem ociosam prolixitatem fugiam, deliramenta Iudaica omittam, et breviter interpretationem recitabo. Verba haec sunt in textu:

Et super alam erunt abominationes desolationis.

Mirantur multi hanc figuram, cum dicit: Super alam. Sed expedita, simplex, concinna et perspicua est enarratio. Super alam, id est, super Cherubim stantes in tabula propiciatorii in sancto sanctorum.

Sic Christus interpretatur, qui ait, *βδέλυγμα ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τοῦ Προφήτου ἑστὸς ἐν τόπῳ ἁγίῳ*, id est: Seu idolum manu-

factum stabit in illo ipso loco Cherubim, qui fuerat sedes Dei, ut constat ex 25. cap. Exod., seu cultus ad illum locum et invocatio, quae fit cum contumelia Filii Dei, erit idolum et res damnata. Nunc proh dolor non difficile est exempla monstrare in templis, in invocatione mortuorum hominum et prophanatione Coenae Domini, haud dubie coluntur et invocantur idola, quae sunt posita in praecipuo loco, id est, sunt praecipui cultus in templis hostium Evangelii.

Erit atrocior tota haec Angeli concio, si quis cogitabit totam descriptionem de propiciatorio et arca. Nihil potuit dici aut cogitari tristius apud pios, quam pollui hanc veram Dei sedem, ubi Deus promiserat certo se exauditurum esse vota populi sui.

Cur nominat abominationem vastatricem. Usitata figura est Ebraeis, idolum vocare abominationem seu *βδέλυγμα,* id est, rem, quam Deus execratur et damnat. Et execratur ac damnat ideo, quia ei falso tribuitur honos Deo debitus. Ut cogita statuam Mariae, quales multas multi viderunt, ad quam concurritur, et alligatur ad eam seu Mariae seu Dei praesentia contra mandatum Dei. Ibi putatur seu Deus magis propicius, seu Maria benignius audire preces, quoquo modo haec fucantur, cultus est impius et damnatus a Deo. Tale idolum et talis cultus est *βδέλυγμα,* id est, res damnata a Deo, ac ideo damnata, quia invocatio non recte fit ad Deum. Recitavi exemplum, ut vocabuli usus magis intelligi possit.

Cur autem addit *βδέλυγμα ἐρημώσεως*? Ebraismus est, et significatio effectus, quasi dicat: Idolum vastans, quia idolum positum in templo Ierosolymae post resurrectionem fuit signum vastationis et eversionis totius templi et politiae. Impius cultus erat causa excidii. Externae profanationes fuerunt signa excidii. Intelligas ergo *βδέλυγμα ἐρημώσεως* rem damnatam, vastatricem.

Est autem vastatio duplex: Prior doctrinae, opinionum, invocationis. Altera posterior poena ipsa, scilicet exitium populi. Ut si dicas: Statua Mariae est vastatrix primum verae doctrinae de Christo mediatore, de invocatione Christi. Postea etiam attrahit poenas, sicut haud dubie regna, quae titulum Ecclesiae habent, propter idolomanias evertuntur et ruunt.

Sequens particula repetit sententiam, videlicet: Cum post natum Messiam evertetur urbs Ierosolyma, nunquam postea futuram esse instaurationem aut restitutionem urbis Ierosolymae, templi, sacerdotii Levitici et politiae Iudaicae. Hanc praedictionem comprobat eventus iam annos 1470. Id tempus aliquanto longius est, quam tempus a Davide, qui cepit arcem, et condidit civitatem Ierusalem, usque ad eversionem a Tito factam. Sunt enim anni a Davide ad hanc eversionem a Tito factam 1150.

Tradidi enarrationem huius utilissimi capitis, et temporum subductionem, quam potui nunc quidem minime intricatam, quam tamen iudicio eruditorum libenter permitto, quos rogo, ut studium meum boni consulant. Non multum discrepat haec subductio, quam exposui, ab ea, quam clarissimus vir D. Lutherus in Chronico suo recenset, qui annos partim iuxta Philonem, partim iuxta librum Macabaeorum distribuit. Cum autem videbit lector fere congruere ad eum numerum, testimonia, quae et nos ex historiis certissimis adiecimus, consensu movebitur, ne has supputationes aspernetur.

Prodest autem studiosis haec temporum inquisitio, fit enim gratior et dulcior lectio Prophetarum, cum mediocriter intelliguntur, haec autem ad alendam pietatem conducit. Deinde iuvat considerare hoc consilium Dei de numero annorum et de excidio revelato. Nobis post eversam Ierosolymam propositum est certum testimonium, quod docet Messiam exhibitum esse, ita pios ante natum Christum numerus annorum admonebat, quo fere tempore Messiam visuri essent.

Cogitemus autem gravissimas esse causas, cur Deus hac tanta de re, de Filii missione, Ecclesiam voluerit certam esse. Simus grati, quod Filium exhibuit, quod Ecclesiam his testimoniis confirmavit. Praedicemus beneficium, inquiramus testimonia, conferamus historias, ut testimonia fiant illustriora, hoc studium certe pios decet. Et ipsarum historiarum ac temporum series obiter multa de providentia divina, de poenis impiorum, de Ecclesiae forma, aerumnis et defensione monet. Haec exempla Deus vult considerari, ut nos de multis magnis rebus admoneant, sicut Psalmus inquit. Denique non retro animo legere et contemplari rerum initia, Ecclesiae exordium, mutationes, instaurationes, gubernationem, non conferre tempora depravatae religionis, ad antiquitatem verae doctrinae, negligentia est admodum vituperanda in homine literato.

Postquam autem totius capitis enarrationem absolvimus, iam studiosus lector repetat animo praecipuos locos, ut quam haec lectio utilitatem attulerit, consideret. Initio traditur doctrina de poenitentia, de fide ac vera invocatione. Hic locus continet illustre testimonium consensus prophetici et apostolici. Nam prorsus congruit sententia Danielis cum Paulo, cum inquit Daniel: *Precamur non propter iusticiam nostram, sed propter miserationes tuas multas.* Et quidem addit: *Propter Dominum*, videlicet propter promissum liberatorem.

Haec prorsus congruunt cum Paulinis concionibus, quae dicunt: Nos fide recipi propter Dominum mediatorem, non propter nostram dignitatem. Nec aliud docet Paulus, quam quod monstrat exemplum Danielis, utile est autem piis videre consensum propheticarum concionum et Pauli, ut intelligant unam perpetuam esse sententiam catholicae Ecclesiae Dei, quam professi sunt primi Patres, Prophetae, Christus et Apostoli.

Estque memoria dignus locus, quod nominatim hic invocat, *Propter Dominum*, id est, propter promissum liberatorem. Haec est vera Ecclesiae vox, discernens invocationem nostram ab ethnica et Mahometica: nam Gentes, quae non norunt Filium Dei, non recte invocant Deum, nec statuunt suas preces recipi, quia nullam tenent promissionem. Nos vero scimus aeternum patrem per Filium mediatorem placatum esse, et promissionem traditam, quod propter hunc preces nostras recepturus sit. Ideo Christus inquit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

Discamus igitur hanc esse invocationem veram, petere propter Filium mediatorem, et fiducia misericordiae propter ipsum promissae aeternum patrem invocare. Econtra vero ethnicas et Mahometicas invocationes execremur, quae Filium Dei vel non norunt vel contumelia efficiunt. Depravata est invocatio, et apud adversarios nostros, qui doctrinam de fide obruunt, nec docent fiduciam mediatoris ad Deum adferendam esse, sed vel fiduciam propriae dignitatis, vel dubitationem, quae nihil differt ab ethnica invocatione. Habes igitur in hoc capite doctrinam utilem toti vitae.

Sequitur vaticinium de tempore adventus Messiae, de morte Messiae, de delenda politia Iudaica. Hic locus manifestum testimonium continet de duobus articulis, de quibus maxime litigant Iudaei. Docet Messiam exhibitum esse, quia venturus erat adhuc durante politia Iudaica. Docet item regnum Messiae non fore mundi imperium seu Mosaicam politiam, quia hic manifeste et multis verbis dicitur, Mosaicam politiam delendam esse.

Ergo sic regnat Messias resuscitatus, ut dato Evangelio vocet ad vitam aeternam eos, qui ipsum agnoscunt esse propiciatorem, et incoet in eis per Spiritum sanctum novam lucem et obedientiam, deleat peccata, et sit daturus vitam aeternam iis, in quibus lucet fides, et iusticia nova incoata est.

Caput X.

Revelatio, quae describitur in superiori capite, facta est anno primo Cyri, quo aliquanto post hanc revelationem, Cyri edictum de restitutione Ierosolymae propositum est, et redire aliqua Iudaeorum agmina coeperunt, ac incoarunt aedificationem. Omnia tunc laeticiae, gratulationum ac bonae spei plena erant, pii gratias Deo agebant, quod Ecclesiae reddebatur vetus sedes, templum, cultus, celebrabant vaticinium Ieremiae, laudabant Deum, qui voce Ieremiae mirabiliter servaverat gentis reliquias. Erat iunioribus dulce videre maiorum patriam, templum, cultus divinitus institutos, frui libertate, studiis piis, agnoscebant etiam hoc suum exilium profuisse ad doctrinae propagationem. Videbant Cyrum et multos alios ad veram pietatem conversos esse, et gaudebant se habere faventem regem, qui imperio et virtute tunc omnibus regibus antecellebat. Haec gaudia seni Danieli etiam exilium leniebant, qui tunc abfuerat a patria annos 86. Nam abductus est ante Ieconiam, ut testatur initium primi capitis.

Sed vide, lector, imaginem Ecclesiae. Haec tanta gaudia post triennium sequitur tristissimus luctus. Discedit ex regno Cyrus, prohibetur novo edicto aedificatio templi. Aliquanto post ipse Cyrus interficitur. In aula fit rerum omnium conversio, excluduntur, urgentur odiis, opprimuntur pii, qui antea autoritate apud Cyrum valuerant. Renovantur ethnicae superstitiones, principes impii, inimici verae doctrinae vocantur in aulam. Hic Daniel in quanto luctu fuerit, nemo satis explicare potest. Dolebat regis amici casum, dolebat contumelia affici nomen Dei, praecipue

vero excruciabatur Iudaeorum tum imbecillitate, tum perversitatibus, quorum multi iam nullam spem esse restituendae urbis, et frustra sibi verba dari a Prophetis dicebant. Alii etsi non prorsus desperatione frangebantur, tamen dehortatores erant suis, ne properarent redire in patriam, sed iubebant expectari tempora tranquilliora, ridebant stulticiam eorum, qui incerta spe moti, statim ex Chaldaea discesserant.

Ut igitur initia fuerant laeticiae plena, ita nunc boni sunt in luctu, squalore, tristicia. Econtra vero pars Iudaeorum, quae suum ocium relligioni anteferebat, fremit indignatione distrahit voluntates suorum, perturbat bonos.

Habes Ecclesiae imaginem, quam Deus vult et exerceri afflictionibus, et fide expectare liberationes. Et cum liberat, tamen eventus non respondent nostris coniecturis. Cum Cyri beneficium impeditum esset, postea magis conspici potuit, a Deo gubernari hanc liberationem, cum tot impedimenta incidissent, quae humanis consiliis tolli non poterant.

Nova igitur visio exhibetur iam Danieli, non solum ut ipse et caeteri pii in hoc praesenti periculo confirmentur, sed etiam, ut posteritas praemoneatur de praecipuis mutationibus imperiorum, et de iis calamitatibus, quae Iudaeae impendebant. Saepe autem iam dictum est, quare utile sit praemoneri pios. Discunt vitare causas calamitatum, videlicet ea scelera, quibus caeteri accersunt poenas, praeparare animos, ne in ipsa calamitate adsentiantur impiis, expectare liberationem, praesertim, cum intelligent clara voce Dei promissos esse laetos exitus horum certaminum. Sed de his utilitatibus infra rursus dicendum erit. Nunc breviter huius capitis praecipuos locos percurram.

Angelus pius narrat Danieli se dimicasse cum principe Persarum, id est, cum diabolo moliente dissipationes regni Persici. Etsi enim ignoramus, quomodo pugnent inter se boni et mali spiritus, tamen certamina esse non dubium est, sive disputatione fiunt, sive aliis modis. Ait ergo bonus Angelus repressum a se esse malum spiritum, qui Cambysen iuvenem et aulicos impios incitabat, vel ad delendam gentem Iudaicam, vel ad interficiendum Danielem, vel ad alias res malas tentandas, quae novos motus in regno allaturae erant, sicut interdum leve erratum, quod initio contemnitur, postea ingentem ruinam trahit.

Alii aliter de sententia huius capitis disputant, sed iudico hanc esse simplicissimam enarrationem. Adfuit autem bono Angelo dux Michaël, quem cum hic et infra vocet ducem populi Dei, intelligo esse ipsum Filium Dei λόγον, ut a Iohanne nominatur. Hunc ducem et supra scribit interesse colloquio in capite octavo, ubi Angelus ab illo Domino petit interpretationem visionis.

Adesse eum et in hoc colloquio, ac Danielis labra attingere, et consternatum recreare apparet. Semper enim adfuisse Filium Dei Ecclesiae, eamque defendisse contra furorem diaboli certum est. Ideo Iohannes inquit: Omnia per ipsum facta sunt. Loquitur enim non tantum de conditione rerum, sed etiam de gloriosis liberationibus Ecclesiae. Texit populum in mari rubro et in deserto, defendit Iosue, Gedeonem, Samuelem, Davidem, Eliam, Elisaeum, et alios fideles gubernatores sui populi.

Ideo inquit Iacob: Benedicat his pueris Angelus, qui me eripuit ex omnibus malis. Haec verba conveniunt ad Filium Dei, qui vere liberat ab omnibus malis, videlicet a peccato, ab ira Dei, a morte aeterna, ab insidiis diaboli. Non enim sine causa nominatim dicitur, ab omnibus malis. Haec gloria non potest tribui ministris angelis, qui etiamsi protegunt corpora piorum, tamen nec peccatum nec aeternam mortem tollere possunt.

Discamus igitur admoniti his locis, Filium Dei λόγον, adfuisse Ecclesiae inde usque ab initio. Erimus enim melius muniti adversus Samosateni furores, cum cogitabimus haec testimonia de Filio Dei, etiam antequam se in carne ostendit, opitulato patribus, et cum eis collocuto. Deinde et hoc statuemus, nunc quoque adesse eum Ecclesiae, opitulari piis, depellere diabolum, et sicut in Epistola Iohannis dicitur, destruere opera diaboli. Accendamur ergo, ut ab eo petamus et expectemus auxilium adversus diabolum undique grassantem et conantem dissipare et delere Ecclesiam armis Turcicis, regum et pontificum negligentia in fovendis Ecclesiis, pravis ingeniis inflammandis, ut serant aut confirment falsas opiniones.

Sed recensere omnes artes diaboli nemo potest. Exempla potius cogitemus. Universa mundi historia ostendit, quam sit acer hostis Dei et generis humani. Vides ex quanto fastigio Saulem detraxerit, quale bellum Davidi intulerit, ut ipsum una raperet in exitium, cum alios tam mul-

tos perdidisset, filium Absolonem, Ahitophel, et haud dubie multos sapientia et virtute antecellentes. Et opinor vix ullum esse hominem, cui non serpens ille insidiator insigne aliquod vulnus in animo faciat, ut languefaciat fidem. Quoties David sedato iam tumultu cogitavit de suo lapsu, de coniugibus vi stupratis, deque aliis scandalis, non solum moesticia renovata est, sed etiam pavore ac dubitatione concussa et languefacta est fides.

Haec cogitent pii, et sint in statione et in excubiis adversus tam dirum hostem, et a Filio Dei petant defensionem et gubernationem. Vocatur Emanuel Filius Dei, et vere nobiscum adest, sed agnosci vult et invocari. Vult etiam nos non per ignaviam ruere quo hostis impellit, sed vigilantes cavere insidias, repugnare illecebris. Si peccant oculi, non indulgeas, si blanditur impia opinio, revoca animum, fuge consuetudinem, colloquia impiorum. Collige animo vera et firma testimonia rectae sententiae. Et simul hosti repugnes, et ducem tuum Filium Dei accersas ut te adiuvet, ut destruat opera diaboli.

Hic praecipuus est locus huius capitis, quod clare nos admonet de his certaminibus, significat praeliari bonos et malos spiritus inter se de Ecclesia et de imperiis. Ut tunc diaboli irritabant adolescentem regem Cambysen, et plerosque principes, ut populum Iudaeorum vel opprimerent vel delerent. Ita nunc irritant Turcicum tyrannum, ut nomen Christi funditus deleat, incendunt pontifices et reges, ut defendant idola, extinguant lucem Evangelii. Et ut tunc diabolus regni Persici dissipationes efficiebat, impellebat Babylonios et Assyrios ad movendas seditiones, ita nunc domesticis bellis implicat principes, ut etiam hac ratione impediat Evangelii propagationem.

Haec dum geruntur, dimicant inter se angeli boni et mali. Regit autem et adiuvat bonos dux noster Filius Dei, et protegit Ecclesiam, et reprimit impetus malorum spirituum. Haec etsi non cernimus oculis, et homines profani fabulosa esse ducunt, tamen re vera ita geri multa illustria testimonia in historiis et dictis propheticis et apostolicis ostendunt.

Notae sunt historiae Iacob, et defensionis populi in mari rubro et in deserto. Postea cum Iosue castrametatus esset ad Iericho, mane, dum situm regionis speculatur, videt quendam stricto gladio coram astantem, qui interrogatus quis sit, respondit, se esse ducem exercitus Dei missum, videlicet, ut multitudini Israëliticae opem ferret. Arbitror autem et hunc fuisse ipsum Filium Dei. Huc adde David, Eliae et Elisaei historias. Et David inquit Psal. 91.: Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Et 34. Psal.: Circumvallat angelus Domini timentes eum, et eripit eos. Cum igitur certum sit Deum Ecclesiae suae angelos addidisse custodes, pericula corporum in obeunda vocatione minus formidemus.

Haec mihi scribenti, quaedam nostri temporis exempla in mentem venerunt. Et quanquam historias plures certas et veras de honestis hominibus et fide dignis, qui adhuc vivunt, narrare possem, tamen unicam recitabo de Simone Grynaeo, qui ad excellentem eruditionem et virtutem adiunxerat veram Dei reverentiam, et maxime Philosophiam illorum detestabatur, qui putant eo se plus videre caeteris, quod vel contemnere religiones audent, vel de omnibus sententiis Pyrrhonio more in utramque partem disputare solent.

In Conventu Spirensi, qui fuit anno 1529, forte ad me ex Academia Heidelbergensi expaciatus erat. Ibi cum Fabrum Viennensem Episcopum audisset in concione quosdam tetros errores defendere, sequitur egredientem ex templo, ac reverenter salutat. Postea narrat se non petulantia aliqua, sed bono studio moveri, ut quaedam dicat. Non detrectat Faber colloquium. Ibi Grynaeus dolere se ait, quod vir instructus doctrina, et antecellens autoritate, confirmet errores palam contumeliosos adversus Deum, et quos constet manifestis testimoniis antiquitatis ecclesiasticae refutari posse. Scribit Irenaeus Polycarpum solitum aures obstruere audientem portentosos errores fanaticorum hominum. Quo te animo, putas, audisset iam Polycarpus disserentem, Quid mus comedat arrodens panem consecratum? Quis non deploret Ecclesiae tenebras? Interpellat Faber plura additurum, ac interrogat nomen. Nihil dissimulat hic, sed placide fatetur se Grynaeum esse.

Erat omnino Faber, ut multi norunt, flagitiose timidus in congressib. doctorum, vel potius erat, ut veteri proverbio dicebatur: Nullus, magnus, malus piscis, id est, pavidus, procerus, insidiosus et infans. Quare cum Grynaei erudi-

tionem, eloquentiam, copiam, ardorem animi, praesertim in tali causa metueret, simulat se a rege vocatum esse, nec esse nunc ocium ad disputationem de re omnium maxima pertexendam. Simulat se maxime cupidum esse et amiciciae Grynaei et colloquii longioris. Et cum sua causa, tum propter Rempublicam orare incipit, ut cras ad se redeat, monstrat hospitium, et horam constituit. Grynaeus serio haec dici putans non gravatim promittit.

Relicto igitur Fabro ad nos recta accedit. Vix adsederat mensae, iam enim coenae tempus erat, et recitaverat partem disputationis mihi et aliis. Cum ego adsidens ad mensam, subito ex conclavi evocor. Hic me, nescio quis senex, singularem gravitatem vultu, oratione et vestitu prae se ferens, nec quis fuerit unquam resciscere potui, alloquitur, ac narrat, mox adfuturos esse in hospitio nostro lictores, missos iussu regis, apud quem Faber Grynaeum accusasset, ad abducendum Grynaeum in carcerem. Iubet, ut statim ex urbe discedat, ac hortatur ne contemur. Ita dicta salute senex abit.

Ego ad sodales redeo, iubeo ut surgant, ac narro quid senex nunciarit. Mox per publicam plateam deducimus Grynaeum acceptum in medium agmen, et ad Rhenum pergimus, ubi nos in ripa citeriore tantisper restitimus, donec in alteram ripam Grynaeus cum suo comite in parva cymba transvectus est. Postea reversi in hospitium intelligimus statim adfuisse lictores, cum nos exiguo spacio ab ea domo progressi essemus.

Quanto autem in periculo futurus fuerit Grynaeus, si in carcerem abreptus esset, ex Fabri saevitia, facile aestimari poterat. Quare iudicabamus consilium illud crudele illusum esse divinitus. Et ut affirmare non possum, quis fuerit ille senex μηνυτὴρ, ita lictorum ea fuit festinatio, ut nisi ab angelis tectus fuisset Grynaeus, evadere non potuisset.

Rem autem ita gestam esse, ut narravi, certum est, et norunt quidam boni viri adhuc superstites, qui adfuerunt. Agamus igitur gratias Deo, quod nobis custodes angelos addit, et eo tranquillioribus animis vocationis officia obeamus.

Nunc ad textum redeo. In fine rursus inquit Angelus, se cum rege Persico militaturum esse, adversus Graecos et malos spiritus eorum duces.

Nominat autem Graecos Iavan, seu ut ipsi loquuntur, Iones. Nec dubium est in Prophetis ubique Ionas intelligi Graecam gentem, quae et littus in Asia tenuit, et sedes habuit in vicinis insulis et in Europae parte, quae, etsi saepe mutatae sunt appellationes, tamen tandem communi nomine Graecia dicta est.

Fuit autem Ion seu Iavan filius Iapheth, ut testatur catalogus in Genesi capite 10. a quo propagatos esse Ionas hac quoque coniectura ratiocinari possumus. Quia apud Graecos utriusque nominis memoria mansit Iapeti et Ionis. Euripides poëta fingit Ionem Deucalionis pronepotem fuisse. Sed tota illa narratio Euripidis de rebus recentioribus loquitur, quam quae tribui possint filio Iaphet. Nam Graecis magna ex parte ignotae sunt res veteres ante Pelopem in Graecia gestae. Et arbitror, ut significat Thucydides, primos illos Ionum, qui in Europam traiecerunt, diu incertis sedibus vagatos, non reliquisse certa monumenta suarum rerum. Ita et prima doctrina de Deo apud posteros extincta est, et oblivio secuta rerum veterum omnium.

Porro a diluvio Nohae usque ad bellum Troianum anni sunt circiter mille aut paulo plus. Horum si historiam cogites, non dubium est mansisse Ecclesiam Dei in familiis duabus, Sem et Iapheth, dum vixit pater Noha, et dum ipsi superstites fuerunt. Vixit autem Noha post diluvium annos trecentos et quinquaginta. Sem vero etiam post Abraham vixit. Consentaneum est et Iapheth diu vixisse. Horum igitur aetate fulsit adhuc inter gentes coelestis doctrina, de promissione venturi liberatoris, et de misericordia Dei propter hunc promissa. Item de bonis et castis moribus. Et fortassis ex hac patrum doctrina reliqui fuerunt versiculi, qui de mundi conflagratione, de aeterna vita, de iudicio, et de placatore Dei vaticinantur, qui extant apud Lactantium et alios.

Postea secuta est aetas deterior, et extincta luce doctrinae coelestis, ortae sunt quotidie novae εἰδωλομανίαι, receptae flagitiosae libidines, quas Deus ingentibus bellis et excidiis urbium et gentium punivit. Hae confusiones rerum humanarum magis etiam deleverunt memoriam antiquitatis. Ac multas magnas et exitiales mutationes gentium accidisse intra annos quingentos post Iaphet, credibile est. Quare non est mirandum Graecis non satis notam esse suam originem.

Caeterum singulari consilio Deus in Ecclesia extare voluit primam, imo perpetuam historiam usque ad Messiae adventum, ut sciremus primam hanc esse et perpetuo consentientem revelationem, in qua Deus se patefecit. Ac bona mens valde confirmatur in hac professione, cum intelligit unam hanc esse primam et perpetuo sibi consentientem doctrinam de Deo. Necesse est enim initio aliquem fuisse coetum, qui Deum recte invocarit.

Cum autem in hac prima doctrina Patrum series certa fide tradita sit, nomina saepe indicant gentium origines, ut ab Assur Assyrii, a Canaan Cananaei, ab Elam Elamitae, quorum in Persia nomen mansisse etiam Graeci historici testantur. Ita genti Ionicae nomen suum pater Ion attribuit, a qua cum Graecae gentes aliquae propagatae sint, constat hac appellatione Graecos in Prophetis ubique significari, ut supra Daniel nominat Alexandrum regem Iavan, seu Ionum. Esaias eum educit ex Cithim. Et in libro Macabaeorum Alexander vocatur rex Cithim. Haec conveniunt: nam liber Genesis docet Cithim esse filium Iavan.

Est igitur aliquanto generalius nomen Iavan, quo Graecae gentes significantur, Cithim angustius, a quo non dubium est factum esse nomen *μακέτης*, quod est Macedo. Nam vetustior appellatio est *μακέτης*. Constat autem Macedonicam gentem Graecae cognatam fuisse. Reges certe Graeci fuerunt orti ab Hercule. Et Alexandri mater Olympias fuit orta a Molosso nepote Achillis: Aeacum vero, a quo Achilles ortus est, fuisse Graecum, et tenuisse Aeginam certum est. Praeterea Alexander non solum rex erat Macedonum, sed etiam communi decreto civitatum Graeciae, appellatus est dux Graecorum. Et magnam partem tenebat, Thessaliam, Aetoliam, Phocidem. Denique res eius gestae sunt initio magna ex parte pecunia, machinis et copiis Graecarum gentium. Quare et ipse modestissime in Trophaeo scripsit: *ἀλέξανδρος καὶ ἕλληνες πλὴν λακεδαιμονίων.* Ac de nomine Iavan seu Ionum haec dixisse satis sit.

Illud quaeri potest in hac Angeli narratione. De quibus Ioniae motibus dicatur, excitatis circa extrema Cyri tempora, aut regnante iam Cambyse absente patre? Angelus breviter indicat gentem Ionicam a malis spiritibus incitari ad movendas seditiones. Breviter enim res peregrinas aliorum regnorum attingunt Prophetae. Nec ego adfirmare possum, de quibus motibus haec dicantur. Sed consentaneum est reliquias belli, quod gessit Harpagus in Ionia, cum ibi a Cyro relictus esset, magnas habuisse difficultates.

Gens Ionica, quae omnium maxime floruerat ingeniis et opibus, bis domita est Cyro regnante. Rebellarat enim, cum Cyrus Babylonem peteret. Et fuisse longas urbium oppugnationes Phoceae exemplum ostendit, quae tanta pertinacia adversus Harpagum defensa est, ut tandem universa multitudo civium in ipsa obsidione naves conscenderit, et procul alias sedes quaesiverit. Hi exules urbem Massiliam ad Rhodani ostium condiderunt, et in eam Galliae oram transvexerunt Graecas literas, et disciplinam plenam humanitatis. Potestque ex eius urbis humanitate existimari, quam civiliter antea in Asia gens Ionica vixerit.

Sed luxus sine modo creverat et pepererat libidines et alia vitia. Ideo secutae sunt ingentes calamitates et urbium excidia. Etsi enim in Cyro clementia et bonitas erat insignis, tamen quia Deus constituit et mutat imperia, ut *εἰδωλομανίας,* tyrannides et libidines puniat, mutationes omnes aliquid habent saevitiae. Magnis igitur domita cladibus Ionia, vix tandem in servitutem redacta est, quam adeo tulit impatienter, ut crebras seditiones contra duces Persicos moverit. Et erant ducum imperia superba et crudelia. Ne ipsi quidem Satrapae vicini inter sese diu concordes fuerunt. Nam Oreotes, qui post Harpagum Ioniam rexit, Mitrobaten vicinum et eius filium Cambyse regnante interfecit. Haec exempla ostendunt satis inquietam fuisse provinciam. Fuerunt igitur et angelorum certamina, qui malos spiritus seditionum et discordiarum inflammatores depellebant.

Caput XI.

Iam vaticinia de regnis incoat, ut simul Danielem confirmet, et posteros praemoneat de impendentibus calamitatibus. Estque praedictio testimonium illustre, quod a Deo traditam esse Prophetarum doctrinam ostendit. Et quia pollicetur liberationem, significat Deo curae esse hunc populum, qui doctrinam propheticam am-

plectitur. Confirmantur ergo pii, ne a Deo deficiant, nec abiiciant huius doctrinae professionem.

Pertinet autem postrema pars huius longae concionis etiam ad hanc ultimam mundi aetatem, et ad Ecclesiae aerumnas, quas tulit iam multis seculis: dum alibi Mahometica rabies conatur prorsus delere nomen Filii Dei, alibi regnant Episcopi ethnico more, et studia doctrinae ecclesiasticae negligunt, sinunt extingui lucem Evangelii de vera invocatione in fide seu fiducia Filii Dei, propugnant idola et libidines, iniuste occidunt homines innocentes propter verae doctrinae professionem.

Accedunt interim et alia multa mala, etiam in iis locis, ubi est emendata doctrina, principes impediti negligenter tuentur disciplinam, pauci sunt munifici in alendis Evangelii ministris et fovendis studiis literarum. Confirmat igitur *ἀναρχία* petulantiam malorum, et neglectio literarum novas tenebras et novam barbariem minatur.

Haec mala pii considerent, ut primum a Deo petant, ut ipse suam Ecclesiam servet, regat, foveat et augeat. Deinde si qui possunt aliquibus vulneribus mederi, annitantur pro sua vocatione, ne defuisse eos officio suo Christus in ultimo iudicio accuset: Esurivi, et non pavistis me etc. Aulae, Curiae regant disciplinam, foveant docentes. Eruditi non fastidiant operas aut doctrinam Ecclesiae. Nam maxime dignum est homine philosopho, quaerere veram de Deo doctrinam et celebrare Deum. Adiuvent igitur studia Evangelii, et concordiam doctrinae verae, quadam moderatione et philosophia necessaria piis gubernatoribus, retineant. Sed haec infra suo loco iterum dicenda erunt. Nunc ad historias redeo, quae hic recitantur.

Primum observetur testimonium de Angelorum excubiis. Narrat Angelus se inde usque ab initio adfuisse Dario Medo, ut adiuvaret et stabiliret eius regnum. Fortassis placidus senex fuit, spretus a principibus ac vicinis, ut fieri solet. Hunc tamen defendit pius Angelus, adiuvit in praeliis, gubernavit periculosos eventus. Successus autem prosperi, praesertim cum magna fuerunt pericula, signa sunt divini auxilii. Ideo metum incutiunt hostibus aut invidis. Et apud bonos augent principum reverentiam. Ut Ezechiae et Esaiae populus obtemperabat obsessa urbe, etsi res erat in summa desperatione. Sed boni iudicabant regi divinitus consilia et negocia horum principum. Discamus igitur et nos Angelorum praesidia et petere, et pietate retinere.

Mirae artes nunc exercentur in aulis, et multa sunt consilia insidiosa *καὶ πλεονεκτικὰ*, hanc putat esse politicam sapientiam. Sed discant pii gubernatores non posse retineri imperia sine auxilio Dei. Quare huic obtemperent, faciant officia necessaria, et a Deo expectent defensionem, sicut scriptum est: Qui dat salutem regibus. Nec quaerant infida praesidia, nec incertissimis et fallacissimis hominum voluntatibus nitantur, nec moliantur *πλεονεκτήματα*, nec implicent se non necessariis rebus.

Postea incipit vaticinari Angelus de regno Persico: *Stabunt*, inquit, *adhuc tres reges in Persia.* Hic insigniter hallucinantur Iudaei, qui putant tantum tres fuisse reges Persarum, et amittunt annos ex serie temporum plures quam centum. Possunt autem perspicue refutari per scriptores, qui singulis regibus Persicis coaetanei fuerunt.

Sed Angelus diserte inquit: Stabunt tres reges. Singularis est emphasis in verbo Stare apud Prophetas. Nam stare regnum significat florere, retinere potentiam nondum inclinatam.

Usitata enumeratio est post Cyrum, Cambysen, Darium, recensere quartum Xerxen. Nam Magos inserere suppositicios reges absurdum est. Floruit autem haec monarchia virtute, victoriis et potentia, maxime sub tribus illis primis regibus. Xerxes vero bellum intulit Graecis in Europa, ubi cum victus esset, quassari monarchia, et aliquanto post ruere coepit. Ac reditus Xerxis in Asiam non solum clade exercitus, sed etiam foeditate morum, incesta libidine et crudelitate Xerxis insignis fuit. Statim enim post fugam amare coepit fratris coniugem. Postea cum filiam fratris suo filio dedisset, exarsit et huius iuvenculae amore. Post hanc incestam consuetudinem, cum alia parricidia secuta sunt, tum vero etiam caedes fratris. Tandem et ipse Xerxes ab Artabano interfectus est.

Haec exempla eo recito. Primum ut poenae nos admoneant, ut iudicium et iram Dei timeamus, qui libidines severe punit. Deinde, ut

cogitatione humanae imbecillitatis moveamur, ut petamus a Deo, qui per Filium suum promisit auxilium, ut ipse nos in omnibus vitae consiliis et regendis moribus gubernet.

Natus Xerxes in familia heroica, ex parentibus quorum fuit excellens virtus, habuerat indolem praeclaram, et domestica disciplina diligenter ad virtutem institutus fuerat. Sed cum in tanta potentia et luxu non studet frenare cupiditates, tandem prorsus efferatur. Et immanitatem sequuntur haud dubie poenae.

Haec exempla cum omnes homines, tum praecipue potentes ad modestiam et timorem Dei hortentur. Meminerimus et hoc, quod inquit Filius Dei: Sine me nihil potestis facere. Et quod Ecclesia canit de Spiritu sancto: Sine tuo numine nihil in homine, nihil est innoxium. Quare nos flecti ad virtutem, et regi a Spiritu sancto Dei petamus.

Sed redeo ad textum. Recitavi enumerationem regum usitatam, quam si quis non probat, monstret aptiorem. Nam et ego malim vaticinium de tribus intelligere, Cyro, Dario filio Hystaspis et Artaxerxe Longimano, etiamsi interiectus est Xerxes, qui videlicet eodem tempore bellum gerit in Europa, quo domi regnat Longimanus, qui cum virtute et pietate excelleret, monarchiam quassatam tamen adhuc fulciebat, nec extra Europam multa Persis hoc regnante ademta sunt. Postea secutae sunt defectiones provinciarum Aegypti et aliarum, secutum et bellum civile inter duos fratres, Cyrum iuniorem et Artaxerxen Mnemonem.

Nec alius magis beneficus fuit erga populum Dei quam Longimanus, nam hoc regnante decretum de instauratione templi renovatum est. Et apparet eius praecipuos gubernatores fuisse Esdram et Nehemiam. Respondit igitur virtuti fortuna. Deus regem modestum, pium, benefacientem Ecclesiae protexit ac invit in gubernatione et defensione regni, dedit etiam ei placidum exitum. Huius ergo modestia et pietas imitanda est.

Hactenus de Persis concionatus est Angelus, breviter quidem, sed tamen significans quosdam adhuc florentes reges fore. Sed postea Graecos dilaceraturos esse monarchiam. Incipit igitur de Graecis dicere.

De Alexandro.

Et stabit rex fortis, et dominabitur dominatione magna, et faciet secundum voluntatem suam. Et cum steterit conteretur regnum eius, et dispergetur in quatuor ventos coeli, et non ad posteros suos, nec erit tanta potentia successorum, quanta ipsius fuit, quia extirpabitur regnum eius, et ad alienos transferetur.

Haec verba de Alexandro vaticinantur, quem et supra dixit monarchia Persica potiturum esse. Sed addit fore, ut paulo post dilaceretur monarchia, quia Alexandro multi duces successuri sint, partituri inter se provincias, et dimicaturi inter se de imperio. Ideo inquit, Perventurum regnum non ad posteros, id est, non ad unum aliquem haeredem ex ipso natum, sed ad alienos, videlicet ad duces, qui cum ipso militaverant. Significat autem magnas fore calamitates orbis terrarum, quia bella tam varia successorum factura erant crebras rerum mutationes, quae non fiunt molliter.

Venustissime et sapientissime dixerat Demades, Alexandro mortuo, exercitum eius similem esse Cyclopi effosso oculo. Ut enim illa magna moles, amissa luce oculi, varie errantes impetus et inutiles habebat: ita exercitus sine duce varie ruebat, et nullum certum regnum constituere poterat. Quotidie nova foedera, novae distractiones sociorum fiebant: Qui paulo ante inter se sanctissimis foederib. coniuncti fuerant, postea facti hostes, mutua laninea peribant, ac declarabant nimis veram esse vocem, quae extat in quadam tragoedia Senecae:

Non intrat unquam regium limen fides.

Sed pauca de Alexandro dicamus, ut lector cogitatione horum exemplorum et iudicii divini se ad timorem Dei exuscitet.

Primum, quantis donis a Deo ornatus sit Alexander, considera. Magnum decus fuit, quod caeteris regibus omnibus a Deo praelatus est, et donatus orbis terrarum imperio, opibus, multis gloriosis victoriis. Haec suspiciunt, admirantur, magnifaciunt omnes. Et esse Dei beneficia magnifacienda, verum est. Sed volo alia divina ornamenta longe maiora etiam aspici, quae vulgus non perinde miratur.

Erat in Alexandro admiranda naturae vis, sapientissimos senes consilio vincebat, propter

ingenii sagacitatem, qua et diiudicare optima poterat, et prospicere eventus. Deinde, quanta celsitudo animi fuit coniuncta cum amore iusticiae et moderatione, despiciens pericula et labores. Quanta erga suos benevolentia et comitas. Denique nullius regum Ethnicorum omnium, qui nobis noti sunt ex historiis, tanta virtus fuit Alexandri, cum adhuc sanus esset, hoc est, ante captam Babylonem. Erat igitur ingenium eius longe maius decus, quam ipsa imperii possessio.

His tantis muneribus donatus, non agnovit Deum autorem, et remissa priore animi intentione, dedidit se obscoenis voluptatibus, helluatus est, interfecit ebrius amicos, saeviit in duces fideles et optime meritos, pollutus est libidinibus. His flagitiis addidit manifestas contumelias adversus Deum. Credi voluit se supra mortalium conditionem quiddam divini numinis habere, non agnoscebat se res tantas Deo aeterno iuvante gessisse, sed suae sapientiae et suis virtutibus hanc gloriam tribuebat. Prodibat interdum cornutus, ut Iupiter Hammon, interdum ut Diana: denique intolerabili petulantia ludebat.

Secutae sunt igitur tristissimae poenae. Ipse nondum constituto regno moritur, cum nimium hausisset vini in convivio Amasii. Hac ruina simul oppressa est universa domus. Aliquanto post mater Olympias, soror, uxores duae, duo filii parvi interfecti sunt ab ipsius commilitonibus.

Quod exemplum commemorari potest illustrius inconstantiae rerum humanarum? Huius tanti regis familia et posteritas toto orbe terrarum nullum fidum amicum habuit ex illis ipsis, quibus ipse provincias dederat, et quos evexerat.

Cassander Antipatri filius, qui adolescens apud Alexandrum educatus erat, interfecit primum Olympiadem Alexandri matrem. Postea Roxanen et eius filium Alexandrum. Et praeter hunc alterum filium Herculem ex Barsine natum. Hanc gratiam alumnus principi bene merito reddidit. Narrat haec Pausanias in Boeoticis de Cassandro: *ὁ κάσσανδρος ὀλυμπιάδα γε παρέβαλε καταλεῦσαι τοῖς ἐπ' αὐτὴν μακεδόνων παροξυσμένοις, καὶ τοὺς παῖδας ἀλεξάνδρου, τόντε ἐκ βαρσίνης ἡρακλέα, καὶ ἀλέξανδρον τὸν ἐκ ῥωξάνης ἀπέκτεινεν ὑπὸ φαρμάκων.* Sororem vero Cleopatram praefectus Sardium interfecit, ut Antigono gratificaretur, etsi is negavit suo iussu interfectam esse, fuit enim frater Philippi nothus.

Recensui calamitates familiae Alexandri, quae cum non acciderint casu, profecto nos de ira Dei admonent. Multa Deus flagitia in hac vita punit, et cogitemus restare iudicium post hanc vitam, in quo in aeternas poenas coniicientur omnes, qui vitam non emendant. Brevitas autem huius vitae commonefaciat nos, Deum non tantum praemia et poenas in hac vita proponere, sed multo magis in illa futura aeternitate. Quicquid enim aliquando finietur, breve ducendum est, vita certe hominis breve curriculum est. Sciamus igitur restare iudicium de aeternis praemiis et poenis.

De successoribus Alexandri.

Cum post Alexandri mortem teneret regium nomen frater Aridaeus, apud quem summus gubernator erat Perdiccas, provinciae inter duces distributae sunt, ita ut omnes Aridaeo regi et Perdiccae parere iuberentur. Ambit igitur Perdiccas, quia autoritate plus quam caeteri valebat, coniugium sororis Alexandri Cleopatrae. Et ut tolleret e medio eos, quos obsistere suis consiliis arbitrabatur, iubet interfici Meleagrum, struit insidias Antigono. Qui cum fugisset ad Antipatrum in Macedoniam, missus est Eumenes, ut bellum inferret Antipatro et Antigono, cum quibus et Ptolemaeus se coniunxerat. Ducit igitur exercitum Perdiccas in Aegyptum, ut Ptolemaeum inde expelleret. Sed desertus ab exercitu suo Perdiccas, inficitur a suis equitibus, tertio anno post Alexandri mortem. Ita primus autor seditionis dedit poenas, quae late vagatae sunt. Mox enim et frater Perdiccae Alcetas interfectus est, et eius soror.

Alibi vero, cum Eumenes dimicasset cum Antipatri exercitu, perierunt Craterus et Neoptolemus. Haec fuerunt initia ingentium motuum, tot enim interfectis ducibus, iam odia exarserant, et nova foedera fiebant, et se singuli ad nova certamina praeparabant. Duo autem omnium erant acerrimi, Antigonus et Eumenes. Hi inter se dimicantes reliquos in partes traxerunt. Tandem Antigonus victor cepit Eumenem proditione, deditum a militibus, eumque interfecit.

Fuerat autem Eumenes scriba apud Philippum et Alexandrum, et in his tumultibus ostendit se non suae utilitati servire, sed propugnare haeredes, Alexandri matrem, sororem, coniugem et filios: et quia multum valet in conciliandis et retinendis voluntatibus mediocrium homi-

num species officii, ac praesertim pietatis erga pupillos, hoc titulo veteranos Macedonas sibi adiunxit et devinxit.

Sed secuta sunt longe maiora et difficiliora bella. Mortuo Aridaeo singuli duces sibi vendicare provincias opportunas conabantur. Cassander filius Antipatri, ut retineret Macedoniam, interfecit duos filios Alexandri Magni, ut supra narravi, Asiam tenebat Antigonus cum filio Demetrio. Ptolemaeus Aegyptum, Seleucus Syriam et vicinas provincias ad Persidem usque. Causam vero novi belli inter caeteros Cassandri furiae praebuerunt, qui ut scelerum poenas daret, bellum movit adversus Antigonum, repturus ei quasdam in Asia provincias. Fecerat autem societatem cum Lysimacho, Ptolemaeo et Seleuco, qui crescentem Antigoni potentiam metuebant.

Etsi Antigonus videbat, quanta belli moles impenderet, tamen non frangebatur animo. Et primi successus adversus Cassandrum eum confirmaverunt: hunc iudicavit hostem Antigonus propter interfectam Olympiada, et coëgit tradere urbes et exercitus in Asia.

Postea Seleucum et Ptolemaeum adortus est, id fuit longum et difficile bellum. Demetrius Antigoni filius primum a Ptolemaeo ad Tyrum acie victus est, ubi cum tabernaculum Demetrii instructum apparatu regio cepisset Ptolemaeus, integrum ei apparatum una cum captivis restituit, significans se de gloria, non de opibus certare.

Aliquanto post Demetrius, cum Ptolemaei ducem Cillen et octo millia militum subito oppressisset, ut sine certamine fieret deditio, memor accepti beneficii, cumulate reddidit gratiam: nam et ducem incolumen exercitum Ptolemaeo remisit, iussum Syria excedere. Ita inter se non solum virtute in acie, sed etiam humanitate et moderatione principes illi certabant.

Ad extremum de summa rei dimicatum est ab omnibus regib. non procul ab Epheso. Erant in alteris castris Seleucus, filius Antiochus, Lysimachus, Ptolemaei auxilia. In alteris castris erant Antigonus et filius Demetrius. Nocte ea, quae praecessit pugnam, visus est per somnium Alexander Magnus Antigono dicere, se iam ad hostes transire. Eo somnio eventum sequentis pugnae Antigonus significari arbitratus, filium successorem dixit coram exercitu. Postea in praelio, dum Antiochum Seleuci filium Antigonus effusius insequitur, circumventus ab equitatu Seleuci interficitur, cum iam octogesimum annum attigisset. Dissipato exercitu filius Demetrius fugit Athenas, et aliquanto post bellum instauravit, sed captus a Seleuco non diu superstes fuit patri.

Iam restabant ex ducibus Alexandri duo tantum, qui hactenus socii fuerant Seleucus et Lysimachus tenens Thraciam et Macedoniae partem. Hic Lysimachus cum satelles esset Alexandri, cum Callistheni fuisset familiarior, leoni obiectus est. Sed cum interfecto leone mansisset incolumis, postea Alexandro propter virtutem carior fuit.

Ut autem reliquam historiam Lysimachi omittam, hoc tantum adiiciam: Strabo scribit bellum gerentem cum vicinis Getis in acie captum esse, et ductum in Geticam, ubi rex Geticus, cum ostendisset quotidianam vitae et gentis consuetudinem, quae durissime victitans et robore praestans, facile caeteris nationibus in re militari antecellebat, adhortatus est Lysimachum, ut tales vicinos mallet amicos quam hostes habere, et habiturum amicos, si ipsis arma non inferret: deinde honorifice donatum dimisit, nihil pactus, nisi pacem. Pausanias filium narrat captum esse, sed uter fuit, humanitas laude digna est, et significat in ea gente, quam quidem Geticam fuisse constat, virtutis intellectum et studium fuisse,

Sed hic quoque Lysimachus libidine virtutes suas deformavit, sorores duas duxit, et ex utraque liberos suscepit. Sed altera alterius filium interfecit. Postea mater profuga latebras quaesivit apud cognatos reges. Hinc causa belli orta est inter Seleucum et Lysimachum, quam recitat Pausanias. Periit igitur Lysimachus victus a Seleuco, qui tenens iam maximam monarchiae partem solus ex ducibus Alexandri superest. Itaque tantis elatus successibus, sperat se etiam Macedoniae et Graeciae imperio potiturum esse. Cumque bellum transfert in Europam septimo mense post Lysimachi mortem interficitur a Ptolomaeo κεραύνῳ, qui cum esset frater Ptolemaei Philadelphi regnantis iam in Aegypto, navigarat in Europam, ut Macedoniam occuparet. Nec multo post hic κέραυνος a Brenno duce Celtico vastante Macedoniam in acie interfectus est.

Pene defatigatus sum recitanda horum gladiatorum laniena, in qua si quis humano iudicio

confusionem aspiciat, fortuitas existimet esse regnorum constitutiones et mutationes. At pii aliter iudicent, sciant a Deo puniri tum principum tum populorum scelera, et tamen postea restitui politicum ordinem, alias felicius, alias tristius.

Tandem vero post tot ingentia bella Deus haec regna ita partitus est. Ptolemaei posteritas retinuit Aegyptum usque ad Iulii Caesaris tempora. Seleuci filius Antiochus possedit Asiam et Syriam, sed posteri Asiam amiserunt, occupatam partim ab Eumene Bithynio, partim a Galatis. De Macedoniae possessione diutius certatum est. Sed ad extremum posteritas Demetrii, qui fuit Antigoni filius, captus a Seleuco, ut dixi, tenuit Macedoniam, donec eam Romani occuparunt. Cassandri et Lysimachi filii adolescentes teterrimis parricidiis perierunt.

Ptolemaeus *κέραυνος* ducta sorore Arsinoë, et deinde interfecta, invaserat et ipse Macedoniam. Sed a Brenno interfectus poenas incestae consuetudinis cum sorore, et parricidiorum dedit.

Postea Antigonus filius Demetrii moderatissimus rex, natus lauditissima matre Phila filia Antipatri, Macedonia potitus est, quam etsi aliquoties amisit, tamen postea recuperavit. Expulit ex Graecia Gallos, postea gessit bella cum Pyrrho. Cumque interfecti Pyrrhi caput ad eum allatum esset, et filius Helenus deditus, hunc in regnum paternum remisit, eique patris caput et ossa dedit, regio more condenda. Matrem Philen praedicat his verbis Diodorus Siculus: *αὐτὴ δὲ ἡ γυνὴ συνέσει ἐδόκει διενηνοχέναι τούςτε γὰρ ταραχώδεις ἐν στρατοπέδῳ κατέπαυσεν, τάς τε ἀδελφὰς καὶ θυγατέρας τῶν ἀπόρων ἐξεδίδου ἰδίοις δαπανήμασι, πολλοὺς καὶ τῶν διαβολαῖς περιπιπτόντων μὴ δικαίως ἀπήλλαξε κινδύνων* etc.

Satis longum catalogum regum texuimus, in quorum historia utile est cuiusque exitum ad mores conferre, ut de iudicio Dei admoniti, diligentius mores nostros regamus.

Porro Daniel omissis caeteris regnis, iam vaticinatur tantum de duobus, de Syriaco et Aegyptio, quia Iudaea in medio horum sita duriter quassata est, annos fere trecentos. Aliis regnis interim nihil fuit negocii cum Iudaea. Quare caeteris praeteritis, horum duorum praecipuos motus praedicit. Et quia vaticinium pene est historia aliquot seculorum, prodest addere catalogos regum Syriacorum et Aegyptiorum, ut narratio apte ad regum nomina accommodari possit.

Reges Syriae.

Seleucus.
Antiochus *σωτὴρ*.
Antiochus *θεὸς*.
Seleucus *καλλίνικος*, et frater Antiochus *ἱέραξ*.
Antiochus Magnus natus patre Seleuco, fratrem habuit Seleucum maiorem natu, qui tamen statim, postquam regnare cepisset, interfectus est.
Seleucus Philopator, et fratres Antiochus Epiphanes, et Demetrius.
Antiochus *εὐπάτωρ* natus patre Epiphane.
Demetrius iunior et frater Antiochus filii Demetrii.
Antiochus *γρυπὸς* filius Demetrii iunioris.
Antiochus Cyzicenus filius Sedetis.
Extincta Seleuci posteritate non multo post Romani Syriam occupaverunt.

Seleucus.

Seleucus natus est in Macedonia, mediocri loco, patrem habuit quendam ex Philippi ducibus. Aiunt Seleuco et eius posteris femur nativa anchora insignitum fuisse. Cum autem post mortem Perdiccae praefectus esset Babyloniae, orta dissensione inter Antigonum et caeteros, adiunxit partem Syriae, eamque magnis certaminibus adversus Antigonum defendit, quem tandem ingenti praelio superavit, postea et filium Antigoni Demetrium cepit. Deinde acie victum Lysimachum interfecit. Tandem circumventus insidiis a Ptolemaeo *κεραύνῳ* fratre Philadelphi interfectus est.

Reliquit filiis amplissimum regnum, Babylonem, Persidem, Medos, Bactra, Parthiam, Asiam et Syriae partem, Tenebat enim partem Ptolemaeus, qui fuerat socius contra Antigonum.

Iosephus scribit fuisse beneficum erga Iudaeos, quos permisit uti propriis legibus in civitatibus suis. Laudat et Pausanias eius iusticiam et clementiam

Antiochus σωτὴρ.

Antiochus *σωτὴρ* interfuit praelio patris adversus Antigonum, nec diu post patrem regnavit.

Antiochus θεὸς.

Antiochus *Θεὸς* habuit initio coniugem Laodicen, ex qua suscepit duos filios, Seleucum

Callinicum, et Antiochum, cui fuit cognomen ἱέραξ.

Postea Ptolemaeus Philadelphus, ut per eam occasionem recuperaret civitates in Syria amissas, dedit Antiocho θεῷ filiam Berenicen. Post has alteras nuptias non diu fuit superstes maritus. Et hoc coniugium praebuit occasionem novis motibus et discordiis regum. Laodice repudiata hortata est filios, ne sibi regnum eripi paterentur.

Seleucus Callinicus.

Quare Seleucus maior natu cinxit obsidione urbem, in qua erat Berenice cum parvo filio. Cumque ei persuasisset, ut deditionem faceret, deditam interfecit cum filio. Haec fuerunt auspicia regni Seleuci, qui postea parricidii poenas dedit. Seleucus Callinicus postquam novercam interfecit, hoc scelere sibi ingens bellum accersivit. Nam Ptolemaeus Evergetes, ut sororis necem ulcisceretur, bellum Seleuco intulit, eique pulso et fugato magnam Syriae partem ademit.

Antiochus Hierax.

Erat autem in altera regni parte, videlicet in Asia, frater Antiochus ἱέραξ, ab hoc Seleucus auxilium petit. Hierax cupide suscipit expeditionem, sperans se unum toto regno potiturum esse. Adducit mercede conductas Galatarum copias, quae iam stipendiis in Asiam pertractae erant. Seleucus, quia fratris voluntati diffidebat, cum Evergete pacem fecit. Quare iratus ἱέραξ fratri bellum infert, quem cum acie victum Syria expulisset, exorti sunt novi motus in Asia, quam vacuam Eumenes Bithynius occupabat. Et passim in ea Galatae vagabantur. Et rex Aegyptius Ciliciam invaserat.

His motibus cum rediens in Asiam ἱέραξ occurrisset, magnis acceptis cladibus fugit ad socerum in Cappadociam, a quo sentiens insidias sibi strui, brevi post alias latebras quaesivivit, seque ad hostem in Aegyptum contulit. Huic quoque diffidens, cum fugiens in deviis locis erraret, interfectus est. Seleucus frater eodem fere tempore excussus ex equo extinctus est. Hic fuit exitus duorum impiorum fratrum, qui non amplius triennio regnarunt.

Horum bellorum causam recitat Daniel inquiens: *Filia regis Austri*, scilicet Berenice, filia regis Aegyptii, *veniet ad regem Aquilonis*, id est Syriacum, Antiochum θεὸν, *facere amicitiam. Et non erit firmum brachium eius, et non stabit semen eius*, id est, Berenice cum filio interficietur. Deinde addit venturum Aegypti regem, scilicet Evergeten, et occupaturum regni Syriaci partem.

Ita breviter positis causis, et facta mentione bellorum, significat magnas fore calamitates illarum regionum, in quibus et vicina Iudaea male afflicta est, ut dicitur: Aliquid mali propter vicinum malum.

Antiochus Magnus, et Seleucus frater.

Antiochus Magnus fratrem habuit Seleucum, maiorem natu, qui statim, postquam regnare coepisset in transitu Tauri interfectus est a suis, ut narrat Polybius, apud quem extant initia rerum gestarum Antiochi Magni. Caetera desiderantur, quae si haberemus, multum lucis accederet Danielis vaticinio, et supputatio, de qua supra dictum est, illustrior fieret.

Primum bellum gessit Antiochus adolescens cum Molone duce, qui ab ipso defecerat. Hunc tandem acie victum et captum in crucem egit. Postea Syriae civitates, quas Aegyptii priore bello occupaverant, partim vi recipit, partim ad deditionem certis pactionibus invitavit.

Haec fuit causa novi et magni belli inter Antiochum Magnum et Ptolemaeum Philopatorem, quod hic a Daniele praedicitur. Apparatus vero et praelium regum a Polybio describuntur. Ptolemaeus exercitum duxit in Syriam, septuaginta millia peditum et quinque millia equitum. Antiochi copiae fuerunt sexaginta millia peditum et sex millia equitum. Hi exercitus in Syria conflixerunt, fuitque victor Ptolemaeus, et amissas civitates recuperavit. Antiocho petenti pax data est. Nam Ptolemaeus etsi progredi, et plures regni partes Antiocho eripere poterat, tamen propter ignaviam gaudebat se labore militiae liberari. Sicut et Polybius narrat: *Συνεχώρησε σπονδὰς ἐνιαυσίους οὐκ ἀλλότριος ὢν τῆς ἡσυχίας, ἀλλὰ ὑπὲρ τὸ δέον οἰκείως ἑλκόμενος ὑπὸ τῆς συνήθους ῥαθυμίας καὶ καχεξίας* etc.

Cum autem post paucos annos domi mortuus esset Ptolemaeus Philopator, relicto filio impubere Ptolemaeo Epiphane, rursus bellum movet Antiochus. Nam propter hostis infantiam videbat se facilius inclinaturum voluntates civitatum ad defectionem.

Miserunt autem Aegyptii legatos Romam, ac petiverunt, ut Senatus Romanus tutelam regii pueri susciperet. Quod cum esset factum, Senatus iussit Antiochum ab Aegypto abstinere. Id aegre ferens, et hospitem habens Hannibalem, qui erat hortator, ut caeteri reges se coniungerent ad reprimendos Romanos, societatem cum Philippo Macedonum rege fecit. Haec fuerunt semina belli cum Romanis, quod a Livio describitur. Tandem autem victus Antiochus, cessit Romanis tota Asia citra Taurum montem: coactus est et obsides dare duos filios, Antiochum Epiphanem, et Demetrium. Aliquanto post spoliaturus templum quoddam in Syria, a suis interfectus est.

Facilis est autem coniectura, Iudaeam in his Syriae bellis graviter vexatam esse, nunc a Syriacis, nunc ab Aegyptiis ducibus. Ptolemaeus Philopator venit Ierosolymam victor, cumque usitata regibus curiositate visurus esset templum celebratissimum, iamque in vestibulum ingressus esset, deprecati sunt sacerdotes, ne pergeret, nec prophanaret adytum. Cumque subita consternatione divinitus repressus esset, ac e templo eductus, vehementer irasci Iudaeis coepit, et postea in eos atrociter etiam in Aegypto saeviit. Haec recitantur in tertio Maccabaeorum.

Postea Scopas dux ab Aegyptio Epiphane missus, occupavit quaedam Iudaeae oppida. Sed cum ad Iordanem ab Antiocho Magno victus esset, Iudaei dedunt se victori, qui etsi nondum crudeliter eis imperavit, tamen tributa indixit, et partem sibi, partem genero Ptolemaeo Epiphani attribuit. Haec fuerunt initia servitutis Iudaicae sub his Syriacis regibus. Ideo hic dicitur in Daniele: *Stabit in terra desiderabili*, scilicet Antiochus Magnus. *Deinde convertet faciem suam ad Insulas*, *et capiet multas*, id est, discedet inde bellum gesturus cum Romanis in Graecia et in Asia.

Antiochus Magnus reliquit tres filios, Seleucum Philopatora, Antiochum Epiphanem et Demetrium.

Seleucus Philopator.

Seleucus exiguo tempore post patrem regnavit. Hunc Seleucum describens Angelus inquit: *Stabit in loco eius vilis vel ignavus quaestor regii honoris.* Vilem vel ignavum vocat regem negligentem officia sua, ne domi iudicia diligenter exercentem, nec disciplinam graviter tuentem, nec populi utilitatibus consulentem, nec foris depellentem hostes, sed deditum voluptatibus et profundentem publicas et privatas pecunias in res inutiles, pompas, convivia, aedificationes Luculleas, et quia nullae opes his ineptiis sufficiunt, expilationibus infinitis exhaurientem privatorum facultates. Ideo quaestorem vocat, sed regio honore, id est, titulo regio dominantem. Nec sine causa Angelus depingit hunc quaestorem, significat enim ultimis temporibus talia fore imperia regum et principum, quibus Ecclesia subiecta erit.

Est autem bonae mentis considerare res humanas, et affici communibus aerumnis. Ideo, lector, te adhortor, ut ad hanc imaginem Europae imperia iam conferas. Primum quid sunt Episcopatus ubique, nisi turpes et acerbae quaesturae. Quae officia faciunt hi, qui amplissimos reditus Ecclesiarum possident.

Deinde regum et principum aulas vide. Quod est studium rei militaris? Quid gerunt adversus Turcicam tyrannidem, quae iam aliquot Europae regna oppressit, et caeteris minatur non modo servitutem, sed vastitatem? Domi quomodo disciplinam, quomodo iudicia regunt? Imo quid ista curant? Una cura est profundendae et quaerendae pecuniae. Estque pene omnium regum et principum infinita *βουλιμία*, quam quia diutius sustinere misera plebs non poterit, non dubium est impendere fatales imperiorum mutationes. Nam historiae ostendunt statim post has *βουλιμίας* semper mutatam esse formam Reipublicae.

Haec recito, ut boni agnoscant has calamitates senectae mundi divinitus praedictas esse: Tum ut admoniti pii gubernatores mitigare eas studeant, tum ut caeteri poenas peccatorum intelligant, et ferre arte discant, ac Deum orent, ut det imperia iusta et salutaria Ecclesiae, det *στρατηγοὺς* fortes et felices, det rectores politicos, sapientes et iustos, qui paterno amore suos complectantur. Tales enim Angelus opponit quaestoribus, quos hic describit, Quia salutares principes oportet et foris depellere latrocinia, et domi iudicia ac disciplinam regere, et utilitatibus populi consulere, ut patresfamilias educare liberos et honestis artibus erudire possint, ut con-

servetur in terris vera de Deo et de Filio eius Iesu Christo doctrina, et colantur alia virtutis studia, quae deseruntur, cum illa *βουλιμίᾳ* exhauriuntur privatorum facultates.

Porro et hoc expilatoris erat, quod hic Seleucus spoliari templum in urbe Ierosylyma iussit, et ad eam rem tentandam incitatores habuit Iudaeos, ut in secundo Maccabaeorum narratur capite tertio. Ita nunc qui fruantur opibus Ecclesiarum, minime obscurum est. Bacchanalia perpetua sunt in collegiis Canonicorum. Interim pii Pastores Ecclesiarum cum familiis suis, et pauperes Scholastici fame contabescunt, studia literarum et praecipue sacrarum deseruntur, quia nemo iuvat pauperes, quid studia dedicaturi era Ecclesiis.

Haec cum negligant, aut fortasse rideant, etiam illi summi Quaestores, Episcopi et Principes, non existiment Christum dissimulaturum esse, cum in illo terribili iudicio accusabit eos de neglecto officio, ac dicet: Esurivi, et non cibastis me, Ite igitur maledicti in ignem aeternum.

Nos vero Filium Dei aeterni, liberatorem et custodem Ecclesiae suae oremus, ut ipse pia studia tueatur, et suppeditet discentibus victum. Sicut in lege Mosaica, cum tribui Leviticae non daretur certa regio possidenda, ut caeteris, Deus inquit sese fore eius tribus haereditatem seu fundum: ita nunc sit fundus et *τροφεὺς* piorum Doctorum et Scholasticorum. Et futurum esse non dubitemus.

Antiochus Epiphanes.

Antiochus Epiphanes frater Seleuci Romae cognita morte patris, clam inde discessit, ut ignavo fratri regnum eriperet. Fuit autem hic Epiphanes callido, acri et saevo ingenio praeditus, qui mox, postquam regnare cepisset, insidias struxit Aegyptiis. Nam mortuo Ptolemaeo Epiphane venit in Aegyptum, quasi tutor futurus cognati pupilli. Nam Cleopatra mater pupilli erat soror Antiochi Epiphanis. Collocat igitur praesidia in urbibus Aegypti tutorio nomine, cum reipsa hoc ageret, ut occupatas nunc honesto praetextu postea retineret. Inde rediens Ierosolymam venit, invitatus a Iasone, cui pontificatum dederat contra Iudaicas leges. In hoc primo itinere Antiochus spoliavit templum.

Post biennium Antiochus rursus duxit exercitum in Aegyptum, quia rex Aegyptius Ptolemaeus Philometor iam adoleverat, et cognita fraude avunculi ex aliquibus suis urbibus Syriaca praesidia expulerat, et auxilium a Romanis adversus Antiochum petiverat. Venit igitur Romanus legatus Popilius, qui iussit Antiochum ab Aegypto abstinere. Cumque Antiochus ambigue responderet, ducto circulo in pulvere circa eum, iussit eum clare respondere, antequam ex eo circulo egrederetur. Ibi Antiochus perterrefactus pacem promittit, et fremens discedit.

Quia vero magnos sumtus in ea expeditione fecerat, egens venit Ierosolymam. Ibi facultates locupletum diripit, prophanat templum, statua Iovis Olympii in eo collocatur, proponit crudelia edicta de abolenda tota religione, tradita voce Dei per Abraham, Moisen et Prophetas. Et haec edicta defendit additis praesidiis, quae magnam saevitiam exercebant in homines pios, qui professionem legis divinae abiicere nolebant.

Propter hanc magnam calamitatem hoc vaticinium apud Danielem editum est, ut pii praemonerentur et confirmarentur, ne a Deo deficerent. Additur et tempus, ut pii scirent hanc calamitatem non diuturnam fore, videlicet, anni septem et menses duo: nam intra hoc spacium templum ab Antiocho prophanatum est, et deinde Iuda Maccabaeo recuperatum, et postea ex oppidis Iudaeae expulsa sunt Syriaca praesidia.

Porro Antiochus Epiphanes, qui acceperat insignes clades non solum in Iudaea, sed etiam in Perside, animi dolore extinctus est. Alii scribunt excussum e curru tam duriter allisum esse solo, ut inde morbus lethalis ortus sit, quo extinctus dicitur, cum tenuisset regnum annos duodecim. Quales fuerint eius mores, supra commemoravi.

Apud Danielem non fit mentio sequentium regum, quia significatur brevi post venturum esse Messiam. Est enim breve tempus a Iuda Maccabaeo ad natum Christum, videlicet anni centum sexaginta sex. Et statim post Antiochum Syria domesticis discordiis continuis dilacerata est, donec eam Romani occuparunt, ut unum regnum dici non posset. Sicut fere existunt tales regnorum discordiae fatales, cum finis non procul abest, ut vidit haec aetas triste exemplum Pannoniae.

Demetrius.

Adiiciam autem breviter reliquos Syriae reges, ut poenae considerentur, de quibus concionatur primum praeceptum. Fuerunt inter posteros Antiochi post prophanationem templi continua parricidia. Successit Antiocho Epiphani frater Demetrius, qui una fuerat obses Romae, hic veniens in Syriam, mox iubet interfici filium fratris Antiochi iam regnantem, Antiochum *εὐπάτορα*. Aliquanto post Demetrius dat poenas parricidii. Interficitur enim a quodam Alexandro seditioso, qui regnum invasit adiutus ab Aegyptiis.

Demetrius iunior et Antiochus Sedetes, fratres.

Demetrio fuerunt duo filii, Demetrius iunior et Antiochus Sedetes. Hic iunior Demetrius interfecit Alexandrum. Postea Tryphon ex regno Demetrium expulit. Antiochus Sedetes a Parthis interfectus est.

Antiochus Gryphus et Antiochus Cyzicenus, duorum fratrum filii.

Hi fratres reliquerunt liberos. Demetrio fuit filius Antiochus *γρυπὸς*, Sedeti filius fuit Antiochus Cyzicenus. Hi dimicantes de regno ambo interfecti sunt. Postea Syriam invasit vicinus rex Tigranes, cui eam Pompeius eripuit. Hoc modo domesticis seditionibus et parricidiis poenas dederunt impiorum regum posteri, donec tandem familia tota extincta est, et regium nomen sublatum, et Syria a Romanis occupata est.

Reges Aegypti.

Ptolemaeus Lagi filius.
Ptolemaeus Philadelphus.
Ptolemaeus Evergetes.
Ptolemaeus Philopator.
Ptolemaeus Epiphanes.
Ptolemaeus Philometor, qui successit frater Ptolemaeus *φύσκων*, id est, ventricosus.
Ptolemaeus *λαθουρὸς*.
Ptolemaeus *αὐλητὴς*.
Cleopatra Antonii.

Hae nomenclaturae hoc ordine traduntur a Strabone, qui cum ipse perlustraverit Aegyptum, diligentius eam quam vicina loca describit.

Ptolemaeus Lagi filius.

Ptolemaeus Lagi filius, qui inter praecipuos Alexandri duces fuit, et exercitus in India duxit, ubi et vulnus accepit, ictus telo, quod veneno infectum fuerat, in distributione provinciarum nactus est Aegyptum, quam cum triennio tenuisset, bellum ei Perdiccas intulit, qui monarchiam affectabat. Sed Ptolemaeus interfecto Perdicca retinuit Aegyptum, ac postea Cyrenaicam et magnam Syriae partem adiecit. Reliquit filios Philadelphum et *κέραυνον*, et alios plures, quos recenset Pausanias.

Scribit Polybius mortuum esse Ptolemaeum Lagi filium Olympiade centesima vicesima quarta, hoc est, post Alexandri mortem exactis fere quadraginta annis, qua Olympiade et Lysimachus et Seleucus et *κέραυνος* perierunt.

Ptolemaeus Philadelphus.

Ptolemaeus Philadelphus, praelatus fratri maiori natu, rex a patre nuncupatus est, et commendatus principibus et civitatibus. Successit igitur patri, et recuperavit Cyrenaicam. Deinde nactus ocium, cum sciret in Aegypto floruisse doctrinam de rebus coelestibus, et eas artes, quae coniunctae sunt illi doctrinae, vetera studia et restituit et auxit, et instruxit discendi cupidos bibliotheca copiosissima.

Cumque audisset Iudaeos praedicare suae gentis antiquitatem et doctrinam, accersivit inde interpretes, qui libros Mosi et aliorum Prophetarum in Graecam linguam converterent. Haec vetus translatio propheticorum librorum in Graecum sermonem vocatur Septuaginta Interpretum opus. Per hanc occasionem credibile est aliquos in Aegypto et alibi tunc veram religionem amplexos esse, cum et libri legerentur, et viri docti e Iudaeis, qui versabantur inter Gentes, libere alios docere possent. Nam vox verae Ecclesiae Dei nunquam temere et frustra excitatur. Magnis autem beneficiis hic Philadelphus Iudaeos adfecit, nam et populo universo immunitatem concessit, et iis, qui in Aegypto serviebant, libertatem donavit.

Observandus est hic error multorum, qui historiam fratris *κεραύνου* in hunc Philadelphum transferunt. Nam *κέραυνος* frater ex alia matre natus, ex Eurydice Antipatri, relicta Aegypto profectus est in Macedoniam, et oppresso Seleuco aliquandiu tenuit Macedoniam, fuitque incestus et impius in sororem Arsinoën, quam fraude circumventam duxit uxorem, et postea interfecit, necatis una filiis Lysimachi in matris Arsinoae

gremio. Deinde poenas dedit tantorum scelerum, interfectus a Brenni exercitu. Haec historia copiose recitatur a Pausania.

At Philadelphus in Aegyptio regno consenuit, in tranquillitate et doctorum consuetudine, qua leniit dolores articulorum, quos sustinuisse satis acres dicitur. Eius opes et munificentia celebrantur a Theocrito, qui ibi cum Callimacho, Apollonio et aliis poëtis vixit.

Ptolemaeus Evergetes.

Ptolemaeus Evergetes ingens bellum intulit Syriae, ut ulcisceretur necem sororis Berenices, quae fuerat nupta regi Syriae Antiocho Theo, et postea a privignis interfecta est. Occupatis autem multis urbibus in Syria, Evergetes non gravatim Seleuco Callinico pacem petenti dedit, revocabatur enim in Aegyptum domesticis seditionibus.

De hoc Evergete loquitur Daniel, inquiens: *Et stabit in germine radicum eius plantatio*, videlicet Ptolemaeus Evergetes, *et veniet cum exercitu contra regem Aquilonis*, id est, contra Seleucum Callinicum, *et obtinebit.*

Hoc tempore Iudaea victori Evergetae tributum pendere coacta est. etsi adhuc quidem tolerabilis fuit Iudaeae status. Nam cum tributum non solveretur, facile placatus est Evergetes a Iosepho duce, cuius mentio fit in Luca cap. 3., ubi nominatur Ioseph pater Iannis Hyrcani, ultimi ducis ex stirpe David.

Ptolemaeus Philopator.

Ptolemaeus Philopator, sic dictus est ironice, cum patrem, matrem et fratrem interfecerit, ignavia eius Antiocho Magno spem fecit recuperandarum urbium in Syria, quas Seleuco Evergetes ademerat. Quare Antiochus Magnus, iuvenis incensus cupiditate gloriae militaris, bellum infert huic regi Aegyptio, et multas civitates recipit. Tandem vero occurrit Philopator, et cum uterque magnas haberet copias, vicit Antiochum. Et propter segniciem et luxum statim in Aegyptum rediit. Huius victoriae mentionem facit Daniel, inquiens: Et provocabitur rex Austri, scilicet Ptolemaeus Philopator, et pugnabit adversus regem Aquilonis, scilicet Antiochum Magnum.

Erant autem Iudaei initio coniuncti Antiocho, postea mutata fortuna hospitio victorem Aegyptium exceperunt, ac placarunt data pecunia. Cum autem Ptolemaeus Philopator visurus templum, in vestibulum ingressus esset, sacerdotes obnixe erant, ne pergat, ne penetret in adytum interius, quo non erat fas ingredi cuiquam praeter pontificem. Etsi negat se obtemperaturum piis monitis rex superbus, tamen Deus templum defendit, et mox subito terrore consternatum regem ita reprimit, ut semivivus ex templo exportaretur. Quare Iudaeis iratus, cum Alexandriam redisset, crudelia edicta proponit, Iudaeos iubet in vincula rapi, et multos elephantis conculcandos obiicit in spectaculis.

Interea domi ipse, interfecta coniuge, infandis se libidinibus contaminat. Et regebatur aula, non ab ipso aut principibus, sed a turpissimis et flagitiossimis libidinum sociis. Talis furor nunquam est diuturnus, ut dicitur de peccatis clamantibus in coelum. Quare post victoriam, de qua dictum est, non fuit diu superstes.

Ptolemaeus Epiphanes.

Ptolemaeus Epiphanes pene infans patri successit. Cum autem Antiochus Magnus existimaret Aegyptios segnius defensuros esse Syriam in hac regis infantia, rursus movit bellum. Quare Aegyptii diffidentes suis viribus Romam legatos miserunt, qui peterent, ut Romanus Senatus tutelam regis Aegyptii susciperet. Interim Antiochus plerasque urbes inferioris Syriae ac Phoenices recipit, et ducem Scopam, missum ab Aegyptiis ad tuendam eam oram, profligavit. Hic Iudaei graviter afflicti sunt primum a Scopa, postea a victore Antiocho.

Deinde, cum legati Romani advenissent, iusserunt Antiochum restituere occupatas urbes, eique bellum denunciaverunt, nisi obtemperaret. Hanc legationem ut arte eluderet, nec Romanos exercitus in Syriam adduceret, pacem fecit cum Aegyptio, data ei filia Cleopatra. Iratus vero Romanis, foedus fecit cum Philippo Macedone, et traiecit in Graeciam, et bellum gessit cum Romanis.

Haec ordine praedicit Daniel, describens duas expeditiones Antiochi Magni adversus Aegyptios. *Revertetur*, inquit, *rex Aquilonis*, id est, Antiochus Magnus, antea victus a Philopatore, *bellum reparabit*, *et multas urbes occupabit. Deinde vertet se ad insulas*, id est, navigavit in Graeciam, ut bellum gerat adversus Romanos.

Ptolemaeus Philometor.

Ptolemaeus Philometor natus est ex filia Antiochi Magni, cumque eius aetas mortuo patre gubernationi nondum idonea esset, venit in Aegyptum Antiochus Epiphanes avunculus, simulans se tutorem fore nepotis sui, ut eo praetextu urbibus Aegypti praesidia imponeret, et pupillum regno spoliaret. Sed aliquanto post discessum Antiochi auxilium a Senatu Romano mater Ptolemaei petivit, et pulsis Antiochi praesidiis, urbes recepit.

Redit igitur Antiochus iratus, nepotem vel dolo per simulationem amiciciae vel armis oppressurus. Sed Romani legatum miserunt Popilium, qui iussit Antiochum ab Aegypto abstinere. Ita frustratus sua spe Antiochus, et gens rediit in Syriam, ut supra narratum est. Haec historia prolixe recitatur in vaticinio Angeli. Nam propter clades, quas accepit populus Iudaicus in his itineribus Antiochi, hanc seriem rerum Angelus commemorat, ideoque caeteros reges omittit.

Sed quia exempla iudicii divini illustria sequens historia continet, breviter eam adiiciam. Invaserat, ut dictum est, Antiochus Epiphanes Aegyptum, et nepotis vitae praetextu tutelae insidias struxerat: sed hi iniusti conatus non solum irriti fuerunt, sed etiam singulari exemplo puniti sunt. Nam postquam Antiochus mortuus erat, et filius ac frater interfecti, cum bellum esset inter Alexandrum seditiosum et Demetrium iuniorem de regno Syriae certantes, hic Ptolemaeus Philometor bellum movit adversus Alexandrum regem Syriae, eumque acie vicit. Quare Antiocheni receperunt Ptolemaeum, et duplici corona, altera Syriae, altera Aegypti, coronaverunt.

Ut igitur Antiochus alterius vitae et regno insidiatus erat, ita posteri ipsius diris parricidiis necati sunt, et regno insidiatoris potitus est ille ipse, cui insidiae structae fuerant. Haec est iusta poena, ut in versu dicitur:

εἴκε πάθοι τάκ᾽ ἔρεξε, δίκη τ᾽ ἰθεῖα γένοιτο.

Caeterum Ptolemaeus metuens Romanos, cessit regno Syriae, fuitque autor, ut iunior Demetrius accerseretur. Huic dedit Ptolemaeus filiam ereptam Alexandro priori genero. Aiunt autem Ptolemaeum in praelio vulnus accepisse, et vix defensum ac servatum esse. Alexandrum vero amisso exercitu fugientem at Arabum regem venisse, ab hoc cum interfectus esset, caput Ptolemaeo missum est, qui non multo post ex vulnere mortuus est. Hic fuit exitus utriusque regis soceri, qui inter se impiis armis certarunt.

Ptolemaeus Physcon.

Ptolemaeus Physcon dictus a sagina ventris turpiter inflati. Nam *φύσκη* significat crassius intestinum, cuius usus est in faciendis farciminibus. Fuit autem hic Physcon frater Philometoris, de quo iam dictum est. Et quanquam in Eusebii Chronico inter Philometorem et Physconem inseritur quidam Evergetes, tamen Strabo testatur eundem esse Physconem, qui ironice nominatus est *εὐεργέτης*, vicit enim omnes crudelitate et obscoenitate. Duxit sororem, quae antea priori fratri nupta fuerat, et in die nuptiali puerum filium fratris in complexu matris interfecit. Aliquanto post duxit filiam coniugis ex fratre natam, repudiata matre. Erat autem ei filiolus ex priore coniuge et sorore natus, hunc interfectum et dissectum misit matri in die natali inter epulas.

Nec fuit mitior in cives: nam Alexandriae quotidianis cedibus pene vastitatem effecit.

Quare Romani legatos Alexandriam miserunt, inter quos fuerunt et Scipio posterior, et Polybius Historicus, ut autoritate Senatus imperarent ei, ut iniuste grassari in suos desineret, quia Senatus eum defensurus non esset, nec in regnum reducturus, si propter crudelitatem excuteretur. Ac legati ridicula deformitate regis conspecta, non solum foedissimos ipsius mores, sed etiam monstrosam speciem corporis execrati sunt. Brevi post scelerum poenas dedit tyrannus Physcon, eiectus regno ab Alexandrinis.

Tales historiae lectores admoneant non solum de Dei iudicio, qui testatur se atrocia delicta in hac vita manifestis suppliciis punire, sed etiam de miseria communi generis humani, et de diaboli furore, qui odio Dei et contemtu generis humani tantis flagitiis deformat imagines Dei, et quidem in summo loco, in imperiis, ubi excellere virtus debet, ut illa horrenda diaboli spectacula universa rerum natura abominetur. Quare Filium Dei oremus, ut opera diaboli grassantis, cum in toto genere humano, tum vero praecipue in summis ordinibus, destruat, sicut scriptum est, Filium Dei apparuisse ut destruat opera diaboli.

Ptolemaeus λάθουρος.

Ptolemaeus *λάθουρος*, sic enim a Strabone nominatur, opinor ideo, quod exul occulte tentavit reditum. Nam mater seditione mota hunc Ptolemaeum Aegypto expulit, et filio minori Alexandro, quem sibi magis obtemperaturum esse sperabat, regnum tradidit. Exul autem haec gessisse scribitur. Cum Iudaei viderent se nactos esse occasionem vicinas urbes occupandi, propter domesticas discordias, cum in Aegypto, tum in Syria ortas, bellum adversus vicinos moverunt. Hi ex Cypro accersiverunt Ptolemaeum, qui sperans se per eam occasionem in Aegyptum rediturum esse, mediocres copias in Phoenicen adduxit, ac statim in Iudaeam irruptionem fecit, cepitque in Sabbato quoddam Galilaeae oppidum, postea acerrimo praelio cum Iudaeis ad Iordanem conflixit. Cumque magna multitudo Iudaeorum in acie trucidata esset, victor Ptolemaeus in finibus Iudaeae populatus est villas, et iussit occidi mulieres et infantes, et dissecta eorum membra coqui, quibus elixis et coctis vesci Iudaeos coëgit.

Tanta immanitas in victoria non habuit diuturnos successus. Nam Iudaei a Ptolemaei matre auxilia adversus eum petiverunt, quae misit exercitum eo celerius, ut filium ab Aegypto arceret. Cum igitur frustra tentaret reditum Ptolemaeus, nec tueri occupatas urbes in Phoenice posset, rursus fugit in Cyprum.

Aliquanto post Alexander, qui in Aegypto regnabat, matrem interfecit. Pulso igitur Alexandro revocatus est in Aegyptum hic Ptolemaeus *λάθουρος*, quem ibi novae seditiones exceperunt, fortassis quia aliqui favebant fratri. Dicitur hic Ptolemaeus funditus delevisse maximam et celebratissimam urbem, Thebas Aegyptias.

Ptolemaeus Auletes.

Ptolemaeus Auletes, id est, tibicen, sic dictus, quia publice in habitu regio tibiis certare cum artificibus solebat. Regno propter ignaviam et crudelitatem expulsus venit Romam, ubi Pompeius reduci eum suasit. Et quanquam diu ea de re contentiones extractae sunt, tamen per Gabinium tandem reductus est, qui Archelaum, qui interea regnaverat, interfecit. Hic *αὐλήτης* reliquit filium Ptolemaeum Dionysium, qui adolescens Pompeium ex Pharsalica pugna fugientem in Aegyptum iussit interfici. Postea cum Iulio Caesari struxisset insidias, interfectus est a Caesare, qui regnum dedit eius sorori Cleopatrae. Cleopatra ad extremum, cum Augustus venisset in Aegyptum, sibi mortem conscivit.

Haec est series regum Aegyptiacorum, in qua non solum hoc deplorandum est, quod posteri nati ex hominibus virtute praestantissimis, adeo turpiter degenerant, sed illud etiam, quod diabolus tam petulanter grassatur in his, qui imperia tenent. Sed hae sunt poenae *εἰδωλομανίων*, ut ad Rom. 1. scribitur. Nusquam autem plus fuit portentosae idolomaniae, quam in Aegypto et in Syria.

In hac commemoratione et hoc observandum est, quod Ecclesiam Dei, cuius sedes tunc erat inter illa duo regna, videmus hic exiguam esse, et duriter affligi, nec humana ope, humanis praesidiis defendi, sed mirabiliter divinitus regi et servari. Haec imago est ultimae senectae mundi, in qua Ecclesia vera Dei in servitute erat, oppressa multiplici tyrannide. Postquam autem ordinem historias regum recensui, vaticinium Angeli ad eam breviter accommodabo.

Et confortabitur rex Austri, qui est ex ducibus eius, id est, Ptolemaeus qui fuit unus ex ducibus Alexandri, occupabit Aegyptum, quae est Iudaeae ad meridiem sita. *Et alius confortabitur e regione, et erit eius magna dominatio*, id est, Seleucus e regione Syriam et Babyloniam tenebit, qui post Antigonum victum cum Asiam teneret, antecelluit caeteris omnibus potentia.

Et in fine dierum sociabuntur, id est, post aliquod tempus devincientur inter se foederibus et affinitatibus reges Aegyptii et Syriaci. *Et filia regis Austri*, Berenice filia Ptolemaei Philadelphi regis Aegypti, *veniet ad regem Aquilonis*, id est, nubet Antiocho Theo regi Syriae, *ut fiat amicicia*, id est, ut hac affinitate inter reges fiat pax, et retineant Aegyptii urbes in Phoenice occupatas a primo Ptolemaeo.

Et non obtinebit robur brachii, et non stabit semen eius, et tradetur ipsa et comites eius, et puer eius, et is, qui eam confortaverat, id est, Berenice non retinebit regnum Syriae, nec eius filius, natus ex Antiocho Theo: sed privigni Seleucus Callinicus et Antiochus *ἱέραξ* interficient novercam et filium eius. *Pater vero, qui confortaverat Aegyptiam*, id est, qui regni sociam fecerat Antiochus Theos, necabitur veneno a repudiata coniuge Laodice.

De Ptolemaeo Evergete.

Et stabit de germine radicis eius in loco suo, et veniet cum exercitu contra regem Aquilonis, id est, Ptolemaeus Evergetes frater Berenices ulciscetur sororis necem, et geret bellum adversus Seleucum Callinicum, magnas urbes Syriae capiet, et auferet thesauros et simulacra Syriaca. Ideo dicitur in textu: *Etiam dii illorum et principes, et vasa preciosa argenti et auri vehentur in Aegyptum.* Sed rex Austri. Ptolemaeus Evergetes rediit in Aegyptum: nam intestinis seditionibus revocatus fecit pacem cum Seleuco Callinico. Et hoc tempore Evergetes tributa indixit Iudaeae.

De Antiocho Magno, et Ptolemaeo Philopatore.

Et filii illius irritabuntur, et congregabunt exercitus, et veniet veniens, id est, Antiochus Magnus, filius Seleuci Callinici, flagrans cupiditate gloriae militaris, inferet bellum Ptolemaeo Philopatori, et quidem initio statim aliquas urbes in Syria recipiet, occupabit etiam aliquas in Phoenice, quae paruerant Aegyptiis. Etsi autem Philopator tarde occurrit hosti fere annum in apparatu belli consumens, tamen tandem expeditione suscepta ad Raphiam ducit exercitum: ibi praelio commisso vincet, inquit, Antiochum Magnum, et recuperabit urbes in Syria et Phoenice amissas, et coget Antiochum pacem petere.

Et elevabitur cor eius, et prosternet plurimos, et non confirmabitur, id est, Philopator erit insolentior et furiosior. In urbe Ierosolyma templum prophanare conabitur, et reversus in Aegyptum dedet se flagitiosis libidinibus, interfecta uxore. Exercebit et in Iudaeos crudelitatem, obiiciet conterendos elephantis, ideo cito peribit. Id significat textus, cum ait: Non confortabitur, id est, non diu superstes erit, misere peribit.

Hoc tempore duriter afflicta est Iudaea, primum enim se adiunxerat Antiocho magno, postea ab Aegyptio magna pecunia multata est, et in Aegypto passim in Iudaeos saevitum est, ut dixi.

De Antiocho Magno, et Ptolemaeo Epiphane.

Et revertetur rex Aquilonis, et adducet maiorem multitudinem, quam antea, id est, mortuo Philopatore Antiochus Magnus instaurabit bellum, sperans facilem fore victoriam, quod aetas Ptolemaei Epiphanis nondum idonea esset rebus gerendis. Quanquam autem Senatus Romanus tutelam regis Aegyptii susceperat, tamen quia sociorum auxilia solent esse tardiora, Antiochus Magnus recuperavit Syriam et Phoenicen, profligato exercitu, quem Aegyptius in Syriam duce Scopa miserat.

Et in tempore illo multi stabunt contra regem Aegypti, id est, Antiochus Magnus faciet foedus cum Philippo rege Macedonico, qui mittet auxilia adversus Aegyptios.

Et filii praevaricatores populi tui extollentur, ut impleant visionem et corruent. Quia in his bellis Syriam utrinque populabantur, et Syriaci exercitus et Aegyptii, defecerunt a lege divina multi Iudaei, qui militabant apud impios reges, ut testatur et secundus liber Macabaeorum. Et multitudo Iudaeorum commigravit in Aegyptum, ut tranquilliore loco sedes quaereret.

Erat tunc pontifex Onias in urbe Ierosolyma, cuius virtus et pietas celebratur in secundo libro Macabaeorum. Huic pontificatum eripere Iason frater conabatur, cuius postea mentio fit in historia Macabaeorum. Haec certamina filium Oniae pontificis Oniam moverunt, ut ex patria in Aegyptum secederet, quod domi a patruo sibi insidias strui sensisset. Cum igitur magna in Aegypto multitudo esset Iudaeorum, et esset una pontificis filius Onias, ut exilium minus triste esset, nacti sedes Heliopoli, politiam Iudaicam ibi constituunt, et quasi Ierosolymam alteram tenentes, templum ibi condunt sacrificaturi ritu Levitico, cum tamen Deus non nisi unicum seu tabernaculum seu templum esse voluerit, et plura condi expresse prohibuerit, et quidem nusquam nisi in terra Canaan condi voluerit. Ita doctrinae consensus facilius retineri poterat, et constabat, quo loco vox Dei sonaret et propagaretur.

Etsi autem a Iudaeis, qui Alexandriae erant, improbabatur aedificatio novi templi, tamen superstitio vicit. Onias contra mandatum Dei templum extruit, sacrificia alieno loco facit. Et ne deesset praetextus, citat Esaiam, qui cap. 19. inquit: In die illa erit altare Domini in medio terrae Aegyptiae etc. Hoc cum dicatur de vocatione Gentium et de Evangelio, quod ut caeteras gentes, ita et Aegyptios ad agnitionem Filii Dei et vitae aeternae vocaturum erat, Onias detorsit ad suum consilium. Ita impostores aut fascinati pravis opinionibus, omnibus temporibus abutun-

tur voce Dei, et eam a genuina sententia ad confirmanda sua deliria transferunt.

Damnat autem Angelus hoc loco templi illius Aegyptii aedificationem, et vocat id consilium praevaricationem seu violationem legis divinae et audaciam. Hoc iudicium omnibus aetatibus observent, et qui dogmata serunt contra verbum Dei, et qui cultus Dei instituunt sine mandato divino.

Doctrinae corruptelas esse praevaricationem ac violationem primi et secundi mandati, nihil dubium est, deinde horribilis audacia est, cum certissima extent testimonia, Deum nullo scelere magis offendi, quam corruptelis doctrinae, cum contemtis omnibus minis et exemplis, tamen luditur falsis opinionibus et contumeliosis adversus Deum. Quanta fuit audacia Ieroboam, cum contra apertum mandatum Dei, suum quoddam templum condit, et instituit novum sacerdotium. Quantus furor in Ethnicis, cum excogitarunt portentosos cultus Priapi et alios. Quanta audacia fuit Mahometi, qui prorsus abolet universam doctrinam Prophetarum et Apostolorum? Sed haec audacia non est humana, singulares furiae sunt immissae in pectus Mahometo a diabolo. Nec est exigua audacia pontificum et monachorum, qui manifesta idola, ut invocationem mortuorum, et suas Missas defendunt. Quare timere Deum discamus, et nos intra metas divinitus praescriptas cohibeamus, frenemus etiam ingeniorum atque animorum impetus, ne ambitione, aemulatione, φιλονικείᾳ veras sententias conturbemus.

Et veniet rex Aquilonis, et vallo cinget urbes, et capiet eas etc. Hic redit Angelus ad Antiochi Magni historiam, quem ait multas urbes occupaturum esse regnante Ptolemaeo Epiphane, sed adhuc impubere.

Breviter autem inserit particulam de Iudaea, quae in istis bellis utrinque vexata est. *Et stabit in terra desiderabili, et deficiet manus eius,* id est, Antiochus Magnus veniet in Iudaeam, et victo Scopa duce Aegyptio Iudaeis tributum imponet. *Quorum manus deficient*, id est, non repugnabunt, quia sine ullo certamine imperata fecerunt, dederunt tributum hac pactione, ut retinerent suas leges et cultus divinitus traditos.

Iterum igitur in servitute est Ecclesia, et tamen Deus ita mitigat calamitatem, ut maneat libertas docendae et audiendae legis divinae, nec mutetur sacerdotium, nec aboleantur pii cultus. Nec sine causa toties hic populus circa finem in servitute est, etsi promissiones habuit de libertate et conservatione suae politiae. Sed imago est ista servitus miseriarum Ecclesiae in ultima senecta mundi.

Et veniet, ut amiciciam cum eo faciat, et dabit ei filiam, ut eum perdat, id est, Antiochus Magnus dabit filiam Aegyptio regi, ut ea conditione et pacem faciat, et Syriae urbes retineat, et augeat sui regni opes. Quae res tamen eum fefellit, quia post Antiochum Magnum secuta est insignis inclinatio regni Syriaci.

Porro in foedere facto cum Aegyptiis hoc tempore ab Antiocho Magno, fuit et haec conditio, partem tributorum addixit Antiochus regno Syriae, partem genero Ptolemaeo Epiphani. Ita reges inter se partiebantur opes Ecclesiae, ut nunc reges suis purpuratis tradunt titulos et reditus episcoporum.

Et convertet faciem suam ad insulas, et capiet multas, id est, navigabit in Graeciam, ubi se aliquae Graecae civitates ipsi adiungent, bellum moventi contra Romanos. *Sed princeps quidam faciet eum cessare cum dedecore*, inquit Angelus, id est, consul Romanus vincet eum, et coget eum pacem petere et conditiones duras accipere, videlicet, ut tota Asia cedat, citra Taurum montem.

Postea, inquit, rediturum ad suas urbes et interiturum. Nam cum redisset in Syriam Antiochus Magnus, et propter inopiam templum quoddam spoliaturus esset, ibi interfectus est, cum vulgus ad templi defensionem concurrisset. Hic fuit exitus regis Antiochi, quem vel inquieta natura ingenii, vel ambitio incenderat, ut multa bella moveret, cum tamen fere semper adversam fortunam experiretur. Pernicies est autem Reipub. bella non necessaria movere, praesertim adversante fortuna.

De Seleuco filio Antiochi Magni.

Et stabit loco illius vilis quaestor honore regio, et cito peribit, non strenuitate, nec in bello.

Haec sunt verba in textu, quibus describitur Seleucus, qui exiguo tempore post Antiochum Magnum regnavit, cum fratres Romae obsides essent. Diligenter autem haec descriptio obser-

vetur, quia imago est gubernationis in Europa, magna ex parte.

Vocat hunc Seleucum vilem seu ignavum quaestorem seu expilatorem. Haec vera est verborum interpretatio, et significat fuisse ociosum principem, non foris propugnantem armis patriam, nec domi regentem iudicia, disciplinam, mores, sed magnis expilationibus exhaurientem facultates suorum, ut sumtus suppeterent ad voluptates et alias res inanes, in quas aulae plerunque pecuniam sine modo profundunt. Porro hic Seleucus etiam templum in urbe Ierosolyma spoliari iubet.

Si conferas hanc imaginem ad nostram aetatem, intelliges Angelum non illi tantum tempori concionatum esse, sed significasse calamitates et servitutem Ecclesiae postremi temporis, ut cogitemus puniri peccata nostra ignavis et acerbis imperiis, et tamen Deo interim curae fore Ecclesiam.

Reges et principes communi animo et coniunctis copiis defendere Ecclesias Dei adversus Turcicam barbariem debebant, quae nomen Christi, literas et honestam disciplinam funditus delere conatur. Domi debebant regere iudicia et mores. Haec propria munera quotus quisque curat? Plerique ociosi indulgent voluptatibus, et difficulter sumtus tolerare possunt. Ideo excogitantur novae expilationes sine modo. Vox illa Iohannis contemnitur: Estote contenti stipendiis vestris; contemnitur exemplum Achab, quem Deus testatus est se punire propter vineam ereptam civi Naboth. Parcendum erat facultatibus civium, ut educare liberos ad virtutem et honestas artes possent, et ut necessario tempore adversus externos hostes conferre pecunias ampliores possent.

Sed, ut dixi, agnoscamus has miserias publicas poenam esse nostrorum peccatorum, et nos ipsos ad pietatem excitemus, et Deo Ecclesiam commendemus, ac oremus, ut mitiget mala publica, det gubernatores sapientes, iustos, felices, prospicientes utilitati suorum civium, cupientes ornare Ecclesias, et illustrare gloriam Dei.

Quid nunc sunt Imperia magna ex parte, nisi satis acerbae quaesturae, hoc est, expilationes, ad quas decurritur, ut tolerari profusiones inutiles possint, Iudicia non disciplinae, non moribus serviunt, sed quaesturae, Bella necessaria et pia, quae geruntur?

Et aulae episcoporum vincunt alias aulas ignavia, profusionibus et βουλιμίᾳ. Nusquam enim episcopi et collegia faciunt officia ecclesiastica, ubique profundunt reditus defraudatis pastoribus et scholasticis, quibus ad studia sumtus praeberi debebant ex opibus, quae donatae sunt Ecclesiis. Deum autem aeternum patrem liberatoris nostri Iesu Christi oremus, ut haec mala mitiget, nec sinat funditus interire suam Ecclesiam et pia studia.

De Antiocho Epiphane.

Et stabit loco eius despectus, et non dabitur ei honos regni, et veniet placide, et potietur regno per blanditias.

Hic incoatur descriptio Antiochi Epiphanis, quem vocat despectum. Singulares emphases sunt in Prophetis, quae non de vulgaribus aut parvis rebus loquuntur. Miretur enim aliquis, cur vocet despectum Antiochum, cum fuerit legitimus haeres, ingeniosus, postea etiam multa bella gesserit. Sed indico despectum dici, quia divinitus non fuit autoritate ornatus. Singulare Dei donum est in principe autoritas seu maiestas, quae tribus rebus constat, virtute, felicitate et inclinatione animorum in populo.

Ut in Scipione quanquam adolescente, tamen erat autoritas seu maiestas. Primum lucebat in eo eximia virtus, et apparebat eum iuvari divinitus: incenduntur autem animi hominum admiratione virtutis et opinione praesentiae Dei seu auxilii divini. Haec quanquam multum conducunt ad autoritatem parandam et tuendam, tamen et tertium munus Dei accedere oportet, videlicet inclinationes animorum divinitus factas in ipso populo.

Huc pertinet illa memorabilis sententia Salomonis: Ut oculus videat, et auris audiat, Deus facit utrunque, id est, ut valeat gubernator consilio et virtute: deinde, ut populus obtemperet, non excutiat recta monentes, utrunque Dei opus et donum est. Ut valeret consilio Themistocles, et ne eius consilia aspernarentur Graeci, utrunque fiebat Deo gubernante animos. Ut Alexander virtute valeret, et exercitus libenter talem iuvenem sequeretur, divinitus fiebat.

Haec non omnibus gubernatoribus contingunt, Antiocho defuerunt omnia: etsi erat astutus, tamen sine iusticia et modestia, instructa est ad perniciem veteratoria seu sycophantica calliditas, et in odio est, ut Sinonis astutia, et plerunque in magnis negociis est infortunata, quia Deus

odit confidentiam humanae sapientiae, sicut scriptum est: Ne innitaris sapientiae tuae.

Deinde omnes homines summos et infimos magnopere deformat fama libidinum, et vere existimatur, non leviter offendi numen coeleste, et publicis cladibus puniri stupra, raptus et similia scelera. Ideo Iulianus hos versiculos Bacchylidis in ore habuit de laude pudiciciae:

Ut, nisi sit vivo facies expressa colore,
Non decus in picto corpore truncus habet:
Sic hominis mores spreti sine honore manebunt,
Ni sint ornati laude pudiciciae.

Accedebant autem ad caetera vitia Antiochi, quae erant atrocia, obscoenae libidines. Quare cum nec virtute, nec felicitate ornatus esset, deerat ei autoritas seu maiestas, nec iudicabatur regio honore dignus, quia multi proceres Syriae adversus eum conspiraverant, ut regnum traderent Seleuci filio excluso Antiocho propter pessimos mores. Sed habuit et suam factionem homo vafer quam sibi suis artificiis et largitionibus adiunxit. Haec est sententia verborum in textu.

Et brachia inundabunt coram eo, et conterentur, et ipse dux foederis, id est, multi Syriaci principes adversabuntur Antiocho, et duces exercituum Aegyptiacorum, qui urbes in Phoenice tenebant. Et ipse dux foederis, id est, Ptolemaeus Philometor, natus ex sorore Antiochi Epiphanis, qui contra eum auxilia miserat. Hos, inquit, id est, Aegyptios et Syriacos duces vincit Antiochus. Deinde tres expeditiones ordine describuntur, prima suscepta in Phoenicen, duae reliquae in Aegyptum.

Et dolose foedus faciet cum illo, ascendet et ducet exercitum exiguum, et in opulentam provinciam veniet, quam spoliabit, id est, etsi cum sororis filio iam foedus fecerat, tamen Phoenicen invasit, et ut natura rapax erat, ac propter profusiones alieno parcere non poterat, diripuit passim facultates locupletum, sustulit templorum thesauros, omnia venalia habuit, exercitui grassandi et populandi licentiam concessit minime convenientem disciplinae militari. Talis fuit eius expeditio, cum in urbem opulentissimam Tyrum venisset. Sequuntur res in Aegypto gestae.

Et excitabitur fortitudo eius contra regem Austri cum exercitu magno, id est, Antiochus Epiphanes potitus Phoenice, et successu elatus, postea Aegyptum invasit. Et pulsus praesidiis ad Pelusium, cum sciret maximarum urbium in aditu difficilem et longam fore oppugnationem, coepit suis artibus uti. Corrupit potentes largitionibus, et simulavit se tutorem fore regis adolescentis. Hoc praetextu Syriaca praesidia in urbes Aegyptias introducuntur.

Et comedentes una panem conterent eum, id est, proceres Aegyptii corrupti ab Antiocho suum regem fallent, et non defendent.

Et duorum regum cor erit, ut malefaciant, et ad unam mensam mendacium loquentur, et non succedent consilia, id est, cum hac simulatione amiciciae transierit Antiochus in Aegyptum, et adolescens a suis destitutus excipiet hospitio avunculum, convenient tanquam amici, et tamen perfidiose uterque struet insidias alteri, ut constat rarissimas esse principum sinceras amicicias.

Et revertetur in terram suam cum magnis opibus, et cor eius contra foedus sanctuarii, id est, cum praesidia in urbes Aegypti praecipuas introduxisset Antiochus, et suo more direptiones fecisset, bona cum spe rediit in Syriam.

In hoc itinere primum venit Ierosolymam, exceptus a Iasone. Et quanquam nondum in templo idolum collocat, tamen aufert thesauros, et multa ornamenta, et facta magna civium caede, locupletum facultates diripuit. Haec et supra recitata sunt, et narrantur in primo libro Macabaeorum. Sequitur alterum iter, quod fuit multo funestius.

Certo tempore revertetur in Austrum, et non erit posterior expeditio priori similis. Et venient contra eum naves ex Cithim, et dolebit, et revertetur, id est, post biennium, cum Philometor deprehensa fraude avunculi expulisset Syriaca praesidia, et urbes suas in Aegypto reciperet, et a Romanis auxilia peteret, Antiochus palam molitur bellum, ac rursus exercitum ad Aegypti fines adducit.

Sed haec expeditio non fuit similis priori, id est, irriti et inanes conatus Antiochi fuerunt, quia Antiochus edicto legati Romani Popilii coactus est, infectis rebus, discedere. Ideo inquit: Venient contra eum naves ex Cithim, id est, Romana classis veniet, legatum adducens Popilium, qui auxilia Aegyptio promittet, et coget Antiochum imperata facere. Nec sine magna contentione obtinuit Popilius, ne Antiochus bellum Aegypto inferret.

At tunc arbitror illam celebratam pactionem cum Antiocho factam esse, de dimidio navium, cum legatus Romanus traductas naves omnes in unum locum dissecari iussit, et dissectarum trabium acervum dimidium attribuit Antiocho, dimidium Romanis. Ita Romanus homo cum veteratore Antiocho lusit, ut ei significaret, intelligi artificia, quibus ipse adversus Aegyptios et Romanos usus esset.

De vocabulo Cithim.

De vocabulo Cithim supra dictum est. Etsi autem Iudaei hic suo more nugantur, tamen satis constat ex multis testimoniis sacrorum librorum, quae sit vis vocabuli. Solent Prophetae discernere regiones et gentes appellationibus stirpium seu primorum parentum. Ut cum Graecos intelligunt seu gentem Ionicam, nominatur Ion seu Iavan pater gentis Ionicae.

Habuit autem Ion seu Iavan filios, a quibus Graecae gentes ortae et nominatae sunt: Elisa, a quo apparet nominatos esse Aeoles: Dodanim, a quo sunt Dodonaei, veteres in Europa Pelasgi. Cithim, a quo vicina gens fuit Dodonaeis: nam Esaias addit Alexandro exercitum gentium Dodanim et Cithim, id est, Graecum et Macedonicum. Ac nomen vetus *μακέτης*, quo antiquitas usa est pro vocabulo Macedo, haud dubie a Cithim factum est, ut sit *μακέτης*, ortus ex Cithim. Nota est enim Hebraicae linguae utcunque peritis vis literae praepositae. Et Citheos fuisse in locis vicinis Macedoniae, ex Homero manifestum est, qui ait Citheos paruisse Telepho regi Mysorum, et eius filio Eurypilo, qui ad Troiam a Pyrrho interfectus est. Fuit autem Mysia in Europa, quae hodie pars est Serviae, vicina Macedoniae. Versus Homeri Odysseae 11. hi sunt:

ἀλλ' οἷον τὸν τηλεφίδην κατενήρατο χαλκῷ
ἥρω εὐρύπιλον, πολλοὶ δ' ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι,
κήτειοι κτείνοντο, γυναίων εἵνεκα δώρων.

Ipse Neoptolemus telo traiecit acuto
Magnanimum Eurypilum, genuit quem Telephus olim,
Ceteosque illum iuxta prostravit, in arma
Coniugium quos promissum traxisse ferebant.

Ergo et vicinia Ceteorum, et vocis affinitas indicant Macedonas a Cithim ortos esse. Quare liber Macabaeorum vocat Alexandrum regem Cithim. Et a Graecis gentibus ortos fuisse Ausonios et Latinos nihil dubium est. Imo Suidas scribit Latinum fuisse Telephi filium, et duxisse Ceteos in Italiam, ac Latio nomen dedisse.

Cum igitur Cithim significet gentes in Europa, ortas a Cithim, complectitur et Macedonas et Italos. Quare et in Numeris cap. 24. vaticinatur Balaam, venturos esse classes ex Cithim, quae Assyrios et Ebraeos deleturae sint. Hic regna in Europa intelligit, et complectitur Alexandrum et Romanos. Nam Alexander non delevit Ebraeos.

Sciamus ergo Cithim gentes esse in Europa, ortas a filio Iavan Cithim, tum in locis Graeciae vicinis, tum in Italia, inde ex imperio Europaeo venturam ait classem, quae Antiochum reprimat. Si Suidae annotatio de Latino Telephi filio vera est, aptissime quadrat nomen Cithim ad Latinum, cum Latinus adduxerit Ceteos in eam Italiae oram. Caeterum constat in Italiam a Graecis initio colonias deductas esse.

Et cogitabit consilia cum deserentibus legem foederis sancti, Et brachia ex eo stabunt, et prophanabunt templum, et auferent iuge sacrificium, et ponet abominationem vastatricem, et praevaricatores foederis decipiet blanditiis, id est, postquam a legato Romano Antiochus Epiphanes deterritus est, ne bellum inferret Aegypto, fremens et iratus in Syriam redit. Porro in hoc secundo reditu multo maiorem saevitiam et impietatem exercuit quam antea. Quia iam collocat idolum Iovis Olympii in templo, prohibuit edicto circumcisionem, comburit sacros libros, curat Bacchanalia celebrari Ierosolymis, interficit homines pios, qui idola colere nolebant, relinquit praesidium ad defensionem idolorum, et ad impediendos veros cultus. Denique quanta dissipatio fuerit totius politiae Iudaicae et verae religionis, ostendit tota historia descripta in libris Macabaeorum.

Nec difficile est causas cogitare, cur Deus has clades praedixerit: monstrantur causae harum poenarum, ut pii admoniti sint cautiores et firmiores. Clare enim praedicitur, initia horum malorum oriri ab ipsis Iudaeis, sicut inquit textus: Cogitabit consilia cum praevaricatoribus. Accersunt Antiochum ipsi pontifices, adsentiuntur ut collocetur idolum in templo, adiuvant saevitiam. Denique sunt socii tanti sceleris. Itaque Deus commonefacit pios, ut societatem horum scelerum fugiant. Significat item, unde Eccle-

siae calamitates plerunque oriantur, videlicet ab ipsis Ecclesiae gubernatoribus.

Deinde pii hac consolatione valde confirmabantur, quod prospiciebant exitum et finem horum tumultuum. Etsi enim sciebant aliquot annos grassaturam esse saevitiam impiorum, tamen certo norant se non frustra dimicare, sed tandem recuperaturos esse patriam, templum et libertatem. Haec spes viros fortes confirmabat, ut non dubitarent arma capere. Ideo et tempus praedicitur, et respondent eventus. Intra triennium recuperavit Macabaeus templum, Haec victoria magis etiam animos addidit piis, ut bellum urgerent.

Postremo praedictio confirmat pios contra scandalum, id est, contra clamores impiorum, qui vociferantur, potestati ordinariae obsequendum esse, sentiendum esse cum maiore parte. Ita tunc erant haud dubie multi, qui suae impietati et ignaviae hanc excusationem praetexebant. Esse boni civis obtemperare magistratibus et pontificibus, nec dissentire a maiore parte civium. Inhonestas et seditiosas esse omnes seiunctiones ab ordinaria potestate, seu a communi consensu maioris partis. Adversus hos plausibiles sermones consolatur Deus pios, et damnat maiorem partem deficientem a lege, et adfirmat sibi placere paucos illos, qui legem divinam defensuri sunt.

Hac ipsa consolatione et nobis nunc opus est, in reprehensione idolorum, quae defendunt pontifices. Usitatum est hominibus dimicare de opibus et de honoribus. Haec reipsa propugnant plurimi Episcopi, Canonici Monachi, et eorum amici, cum tueri suos ritus et sua idola conantur. Et praetexunt Ecclesiae nomen, idque tribuunt suo coetui, qui dominatur. Deinde contendunt non discedendum esse ab ordinaria potestate, quae etiamsi aliquando levia aliqua errata habet, tamen nunquam receperit impias sententias, aut idola: esse bonae mentis quaedam incommoda gubernationis in tanta infirmitate generis humani boni consulere, et lenire moderata interpretatione.

Quoties iam his viginti annis has audio conciones? Quoties mihi illa vox obiecta est, *κακὸν εὖ κείμενον μὴ κινητέον.* Et ut parentum deliria, ita quaedam Ecclesiae errata toleranda et dissimulanda esse, ne medicando plus mali excitetur. Nam cum motis erroribus discordia inflammatur, magnae sequuntur ruinae, magnae dilacerationes, quae plures errores et maiora mala pariunt, ut vere dicit Homerus de lite:

> Parva metu primo mox sese attollit in auras,
> Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.

Denique pleni sunt libri huius philosophiae, de hac moderatione, quae vetat formas imperiorum movere ac turbare, etiamsi qua habent vitia non levia. Hae sunt illae blanditiae, de quibus in textu dicit: Multos invitatos esse blandiitis, ut regi et pontifici adsentirentur.

Sed huius philosophiae metae quaedam sunt, Civilia onera, civilem servitutem arte feramus ac toleremus, condonemus imperiis negligentiam multiplicem in iudiciis, in tuendis commodis et corporibus populi. Sed gloriam Dei et Filii eius Iesu Christi anteferamus omnibus rebus humanis, imperiis, concordiae publicae, uostris honoribus, nostrae vitae, sicut Christus dixit: Qui negabit me coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo coelesti. Et Apostoli iubent mandatum Dei anteferre concordiae suae reipublicae, cum aiunt: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Et Paulus inquit: Si quis aliud Evangelium docebit, anathema sit, id est: Discedite ab impiorum cultuum defensoribus, tanquam a damnatis a Deo.

Ad haec dicta addamus iudicium Dei hic propositum in vaticinio, quod minorem partem dissentientem a rege et a pontifice approbat, et damnat principes defendentes impium cultum. Nec sunt levia errata pontificiae partis, quae taxamus. Etsi enim astuti quidam quaerunt religionum conciliationes, et miscent omnes ethnicas, iudaicas et evangelicam, tamen hae praestigiae in Ecclesiam nequaquam admittendae sunt, in qua fulgere lux debet, quam per Prophetarum, Christi et Apostolorum vocem Deus aeternus nobis tradidit.

Quantum fuerit tenebrarum, adhuc ostendunt frivolae quaestiones in sententiariis: An Deus possit praecipere ut odio habeatur? Quid comedat mus rodens consecratum panem? Sed hae, inquiunt, paucorum et ociosorum ineptiae erant, nec propterea Ecclesia, hoc est, coetus Episcoporum et omnium prudentum gubernatorum accusari debet.

Imo nervos reprehendimus idolomaniarum, quos summi praecipue tuentur, qui non sunt levia errata, nec fucosis excusationibus mitigari

possunt. Vera invocatio Dei obruta est dupliciter. Primum, quod defendunt invocationem mortuorum, vel statuarum potius, ut Mariae, Iacobi, et similia exempla, quae nihil differunt ab ethnicis ritibus, ab invocatione Herculis, Tyndaridarum, Romuli. Deinde iubent invocare Deum cum dubitatione de reconciliatione. Est et haec opinio prorsus ethnica.

Sed hic error de dubitatione non incurrit in oculos, nec potest iudicari nisi a piis. Mens sic debebat invocare, adiungens se pontifici Christo.

Omnipotens aeterne et vive Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, conditor et conservator omnium rerum, sapiens, bone, misericors, iudex et fortis, propter Iesum Christum Filium tuum, quem voluisti pro nobis esse victimam mirabili et inenarrabili consilio, miserere mei, et Spiritu sancto tuo guberna et sanctifica me.

Ac propter pontificem Christum statuere debemus vere nos recipi et exaudiri.

Contraria sententia, quam defendunt adversarii, est ethnica, ut sacerdos Homericus precatur: Phoebe, si placuerunt tibi meae victimae, iuves me.

Quid de Missa dicam? Fingant praestigias, ut volent. Tamen reclamat vetus et purior Ecclesia, et manifestis testimoniis refutat multiplicem prophanationem, qua polluunt Coenam Domini. Et cum manifestissimum sit, nullas ceremonias extra institutum usum, retinere divini Sacramenti rationem, cur iubent adorari panem, et quidem prorsus extra Sacramenti rationem? Hoc non est leve malum.

Deinde lex de coelibatu, infinita pernicies est animarum, nec temporum diuturnitas haec mala excusat. Ecclesia in hoc mundo plerunque est in tristi et dura servitute: sed tamen fuerunt semper aliqui pii et prudentes, qui haec errata deploraverunt, et emendationem optarunt. Sed postea de certaminibus horum temporum dicendum erit. Nunc Antiochi historia pertexenda est.

Brachia vocat duces et praesidia, quae Antiochus in Iudaea reliquit, ut pii interficerentur.

Appellatio insignis est templi, cum ait: Prophanabunt sanctuarium fortitudinis, id est, templi. Vocat autem templum fortitudinem seu arcem, quia propter hoc templum populus a Deo defendebatur. Hoc templum, hic cultus Dei et doctrina erat huius populi arx et munitio, sicut nobis Evangelium arx est, id est, speramus Ecclesiam non penitus interituram esse, et ibi mansura est, ubi sonat vox Evangelii. Hanc nec Turci nec ulli tyranni delere poterunt.

Erat autem populi Iudaici unicum templum, sicut doctrina unica et unicus cultus erat. Ideo hoc templum vocatur numero singulari Fortitudo, Maosa. Infra vero idolum vocabit Deum Maosim, id est, dissimilium templorum. Romae in Capitolio colebatur Iupiter, in templo Attico Pallas, in Eleusinio Ceres, in templo Argivo Iuno, in Delphico Phoebus, in Thebano Bacchus, in Ephesio Diana, in Cyprio Venus, in Lampsaceno Priapus, in Aegyptiis Bos. Denique dissimiles erant opiniones et cultus, dissimilia idola, toto orbe terrarum.

Nec norant homines, quomodo velit Deus invocari, et exaudire. Erant igitur illa dissimilia templa, non uni aeterno Deo dicata, sed multis inanibus titulis, quos homines ignorantes Deum, aut in perpetua dubitatione, aut impia fiducia invocabant, cum res nulla subesset istis titulis. Vocat deos Maosim, id est, commentitios deos dissimilium templorum, et opinionum aberrantium ab una vocis divinae doctrina. Sed de hoc vocabulo infra iterum dicendum erit.

Caetera quae addit textus, ex historia descripta in libro Macabaeorum nota sunt. Armis impedita sunt pia sacrificia, et in templo collocatum est idolum Iovis Olympii, quod vocat abominationem vastatricem. Nam Ebraei usitate omnia idola vocant abominationes seu βδελύγματα.

Additur autem epitheton: Idolum vastans, id est, delens veram doctrinam, et verum cultum, tantisper dum mansurum erat. Hic enim non loquitur de perpetuo populi excidio, ut supra in capite nono, ubi multa verba adduntur, quae expresse praedicunt interitum totius politiae post exhibitum Christum. At hic Angelus significat se loqui de huius populi calamitate futura ante adventum Christi. Quare et liberationem populo promittit, et expresse addit, restare aliud tempus, scilicet, mansuram esse hanc politiam, donec fuerit Messias exhibitus.

Intelligas ergo hoc idolum vastans doctrinam et cultum Dei, tantisper donec pulsis praesidiis Antiochi, et recuperato templo tollitur idolum. Est autem collocatum in templo idolum anno post

mortem Alexandri 145. die 15. Novembris. Deinde vero post triennium templo recuperato, idolum rursus amotum et crematum est anno post Alexandri mortem 148. die vero Novembris 25. quo postea celebrata sunt Encaenia, quorum mentio fit apud Iohannem.

Et populus sciens Deum suum confortabitur et faciet. Docti autem in populo docebunt multos, et cadent in gladio et flamma etc.

Haec est promissio liberationis, in qua Angelus testatur fore aliquos scientes Deum suum, qui sint adversaturi furori Antiochi: et quanquam multi in hoc ipso numero interficientur, et crudelibus suppliciis afficientur, tamen tandem pulsis hostibus recuperaturi sint patriam et libertatem.

Praecipue autem observandum est hoc loco, quid de utraque parte iudicet Deus, quam approbet, quam damnet. Pontifices et principes cum maiore parte populi amplectentur ethnicos ritus, abiecta lege Moisi. Haec pars etsi est maior, et secum habet ordinariam potestatem, ut vocant, id est, pontifices: tamen damnatur supra, cum nominat praevaricatores.

Minor pars erat, quae a Deo suo non defecerat, Ac nominatim suo, inquit, id est, qui se revelavit in hoc ipso verbo, quod tradidit suo populo: hanc minorem partem approbat. Non igitur deterreantur pii a professione verae doctrinae, cum adversarii opponunt iudicia pontificum et maioris partis, ut nunc hoc argumento praecipue oppugnamur.

Memineris et hoc, quod ait: Docti docebunt multos. Significat in illo ipso certamine fore, ut doctrina repurgetur et magis illustretur. Ut nunc in acerrimis horum temporum disputationibus, Dei beneficio, multum lucis accessit doctrinae Evangelii, quod antea sordibus humanarum traditionum et multis frivolis ac impiis quaestionibus monachorum obrutum erat. Denique cum Ecclesia putaretur esse regnum pontificium, vera Ecclesia non agnoscebatur. Nunc praelia discrimina ostenderunt.

Sed multi cadent, inquit, in gladio et flamma. Nec nostrae aetati desunt exempla. Memini virum optimum et excellenti ingenio et doctrina praeditum, Henricum Sutphaniensem, quem Bremensis Episcopi ministri crudelissime interfici curaverunt, quod in Ecclesia Bremensi Evangelium pure docuerat, cum quidem modestissime functus esset suo munere. Et possem recitare aliorum multorum historias.

Et cum ceciderint, iuvabuntur auxilio parvo. Et multi se adiungent eis fallaciter.

Declarat modum liberationis, et quasi classicum canit his, qui represserunt Antiochum. Nam haec verba pios moverunt ad arma capienda. Parvo auxilio iuvabuntur, id est, pars pia erit sine ordinariis ducibus, nec habebit magnos exercitus, sed erunt exiguae copiae piorum et fortium virorum, qui sine ordinario imperio sponte sua concurrent ad communem defensionem. Sicut et textus inquit in libro Macabaeorum, nominans hunc coetum, voluntarios, id est, qui sua sponte, sine ordinariis ducibus concurrerunt.

Post reditum ex Babylone usque ad hoc bellum duces ex stirpe David praefuerunt populo sine titulo regio, sed tamen autoritate mediocri, etsi ad extremum pontifices antecellere potentia et pompa coeperunt. Ac nomina ducum illorum extant in genealogia Christi, fuitque paulo ante hoc bellum Iannes dux, qui ab Antiocho Epiphane in castello Ierichuntis obsessus, ibi interfectus est. Postea populus sine duce erat, et pontifices inter se ambitione et omni genere scelerum certabant.

Destituta ergo vera Ecclesia ordinariis gubernatoribus, concurrit hortatore Mathatia sacerdote, quem propter pietatem, non propter potentiam aut opes, pii reverebantur et sequebantur. Ut nunc vera Ecclesia privatis studiis iuvatur: Reges, Principes, Episcopi oppugnant. Observandum est autem exemplum, ut clamoribus de ordinaria potestate et de maiori parte opponatur.

Utilis admonitio est in altera particula: Multi se adiunget eis fallaciter. Alcimus pontifex simulabat se esse amicum exercitui piorum, eaque simulatione perfidiose oppressit deceptos cives, et multos interfecit. Nec dubium est crebras fuisse mutationes voluntatum et defectiones, ut fit in civilibus discordiis, in quibus homines leves ac mali vel fortunam sequuntur, vel privatis odiis morem gerunt.

Hac nostra aetate vidimus defectiones multorum potentum, item aliorum, qui publice in

nostris Ecclesiis docuerunt, Wicelii, Campani. Et adhuc in nostris castris esse videntur, qui simulant benevolentiam erga nos, ut inflectant nostros ad recipiendos errores, et restituenda idola contumeliosa in Deum.

Deinde multi in omnibus civilibus discordiis propter *ἀναρχίαν*, sumunt sibi licentiam, quae nulli in Republica tranquilla et constituta disciplina concederetur. Quare et nobis multorum mali mores nocent, qui bonam causam scandalis deformant. Haec domestica vulnera valde impediunt et res bonas et studia bonorum.

Neque tamen abiicienda est propugnatio Evangelii, et vera Ecclesia agnoscat suas aerumnas et diaboli insidias, qui ut dissipet Ecclesiam, et contumeliis afficiat Deum et Filium eius Iesum Christum, undique oppugnat Ecclesiam, incitat homines epicureos et hypocritas adversus eam, foris et in ipsis Ecclesiae castris. Hanc calamitatem sensit initio Ecclesia primae familiae, cum Cain interficeret fratrem.

Sequentia verba repetunt descriptionem calamitatis et eam exaggerant, sed tamen addunt rursus consolationem de liberatione: *Docti cadent et explorabuntur*, *sed usque ad tempus*, *quia restat aliud tempus*, id est, etsi athei putabunt hunc populum iam funditus interiturum esse, tamen sciant pii se eluctaturos esse, et hac spe dimicent cum hostibus. Restat enim tempus adventus Messiae, quem hac politia adhuc durante apparere oportuit.

Sequentes versus multi omissa prorsus historia Antiochi de solo Antichristo intelligunt. Etsi autem non dubium est hoc vaticinium complecti Ecclesiae calamitates, quas feret his ultimis mundi temporibus post Apostolos, et paulo ante resurrectionem mortuorum: tamen non avellam hanc partem ab historia Antiochi. In fine enim loquitur de Edom et vicinis, Haec videntur esse historica. Quare in sequenti enarratione verba primum ad Antiochum accommodabimus, postea etiam ad imperia ultima mundi, quae nomen Antichristi complectitur. Nam et ipsa Antiochi historia imago ac vaticinium est de Antichristo.

Dixi autem supra, Prophetas et Apostolos vaticinari de duobus regnis oppressuris Ecclesiam Dei, alterum est Mahometicum, quod aperte reiicit doctrinam Prophetarum et Apostolorum, deinde palam conatur delere nomen Filii Dei. Et quanquam retinet particulam legis, de civilibus moribus, ut caeterae gentes, tamen Evangelium de Filio Dei prorsus reiicit. Negat esse Filium Dei, natum de aeterni patris substantia, negat esse victimam pro genere humano. Tollit omnia, quae de remissione peccatorum et de fide accipiente reconciliationem propter Mediatorem docet Evangelium, tantum ludit imaginationibus ethnicis de Deo.

Ut autem piae mentes adversus hos furores muniantur, cogitent haec argumenta, quae sunt certissima.

Impossibile est doctrinam esse veram, quae reiicit Prophetas et Apostolos, seu quae non retinet verbum Dei traditum per Prophetas et Apostolos. Certum est autem prorsus non audiri Prophetarum et Apostolorum scripta in tota secta Mahometi. Et certum est recens natam esse opinionem Mahometicam longo tempore post Apostolos, et pugnare eam cum Prophetis et Apostolis: Quare manifestum est eam esse diaboli commentum, damnatum a Deo.

Execrandae et fugiendae sunt omnes religiones, quae ignorant Filium Dei, et promissiones de eo traditas per Prophetas et Apostolos. Sic enim vult agnosci Deus, ut ipse se voce sua patefecit. Praeterea non potest affirmare mens humana, Deum placatum esse, seu propicium, exaudire invocantes, nisi notae sint promissiones de Filio Dei. Porro mens dubitans de placatione, fugit Deum, non expectat ab eo auxilium.

Furebant Ethnici, fingentes multos esse deos, et aliis alia munera attribuentes, Iovi tempestatum gubernationem, Marti bella, Veneri procreationem, Cereri segetum custodiam, Baccho vitium tutelam, denique aliis alia.

Haec vulgi deliramenta ne tum quidem sapientes probabant, sed hi agnoscebant unam esse aeternam mentem, causam boni in natura, ut Plato eruditissime dixit. Et hi usitatos cultus eo non vituperabant, quia cogitabant diversis statuis et nominibus varias potestates significari unius immensae naturae, quia uno nomine et uno signo monstrari immensitas illa non posset, quae dicebatur Pallas, quatenus ordinis, in natura, et in humana mente intelligentiae causa esset, Iupiter, Ceres seu Bacchus, quatenus mirabili lege terram quotannis foecundam faceret. Haec etsi ita disputabant veteres agnoscentes unam esse aeternam

mentem conditricem et conservatricem totius huius molis rerum, tamen nondum recte agnoscebant Deum. Non enim norant promissiones de placatione et de Mediatore traditas patribus.

Quanquam igitur Mahometici valde se efferunt, et iactitant religionem suam, quod retineant articulum de unitate Dei, quod non adorent idola, nec fingant multos deos: tamen haec eorum sapientia nihil est nisi communis quaedam philosophia humanae rationis, in qua nondum lucet doctrina de placatione Dei.

Scio multos fascinatos humanis persuasionibus detestari rixas religionum, Quorsum, inquiunt, opus est tanta dissidia excitari? cum rebus congruant religiones, etiamsi appellationibus et signis discrimina et sint et fuerint. Adversus haec diaboli tela muniendae sunt mentes, et considerandum, Quomodo velit agnosci et invocari Deus, item, quomodo placari voluerit.

Norat Plato esse unam aeternam mentem, boni causam in natura, sive ea mens Iupiter, sive Pallas vocaretur. Tantum docet et Mahometus. Sed idem Plato norat, Deum esse iustam mentem, irascentem turpitudini. Quare cogitans de suis vitiis, non iudicabat sibi ignosci, nec invocabat, sed potius fugiebat Deum. Necesse est igitur et articulum de placatione teneri. Et quantum hoc referat, sola Dei Ecclesia perspicue intelligit, quae agnoscit peccatum et iram Dei, et rursus agnoscit se recipi propter Mediatorem. Novit et hoc, statim ab initio hunc articulum traditum esse primis patribus in promissione, intelligit hac fiducia corda patrum confirmata, veros cultus, veram invocationem praestitisse. Putant hypocritae se invocare Deum, sed in vero pavore tota haec eis invocatio excutitur. At sola Ecclesia Dei intelligit et praestat invocationem veram.

Haec de Mediatore diligenter consideranda sunt, ut adversus Mahometi πιθανολογίας animi confirmentur, et execrentur omnes religiones, quae ignorant placationem, quae facta est per Filium Dei. Obruunt enim et iram Dei adversus peccatum, et misericordiam promissam propter Filium, et summum Dei beneficium delent. Ideo Iohannes Baptista testificans de Filio Dei inquit: Qui credit in Filium, habet vitam aeternam, Qui non credit Filio Dei, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Haec si cogitet pia mens, satis praemunita erit adversus Mahometi furores, qui totum Evangelium de Filio Dei aspernatur. Lacerat et eam partem, quae proprie Lex vocatur, quia fingit nihil esse peccatum, nisi externa facta contra legem. Tollit et vera coniugii iura, concedit ducere et abiicere quot quisque vult, sine ulla causa et cognitione. Hoc est prorsus tollere vinculum coniugii, et concedere infinitam scortationem, ut infra dicemus.

Constat autem iam annos fere nongentos Ecclesias Christi horribiliter tum vastatas tum oppressas esse a tyrannide Mahometica. Quare Mahometus Antichristi nomine comprehendendus est, et inter hostes Filii Dei execrandus et fugiendus. Ac supra in imperiis de Mahometico regno dixi, diligenter tenendam esse praemonitionem divinam, quae clare inquit: Id regnum blasphemias dicturum esse contra Deum, et interfecturum Sanctos. Et cum de regno loquatur nascente, cum quarta monarchia collabetur, certissimum est fieri mentionem tyrannidis Mahometicae. Intelligunt autem pii multas graves et magnas causas esse, cur praemonere Ecclesiam Deus voluit, quas secum ipsi expendant.

Sed quod est alterum regnum, quo opprimitur Dei Ecclesia? Paulus clare ait: In Ecclesia dominaturum esse hominem peccati, extollentem se supra cultum Dei. Constat autem in Ecclesia et titulo Ecclesiae dominari pontifices defendentes idola.

Est moderati animi moveri reverentia eius potestatis, quae vocatur ordinaria. Est et grati cogitare maiorum recte facta: Evangelium per Episcopos, Apostolorum discipulos, propagatum est. Deinde qualescunque fuerunt ipsi Episcopi, tamen nomen Christi, et qualemcunque umbram Ecclesiae retinuerunt. Et fatendum est, sub eorum imperio aliquos fuisse pios et aliquam Dei Ecclesiam. Cur igitur, inquies, propter eam partem Episcopis non parcitur? praesertim cum in tanta infirmitate humani generis, nec fuerit unquam inde usque ab initio mundi, nec futura sit gubernatio ulla sine vitiis et erratis. Quare et usitatum et facile est reprehendere gubernationum vitia.

Saepe pontifices levitici, et socii gubernationis praecipui, fuerunt tyrannici, ignari verae doctrinae, rapaces, negligentes in iurisdictione, aut etiam iniusti. Tales fuerunt Hircanus, Annas, Caiphas. Neque tamen Simeon, Zacharias,

et similes pii, vel ordinem damnabant, vel eripiebant eis functionem publici muneris, vel discedebant ab eis.

Quantum miseriarum fuit in gubernatione Apostolorum, qui cum manu neminem coërcerent, multos habuerunt contumaces, leves, arrogantes, discipulos, qui aut falsa dogmata spargebant, aut malis moribus deformabant Evangelium.

Denique amentia est in hac hominum imbecillium consuetudine, imo in hac senecta mundi, delirante iam ipsa hominum natura, fingere quasi Platonicam civitatem, politiam ullam sine morbis, vitiis et miseriis.

Et omnium aetatum exempla ostendunt, tentatis emendationibus politiarum, sequentem statum nova vitia genuisse. Democratia Athenis licentiam vulgi auxerat. Postea oligarchia peperit tyrannides, quae iterum discordias et bella civilia excitarunt.

Cum igitur multa incommoda condonanda sint gubernationi, Cur, inquiunt, tam atrociter reprehenditis Episcopos? Cur non paretis eorum legibus? Cur non agnoscitis esse Ecclesiae gubernatores? Imo cur adiungitis pontifices regnis aperte impiis et palam conantibus delere nomen Christi?

Agnosco reprehensionem esse atrocem. Sed quanquam multa plausibiliter dici possunt de veteribus meritis ordinis, de modestia et ἐπιεικείᾳ in leniendis incommodis et erratis, tamen regula immutabilis tenenda est: Si quis aliud Evangelium docebit, anathema sit. Metae sunt certae, quae monent, quae incommoda condonanda sint, quae vero taxanda et excutienda. Non probabant opiniones Annae et Caiphae Simeon et Zacharias, nec omnibus legibus atque edictis parebant, ut Epiphanius narrat, interfectum esse Zachariam patrem Baptistae, taxantem errores sui collegii.

Scio multas magnas esse miserias, praesertim in gubernatione Ecclesiae, dissimulanda et ferenda est infirmitas morum in multis qui praesunt. Vicissim etiam boni et sapientes gubernatores, ut sapientes patres, tolerant quadam probabili moderatione ingentem infirmitatem populi. Debetur honos et reverentia his qui praesunt, si mediocriter faciant officium. Sed cum haec duo concurrunt, defensio idolorum, et in ea defensione pertinacia seu Epicurea, seu Iudaica, refragari necesse est.

Adsentior veteres Episcopos Apostolorum discipulos optime meritos esse, et eorum memoriam veneror, ac Deo gratias ago, quod has Gentes eorum ministerio ad Evangelium vocavit, ipsis etiam gratias agemus in illa aeterna consuetudine. Sed Ecclesia valde dissimilis est aliarum politiarum, nec alligata est titulis dignitatum. Etiamsi hi recentes Episcopi successerunt in locum Apostolorum, tamen doctrina mutata, functio nova et dissimilis est apostolicae.

Tenuit sacerdotium in sua familia Iaphet, ut acceperat a patre Noha, probatum Deo. Successerunt in eius locum posteri, qui orgia celebraverunt. Quanquam igitur successionem allegabant, tamen prorsus dissimile fuit sacerdotium.

Sed Deus miranda bonitate servat aliquem coetum, qui retinet doctrinam Prophetarum et Apostolorum, nec prorsus sinit interire veram Ecclesiam, etiamsi saepe admodum est exigua. Sed in eo coetu subinde excitat doctores, qui rursus accendant lucem Evangelii, ut Ephes. 4. scriptum est. Ita etsi totum sacerdotium Ieroboam erat damnatum, tamen Deus excitabat populo Prophetas, qui doctrinam de vera invocatione proponebant. Horum auditores erant vera Ecclesia, ut dicit textus: Eliae deploranti interitum Ecclesiae, Reliqui mihi septem millia, qui non adorant Baal etc.

Videmus et ante nostram aetatem fuisse doctos viros, qui publicos errores reprehenderunt et deploraverunt, imo qui exilia aut supplicia propter piam confessionem pertulerunt. Tales fuerunt Wesselus Groningensis, cuius extant scripta, Taulerus, Iohannes Huss, Hieronymus Pragensis, et antea multi, annumero his et Bernardum, et fuisse alios multos nihil dubium est. Mansit igitur Ecclesia Dei, etsi, ut semper, exigua erat. Et alias plus est caliginis, alias certamina de doctrina oriuntur acriora, ut fiat instauratio aliqua, et plures vocentur ad Evangelii lucem. Ibi coetus, qui errores defendit, et addit pertinaciam blasphemam adversus Deum, certe non est Ecclesia Dei.

De his Evangelii hostibus intelligimus et Paulum et Danielem, cum damnant regnum in Ecclesia defendens idola, videlicet Episcopos, qui regio more dominantur, et ne potentia vel autoritas labefactetur, nolunt ullos errores taxari, et ut propugnent autoritatem, exercent saevitiam

in homines pios, qui non approbant errores. Et quanquam facile possent opes, autoritatem et formam politiae veteris ecclesiasticae retinere, abiectis quibusdam sordibus: tamen pertinacia et odio furentes, ut Pharao seu Antiochus, censent nulla in re cedendum esse inferioribus. Nec nova est haec pertinacia, sed plerunque cum mutationes factae sunt, fuit similis impiorum pertinacia, ut Pharaonis, Saulis, Sedechiae, Pharisaeorum tempore Christi. Hos igitur idolorum defensores, blasphemos, pertinaces, parricidas taxamus.

Si qui sunt Episcopi, qui iudicio et voluntate abhorrent ab illa defensione errorum, hi si pia confessione iudicium suum declarant, et suas Ecclesias curant recte doceri, non sunt membra impii regni. Et multi sunt cives sub ipsis tyrannis impiis, recte sentientes, recte invocantes Deum, et Filium eius Iesum Christum, hos non intelligimus damnari, sed potius membra esse verae Ecclesiae, cum qua iudicio et voluntate coniuncti sunt. Nec nos fingimus Ecclesiam invisibilem, seu ut ideam Platonicam.

Ut confessionem Evangelii, Sacramentorum usum, et veram invocationem Deus vult conspici palam, ita necesse est Ecclesiam esse visibilem coetum. Sed caeteris politiis dissimilis est, passim dispersi sunt pii, nec certo regno mundano, aut certo loco, aut certis humanis ceremoniis, certae regioni inclusi, sed ubique omnes amplectentes Evangelium Dei. et vitantes idola, sunt membra unius Ecclesiae Dei. Non igitur belligeramur cum piis, qui sub tyrannis degunt, non cum his, qui se iudicio, voluntate, confessione seiungunt a societate hostium Evangelii, sed cum illis Episcopis et eorum satellitibus, qui defendunt idola, et suam pertinaciam manifestis exempiis et magna saevitia declarant.

Hortamur autem quoscunque possumus, propter gloriam Dei, ut ab ea factione impia se iudicio et voluntate seiungant, ut multos hortabatur Macabaeus, ut se a societate consiliorum Antiochi seiungerent. Monemus etiam doctos et prudentes, qui vel studio pacis, ut prae se ferunt, vel sua quadam morositate videri volunt, abhorrere a novis rebus et a mutationibus, ut caveant, ne sua contatione confirment hostes Evangelii. Res manifestae sunt, et a candidis et non calumniosis facile iudicari possunt.

Exaggeres, attollas, amplifices Wiceli, quantum voles, consensum multorum seculorum, successionem ordinariam, reverentiam gubernatoribus debitam, tamen, si intimos sensus tuos et penetralia pectoris aperias, dices tibi displicere invocationem mortuorum, profanationem Coenae Domini, vagas libidines, saevitiam, quam diu iam exercent pontifices, neglectionem sacrorum studiorum, depravationem doctrinae de poenitentia et de gratia, superstitiones rituum humanorum, dominationem regiam Episcoporum, quae impedit gubernationem Ecclessiae, omissionem Synodorum et iudiciorum Ecclesiae, de doctrina et de moribus. Haec etiamsi rident Epicurei sapientes, tamen honestae mentes, quae iudicant Evangelium non esse commentitium, agnoscunt non esse dissimulanda.

Sed plus mali medicando excitatis, inquiunt, Facitis ἀναρχίαν labefactata summorum autoritate, laxatis frenos petulantiae et audaciae ingeniorum, moventur exemplo et occasione curiosi, ut vera dogmata conturbent. Vidimus exortos Anabaptistas, Servetos, Campanos, et alias pestes. Et ut praecisis hydrae capitibus alia nascebantur, ita impostoribus illis uno atque altero repressis alibi similes exoriuntur. Quid potentes sibi sumunt? qua disciplina regi mores suos sinunt? quam sunt diligentes in fovendis piis studiis? quo transferunt opes Ecclesiarum? Quid quod distractio principum per sese est infinitum malum. Videmus nec magna nec parva negocia communi eos animo agere posse. Postremo, si nunc initia dissidiorum tantum habent mali, quid ad posteros fiet, cum minus erit eruditionis, et iam diuturnitate audacia potentum erit confirmata? Nunc in principibus aliquod est studium piae doctrinae, tale non erit in posteris? Crescet igitur barbaries ac immanitas.

Haec obiiciuntur nobis, cum errores taxamus, et magnum nobis dolorem haec tristia spectacula adferunt. Discordiae civiles gignunt infinita mala. Sed iniustum est, conferre causam discordiarum in Evangelium. Credere voci divinae idola et falsae opiniones debebant. Haec cum defenduntur, pertinacia eorum, qui Evangelio adversantur, inflammat discordias. Et hae sunt usitatae poenae regnorum.

Nullum fuisse postea pulcrius regnum arbitror, quam fuit Aegypti regnum constitutum a

Ioseph. Tam pulcram politiam funditus everti Moises certe dolebat. Multo magis doluit Ieremias excidium suae politiae. Considera Antiochi tempora, de quibus hic concionatur Angelus. Vides ipsam imaginem calamitatum huius temporis in historia Macabaeorum, Exiguus erat numerus piorum, His adiuncti erant multi leves, perfidi, insidiatores, Principes dissidebant, Moritur dux praecipuus ante belli finem, sed tamen vicit pars melior. Quae hanc victoriam novae confusiones politiae Iudaicae secutae sunt?

Non profecto Matathias arma ceperat, ut nepos eius Hircanus Sadducaeos foveret, qui palam epicurea dogmata spargebant, non ut pronepotes regnum parricidiis constituerent, ac in cives crudeliter grassarentur, non ut abnepotes velut Thebani fratres inter sese impiis armis dimicarent, religionem perturbarent, et Romanos adducerent ad profanandum templum. Constat enim post Antiochi Epiphanis bellum, graviter afflictam esse Iudaeam domestica tyrannide posteritatis Macabaeorum.

Ita semper novae procellae Ecclesiam obruunt. Quanquam igitur nunc mediocris status videtur nostrarum Ecclesiarum, in quo quidem non parum est aerumnarum: tamen aliquanto post aestus aliquis, aut tempora voluntates principum et doctorum mutabunt, aut distrahent, et erit durior servitus, et sequentur doctrinae tenebrae. Fortassis accident et aliae graviores rerum humanarum mutationes.

Ergo, inquiunt, si non est spes melioris status, satius erat tacere. Nam quorsum attinet motis rebus, cumulare miserias? Una est eademque responsio. Mandatum est immutabile: Fugite idolatriam. Haec voce omnes, qui non sunt Epicurei, cogi se intelligant, ut falsas opiniones abiiciant, et a defensoribus idolorum dissentiant. Et quanquam hic coetus est exiguus, ut erant pauci, Maria, Ioseph, Simeon, Zacharias et alii, qui damnabant errores pontificum eius temporis, tamen profiteri veram sententiam debet, nec professio illa inutilis est.

Ita subinde Deus accendit flammam doctrinae, et Ecclesiam instaurat, ac plures ad salutem vocat, et exitus certaminum mirabiliter gubernat, quos prospicere nos penitus non necesse est, nostrum est intelligere mandatum Dei, et huic obsequi, et hos labores scimus Deo placere, iuvari divinitus, salutares esse Ecclesiae: et quanquam variae offensiones incidunt, tamen ad extremum habere laetam *καταστροφήν*.

Moises educens tantam multitudinem ex Aegypto, norat parendum esse voci divinae, sciebat et hos labores non fore irritos, sed omnes casus non praevidebat, minimeque cogitabat, quadraginta annos tantam multitudinem inter Arabum saxa et in vasta solitudine circum ducendam esse sine certa sede. Ita et nos obtemperemus mandato Dei, et non dubitemus ipsum gubernaturum esse exitus.

Illud etiam nostros censores et areopagitas moneamus, ut cogitent, se valde errare, si existimant, omissa Evangelii praedicatione consecuturos se esse tranquillitatem. nec venturas esse calamitates, quibus Deus scelera mundi punit.

Oriebatur in Graecia bellum civile, in quo praecipuae civitates pene funditus deletae sunt, Platea, Corcyra, Athenae, Sparta. Fatalis erat poena impietatis et libidinum, et hanc ipsam ob causam tristior, quia vox Evangelii prorsus ignota erat, quae aliquos ab aeternis poenis liberasset. Misericordiae divinae beneficium est accendere lucem Evangelii, cum impendent rerum mutationes, ut multa ostendunt exempla. Ita nunc non dubium est magnas rerum humanarum mutationes impendere. Quare ut reliquiae Ecclesiae vera invocatione sustententur, et poenae mitigentur, Deus repurgari Evangelium voluit.

Non vox Evangelii attraxit Turcas in Pannoniam, ut de proximis exemplis dicam, sed ingens longi temporis *εἰδωλομανία*, et alia multa scelera. Quid iam Pannoniis profuerit illa areopagitarum sapientia, quae taceri Evangelium iubet? Ignari Evangelii quam consolationem habent? Econtra piis lux Evangelii magnam consolationem adfert. Hi quanquam vident se acerbissima servitute oppressos esse, tamen norunt Ecclesiam non interituram esse funditus. Mitigabant etiam haec mala suis precibus, vera pietate. Errant censores nostri, si putant suas opiniones esse Parcarum tabulas, a quibus ne Deo quidem discedere liceat. Perdam, inquit, sapientiam sapientum, nec pauca vidit haec aetas exempla.

Ideo nos potius gratias agamus Deo aeterno patri liberatoris nostri Iesu Christi, quod rursus lucem Evangelii nobis accendit, et nos ad veram invocationem et pietatem excitemus, nec deter-

reamur falsis impiorum iudiciis, amplectamur et retineamus Evangelii vocem, amemus et veneremur veram Ecclesiam, sciamus pios non ignavum ocium vocari, sed ad militiam omnium difficilimam.

Hostes igitur noscendi sunt, noscenda et hostium signa. Diabolus varie insidiatur omnibus hominibus, alios implicat aliis sceleribus, libidinibus, caedibus, rapacitati, multis offundit falsas opiniones de religione. Adversus hunc hostem singulis assidue dimicandum est, et quae ratio sit praeliandi, norunt pii. Tenenda est doctrina a Deo tradita, et fide petendum auxilium a Deo, sicut Christus iussit: Petite, et accipietis: et confirmandae sunt mentes, ne obtemperent malis illecebris.

Habet autem diabolus et organa sua, Mahometus palam infert bellum Christo, et nosse signa hostilia facile est. Quia enim abiicit universam doctrinam traditam per Prophetas et Apostolos, hostem esse Dei nihil dubium est. Quare fugienda et execranda est Mahometi doctrina..

Habet et alia organa diabolus, Epicureos, qui omnes religiones inflectunt ad suam ut utilitatem, quia commentitias esse putant.

Item, in ipso coetu, qui titulum retinet Ecclesiae Dei, Pontifices et Doctores, qui defendunt idola, et abducunt mentes a vera invocatione. Id regnum etiam complectendum est nomine Antichristi et vitandum.

Valde movet quosdam venerandum nomen Ecclesiae, quod loco et ordini tribuere homines solent, ideo in eo coetu non existimant perniciosos errores esse. Sed vox Christi perspicua nos monet, in hoc ipso coetu, qui se Christi populum esse profitetur, fore dissidia de doctrina; tunc si quis dicit: Ecce hic est Christus, aut illic, ne credite: Exorientur enim multi Pseudochristi et Pseudoprophetae, et facient signa, ut seducant, si fieri posset, etiam electos. Haec de his impostoribus dicuntur, qui volunt perhiberi membra Ecclesiae, non de Diocletiano, aut aliis, qui palam gerunt bellum cum nomine Christi.

Et 2. Pet. 2. Inter vos, inquit, erunt, qui falsa docebunt. Erunt igitur errores, non tantum apud externos hostes, Diocletianum, Mahometum, et similes, sed etiam in illo ipso coetu, qui vocatur Ecclesia Dei, sic et Paulus inquit in Actis cap. 20.: Scio post discessum meum penetraturos ad vos lupos rapaces etc. Clare dicit in eo coetu, qui vocatur Ecclesia Dei, grassaturos esse lupos. Ergo fuerunt et erunt errores magni et perniciosi apud eos, qui retinent nomen Ecclesiae. Et tamen erunt, qui his erroribus refragabuntur. Necesse est iudicari errores, et agnosci signa hostium Dei. Nec alia est norma huius iudicii, nisi ipsum Evangelium, sicut Paulus inquit: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Iam si constet pontifices et doctores defendere errores contra Evangelium, necessario refutandi et vitandi sunt, sicut Christus inquit: Nolite credere.

Haec opponenda sunt his, qui videri volunt ἀναμάρτητοι, propterea, quod sibi titulum Ecclesiae tribuunt. Quare sibi quisque perspicuos articulos proponat, ut de Ecclesia vere statuere possit. Necesse est enim pios certos esse, quae sit Dei Ecclesia.

Antitheses.

I. Vera Dei Ecclesia semper inde usque ab Adam invocavit, unum aeternum Deum, conditorem omnium rerum, patrem Redemtoris promissi, qui se patefecit in verbo suo, et iuxta hoc verbum invocari vult fiducia Redemtoris, et suo Spiritu sancto reddere lucem et vitam aeternam, sic invocantibus ipsum. Ac prohibuit aliter se coli, quam iuxta verbum suum, et fingi alios deos aut mediatores.

Cum hoc primo articulo Evangelii manifeste pugnant hi ritus, invocare homines mortuos, alligare Deum aut illos mortuos ad certas statuas, aut ad ullam rem, ad quam se non alligavit Deus verbo suo. Haec sunt similia ethnici furoris, et vere a diabolo orta, qui studet gloriam Dei contumelia afficere, et illudere infirmae hominum naturae.

II. Ecclesia Dei semper inde usque ab Adam, longe aliter iudicavit de peccato, et de iusticia, quam iudicat humana philosophia, videlicet, Ecclesia vera semper agnovit dubitationem de Deo, et contumaciam nobiscum nascentem, vere esse malum pugnans cum lege Dei.

Econtra doctores pontificii regni negant haec esse mala pugnantia cum lege Dei.

III. Ecclesia vera semper inde usque ab Adam sensit, in conversione seu poenitentia oportere existere in animis hominum veros pavores, et dolorem ortum ex agnitione irae Dei adversus peccatum, et rursus erigi animos fide, id est, fiducia misericordiae monstratae in promissionibus propter Mediatorem, et consequi homines remissionem peccatorum propter Mediatorem fide gratis, non propter legis impletionem.

Contra haec contendunt doctores regni pontificii, semper dubitandum esse, an consequamur remissionem, ac si cui contingit, dari eam propter sufficientem contritionem, ut vocant. Et cum nunquam scias, an sufficiat contritio, iubent semper dubitare. Hoc est re ipsa abolere promissionem in Evangelio traditam.

IV. Vera Ecclesia semper inde usque ab Adam sensit hanc imbecillem hominum naturam, nequaquam posse satisfacere legi Dei, sed agentes poenitentiam et fide erectos incoare dilectionem et obedientiam, et habere iusticiam bonae conscientiae, neque tamen iustos esse, id est, reconciliatos et acceptos ad vitam aeternam propter legis impletionem. sed propter Mediatorem fide. Hac fide seu fiducia semper vera Ecclesia Deum invocavit.

Contra haec manifestissime scripserunt doctores regni pontificii, hominem posse satisfacere legi Dei, et iustum esse impletione legis. Deinde, ut doctrinam de fide obruant, dicunt semper dubitandum esse, an simus in gratia, et negant dubitationes et alias vitiosas inclinationes pugnare cum lege Dei. In hoc toto articulo transformant adversarii Evangelium in philosophiam.

Scimus autem et nos, et acerrimo studio docemus, requiri disciplinam divinitus, et violationem disciplinae puniri. Sed tamea aliud est iusticia fidei, aliud diciplina seu morum gubernatio. Cum autem adversarii obruant doctrinam de fide, sepeliunt Christum, obscurant promissionem in Evangelio traditam, corrumpunt doctrinam de vera invocatione. Ac tantum est tenebrarum apud eos, ut contendant vocabulo fidei non significari fiduciam misericordiae, sed tantum noticiam historiae, coniunctam cum dubitatione de gratia.

V. De satisfactione canonica et indulgentiis meras nugas docent.

VI. Horribiliter prophanatur Coena Domini multis erroribus. Fingunt adversarii transsubstantiationem, et falso dicunt se offerre Filium Dei, et hanc suam oblationem mereri aliis ex opere operato. Hae prophanationes horribiliter irritant iram Dei.

VII. Semper vera Ecclesia Dei, inde usque ab Adam sensit, opera a Deo mandata esse cultus Dei, id est, officia Dei placentia, et quibus Deus se honore affici pronunciat, nec esse cultus Dei opera excogitata sine mandato Dei. Nam si haec essent cultus, excusari et prodigiosi cultus Ethnicorum possent.

VIII. Hoc errore fingunt adversarii, monasticen et coelibatum esse eximios Dei cultus, prohibent coniugium toti ordini sacerdotum, et distraxerunt coniuges. Cumque lex coelibatus sit iniusta et impossibilis, multis exitio est, quorum mentes et corpora propter hoc vinculum polluuntur, et quorum animi impediuntur hac una lege, ne Deum recte invocare possint. Porro omnium voce abolenda est lex, quae impedit veram invocationem Dei.

IX. Ecclesiam adversarii transformant in regnum mundanum. Et κακοζηλία politiarum humanarum gignit multos errores. Tribuunt Petro potestatem transferendi regna mundi. Tribuunt Episcopis potestatem instituendi cultus, potestatem praetoriam seu regiam interpretandae scripturae, cum interpretatio sit donum, non potestas. Denique hoc tempore dominatio Episcoporum prorsus est aliena ab Evangelio munere.

Postremo admoniti nunc adversarii, magna pertinacia errores et idola defendunt, et vetant pure docere Evangelium, et Neroniana crudelitate homines honestos et pios interficiunt, non aliam ob causam, nisi propter verae doctrinae professionem. Haec qui faciunt et probant, hos esse membra regni imperii, seu Antichristi, ipsorum impia pertinacia et saevitia ostendunt.

Nec sunt obscurae controversiae, de quibus disserimus, sed a piis facile diiudicari possunt. Ideo bonae mentis gloriae Dei et saluti suae consulant. Quod vero multi a nobis dissentiunt, hi aut sunt Epicurei, aut hypocritae, fascinati opinione autoritatis pontificum, aut sapientiae suae admiratione, de quibus in Daniele scriptum est:

Non intelligent omnes impii. Horum iniquis iudiciis non sinant pii se moveri, ut assentiantur erroribus, colant idola, et adiuvent iniustam saevitiam.

Postquam autem indicavi regna, quae complectitur appellatio Antichristi, verba textus in Daniele facile ad ea accommodari possunt. Addam igitur textum et quorundam verborum declarationem.

Et faciet secundum voluntatem suam rex, et exaltabit se, et magnificabit super omnem Deum, et contra Deum deorum loquetur mirabilia, et habebit successus prosperos, donec ira finietur, quia praefinitio facta est.

Descriptio est prorsus terribilis. Nec potest humana mens iudicare, quantum hoc malum sit, audacia fingendi et spargendi dogmata impia, contumeliosa contra Deum. Hanc audaciam tribuit hic Antiocho et Antichristo, hoc est, Mahometo et defensoribus idolorum in Ecclesia. Et magnitudo huius mali aliquantulum aspici potest, si quis cogitet adorationem statuarum, aut panis, qui in spectaculis circumfertur.

Nec tantum hic audacia describitur, sed etiam praedicitur, late grassaturam esse hanc pestem, et magnos fore successus impiorum regnorum. Id potentia regni Mahometici et pontificii satis ostendit. Addita tamen est consolatio, quod sit facta praefinito, id est, quod aliquando finis futurus sit harum horribilium fraudum.

Et de Deo patrum ipsius populi non intelliget, et de desiderio mulierum, et de ullo Deo non intelliget, quia super universa magnificabit se.

Duae insignes notae sunt Antiochi et Antichristi. Non agnoscere, hoc est, reiicere Deum patrum Ecclesiae, et non intelligere desiderium, id est, στοργὴν mulierum. Nam in textu more Ebraico ad utrunque membrum accommodanda est negatio. De desiderio mulierum, et de Deo non intelliget, id est, nec desiderium mulierum, nec Deum curabit. Saepe enim Ebraei hoc modo una negatione complectuntur plura membra. Sunt igitur hae duae notae, manifesta idolorum adoratio, et lex confirmans vagas libidines.

Non est opus prolixe de Antiochi historia dicere. Constat eum collocasse idolum in templo, et delevisse Prophetarum scripta, et veram de Deo doctrinam prorsus aboleret. Spurcities etiam in moribus abominanda fuit.

Horresco conferens imaginem ad postrema regna. Mahometici etsi valde se offerunt, quod unum esse Deum sentiunt, tamen negant hunc esse Deum conditorem rerum, qui est pater Liberatoris nostri Iesu Christi, nec agnoscunt hunc vere Deum esse, qui se per hoc verbum patefecit, quod tradidit Prophetis et Apostolis, nec retinent Evangelium, nec fiducia Mediatoris Christi ad Deum accedunt, denique ipsum Filium manifesta contumelia afficiunt: ergo reiiciunt verum Deum, et sibi aliud numen fingunt.

De altera nota, constat lege Mahometi concedi, ut ducat quisque quot vult, et abiiciat seu vendat, cum vult, sine ulla causa et sine cognitione. Hanc esse contumeliam et miseriam insignem sexus muliebris omnes sani intelligunt. Et pugnat haec lex cum doctrina Christi, qui vult coniugium esse inseparabilem coniunctionem mariti et uxoris. Et sic initio institutum esse coniugium affirmat, ut maritus et uxor sint una caro, id est, inseparabiliter iuncti. Sunt et alia magis flagitiosa exempla Turcicae gentis, quae Deus iustus iudex et amans castos mores suo tempore severe puniet.

Nunc de regno pontificio dominante in Ecclesia dicendum est. Retinet id nomen Dei aeterni patris et Filii Christi. Sed addidit idola, et corrupit doctrinam. Dixi supra, quae semper inde usque ab Adam fuerit invocatio unius aeterni Dei, qui se patefecit in verbo, quod tradidit Patribus, Prophetis et Apostolis. Sed alios deos proponunt adversarii invocandos, scilicet, homines mortuos, item statuas, ad quas concurrunt, item idola Missarum. Obscurata est et doctrina de invocatione in fide, id est, fiducia Mediatoris, quia iubent semper dubitare, at mens dubitans fugit Deum, non invocat.

Discernere pii suam invocationem ab ethnica dupliciter debent. Ignorant Turci, quem Deum invocent, et sic invocant, ut semper dubitent, an Deus sit eis propicius. Hae dubitationes perpetuae non differunt ab ethnicis opinionibus.

Sed fides in nobis primum agnoscat hunc vere esse Deum aeternum conditorem, qui se patefecit per verbum, quod nobis tradidit, qui est pater aeternus Christi, quem pro nobis victimam

fieri voluit, mirabili et inenarrabili consilio. Deinde fides hoc quoque statuat, vere nos recipi a Deo propter hunc Filium, et preces nostras propter eum audiri, sicut scriptum est: Habentes talem pontificem, accedamus cum fiducia. Item: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Quod enim ait, in nomine meo, iubet peti fiducia Mediatoris. Sic ergo ores:

Aeterne Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, conditor et conservator omnium rerum, sapiens, bone, misericors, iudex et fortis, te invoco, miserere mei propter Iesum Christum Filium tuum, quem pro nobis victimam esse voluisti, et propter quem promisisti nobis remissionem peccatorum et vitam aeternam, sanctifica, incende, rege cor meum Spiritu sancto, ut te vere invocem, tibi vere obediam etc.

Constat autem magnas tenebras inductas esse huic doctrinae de invocatione in fide, et de promissione. Interim propositi sunt ritus humani monachorum, sicut mundus solet varias superstitiones comminisci.

Altera nota, vel maxime illustris est. Etsi enim multae gentes libidinibus horribiliter pollutae sunt et fuerunt, tamen nusquam alibi publica lege perpetuo prohibitum est verum coniugium, magno ordini hominum, nisi in regno pontificio. Cum autem natura hominum ita condita sit, ut sit foecunda, et accesserit infirmitas, ut minus sint domitae appetitiones, prohibitio coniugii magna scelera parit, quae comitantur horrendae tenebrae et tristes poenae publicae, privatae, praesentes, aeternae, eversiones regnorum, dissipationes gentium, interitus Ecclesiae. His tantis malis mirum est nihil affici autores eius prohibitionis.

Sed cur textus nominatim dicit: Non intelliget desiderium, id est, *στοργὴν* mulierum? Multas magnas res complectitur. Deus indidit mutuam *στοργὴν* utrique sexui, ut perpetuam societatem efficeret, procreationis causa, qua voluit sibi gigni aeternam Ecclesiam. Haec *στοργὴ* primum est benevolentia mutua, qua pars altera humanae naturae alteram complectitur, et mutuo honore afficit propter naturae similitudinem, et societatem vitae aeternae, denique propter Deum conditorem. Deinde est et appetitio mutua propter generationem a Deo ordinatam, ad Ecclesiae conservationem. Postea est et mutua cura ac officiorum permutatio: vir sciat se debere labores certos mulieri, ne vel fame pareat, vel indigna contra Dei ordinationem patiatur. Vicissim mulier debet partem domestici laboris sustinere. Hae inclinationes et curae sunt in hac ipsa *στοργῇ*, de qua dicimus.

Harum nihil curat Cyclops, solus in antro sedens, et ventrem epulis onerans. Non afficitur benevolentia erga patrem generis humani alteram, non tribuit eo honorem propter Deum conditorem, aut generationem: non laborat, ut coniugi victum paret, non studet eam defendere, ne quid indigni patiatur. Sed ipse, si qua sit occasio, alias aliam opprimere cupit, ac rursus abiicere, nec tolerare labores aut molestias sexus aut generationis causa. Hoc simul est et contumelia afficere, et perdere sexum, non velle eum fovere, iuvare, tueri, iuxta ordinationem Dei, sed tantum velle eo abuti, et postea tanquam inutilem testam abiicere, et non perpetuo tueri.

Ex hac imagine intelligi potest, quid dicat textus: Non curabit *στοργὴν* mulierum, id est, confirmabit contumelias sexus muliebris. Est autem contumelia duplex: Altera est neglectio, quam in coelibe viro sequuntur multae turpes flammae et alia graviora peccata. Altera est, cum miserae mulieris corpus et animam contaminas. Nam omnis concubitus extra coniugium est contumelia sexus. Non enim uteris iuxta Dei ordinationem, imo etiam abstrahis hominem a Deo, quae est summa contumelia. David rapiens alienam coniugem, quantum in ipso fuit, non solum sese perdidit, sed etiam illam miseriam a Deo avulsit, quae tunc quidem non vidit, quomodo ex hoc scelere eluctatura esset.

Accedunt deinde poenae ingentes, quibus plectuntur impudici. Ut adulterium Davidis secuta sunt domestica parricidia, exilium, seditio, stupra coniugum, caedes civium. Haec mala erant atroces contumeliae, quae ita deformabant Davidem, ut gloriam ingentem, qua floruerat, amittere se sentiret ipse.

In his exemplis cogitemus, quid sit contumelia sexum afficere, et discamus reverenter uti sexu, iuxta ordinationem Dei, frenemus libidines, vitemus poenas, caveamus, ne polluta conscientia impediamus invocationem. Denique legem iniustam, quae incendit vagas libidines, tanquam diaboli laqueum excutiamus. Nam Paulus prohibitionem coniugi expresse nominat doctrinam

daemoniorum. Illud etiam adiiciendum est, peculiarem poenam esse cultus idolorum, labes libidinum, ut primo capite ad Romanos significatur.

Postea hic in textu repetita est descriptio contemtus Dei, cum ait: Super universa magnificabit se. Describit furorem Epicureum, qui omnium malorum summum et extremum est, fingere nihil esse Deum, nihil esse providentiam, fingi posse ad utilitatem praesentem religiones arbitrio potentum. Mirum est autem, cum hic furor tantum malum sit, ut magnitudinem eloqui nemo possit, tamen innumerabiles homines delectari Epicureis opinionibus. Sed haec scelera reteget et puniet Filius Dei, cum se ostendet mundo, et resuscitabit mortuos, ut Ecclesiam ornet gloria, et impios in aeternos cruciatus abiiciat.

Et Deum Maosim in loco Dei venerabitur, et Deum, quem nescierunt patres sui, colet auro etc. Et praesidiis Maosim defendentibus Deum alienum, quem elegit, dabit magnam gloriam.

Intelligo simpliciter Deum Maosim Deum templorum variorum commentitium, alium a Deo, qui se in uno verbo et cultu populi Israël patefecit. Nam ut supra templum populi Israël vocat Maosa, id est, arcem: ita plurali vocat gentium aliarum templa Maosim, id est, arces seu munitiones, quia suum cuique templum, suus cuique cultus seu Deus arx est.

Populo Israël arx erat templum, verbum et cultus, propter haec iubebantur petere et expectare defensionem. In nobis Evangelium arx est, propter id speramus, et certo statuimus Ecclesiam non prorsus interituram esse, ac vere arx est unica, unus est vere Deus aeternus pater Iesu Christi, qui se in promissionibus suis inde usque ab initio patefecit. Hanc nos habemus unicam arcem, unum Deum patrem Iesu Christi, unum Evangelium, unum cultum.

Sed Ethnici finxerunt innumerabiles. Attici colebant Palladem. Thebani Bacchum. Eleusinii Cererem. Siculi Proserpinam. Argivi Iunonem. Delii Latonam. Delphici Phoebum. Lemnii Vulcanum. Lampsaceni Priapum. Phrygii Cybelen. Denique finis nullus erat fingendorum numinum et cultuum. Quanquam autem haec numina prorsus commentitia erant, tamen humana caecitas cum finxit sibi ceremonias, confidit his suis operibus, et fiducia confirmatur successibus: ut Romani quia vincebant caeteras gentes, cum iuvarentur divinitus, existimabant etiam se vere Deum colere. Simili argumento confirmantur Turci. Porro in tanta caligine humanae naturae vehementer moventur animi fortuna et successibus. Sed nos scimus Deum agnoscendum esse per verbum suum, et restare aliud iudicium, in quo Ecclesia ornabitur gloria.

Intelligo igitur Deum Maosim, Deum variorum templorum ethnicorum commentitium, alium ab eo, qui in uno templo colitur, in quo sonat vox Dei, seu Evangelium. Ita Antiochus Iovis Olympii statuam Ierosolymis coluit, Iovis Cretei statuam Samariae, Herculem in Tyrio templo, Adonidem in vicinis.

Hae commentitiae appellationes, etsi nihil sunt nisi inanes tituli statuarum, tamen dicebantur dii illorum variorum templorum. Ita mihi videtur appellatio Maosim ex antithesi interpretanda, ut sit Maosa verum templum unicum, Maosim vero multa ethnica diversarum statuarum et cultuum.

Alii rationem appellationis hanc esse iudicant, Deum Maosim dici, quod vi et armis cultus ille constitutus et defensus sit. Antiochus armis repressit Iudaeos, cum statuam in templo collocaret, postea addidit praesidia, quae cogebant populum ad hanc statuam colendam. Haec interpretatio etiam mihi continua videtur.

Nunc accommoda ad Antichristum. Mahometus commentitium numen, reiecto verbo Dei, colit, et vi ac armis sua mendacia et propagare et defendere solet.

Quid fit in regno pontificio? Nomen Maosim alludit ad Missam, et affine est nomen Mazon, cibus seu panis. Praecipuum vero idolum est in regno pontificio multiplex profanatio Coenae Domini. Deinde sunt et alia multa, statuae innumerabiles, ad quas concurritur, tanquam ibi Deus magis propicius sit, aut ibi velint exaudire animae Sanctorum.

Et haec ethnica, quae in textu describuntur, Colet auro et argento Deum commentitium, ubi fiunt impudentius, quam in pompis, in quibus circumfertur et adoratur panis? Et ethnico more praecedunt magna agmina, quae gestant statuas aureas, argenteas, gemmatas. O tristia et execranda spectacula.

Deinde appellatio idoli Maosim complectitur omnes errores pugnantes cum Evangelio. Cultus sine vera cognitione Evangelii est ethnicus. Ut invocabat numen aliquod aeternum Xenophon, sed dubitans: ita invocant Deum cum dubitatione, qui reiiciunt doctrinam de fide. Item, ut Argiva sacerdos invocat Iunonem fiducia sui sacrificii, et somniat propter hos ritus servari totam gentem Argolicam: sic Franciscanus invocat Deum fiducia suorum rituum, et totas civitates, propter tales ritus servari putat, id quod saepe audivi iactari.

Etsi autem haec idola, hi errores, hae imposturae magna autoritate defenduntur, et in magna parte orbis terrarum haerebunt usque ad finem, tamen admonendi sunt homines, de praecepto divino, quod est immutabile: Fugite idola. Fugiant pii et execrentur illa spectacula profanatae Coenae Domini, mortuorum invocationem, et contumelias doctrinae Evangelii. Fugiant societatem saevitiae pontificum. Et discant ex Evangelio veram invocationem, et vera officia, quae Deus postulat. Haec moneri Ecclesiam necesse est, etiamsi fractus illabatur orbis.

Quod vero in textu additur, Daturum esse ope his, qui tuentur Deum alienum, non est obscura sententia. Ut Antiochus tradebat pontificatum Epicureis sacerdotibus, qui profanationem templi ridebant: ita nunc honores et opes dantur his, qui fortiter seu scriptis, seu sententiis tuentur idola, et fingunt praetextus. Etiamsi quid vitii sit in ritibus, tamen autoritatem Episcoporum non labefactandam esse, non tollendum esse ordinem, qui cum imperio aliquo religionem regat. Sed has disputationes supra attigi, et hac una voce prolata apud pios facile refutantur: Fugite idola.

Et in tempore finis geret bellum cum eo rex Austri, et instar turbinis veniet super illum rex Aquilonis.

Haec postrema pars plus habet obscuritatis, et aliquid de bellis ultimae senectae mundi significat. Et ut Ezechiel praedicit vastationem futuram per Gog et Magog, ita hoc loco Angelus significat barbariem regnantem ultimo tempore, scilicet Turcicam, versus Austrum longius progressuram esse, et venturam esse in terram desiderabilem, videlicet in loca verae Ecclesiae. Magnum profecto periculum nobis denunciatur, sed addentur postea consolationes.

Porro historica quaedam de Antiocho admixta esse res ostendit. Haec prius recitabo. Duraverunt post Epiphanem bella cum Aegyptiis. Etsi autem Aegyptus non est deinceps occupata a Syriacis regibus, tamen in illis duabus expeditionibus, quarum supra facta est mentio, Antiochus aliquas Aegypti civitates et vexavit et cepit, praedatus est et ex vicinia, ex Cyrenaica, quam vocavit hic Libyam, et ex proxima Aethiopia, quam vocat Cusim. Sed haec bella Antiochi non afflixerunt Idumaeos, imo salutaria eis fuerunt. Nam Hircanus postea domuit Idumaeos, et hac conditione cum eis pacem et societatem fecit, ut veram de Deo doctrinam amplecterentur. Haec recitat Iosephus in narratione rerum gestarum ab Hircano, quare Danielis dictum de hac historia vaticinari iudico.

Sunt et haec historica: *Rumores terrebunt eum ab Oriente, et veniet usque ad finem suum, et nemo ei auxiliabitur.* Talis enim fuit Antiochi exitus. Audierat in Perside profligatos esse suos exercitus, et videbat valde diminutam esse Syriaci regni potentiam, defectione Persarum, Parthorum et Babylonis. Has provincias amisit, dum alibi impium et infelix bellum gerit in Iudaea. Hi rumores defectionis et seditionum, qui ex Oriente et ab Aquilone afferebantur, ita moverunt animum eius, ut vel metu ac desperatione rerum suarum, vel moesticia extinctus sit.

Eodem pertinet quod ait, Neminem ei opem tulisse. Nam provinciae ab eo defecerant, et bellum ei inferebant, Iudaea vero iam victrix etiam pellebat Syriacos exercitus. Ut autem tunc Deus frenum iniecit tyranno grassanti, et oppressit iam molientem novum et maius bellum, ita saepe mirabili modo liberat Ecclesiam.

In latina versione legitur: *Et figet tabernaculum suum Apedno inter duo maria super montem inclytum et sanctum.*

Hic sciant studiosi hanc peregrinam vocem non esse nomen proprium, sed fuisse vertendam hoc modo, et figet tabernaculum palatii sui. Nam Apedna significat Palatium, seu Regiam, seu ut vulgo loquimur, Aulam. Significat enim Antiochum in loco sancto, ubi erat templum Dei, castra facturum esse, cum videlicet in templo collocasset idolum, et id praesidiis defenderet. Sed quia addit, inter duo maria, significat aliquid de domicilio Antichristi.

Difficilis est autem accommodatio huius postremae partis in vaticinio, quare breviter quaedam communia dicemus. In ultima mundi senecta Mahometica tyrannis figet tabernaculum sui palatii inter duo maria, ut Bizantii regiam Turcicam esse constat, inter Aegeum mare et Euxinum, quo in loco prius Ecclesia Dei fuit, ac inde ex Aquilone progrediens latius vastabit Ecclesias.

Sed Idumaei aliqui erunt, id est, in regionibus horridis et asperis erit adhuc sedes aliqua Ecclesiarum Dei. Non opprimet totum orbem Turcica tyrannis, non enim erit quinta monarchia, etsi horrendas vastitates faciet.

Tandem vero eum rumores ex Oriente terrebunt. Reprimetur non humanis viribus, sed divinitus. Res ostendit iam annis ducentis reges Europae raro feliciter dimicasse cum Turcis. Quanquam autem mansurum est regnum Gog et Magog, id est, Turcicum, usque ad mundi finem, ut Apocalypsis monet, tamen ante finem aliqua fiet inclinatio regni Turcici, ne Ecclesiam Dei prorsus obruat. Et fiet ea inclinatio divinitus, sicut postea dicit, Filium Dei dimicaturum esse pro populo suo. Stabit, inquit, dux magnus Michaël, id est, Christus, pro populo suo.

Similia fient et in regno pontificio. Aula pontificis est inter duo maria, Adriaticum et Tyrrhenum. Et quidem haec aula titulo ipso profitetur se in Ecclesia dominari, cum eam late profanaverit idolis. Sed Idumaei aliqui taxabunt errores, id est, homines aerumnosi, quos Episcopi tenentes ordinariam potestatem, tanquam alienos a populo Dei aspernabuntur, ut Iudaei contemnebant Idumaeos. Tales aliquos pios et doctos viros subinde Deus excitavit, qui Evangelii doctrinam repurgarunt, idola reiecernnt, et Ecclesiam de vera invocatione docuerunt.

Etsi autem doctrinae certamina labefactabunt autoritatem Episcoporum, tamen mansurae sunt reliquiae pontificii regni. Nec armis constituetur melior status, sed quo magis illucescet veritas, eo magis ruet autoritas eorum, qui idola defendunt.

Sciant igitur Scholastici fore doctrinae certamina, et ad haec se praeparent, confirment animos Evangelii cognitione, et sciant sibi ducem Christum adfuturum esse, qui, ut infra dicitur, hoc ipso tempore stat pro filiis populi sui, id est, defendit et servat eos, ne a diabolo et eius organis prorsus opprimantur et extinguantur. Quod enim Deus subinde excitaturus sit aliquos, qui idola taxaturi sint, et quod sint futura doctrinae certamina, testatur dictum supra recitatum: Docti docebunt multos. Cogitent igitur pii Scholastici Deum praecipue hoc officium flagitare a genere humano, videlicet studium discendi et explicandi Evangelii, sicut Christus inquit: In hoc glorificatur pater meus, ut fructum copiosum feratis, et fiatis mei discipuli, id est, discatis et propagetis Evangelium. Cogitent poenas, quas Deus his, qui studia piae doctrinae negligunt, minatur, cum ait: Quia repulisti scientiam, repellam te. Econtra doctis hic coelestia et aeterna praemia proponuntur: *Qui ad iusticiam multos erudiunt, fulgebunt ut stellae in perpetua aeternitate.*

Caput XII.

Extrema pars vaticinii ait paulo ante resurrectionem futuras ingentes aerumnas Ecclesiae. Dixi autem supra praemoneri nos, ut animi confirmentur, ne deficiant a Deo, vel saevitia fracti impiorum, vel exemplis et iudiciis hypocritarum. Ac semper oportet nobis notam esse et infixam animis hanc doctrinam, quod Ecclesia sit subiecta cruci, et cur sit subiecta, videlicet, quia vult Deus ab Ecclesia intelligi iram adversus peccatum, quam mundus contemnit. Sunt et aliae causae, quas nunc non recenseo.

Et ut languidior est natura generis humani confecta senio, ita impetus ad virtutem sunt segniores. Quos habet iam mundus bellatores, oratores, artifices conferendos veteribus? Crescunt igitur in hac infirmitate naturae vitia, ignavia, amor voluptatum, mollities animi, impatientia, inconstantia, perfidia, stulticia, ut in delirantibus, persuasio propriae sapientiae. Ex his fontibus oriuntur et in imperiis et in Ecclesiis magni tumultus. Fit igitur vera Ecclesia angustior. Et haec ipsa, tanquam senectae imbecillitate, plurimum habet morborum.

Hanc ultimam aetatem David prospiciens, orat voce universae Ecclesiae Psalmo septuagesimo primo: Ne proiicias me tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Tristissima oratio est, si quis tempora conferat, et consideret ultimae aetatis miserias. Magnae erant calamitates Ecclesiae tempore excidii Ierosolymi-

tani, sed tamen excitavit Deus excellentes gubernatores in ipso exilio, Danielem, Ezechielem, Haggaeum, Zachariam, Esdram, et hos ornavit ingenti gloria. Etsi autem Deus aliquam Evangelii flammam sparsit hac ultima aetate, tamen gubernatores sunt infirmi. Agnoscant igitur pii Ecclesiae aerumnas, et propter gloriam Dei et propriam salutem et publicam necessitatem acrius incumbant in Evangelii studium, et toto pectore Deum invocent, et Ecclesiam conservet, defendat et augeat.

Quatuor autem consolationes hoc loco traduntur, quae piis omnibus semper in conspectu esse debent.

I. Prima est, quod Ecclesia non sit penitus interitura, sed tunc quoque in illis periculis duratura. Ideo enim inquit: Docti docebunt multos.

Hic cogitanda sunt et alia testimonia de perpetua conservatione Ecclesiae, ut Christus inquit: Ego vobiscum sum usque ad consummationem mundi.

Et Esaias cap. 59.: Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, usque in sempiternum. Luculenta descriptio est Ecclesiae, quae utrunque monet, et mansuram esse, et qualis coetus sit, scilicet, in quo sonat vox Evangelii et Spiritus sanctus regit pectora.

II. Secunda consolatio, quod ibi sint futura Ecclesiae membra, ubicunque erunt amplectentes puram Evangelii doctrinam. Erit enim, ut hic inquit, dispersio populi.

Sub Turcico imperio, sub aliis regibus et pontificibus, inimicis purae doctrinae Evangelii, passim dispersi erunt aliqui pii. Hi teneant hanc consolationem, quod Ecclesia non sit politia certis regnis alligata, sed quod omnes, ubicunque sunt, qui Deum vera agnitione Christi et fide invocant, et idola fugiunt, sint membra Ecclesiae Dei. Sententia, voluntate, confessione se quisque cum caeteris membris coniungat.

Id docent dicta: Oves meae vocem meam audiunt. Item: Si manseritis in me, et verba mea manserint in vobis, quicquid volueritis petite, et fiet vobis. Item: Ubicunque duo aut tres sunt congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Hae sententiae ideo traditae sunt, ut pii dispersi consolationem habeant, nec putent Ecclesiam politiam esse uni imperio alligatam, sed voci Evangelii et verae invocationi Dei.

III. Tertia consolatio, quod in his tantis periculis habitura sit Ecclesia defensorem Filium Dei. Ideo hic in textu dicitur: *Illo tempore stabit Michaël dux magnus pro filiis populi sui.*

Hac voce omnes pii se confirment, quam quidem et Christus ipse nobis inculcat, inquiens: Ego vobiscum sum usque ad consummationem mundi. In tanta dissipatione, in tantis aerumnis pii videntur deserti a Deo. Successus Turcicae tyrannidis sunt tanti, ut videatur Deus oblitus suae Ecclesiae. Magnae sunt opes, magna est potentia et aliorum hostium Evangelii, sub his passim aliqui sunt pii vere invocantes Deum, et profitentes Evangelium, qui ad supplicia rapiuntur, tanquam seditiosi. Hos etsi impii existimant a Deo negligi, tamen certum est habere opitulatorem et propugnatorem Filium Dei. Hic depellit diabolum, ne totum coetum piorum prorsus delere possit, et eos, qui ad supplicia rapiuntur, confirmat Spiritu sancto, ne a doctrina deficiant, sicut inquit: Non relinquam vos orphanos.

Dixi autem supra, semper adfuisse Filium Dei Ecclesiae suae, Ideo hic vocatur dux magnus Michaël, sic enim nominat Filium Dei. Appellatio nota est: Quis sicut Deus, id est, quantus est hic, qui est sicut Deus, qui est imago aeterni patris, potens, misericos, liberator, vindex? Itaque ut excitemus nos ad invocationem et fidem, diligenter haec dicta nobis inculcemus, quae testantur adesse Ecclesiae suae Filium Dei, nos defendere, nobis opem ferre. Et illa somnia humanae rationis abiiciamus, quae fingit Deum procul abesse, ociosum sedere in coelo. Qualia multa in poëmatis ficta sunt, hanc ipsam ob causam, quia mens humana sine luce doctrinae coelestis et sine fide, in omnibus ita hallucinatur de Deo. Sed vera Dei noticia per Evangelium in mente pia accidentur, et assidua invocatione confirmatur.

IV. Quarta consolatio est, quam hic quoque proponit Angelus. Cum aerumnae non sint futurae perpetuae, hac spe facilius eas feramus, quod piis promittitur gloriosa liberatio et aeterna laeticia. Impiis vero denunciantur aeterni cruciatus.

Ideo hic Daniel inquit: *Multi resurgent ex pulvere terrae, alii ad aeternam gloriam, alii*

ad cruciatus sempiternos. Huc addantur similia testimonia de vita aeterna. Facilius enim ferimus huius vitae miserias, cum quasi metam prospicimus, et scimus aliquando Ecclesiam ex tantis malis eluctaturam esse.

Ideo pii omnibus aetatibus de tempore etiam quaesiverunt, Quando Ecclesia regnatura sit oppressis omnibus impiis? Quam diu confusio haec, in qua dominantur impii, duratura sit? Hic tempus indicatur. *Statim*, inquit, *post haec certamina*, *post dispersionem populi sancti*, *fiet resuscitatio mortuorum.* Videmus nunc quidem misere dissipatum esse populum Dei: quare non procul abest resuscitatio mortuorum.

Evangelistae vocant novissimam horam, hoc tempus, quod ad finem huius mundi inde usque a praedicatione Apostolorum restabat: necesse est igitur brevius esse, quam fuit aetas quae praecessit.

Metae sunt temporum mirabili consilio Dei constitutae. Et quanquam Christus diem illum soli patri notum esse inquit, nec vult nos curiose quaerere certum diem aut annum, sed semper velut in statione paratos expectare illum laetissimum diem, quo se ostendet universo humano generi, et cum sua Ecclesia triumphabit: tamen brevitas temporum huius mundi varie significata est.

Danieli Deus monstravit seriem monarchiarum et regnorum, quam certum est iam decurrere ad finem. Quatuor monarchiae praeterierunt: restat regnum saevum ortum in quarta monarchia, videlicet Turcicum. Quod non aequabit potentiam Romanae monarchiae. Cum igitur iam pene ad fastigium suum venerit, necesse est brevi ruiturum esse, ac tunc illucescet dies ille, quo mortui revocabuntur in vitam.

Celebratur et dictum Eliae Prophetae, quod omnibus notissimum esse debet, et in omnibus parietibus, in omnibus vestibulis scribi proderat:

Sex millia annorum mundus, Et postea destructio,
Duo millia Inane,
Duo millia Lex,
Duo millia Messiae.
Et si quid ex his annis deerit, deerit propter nostra peccata.

Constat autem Christum natum esse circa finem quarti millenarii. Et iam exacti sunt anni 1542. Non igitur procul a fine absumus. Et dictum Eliae ac Christi dicta significant tamen decurtandum esse hoc tempus, sicut et curriculum ad diluvium decurtabatur, ut citius abrumpantur flagitia.

Interrogat et Daniel hic de tempore finis. Et numerus ponitur, qui etsi videtur de bellis Macabaeorum vaticinari, tamen haud dubie aliquid significat de fine huius mundi. Ac facilis est accommodatio, si dies in annos commutaveris. *Erunt autem anni* 2625.

Nec vero quaerimus articulum ipsum, seu momentum, quo illucescet ultimus dies, quod non est scrutandum. Sed quia hic numerus aptissime congruit cum dicto Eliae, arbitror significari annos mundi a Daniele reliquos. Anni sexcenti sunt aut circiter a Daniele ad natum Christum. Reliqui sunt duo millenarii, postrema huius mundi aetas.

Congruit et divisio. Ideo enim prior numerus a posteriore discernitur, ut significetur mox post primum numerum ventura esse initia postremi regni impii Mahometici et hypocritici. Nam Mahometus regnare coepit post Christum natum anno sexcentesimo et tricesimo. Iam si a Danielis aetate computes tempus, exactus est primus numerus. Eadem fere initia fuerunt errorum ecclesiasticorum. Tunc enim paulatim superstitiones Missae, invocationes mortuorum et vota creverunt. Sequens igitur numerus est curriculum regni impii, usque ad finem mundi.

Nihil affirmo in hac collatione, sed coniecturas recito. Quanquam enim commonefieri nos Deus hac praedictione voluit, tamen non vult articulos temporum constitui. Simus igitur contenti quadam communi admonitione. Et Deum oremus, ut regat ac servet Ecclesiam suam, et quam primum abrumpat hunc naturae humanae cursum, pellat tenebras huius vitae, compescat impios omnes furentes contemtu Dei, et ostendat se Ecclesiae suae coram, ut deinceps aeternis laudibus celebretur.

Recensui consolationes, quas Angelus hoc loco tradidit, quas quidem et Christus in concionibus suis postremis repetivit. Sed addatur doctrina seu praeceptum hoc, videlicet, cum in hac senecta mundi multa et fuerint et sint futura doctrinae deliria, simus vigilantes et constantes in retinenda puritate Evangelii. Una est doctrina prima omnium tradita per Prophetas,

Christum et Apostolos, in qua Deus aeternus patefecit voluntatem suam, et qui sine ea doctrina Deum quaerunt, aberrant ab eo.

Ad hanc igitur nos vocat, et promittit ibi tantum fore Ecclesiam suam, ibi se exauditurum esse, ubi sonat vox Evangelii, ut Ioan. 15. dicitur: Si manseritis in me, et verba meå manserint in vobis, quicquid volueritis, petetis, et fiet vobis. Hanc igitur doctrinam constanter retineamus, et ea praelucente Deum invocemus, ac petamus, ut nos regat et servet.

Nunc ad historica redeo. Numerus, etsi arcanam significationem habet, tamen ad Macabaeorum historiam congruit, ut supra capite octavo belli tempus praedixit, videlicet sex annos, tres menses et viginti dies. Ita hoc loco numerum illum distinguit, significans diversa belli momenta, et tempus profanati templi discernens a sequenti tempore, quo prorsus pulsa sunt ex tota Iudaea praesidia Syriaca. Ait ergo: *A tempore ablati sacrificii et collocati idoli fore dies mille, ducentos, nonaginta*, hoc est, annos tres, menses sex et dies quindecim.

Hanc primam belli epitasin significat fore difficiliorem piis: nam hoc triennio pii in maxima calamitate fuerunt. Tenebant Syriaci exercitus arces omnes, trucidabant in oppidis et agris inermem multitudinem, rapiebant ad supplicia senes et mulieres, et aliquandiu nec exercitus ulli nec duces erant, qui hanc saevitiam reprimerent. Postea Matathias et Iudas aliquantulum reprimere hanc crudelitatem coeperunt, ibi inclinata fortuna pulsi Syrii non poterant grassari ut antea. Nam acerrimis praeliis primum post triennium recuperatum est templum. Reliquae res fuerunt faciliores.

Ideo de belli exitu inquit: *Beatus qui expectat et attingit dies mille, trecentos triginta quinque*, id est, tres annos et octo menses. Complectemur ergo annos septem et fere tres menses. Nam anno 145. post mortem Alexandri idolum in templo collocatum est, mense Novembri, cum paulo ante Antiochus crudelitatem omnis generis exercere adversus Iudaeos coepisset. Postea anno 151. mense Februario Nicanor victus est, qui superbissime minitatus fuerat templo. Haec fuit postrema victoria Iudae Macabaei, quae ita erexit Iudaeam, ut quanquam Syrii bellum aliquoties instaurarent, tamen facile repellerentur. Sequenti anno, qui fuit septimus, Ionathas et Simon totam Iudaeam receperunt, et Syriaca praesidia undique ex oppidis Iudaicis expulerunt. Congruit igitur ad belli tempus praedictio numeri, id arbitror prius hic considerandum esse, postea quaerantur concinnae significationes.

Ultima particula in textu diligenter observanda est, quod diserte dicit Angelus, haec vaticinia pertinere ad ultimam aetatem mundi: *Quiesces, et stabis in sorte tua in fine dierum.* Haec verba, etsi alii alio detorserunt, tamen clare significant, Danielis doctrinam complecti omnia mundi tempora, usque ad resurrectionem mortuorum: quia vaticinatur ordine de monarchiis et ultimis regnis, et de aerumnis Ecclesiae postremi temporis. Ideo inquit: Stabis in sorte tua, Docebis et confirmaqis Ecclesiam ultimo tempore mundi.

Haec particula bonas mentes ad lectionem Danielis hortari debet. Nec nihil est causae, cur Deus praemoneri Ecclesiam de suis aerumnis velit, Multorum animi moventur multitudine impiorum, moventur et fortuna ac gloria, et disputant, Tot gentes alias ignaras Evangelii, et quidem florentes imperiis et gloria non negligi a Deo. praesertim cum in illis etiam multi sint, qui virtute excellunt, Offenduntur animi et aliis multis argumentis.

Ideo praemonet nos Deus, ut sciamus Ecclesiam fore exiguam, et certo statuamus, hanc unam doctrinam, traditam per Prophetas, Christum et Apostolos, esse salutarem, nec alibi esse Ecclesiam Dei, nisi in eo coetu, qui hanc doctrinam amplectitur. Hac nos consolatione confirmemus, quae diligenter cogitata pias mentes plurimum iuvat.

Τέλος. δόξα θεῷ

VI. ARGUMENTUM CONCIONUM PROPHETAE HAGGAEI.

(Editum germanice per Stephan. Agricolam in epp. Lutheri germanicis T. VIII. p. 559. Latine in opp. Mel. Witteb. T. II. p. 527.)

Saepe multumque cogitandum est, quomodo Deus inde usque ab initio collegerit Ecclesiam ex genere humano, inter varias et saevas confusiones gentium et imperiorum, et ostenderit testimonia suae praesentiae in eo coetu quem excerpsit ex reliqua multitudine, et eum adversus diabolorum furores, et adversus tyrannos et fanaticos homines defenderit. Confirmatur enim in animis adsensio, cum tot illustria testimonia praesentiae Dei intuemur, ut in diluvio servatam familiam Nohae, in eductione ex Aegypto servatos Israëlitas, inter undas maris rubri, et obrutos aquis Aegyptios, et alia multa facta. Haec et similia multa cum res ipsa ostendat, non potuisse fieri aut naturae ordine, aut humanis consiliis, credamus Deum adesse Ecclesiae, qui illa faciebat extra naturae ordinem, et deinceps servat invocantes ipsum, etiam cum natura opitulatur, et ut Paulus loquitur, cum sperandum est contra spem in spem.

Expavescant igitur animi considerantes exempla irae Dei in poenis et impiorum et electorum. Nam et a domo Dei iudicium incipit, ut Petrus inquit, et ad Deum erecti fiducia promissionum divinarum, confugiant, et spe non dubia petant et expectent seu liberationem seu mitigationem calamitatum.

Inprimis vero dulcis est consideratio et consilii et beneficii divini, cum Ecclesiae certum nidum attribuit ad Iordanem, et eam velut in specula collocat inter regna quae tunc in genere humano et amplissima erant, et antecellebant sapientia, opibus, armis, divitiis, videlicet inter Aegyptium, Babylonicum, Assyriacum, Syriacum, et ut vox divina exaudiretur etiam in his regnis, et conspicerentur testimonia praesentiae Dei in hoc populo, assidua cum vicinis bella fuerunt. In his tamen Deus hunc nidum sui agminis texit ac restituit saepe quassatum, donec Messias ex virgine natus est, et factus est ibi victima pro genere humano, et de Evangelio testimonia ostendit. Sunt autem anni ab exitu ex Aegypto ad natum Messiam ex virgine 1509.

Iam cogita quantum bonum fuerit, in sede certa Ecclesiam divinitus servari tot annis, in qua etsi multi fuerunt sacerdotes indocti, multi qui doctrinam depravarunt, tamen semper aliqui fuerunt electi recte sentientes, ut inquit Esaias: Nisi Dominus reliquisset nobis semen etc. Imo subinde excitati sunt insignes doctores, divinis testimoniis confirmati, Samuel, Nathan, David, Salomon, Ahias, Elias, Elisaeus, Ionas, Esaias, Ieremias, Daniel, Haggaeus, Zacharias, Malachias, Onias, Macabaei, Simeon, Zacharias, Iohannes, Christus, Apostoli. Ac superiores illi velut manipuli in acie collocati continua successione doctrinae puritatem conservarunt, et populum consilio rexerunt, et addidit Deus ipsis testimonia, ut certum esset vocem doctrinae incorruptam esse. Tam diu in eadem sede veram Scholam, in qua vera Dei agnitio et optima doctrina physica lucebant, servari, quam multis salutare fuit. Horum nos iam erudimur monumentis, et confirmamur iis factis divinis, quae tunc Deus voluit esse doctrinae testimonia.

Et quidem illa ipsa conservatio huius politiae, inter tantas ruinas imperiorum, et mutationes legum et religionum apud alios, confirmatio illustris est piis, qui agnoscunt Dei beneficium et politiam illam ita constitutam et conservatam esse norunt, ut prophetica doctrina ad posteros propagaretur.

Tibi igitur Deus omnipotens, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, gratias ago quod et illam scholam tam diu servasti, et nos ad eius societatem vocasti, et toto pectore te oro, ut et inter nos deinceps tibi Ecclesiam colligas, et serves in his regionibus coetus recte docentium et discentium, et eorum hospitia protegas.

Ac beneficiis consideratis, aspiciamus etiam tristissima exempla poenarum. Decem Tribus primum seditione mota discesserunt ab ea stirpe, cui sciebant regnum divinitus promissum esse, postea omnino dissipatae sunt a regibus Assyriis in longinquas terras, et novi coloni in illam uberrimam regionem missi sunt. Adhuc reliqua mansit pars altera, in qua duae tribus erant, Iuda et Beniamin, et imbecillitas ipsa ostendebat, non posse eam servari, nisi a Deo protegeretur, sicut contra Sennaherib defensa est. Sunt autem anni a Sennaherib 125 ad excidium Ierosolymae, quo tempore rex Babylonicus in Iudaea vastitatem fecit, et has duas reliquias tribus procul abduxit in Chaldaeam, pars in Aegyptum fugit. Post hanc dissipationem, oppidis destructis, et funditus deleta politia, absunt Iudaei annos septuaginta.

Post tantum intervallum, quis sperare huius gentis reditum potuisset, aut templi et politiae restitutionem, praesertim inter vicinos inimicissimos genti Iudaicae? At restituti sunt tamen, et ut scirent haec gubernata esse divinitus, antea Deus et poenas praedixit, et exilii tempus et restitutionem. Et ne dubitarent has voces divinas esse, testimonia Deus addidit plurima. Daniel qui constantissime affirmabat suam gentem redituram esse in patriam, servatus est inter leones, et ornatus est aliis testimoniis divinis. Cum Scipio Carthaginem delevisset, instauravit eam Tiberius Gracchus, sed exiguo intervallo, et eo colonos deduxit, et legibus Romanis politiam constituit, non reduxit principes civitatis, non restituit libertatem et veteres leges. Et vicinia laeta adiuvabat instaurationem. Ierosolyma vero ex longo intervallo rursus condita est, cum quidem vicini adversarentur. Et redierunt principes, reddita libertas, et patriae leges: nec mutata est vera de Deo doctrina, quam quidem et ipse victor Nabogdonosor et eius filius, ac deinde Cyrus amplexi sunt. Ita inter exilii aerumnas latius sparsa est lux verae doctrinae, et gens Iudaea non deleta est, quanquam magnae dissipationes factae sunt, agnoscebant ergo et conservationem gentis, et reductionem, et urbium ac politiae instaurationem esse Dei opera.

Porro ut imbecilliores confirmarentur, etiam post reditum excitati sunt Prophetae, Haggaeus, Zacharias, Esdras, Nehemias: hi regunt principum et sacerdotum consilia, hi consolantur cives, ac sperare iubent divinitus defensionem nidulorum suorum quos extruebant, et retinent congregatos coetus ne rursus dilabantur. Hi sunt hortatores aedificationis et constituendi oeconomias, et sunt ἐργοδιῶκται in aedificatione templi, interea et doctrinam illustrant, et vaticinantur de venturo Messia. Vicini turbabant operas, et impetum faciebant in multitudinem, quae nondum septa erat moenibus, et magna erant agmina mulierum, puerorum, puerperarum. In his periculis voce Prophetarum Deus auxilium duci Zorobabel et viris fortibus promittebat.

Zacharias ducem et sacerdotem alloquitur, inquiens: Non in exercitu, non in robore, sed in spiritu meo, inquit Dominus. Erit Deus murus igneus in circuitu populi. Repellet paucis dimicantibus magnos hostium exercitus.

Haec historia in Prophetis primum consideranda sunt, in partibus historiae tamen Ecclesia omnium temporum intuenda est, et considerandum, Quomodo inde usque ab initio, quo genere doctrinae, ubi collecta sit, quae fuerint pericula et aerumnae, quomodo liberata et servata sit, quae vox, quae virtutes eam a caeteris gentibus discernant, quas ob causas cruci subiecta sit, et quis sit autor, quis finis liberationum.

Huic verae Ecclesiae nos adiungamus, discamus eius doctrinam, Exempla intueamur et quae timorem excitant, et quae fidem et spem confirmant. Ita ad nos et ad nostri temporis certamina veterem Ecclesiam conferamus, et vocem Prophetarum audiamus. Vidimus ante sexennium bella mota esse ad delendas has Ecclesias, postea et corruptelas doctrinae fucosas propositas esse, multi turbati et distracti sunt. At eluctatur tamen divinitus Ecclesia.

Postquam haec historica de totius Ecclesiae doctrina, periculis, liberationibus et de causis poenarum et liberationum consideravimus, deinde videndum est, qui sint insignes et proprii loci in quolibet Propheta. Hi tres loci insignes sunt in Haggaeo.

Primus, Concio de iuvanda aedificatione, ubi adfirmat Deum benefacere his, qui pio studio iuvant et tuentur ministerium Evangelii, et sunt benefici erga pios doctores et Pastores Ecclesiarum, conservant scholas et necessariam doctrinam propagari curant. Haec concio pertinet ad dictum filii Dei: Si quis dederit vel potum aquae uni ex minimis meorum propter doctrinam, Amen dico vobis, mercedem habebit. Ita Deus benefecit viduae Sareptanae quae Eliam hospitio excepit, et Sunamitidi hospitae Elisaei. Ita Ieremias promittit incolumitatem suo amico Abdemelech. Ita nostro tempore pium principem Ducem Saxoniae Iohannem Fridericum servavit incolumem in acie et in captivitate, et postea restituit suae coniugi et filiis.

Hanc concionem nosse populum valde utile est, ut animi flectantur ad tuendum ministerium, et ad iuvanda necessariae doctrinae studia. Etsi autem videri potest haec accommodatio concionis in hoc Propheta, ad nostras Ecclesias et scholas, rustica, et requirit aliquis sublimem allegoriam, tamen haec nativa Prophetae sententia est, et de re maxima concionatur. Est enim necessaria res conservatio ministerii et studiorum, et tamen paucis curae est, alii superbe et centaurice contemnunt, aut etiam oderunt et ministerium Evangelii et studia doctrinae, in aliis avaricia, in aliis profusio in domestico luxu impedit hanc necessariam beneficentiam. His vitiis quae quidem non sunt rara nec obscura, vere et horribiliter irascitur Deus. Sed rara et excellens virtus est beneficentia in hoc genere. Et magna sapientia et gloria est, intelligere et habere virtutes, ex quibus illa oritur. Ut in Abdemelech. Primum in eo fides lucet, quae doctrinam Ieremiae statuit veram esse, et dissentit ab hypocritis adversantibus, deinde cum defendit Ieremiam, ostendit confessionem. Simul etiam in eo fortitudo est, et fiducia auxilii divini, scit regem, principes, sacerdotes velle extingui Ieremiam, et se in periculo fore, si ei opem ferat. Sed hoc periculo ab illo neccessario officio non deterretur. Expectat etiam a Deo auxilium et defensionem, et scit hanc suam fortitudinem Ecclesiae profuturam esse. His divinis motibus ardere pectora, et vivere in Deo, longe maius bonum est, quam somniare bellas allegorias. Ideo hac sententia, quam recitavi, quanquam rustica videtur, contentus sum. Atque utinam hanc beneficentiam multi amarent et praestarent.

Secundus locus est concio de adventu Messiae. Adhuc semel et commovebo coelum et terram, et veniet desideratus gentibus. Totus hic ordo naturae conditus est a Deo, ut testetur hunc mundum non casu ex atomis confluxisse, sed vere mentem architectatricem. Postea vero Deus addit multa opera extra hunc ordinem, ut ostendat se aliam essentiam esse, a rebus conditis, et potentiorem se esse, ac posse extra hunc ordinem servare et restituere homines, ut aliquoties revocavit homines post mortem in hanc vitam. Sed omnia miracula superat copulatio divinae et humanae naturae in Christo. Ideo inquit: Movebo coelum, videlicet, quia Filius Dei assumet humanam naturam, et movebo terram, humana natura copulabitur divinae, et hic filius ex virgine nascetur, et colliget aeternam Ecclesiam. Hic consideremus, quam Deus concedit, et quis sit hic filius, et quae fuerint causae huius mirandi foederis. Hominem sustinere poenam congruebat, et ut esset precium aequivalens, ac ut perferre hanc poenam posset, et vincere mortem, restituere nobis vitam et colligere aeternam Ecclesiam, hic aeternus Filius, qui deprecator erat pro nobis, humanam naturam assumsit. Etsi hae causae penitus perspici non possunt, et in illa aeternitate propius aspicientur, tamen huius sapientiae initia in hac vita cogitari necesse est, ut admiratio et desiderium divinae consuetudinis accendatur, et ut grati haec immensa beneficia celebremus.

Tertius locus est de tempore adventus Messiae. Deus affirmat se hoc templum maiore gloria ornaturum esse, quam quanta fuit prioris templi gloria: manifestum est autem, non dici de opulentia, et de aureis ac argenteis ornamentis. Haec antea splendidiora fuerunt: sed hanc nominat, quod Messias in hoc templum venturus esset, ibi se ostensurus populo et editurus vocem Evangelii, et testimonia, ut cum ex templo nummularios eiicit, et facit alia miranda facta, et in septimo capite Iohannis scri-

bitur, Christum in Scenopegiis in templum venisse, et ibi docuisse. Et capite decimo in Encaeniis quae celebrabantur die Decembris 25. ut memoria beneficii divini propagaretur, eiecto idolo, quod Antiochus ibi collocarat, ex templo, concionatur in porticu Salomonis, adiuncta templo. Congruunt autem Daniel et Haggaeus, Daniel ait, Stante illa Ierosolyma politia venturum esse Messiam. Haggaeus etiam in hoc secundo templo, ait, Messiam vocem Evangelii editurum esse, et vocaturum esse gentes ad aeternae Ecclesiae societatem.

Hinc illustris refutatio Iudaeorum sumitur. Manifestum est Ierosolymam, templum, politiam Iudaicam, ante annos mille quadringentos et octoginta, funditus deleta esse, nec instaurari potuisse, etiamsi aliquoties instauratio tentata et incoata est, illi ergo cineres, et solitudo illa testimonia dicunt, Messiam multo ante exhibitum esse, et concionatum, et sacrificio suo facto resuscitatum a morte regnare, et gentes ad societatem aeternae Ecclesiae vocasse.

Hos locos praecipue consideret lector in hoc Propheta, qui ut nomen habet a festi pompa, ita de ornando festo, id est, de templi aedificatione, et conservatione ministerii concionatur. Et dulcissimam promissionem de adventu Messiae et de conservatione templi illius et politiae proponit. Quo tempore concionatus sit, ipse narrat, ac sentio Darium, quem nominat Artaxerxen, Longimanum esse, qui tale tempus describit, quo et in urbe domus multae extructae et ornatae fuerunt, et templi pars extructa fuit. Et congruit ad hanc sententiam narratio in quinto capite Esdrae.

Deo gratia.

VII. COMMENTARIUS PHILIPPI MELANTHONIS IN PROPHETAM ZACHARIAM,

ANNO M. D. LIII. IN SCHOLA WITTEMBERGENSI DICTATUS.

(Editus in opp. Mel. Witeb. T. II. p. 531.)

In Prophetarum enarratione necesse est haec communia nota esse, Deum immensa bonitate edidisse promissionem statim initio, cum recepit Adam, et instituisse ministerium docendi legem et promissionem de Mediatore, et hac voce semper collectam esse Ecclesiam. Hic simul considerandum est, qualis fuerit Ecclesiae gubernatio, et per quos excellentes doctores renovatum sit ministerium docendi, et quae miracula addita sint, ut essent testimonia doctrinae, ac velle Deum, ut intueamur omnia tempora, et moveamur exemplis irae et misericordiae, discernamus Ecclesiam a caeteris gentibus, videamus quid semper doceat, et cur subiecta sit cruci, et cur inter has aerumnas tamen divinitus servetur. His exemplis exuscitentur corda ad timorem Dei, ad fidem, ad invocationem, ad facienda necessaria, ad omittendam *πολυπραγμοσύνην*.

Nominantur autem Prophetae in politia Mosi, qui immediate a Deo missi sunt ad illustrandam promissionem de Messia, et ad certum *πολίτευμα*, et habent testimonia, quod non errent. Tales fuerunt Moises, Samuel, Nathan, David, Elias, Elisaeus, Esaias, Hieremias, Daniel, Haggaeus, Zacharias et alii alia *πολιτεύματα* habuerunt. Sed doctrina est eadem, concio poenitentiae, et repetitio ac illustratio promissionis.

Vixit autem Zacharias tempore exilii, cum Hierosolyma deleta, populus in Babylonem abductus esset. Et hic Zacharias excitatus est ad hoc *πολίτευμα*, ut esset adiutor reditus exulum in Iudaeam, ad restituendum templum et totam politiam Moisi, quae iam annos 70 fuerat deleta. Expresse autem scriptum est in primo Esdrae capite quinto, Haggaeum et Zachariam reversos incoata iam aedificatione, in Iuda concionatos esse, quia cum aedificatio impediretur, populus confirmandus erat, ne fracti desperatione rursus dissiparentur.

Uterque autem nominat Darium, qui ut ex Esdra colligi potest, est Artaxerxes Longimanus. Hic temporum series consideretur. Cum Cyrus edidisset edictum, quo concedit populo reditum et restitutionem suae politiae, magna multitudo ex Chaldaea et Perside in Iudaeam rediit. Sed cum Cyrus abesset, impeditus bello Scythico, vel interfectus esset, impedita est aedificatio annis quadraginta duobus tempore Cambysis et Darii Hystaspis. Deinde anno secundo Longimani rursus concessa est aedificatio, et exaedificatum est templum anno sexto Longimani.

Nomina regum iuxta Methastenem:

Cyrus	22.
Darius Hystaspis Assverus, maritus Hester	20.
Artaxerxes Longimanus	37.
Darius Nothus	9.
Artaxerxes Mnemon	55.
Ochus	26.
Arsames	4.
Darius ultimus, victus ab Alexandro	6.

Iam hic multa cogitanda sunt, quare politia Israël constituta sit, quomodo ibi gubernata sit Ecclesia, quales fuerint promissinones, quomodo inter poenas populi, tamen Deus servaverit Ec-

clesiam, et restituerit politiam, quando fuerit finis illius politiae.

Promissio erat: Non auferetur sceptrum a Iuda, donec venerit Siloh, et tamen annos 70 Iudaei sunt in exilio. Postea Deus restituit politiam. Ita praestat Deus promissa, et tamen punit. Paucissimi autem post tam longum exilium existimabant veterem politiam restitui posse. Quae enim Respublica post tam longum intervallum ita restituta est, ut simul veteres leges et forma gubernationis restitueretur? Magnum igitur miraculum fuit haec reductio ex Babylone, et conservatio Ecclesiae inter tantos fluctus, est testimonium praesentiae Dei in Ecclesia, ac talibus exemplis vult nos Deus confirmari, et petere et expectare conservationem Ecclesiae.

Hic et discrimen considerandum est promissionis gratiae et promissionis corporalium bonorum. Promissio gratiae semper rata est credenti in conversione, iuxta dictum: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Summum et immutabile mandatum est, ut credamus in Filium Dei, sicut inquit Dominus: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quod non credunt in me.

Promissiones vero bonorum corporalium etsi sunt ratae, tamen habent exceptionem castigationis et crucis, ut quanquam Davidi est promissum regnum, tamen post adulterium excutitur, quia castigatur, et quanquam Daniel non deliquit, tamen abducitur in exilium, quia Ecclesia est subiecta cruci. Interea vero Deus alia gloria eum ornat, quia inter causas, quare Ecclesia subiecta est cruci, hae quoque sunt, Vult Deus conspici suam praesentiam in Ecclesia, ideo servat eam sine praesidiis humanis, Vult et fide eam regi, et ab ipso pendere, quod non fieret, si nulla essent pericula.

Praeterea discernendae sunt promissiones, quae proprie ad Israëlitas pertinent, a generalibus promissionibus Ecclesiae. Illis erat certa sedes et politia promissa, nunc Ecclesia sparsa est inter gentes, sine certo imperio, et tamen, quia in hac vita mortali colligitur, Deus dat victum et nidulos, sicut inquit Dominus: Scit pater vester coelestis, quod his rebus opus habeatis. Et Esa. 30.: Dabit vobis Dominus doctorem, et panem, et aquam cum tribulatione. Hae generales promissiones ad omnium temporum Ecclesiam pertinent.

Observandum est igitur et hic in Zacharia, ubi de sua politia loquatur, nec necesse est omnia in allegorias transformari. Eligamus autem praecipue ea dicta, quae proprie de Messia concionantur, et de beneficiis aeternis, qualia sunt haec: Cum sanguine Testamenti tui emittes vinctos tuos de lacu. Item: Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum. Historica vero tanquam exempla patientiae, fidei, et aliarum virtutum, intueamur.

Caput I.

Initio proponit concionem poenitentiae, sicut prophetis usitatum est: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Postea recitantur visiones, quae minantur gentibus, et affirmant instaurationem Hierosolymae processuram esse. Insigne est autem, quod inquit Angelum deprecari pro populo. Item, quod ait hunc Angelum loqui in ipso ad ipsum. Hunc Angelum intelligo esse Filium Dei λόγον, sicut Daniel inquit: Stat Michaël princeps magnus pro filiis populi sui.

Caput II.

In secundo capite visio de aedificatione urbis ostenditur, et adduntur promissiones, ut confirmetur in hominibus spes instaurationis. Intexit autem promissionibus de urbe significationes de aeterna Ecclesia, quam tamen incoari oportet ministerio Evangelii, quod in illa urbe sonabit, sicut dictum est: De Sion egredietur lex etc. Et quia praedictum erat in hoc loco Messiam concionaturum esse, editurum testimonia, et futurum esse victimam et revicturum esse, miscet promissioni aeternae Ecclesiae, promissiones de hoc loco proprie loquentes.

Caeterum ad omnia tempora accommodetur promissio defensionis: Ero murus igneus in circuitu eorum, et deinde de praesentia Filii Dei in Ecclesia: Ecce ego venio et habitabo in medio tui etc. In hoc capite particula est obscura: Post gloriam regum Babylonicorum, qui gloriati sunt deletam esse Hierosolymam, ego veniam et refutabo eorum gloriationem, et puniam eos. Alii interpretantur, post gloriam, id est, post regnum Iudaicum apparet Christus, iuxta dictum: Non auferetur sceptrum etc.

Caput III.

In tertio capite iam nominatim confirmatur summus sacerdos Iesus, qui tunc gubernavit Ecclesiam in reditu. Ubi descriptio observanda est, quod cum sacerdos stat coram Deo, id recte servit in officio, tamen stat prope Satan, ut impediat et turbet eum. Ita semper diaboli et eorum organa conantur Ecclesiam turbare, sed repelluntur increpatione, et potentia Filii Dei propugnantis Ecclesiam.

Sordida vestis significat luctum et miserias eius temporis. Cum ergo induitur splendida veste; significatur status felicior. Mutatoriae vestes nominantur splendidae seu festivae, quia die festo mutatur vestitus.

Dabo tibi ambulantes ex his, qui adsistunt, id est, adiungam tibi Angelos custodes. Nominat credentes miracula, sicut Paulus inquit: Sumus spectaculo Angelis et hominibus. Postea additur promissio expressa de Messia, quem nominat Semah, id est, Orientem, et ait Deus, se hunc Dominum missurum esse, et in eo lapide multos oculos esse, id est, hunc lapidem lucem aliis praebiturum esse, et Deus ipse sculpet eum, videlicet in passione, praeparabit ad aeternam gloriam, iuxta dictum: De torrente in via bibet etc.

Caput IIII.

In quarto capite confirmatur dux Zorobabel, qui cum debeat exercitu populum defendere, videt se non esse parem vicinis, et inermis turba nondum erat cincta moenibus, ut arceri hostes possent. Hic certe opus erat consolatione. Promittit igitur Dominus defensionem divinam, inquiens: Non in exercitu, non in robore, sed in Spiritu meo, dicit Dominus, et addit montes magnos, id est, imperia non fore illis exitio, sed fore plana, ut deinceps Persae, Alexander, Iulius, concedunt pacem huic genti. Ita mirabiliter Deus servat Ecclesiam non habentem humana praesidia, sicut inquit: Posui in ore tuo verbum meum, et umbra manus meae protegam te, ut plantes coelos.

Duae spicae oleae, sunt sacerdos Iesus, et dux Zorobabel.

Caput V.

In quinto capite, cum antea descripserit instaurationem Ecclesiae et urbis, nunc praedicit secuturas esse corruptelas doctrinae et poenas. Haec ita fiunt restituta Ecclesia, postea rursus sequuntur vitia et poenae. Statim post Alexandrum Magnum summi sacerdotes Iudaeorum inflexerunt se ad vicinos reges, acceperunt Graecos mores, emerunt summum sacerdotium a vicinis regibus, certaverunt parricidiis. Secuta est igitur horribilis poena, grassante Antiocho. Post hoc malum Pharisaei et Sadducaei exorti sunt. Haec omnia significantur his typis.

Volumen volans est falsa doctrina, quae late vagatur, in qua fures et periuri approbantur, id est, doctrina erit instructa ad avariciam, ut apud illos sacrificia cumulabant opes etc. Hanc doctrinam nominat et periuria, quia immediate Deum contumelia afficit, addit autem de poena. Haec falsa doctrina, inquit, erit ipsis exitio, sicut in bello Antiochi accidit, et postea, cum Romani deleverunt Hierosolymam. Ita tamen gubernat poenas Deus, ut servet aliquas reliquias verae Ecclesiae, ut Esa. 24. inquit: Erit vindemia, etsi pauci racemi reliqui sint etc. Et cap. ultimo: Ut si inveniatur granum in horto. Item in Amos: Ecce oculi Domini super regnum peccans etc., id est, reum. In gladio morientur omnes peccatores populi mei etc. Et tamen granum non cadet super terram, sicut deleta Hierosolyma tamen fuerunt superstites discipuli Apostolorum.

Altera imago sic pingitur: Species medimni, in quem collocatur mulier et postea iniicitur talentum plumbi. Accedunt autem duae mulieres alatae, quae medimnum vehunt in terram Babylonis. Medimnus significat hic coetum gubernantium Ecclesiam. Ideo nominat eum oculum terrae. In hoc coetu ait sedere mulierem, quae nominatur Impietas, id est, impia doctrina, talis fuit congregatio Pharisaeorum et Sadducaeorum post Prophetam Zachariam, qui manifeste impia dogmata finxerunt. Talentum vero plumbi significat pertinaciam in erroribus. Duae mulieres alatae vehentes medimnum in terram Babylonicam, significant similes errores secuturos esse, etiam post huius populi politiam, et existimo significari Mahometicos furores, qui iam annis 900 regnant in Babylone, et papistica idola, quae regnant in altera Babylone in urbe Roma. Duae mulieres alatae duas sectas significant.

Caput VI.

In sexto capite rursus traduntur consolationes, pingit equos et quadrigas, quibus significa-

tur, imperia regi a Deo, et mitti Angelos ad custodiendam Ecclesiam, et tandem promissio additur de pace Iudaeorum. Terra Aquilonis, id est, regnum Babylonicum quiescet, non dissipabit vos rursus. Consolatio est et in gestu, quod corona imponitur summo sacerdoti, quem propter typum rursus hic nominat Semah, id est, germinantem, et rationem nominis addit, quia tunc futura sit germinatio et templi extructio, et dulcissimum est, quod de concordia duorum gubernatorum inquit: Consilium pacis erit inter duos viros. Simul autem significatur adventus Messiae, per quem vere fit Ecclesiae germinatio, quia ipse profert Evangelium ex sinu patris, ipse fit victima, ipse conservat ministerium Evangelii, et est efficax, vivificat et salvat credentes.

Caput VII. et VIII.

In superioribus capitibus recitatae sunt consolationes et promissiones de restitutione templi et urbis, nunc intexit doctrinam de discrimine cultuum, et severissime taxat ἐθελοθρησκείας, ac revocat populum ad cultus a Deo mandatos. Occasio haec est, anno 4. Artaxerxis Longimani, cum iam procederet aedificatio templi, et maior esset tranquillitas quam fuerat antea, interrogant quidam de ritibus ieiuniorum, quos Iudaei sine mandato divino tempore exilii servaverant, ut luctum significarent, mense quarto, quia tunc Hierosolyma capta erat: mense quinto, quia tunc Nabuchodonosor combusserat templum: mense septimo, quia tunc interfectus erat Godolias et multitudo, quae cum eo in Aegyptum profectura erat, nunc reducti tanquam liberati voto, interrogant an diutius hi ritus servandi sint.

Taxat igitur Propheta cultus non mandatos a Deo, et ait, antea quoque talibus peccatis irritatam esse iram Dei, propter quam dissipati sunt. Nunc iubet commonefactos prioribus poenis reverenter discere voluntatem Dei et veros cultus praestare, et inserit dulcissimas promissiones. Est enim continua et eadem concio septimi et octavi capitis. Veritatem et pacem diligite, inquit. *Veritas* significat omnia bona opera primae tabulae, veram doctrinam, veram agnitionem Dei, timorem, fidem, invocationem non simulatam. *Pax* significat omnia bona opera secundae tabulae. In fine capitis octavi additur promissio de vocatione gentium: Decem apprehendunt fimbriam unius viri Iudaei, dicentes: Ibimus vobiscum. Ita nos Apostolis adiuncti sumus, et ab eis Evangelium accepimus, et scimus hanc solam doctrinam de Deo veram esse, quae per Prophetas et Apostolos tradita est, sicut in Psalmo dicitur: Laudate Dominum de fontibus Israël.

Insignia dicta in capite 7. et haec sunt, quod imperiorum duritiem confert Adamanti. Item, quod ait Deum misisse verba sua per Prophetas Spiritu suo. Ubi extat testimonium de Spiritu sancto, quod videlicet semper sanctificati sint electi Spiritu sancto.

In 8. capite expresse dicitur de peccatis: Haec sunt quae odi, dicit Dominus. Ubi testimonium extat contra Stoica diliramenta, quae fingunt Deum velle peccata, nec sunt ponendae in Deo contradictoriae voluntates.

Caput IX.

In capite 9. praedicit expresse poenas vicinis gentibus Syriae et Phoenicum. Nominat enim Syriam Adrach ab ubertate, et ait, Damascum, Tyrum, Sidonem, Gazam et alias urbes vicinas, quae iam laetabantur calamitate Iudaeorum, et se putabant esse feliciores, quia alia numina colerent, amissuros esse potentiam et libertatem. Hanc impiam vicinorum persuasionem taxat, et praedicit secutura excidia, ac Sidon non longo tempore post Zachariam ab Ocho rege Persarum crudelissime capta est per proditionem. Dumque urbs occupatur, Sidonii ipsi urbem et sese, coniuges et liberos et familias incendio perdiderunt. Et scribit Diodorus Siculus pag. 43. periisse plus quam 40000 hominum.

Tyrum Alexander septem mensibus obsedit, ut narrat Diodorus pag. 133. qua tandem expugnata 7000 in oppugnatione trucidata sunt, 2000 postea suspendit Alexander, et multa millia vendidit. Hoc excidium antea et Esaias praedixit, qui nominat gentes Kithim, id est, Macedones, et Dodannim, id est, Dodanaeos Graecos eversuros Tyrum. Et Gaza ab Alexandro capta fuit. Post has poenas, inquit Zacharias, Syros et Phoenices socios fore populi Israël, id est, futurum esse, ut Ecclesia colligatur etiam inter ipsos.

Addidit igitur Zacharias longam et dulcissimam concionem de Messia, et de modo ac beneficiis eius regni: *Exulta filia Zion etc. Ecce Rex tuus venit.* Affirmat venturum esse Messiam

iustum et salvatorem, et quomodo sit salvaturus, mox inquit: Non constituet imperium politicum. Erit enim pauper, et non erant quadrigae in Hierusalem, id est, Ecclesia non erit politica potentia, et salvabuntur homines novo et admirando modo, scilicet sanguine Testamenti, hoc est, morte promissi Messiae, qui Testamentum, id est, promissionem suam sanguine suo confirmat, et pro nobis factus est victima.

Tu in sanguine Testamenti tui etc. Iudaei sanguinem testamenti stulte interpretantur circumcisionem suam, et mactationes pecudum: sed Propheta loquitur de alio Testamento, et de alio sanguine. Fuit enim vetus Testamentum promissio certae sedis et regni politici cum conditione legis et ceremoniarum, ad hunc finem ordinata, ut in hoc certo populo nasceretur Messias, et conservaretur ibi memoria promissionis gratiae, et aliqua esset Ecclesiae schola, usque ad adventum Messiae. Postea evertenda, ut extaret exemplum irae Dei, et testimonium, quod nec illi lege iusti fuissent etc. Hoc politicum testamentum non dedit iusticiam et vitam aeternam. Imo abolitum est, cum gentes vocatae sunt.

Loquitur autem hic Propheta de eo Testamento, id est, de ea promissione, quae donat iusticiam et vitam aeternam, et de sanguine huius Testamenti, sicut antea praedictum fuit de Messia: Ponet animam suam pro peccato etc. Et mactationes pecudum, non tollebant peccatum et mortem, sed significabant Messiae sanguinem.

Fovea, in qua non est aqua, significat mortem, in qua nulla est recreatio. Ex hac fovea educimur, id est, liberamur a peccato et a morte aeterna, et redditur nobis iusticia et vita aeterna, et hoc fit sanguine Christi, sicut Ioannes inquit: Sanguis Christi purificat nos ab omnibus peccatis.

Convertimini ad arcem vincti spei. Dulcis consolatio est, qua Ecclesiam universam alloquitur, quae expectat Messiam, hanc nominat vinctos spei, id est, captivos quidem, sed sperantes conservationem et liberationem, ut Paulus inquit: Spe salvi facti sumus etc., id est, Ecclesia in hac vita adhuc est imbecilla, et magnis calamitatibus oppressa. Inter has sperat tamen conservationem et liberationem. Iubet autem intueri arcem, id est, ipsam promissionem, qua sustentabantur. Et manifeste inquit, se annunciando, id est, praedicatione Evangelii duplicia redditurum esse, id est, iusticiam et vitam aeternam, vel gratiam et donum, sicut et Esai. 40. dicitur: Accepit de manu Domini duplicia.

Sequens concio loquitur de collectione Ecclesiae ex Iudaeis et gentibus. Lapides sancti accumulabuntur super terram, id est, speculae sanctae constituentur, id est, Ecclesiae, in quibus docebunt Apostoli et alii Sancti. Et Evangelii ac donorum descriptio est, cum inquit: *Bona Ecclesiae esse frumentum adolescentum, et vinum germinans virgines*, id est, Ecclesia propagabitur: et multi gignentur adolescentes et virgines, id est, animosi et fidem incorruptam retinentes. Gignentur autem non propagatione carnali, sed quia per vocem Evangelii Filius Dei erit efficax in eis, et confirmabit eos Spiritu suo sancto.

Caput X.

Concionatur de collectione Ecclesiae ex Iudaeis et gentibus, et miscentur reprehensio impiorum gubernatorum, super pastores: Iratus est furor meus etc.

Caput XI.

Praedictio est destructionis totius regni politici Iudaeorum. Causam vero inquit esse impietatem gubernatorum et populi, et intexit visionem. Ait Filium Dei pastorem dicere, sumsisse de duas virgas, quarum altera nominata fuerat suavitas, altera nominatur vastatores, id est, aliquandiu gubernavi vos suaviter, quia vero non obtemperastis, sequuntur poenae, dilaceratur patria a multis vastatoribus. Dicit tres pastores deletos esse, Regem, Sacerdotem et Principes.

Postea exprobat eis, quod adeo vilem ducant esse hunc pastorem Filium Dei, ut vendiderint eum 30 argenteis. Haec visio in genere significat, quod parva lucra anteferant Deo, et serviant ventri, et tamen postea in passione Christi eventus simpliciter congruit cum his verbis, cum Iudas Christum 30 argenteis vendidit.

Postremo additur praedictio de stulto et pernicioso pastore et de poena ipsius, ut tunc dominati sunt Pharisaei et Sadducaei, et aliquanto post deleti sunt. Ita in fine mundi, erit in Ecclesia regnum impium et crudele Antichristi et fanaticorum doctorum, quod tandem horribiliter delebitur.

Caput XII.

Antea vaticinatus est de interitu politiae Iudaicae, et tamen dixit se servaturum esse pauperem gregem, qui custodit verbum Domini, sicut et Esaias inquit, Reliquias salvas fore. Nunc autem in capite 12. narrat, qualis futura sit illa Ecclesia, deleta politia Iudaica, et vocabulo, Hierosolymae, hic reliquias intelligit, ut Apostolos et eorum coetus. His praedicit persecutiones, et mirandam conservationem. *Ponam*, inquit, *Hierusalem*, id est, veram Ecclesiam, *calicem tremoris cunctis populis, et colligentur adversus eam omnia regna terrae etc.*, id est, imperia persequentur Ecclesiam, et conabuntur eam delere, sed Ecclesia erit eis velut calix tremoris, id est, eventus efficient, ut reges et populi velut ebrii ac amentes ruant et pereant, quia frustra pugnabunt, et interea evertent sua imperia, sicut accidit impiis Iudaeis, exercentibus saevitiam contra Apostolos et eorum auditores, et deinde Diocletianus et alii, dum conantur Ecclesiam delere, imperium dilacerarunt, et oppressi sunt ipsi publica ruina. Ac inter has mundi ruinas tamen Ecclesia servata est, sicut hic inquit: *Salvabit Dominus tabernacula Iuda, sicut initio, sed non ut glorietur domus David contra Iudam,* id est, non ita ut maneat regnum politicum Davidis, sed quisquis erit superstes, erit sicut David, et sicut domus Dei, et sicut Angelus Domini. Hic aperte ostendit, Ecclesiam non esse regnum politicum, nec habere praesidia humana, sed subiectam esse cruci, et mirabiliter servari, et interea esse templum, in quo Deus habitat, et nos esse Angelos Domini, id est, nuncios Evangelii invocantes Deum, et ei obedientes.

Deinde addita est dulcissima promissio, quae complectitur omnia beneficia Evangelii: *Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum.* Diligenter observandae sunt praecipuae sententiae in Prophetis, et prudenter contexendae. Supra de adventu Messiae et de passione eius, et de restitutione iusticiae et vitae aeternae dictum est: In sanguine Testamenti tui educes vinctos e lacu etc. Hic in capite 12. traditur expressa sententia de donatione Spiritus sancti, quem nominat Spiritum gratiae. Quia testificatur in ministerio Evangelii, et in singulorum cordibus, de gratia, id est, annunciat Evangelium de remissione peccatorum, de reconciliatione, de donatione iusticiae et vitae aeternae, Et cum fide accipimus vocem Evangelii, simul Spiritus sanctus in cordibus accendit laetitiam, qua acquiescimus in Deo propter Mediatorem, et vivificamur, suntque coniungendae superiores praedictiones de persona Messiae, et haec de persona et effectibus Spiritus sancti.

Postquam autem corda agnoscunt misericordiam Dei per Evangelium, et vivificantur Spiritu sancto, accedunt ad Deum, et invocant eum fiducia Mediatoris. Invocatio autem est summus cultus, et reliquam obedientiam complectitur, quia ad hunc finem referenda est obedientia, ut testemur vere hunc esse Deum, quem invocamus, iuxta doctrinam, quam tradidit.

Postea in textu rursus dicitur de persona Messiae: *Aspicient ad me quem confixerunt, et plangent eum planctu velut de unigenito etc.* Hic loquitur Filius Dei rursus, et affirmat se venturum esse, ut fiat victima pro nobis, ut Esaiae 53. dicitur: Servire me fecisti in peccatis tuis. Haec dicta testantur Messiam esse Deum et hominem, quia hic ipse Deus, qui loquitur, ait se futurum esse redemtorem. Et Ecclesia, quae fuit spectatrix, fuit in magno luctu, ut Maria et soror eius, et alii Sancti. Semper autem Ecclesia agnoscens peccata, et cogitans iram Dei tantam, ut placanda fuerit per obedientiam Filii, est in luctu, et sustinet crucem postea in tota confessione, et celebrat obedientiam Mediatoris inde usque ab edita prima promissione, et semper celebrabit. Ideo inquit: Plangent familiae, regia et sacerdotum etc.

Quod autem talem luctum esse inquit, qualis fuit in Megiddo ac Hadadrimon, similitudo sumta est ab interitu duorum regum, Ochosiae et Iosiae, qui ambo non procul a Megiddo interfecti sunt. Interitus Ochosiae narratur 4. Reg. 9. Interitus Iosiae narratur 4. Reg. 23. Ac in utraque historia extat nomen oppidi Megiddo, quod situm fuit in littore in tribu Manasse, non procul a Iesrahel. Hadadrimon non procul inde est, ac scribunt postea nominatam esse Maximianopolim.

Caput XIII.

Commoratur in descriptione verae Ecclesiae, et narrat, quae beneficia habeat, videlicet, deletionem peccati, incorruptam doctrinam, et veram

invocationem. Postea praedicit passionem Christi, et ait, Ecclesiam subiectam fore cruci, et multos defecturos esse ab ea, et tamen aliquem mansurum esse coetum, qui Deum recte invocet. Ita breviter complectitur multas res praecipuas in Ecclesia considerandas, Quid sit, quae habeat beneficia propria, quis sit pastor, id est, conditor et conservator Ecclesiae, quales habeat aerumnas, quomodo conservetur.

Est enim Ecclesia coetus agnoscens Filium Dei, colligentem Ecclesiam, passum et resuscitatum, retinens puram Evangelii doctrinam, per quod et pastor hic efficax est, et deleto peccato restituit iustitiam et vitam aeternam, qui coetus recte invocat Deum, et in cruce expectat conservationem a suo pastore, et ab eo conservatur. Primo ergo nominat fontem contra peccatum et immunditiem separatae propter menstrua. Fons ipse Filius Dei est, per Evangelium et Spiritum sanctum tollens peccatum originale et actualia. Nam originale per menstruam immunditiem significatur, et opponitur hic fons lavacris ante templum. Concinne autem accommodari ad Baptismum potest.

Postea ait de vera invocatione et de vera doctrina: *Delebo idola et pseudoprophetas, pater et mater configent eos*, id est, erunt, qui refutent fanaticos doctores. Item, prohibebunt eos uti veste hirsuta, id est, squalida assumta per hypocrisin, hoc est, taxabunt ficticios cultus, fanaticas opiniones, monachatus, et similes hypocriticas praestigias. Sed dicet: *Non sum Propheta, homo agricola sum, et homo serviens a iuventute*, id est, non sum autor novi dogmatis, sed servio in mea vocatione, sicut Adam, sciens se nihil excogitare posse ad tollendum peccatum et ad tollendam mortem, sed tantum sustentans se voce promissionis traditae. Et fatebitur ignorantiam suam, et dicet se ab Ecclesia castigatum esse, a qua diligitur. Huc pertinet dictum Pauli Gal. 6.: Si quis lapsus fuerit etc. emendate eum spiritu lenitatis.

De passione Christi inquit: *Framea suscitare super pastorem meum, et super virum proximum mihi, seu parem mihi, seu socium mihi, seu qui mecum est.* Dulcis descriptio est, qua significat Christum pastorem Ecclesiae esse proximum Dei, Filium scilicet carissimum aeterno patri, qui semper est apud aeternum patrem, et qui potentia divina colligit et conservat Ecclesiam, sicut inquit Ioan. 14.: Pater in me est, et ego in patre. Hic rursus considera, quod ait frameam levari super hunc virum, qui est proximus Dei. Significat enim personae unitatem, ut supra: Aspicient me, quem confixerunt.

In Caput ultimum.

Coniunguntur hic praedictiones de excidio Hierosolymae, de praedicatione Evangelii, de postremo adventu Christi et iudicio universali, in quo tota Ecclesia ornabitur aeterna gloria, et impii damnabuntur. Sunt autem aliae sententiae propriis verbis expositae, aliae figurate recitantur. Excidium Hierosolymae recitatur propriis verbis: *Congregabo omnes gentes ad Hierusalem in praelium, et capietur civitas etc.*

Deinde de praedicatione Evangelii et de iudicio postremo dicitur: *Egredietur Dominus, et praeliabitur contra gentes etc.* Item: *In die illa exibunt aquae vivae ex Hierusalem, Et erit Dominus rex super omnem terram, et erit Dominus unus, et nomen eius unum*, id est, idola destruentur, et fulgebit vera agnitio unius Dei.

Miscentur autem dicta de praedicatione Evangelii, de iudicio et de aeternis poenis impiorum, et de aeterna gloria piorum.

Stabit in monte olivarum, scilicet cum ascendet in coelum, dans mandata de praedicatione Evangelii, et postea veniens ad iudicandum.

Scindetur mons, id est, tota machina mundi rumpetur et mutabitur, et fugietis, sicut in terrae motu tempore Osiae, de quo dicitur in primo capite Amos in initio.

Non erit lux, sed frigus et gelu, scilicet impiis. Contra vero piis erit perpetua lux, omnia erunt plana, a Gibea, quae est in tribu Beniamin, ad Rimmon, quae est in tribu Simeon, id est, imperia mundi erunt abolita, et nemo exercebit saevitiam contra Ecclesiam, bene erit iustis, et impii erunt in poenis.

Erit Ierusalem secura, et non erit in ea anathema. Contra vero tabescent impii. Miscet, ut antea dixi, praedicationes de poenis impiorum, et de gloria Ecclesiae.

Deinde repetitur praedictio de vocatione gentium: *Reliquiae gentium venient Ierosolymam,*

et adorabunt Dominum etc. Non erit salus extra Ecclesiam, qui non ascendent ut adorent Deum Zebaoth, non pluet super eos etc. Ac nominatim fit mentio festi tabernaculorum, qui significabat nova et aeterna tabernacula.

In fine dulcissime dicitur: *Non erit in domo Domini mercator*, id est, Ecclesia vera non habebit pontifices et doctores tales, qui ventris et imperii causa fingent corruptelas doctrinae.

ORDO CAPITUM.

In prioribus sex capitibus addit praedicationi de poenitentia consolationes de instauratione et defensione huius politiae:

Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.

Ego ero murus igneus in circuitu eorum.

Non in robore, non in exercitu, sed in Spiritu meo, dicit Dominus.

In septimo et octavo concionatur de veris cultibus:

Non praecepi de ieiunio etc.

Diligite veritatem et pacem.

In reliquis capitibus dicit de interitu politiae Iudaicae, post adventum Messiae, de passione Messiae et de beneficiis eius, de cruce Ecclesiae etc., de vocatione gentium:

Adducam servum meum pullulanten, caelabo sculpturam eius, auferam iniquitatem terrae.

Educes in sanguine Testamenti vinctos tuos de lacu.

Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum.

Aspicient me, quem confoderunt, plangent familiae.

Framea suscitare super pastorem meum, super virum proximum meum etc.

In postremo capite plurima dicuntur de novissimo iudicio.

VIII. EXPLICATIONES PHILIPPI MELANTHONIS IN INITIUM MALACHIAE

TRADITAE WITEBERGAE ANNO M.D.LIII.

(Editae in opp. Mel. Witeb. T. II. p. 541.)

Ut supra dictum est, in enarratione Prophetarum semper ordine omnes patefactiones divinae, revelatio promissionis, vocatio singulorum Prophetarum, consilium Dei et officia praecipua Prophetarum consideranda sunt, et intuenda omnium temporum Ecclesia, et agnoscenda est immensa misericordia Dei, quod propter Filium et per eum initio edidit promissionem, et excitavit subinde Prophetas, et sic colligit aeternam Ecclesiam. Ac dulce est totam seriem contemplari, in qua videmus velut in acie non longis intervallis successisse posteriores Prophetas prioribus. Hoc immensum beneficium vera gratitudine celebremus, et Prophetarum conciones audiamus tanquam Dei vocem, sicut supra inquit Zacharias capite 7.: Verba quae misit Dominus exercituum in Spiritu sancto per manum Prophetarum.

DE TEMPORIBUS.

A secundo anno Darii Longimani, de quo anno Haggaeus et Zacharias loquuntur, sunt anni ad annum quo filius Dei ex virgine natus est 462. Consentaneum est autem Zachariam concionatum esse annis aliquot durante adhuc Persica monarchia. Sunt autem ab illo secundo anno Darii usque ad sextum annum Alexandri anni 133. Iam si vixit post Zachariam Malachias ut consentaneum est, incurrit eius aetas fere in Ochum et Alexandri Macedonis tempora. Antecessit igitur Macabaeos et Pharisaeos non longo tempore. Sunt autem anni a Iuda Macabaeo ad natalem Christi 166. Haec brevia intervalla consideranda sunt, ut cogitemus, quam variae mutationes in gubernatione et in doctrina exiguo tempore factae sint in illa postrema senecta imperii, et admonitio de lege Mosi servanda, videtur praecipue respicere confusiones, quae sequutae sunt sub Ocho et deinde sub Antiocho. *Mementote legis Mosi servi mei.* Et adduntur consolationes de adventu Messiae, et de praecursore Elia, quem Dominus ipse inquit esse Iohannem Baptistam.

Intuentes autem has tristissimas confusiones inde usque ab Ocho, cogitemus hanc senectam mundi habituram esse maiores dilacerationes, quam fuerunt antea. Sub Ocho summus Sacerdos Iesus in templo interfectus est a factione Iohannis fratris, qui ei summum sacerdotium eripuit. Postea Bogeses Persicus satrapa templum spoliavit et ingens tributum toto sexennio exegit. Sub Alexandro Manasses templum in Samaria condidit, unde et religionis perturbatio et bella orta sunt inter Iudaeos et Samaritas. Ptolemaeus Lagi in Sabbato per fraudem ingressus urbem Ierosolymam, saevitiam exercuit in urbe, et multos Iudaeos captivos abduxit in Aegyptum, praecipuos viros, matronas, adolescentes et virgines, et indixit tributum 20 talentorum, id est, duodecim millium coronatorum.

Post aliquot annos rex Syriae Seleucus Heliodorum Ierosolymam misit ad spoliandum templum, mox sequuta sunt initia maximarum calamitatum. Iason 500 talentis emit summum sacerdotium ab Antiocho Epiphane excusso Onia fratre. Post triennium Menelaus Iasone excusso summum sacerdotium simili arte mercatur. Hic

Menelaus Oniam interfici curavit, et attraxit Antiochum Epiphanem, occisus tandem a filio Antiochi Epiphanis, quod fax fuisset belli Iudaici. Iason in exilio apud Lacedaemonios mortuus est.

Interea Antiochus Epiphanes horrendam crudelitatem toto octennio exercuit in Iudaea. Idolum in templo collocavit, magnam multitudinem hominum occidit, vastavit oppida. Sed paulatim Deus repressit eius exercitum ductore Iuda Macabaeo, ut reliquiae Ecclesiae servarentur. Interfectio Iuda Macabaeo in acie frater Ionathas varia fortuna praefuit, qui cum duobus filiis a Triphone Syriaco per fraudem interfectus est. Deinde tertius frater Simon cum annis fere octo praefuisset, a genero interfectus est.

Postea sub Hircano filio Simonis Antiochus Soter obsidione cinxit Ierosolymam, et fame coëgit eum facere deditionem. Postea tranquilliorem gubernationem habuit: sed filii inter sese dimicarunt, qui iam non contenti titulo summorum sacerdotum, reges etiam dici volebant. Et Alexandrum filium Hircani Ptolemaeus Lamirus magno praelio vicit, et coëgit captivos Iudaeos vesci cocta carne puerorum Iudaicae gentis. Hic Alexander et in festo tabernaculorum circiter sex millia hominum in urbe Ierosolyma in seditione trucidavit. Deinde sexennium cum Iudaeis bellum gessit, qui accersiverant Demetrium.

Huius filii Hircanus secundus et Aristobulus etiam inter se de regno dimicarunt. Pompeius Hircano tradidit summum sacerdotium interfectis viginti duobus millibus Iudaeorum. Aristobulum vero Romam abduxit, unde cum fugisset et bellum in Iudaea movisset, rursus captus est et Romam missus, tandem veneno extinctus est.

Aristobuli filius Antigonus cum Parthicum exercitum in Iudaeam adduxisset, fraude cepit Hircanum patruum, et ei summum sacerdotium eripuit. Urbem Parthi diripiunt, postea bella cum Herode gessit: sed Antonius Antiochiae iussit eum interfici. Postea Herodes solus regno potitus est, et magnam crudelitatem exercuit.

Haec tota Ilias postremi temporis Iudaicae politiae significat similes confusiones in imperiis huius senectae mundi, quas sapienter toleremus, ne propter scandala deficiamus a Deo. Sed certo statuamus inter has confusiones Filium Dei tamen Ecclesiam collecturum et servaturum esse. In hanc nos includamus et petamus mitigationem calamitatum, sicut praecipit Dominus: Orate ut possitis effugere venientia mala. Suo quisque loco foveat aerumnosam Ecclesiam, et caveat ne fiant maiores dissipationes quantum potest. Ita tunc quoque servata est Ecclesia. Fuerunt enim Simeon, Zacharias, Elisabeth, Hanna, Maria, Ioseph et alii multi, qui recte Deum invocaverunt et recte docuerunt, quanquam alia impia multitudo longe maior fuit, et tenuit gubernationem, et familiae gubernatorum inter sese dimicabant.

Hactenus dixi quo tempore concionatus sit Malachias, et quae calamitates in illo populo post eum sequutae sint. Ad hanc historiam praedictio accomodanda est, quae ut tunc fuit commonefactio, ne deficerent Iudaei a Deo, et consolatio, ita nobis quoque in hac senecta mundi sit consolatio et commonefactio.

Dilexi vos dicit Dominus.

Praecipua concio inde usque ab initio in Ecclesia eadem est, videlicet concio poenitentiae et remissionis peccatorum propter Mediatorem: Ita statim post lapsum primorum parentum accusatur peccatum, et additur consolatio promulgata promissione. Ac res ipsa ostendit in omnibus Prophetis has duas materias praecipuas esse: Ita hic orditur de accusatione, sed prius commemorat beneficia, ut accusatio fiat tristior.

Nec vero magnitudo beneficiorum verbis exponi potest, sed aliquo modo cogitanda est. Deus hunc populum segregaverat ab omnibus gentibus, in hoc populo se patefecit, dedit ei legem et promissionem gratiae, affirmavit ibi se Ecclesiam collecturum esse, attribuit certam sedem, et assiduis miraculis praesentiam suam ostendit, et populum defendit ac restituit, misit Prophetas et duces, et magnam multitudinem in hoc populo elegit ad haereditatem vitae aeternae, et ad societatem aeternae Ecclesiae. Haec sunt summa beneficia. Inobedientia igitur eo maius peccatum est, quia insignis ingratitudo accedit.

In hoc exemplo et nos nostram inobedientiam et ingratitudinem deploremus et clamemus cum Ieremia: Converte me Domine, et convertar. Nam et nos vocati sumus ad Ecclesiae societatem, et quanquam Ecclesia nunc non habet politiam certam, tamen Deus ei dat alicubi hospitia, et mirabiliter eam defendit inter horrendas impiorum ruinas. Interea tamen plurimi sunt inobedientes et ingrati. Observabis igitur primum in hoc textu, recitari hanc commemorationem de

beneficiis, et accusationes cum amplificatione: Caeterae gentes ita deletae ac dissipatae sunt, ut non sint restitutae: Vos etiamsi eratis dissipati, tamen divinitus restituti estis, sicut inquit Ieremias: Misericordiae Domini, quod non consumti sumus. Initio autem totam gentem accusat, postea nominatim alloquitur sacerdotes.

Offertis panem pollutum.

Loquitur autem de panibus propositionis, ut noster textus nominat, de quibus extant mandata Exodi 25. et Levitici 24. ubi iubet panes 12 singulis sabbatis collocare in mensam tabernaculi. Et singulos vult fieri ex duabus decimis Ephi, id est medimni Attici. Erat autem decima ephi septem sextarii farinae, et aliquanto amplius. Erant igitur duae decimae quatuordecim sextarii. Hinc intelligi potest panes grandes fuisse, et quidem congruentes ad mensuram veteris demensi. Chaenix farinae erat panis pro quatuor nummulis nostratibus. Continebat autem chaenix duos sextarios farinae. Ergo unus panis propositionis continebat septem chaenicas, ut unus panis sufficeret usui hominis per septimanam.

Haec observentur, ut causa istius ritus et utilitas consideretur, quia his panibus alebatur huius sacerdotis familia qui suo tempore sacrificabat. Quod autem inquit, Offerri panes pollutos, praecipue de personis intelligatur, quae pollutae erant impiis opinionibus, cultu idolorum, libidinibus, odiis factionum, parricidiis, et tamen offerebant, et fingebant haec sacrificia esse summa merita, ut Oniam summum sacerdotem curavit interfici frater Menelaus, et invasit summum sacerdotium. Sic offerebant sacerdotes Pharisaei et Sadducaei inquinati tetris erroribus et multis sceleribus. Talium sacrificia sunt impia iuxta dictum Pro. 15. Victimae impiorum abominatio Domini: Oratio autem rectorum placet ei, et Ecclesi. 4.: Melior est obedientia, quam victimae stultorum, qui nesciunt quantum faciant malum. Oseas: Misericordiam volo, non sacrificium.

Praevidet autem Spiritus sanctus in Prophetis loquens de panibus pollutis etiam calamitatem postremae Ecclesiae, in qua coena Domini horribiliter contaminata est. Nam sacrificuli papistici adferunt ad eam pollutas mentes impiis opinionibus et turpitudine vitae, et fit adoratio panis extra institutum usum, quae est manifesta idolatria. Papam in magnis pompis praecedit equus gestans panem consecratum, sicut Persicum regem, praecedebat equus, gestans ignem, qui apud Persas colebatur, et nominabatur Orimasda, id est, lumen sanctum. Ad hanc totam profanationem accommodanda est haec tristis accusatio de pane polluto, et de despectione mensae. Sic et apud Esaiam tristissima querela est cap. 28.: Omnes enim mensae repletae sunt vomitu sordium etc. Haec horrenda mala agnoscenda et deploranda sunt, et orandus est Filius Dei, ut ipse ea emendet, quaerenda etiam vera doctrina de coena Domini et aliis cultibus.

DE COENA DOMINI.

Etiam vetustas recitat hanc definitionem. Sacramentum est signum gratiae: iuxta hanc definitionem recte intellectam nulli ritus seu gestus instituti humana autoritate sunt sacramenta. Item ritus divini, qui non sunt proprie signa promissionis de Mediatore et gratia, non proprie nominantur sacramenta, ut coniugium. Sed omissa logomachia sciamus sacramenta in novo testamento esse ritus institutos ab ipso Filio Dei, qui sunt signa testificantia de promissione gratiae, ut sunt Baptismus, Coena Domini.

Sunt autem instituti ritus propter publicas et privatas causas, publice sunt signa distinctionis Ecclesiae a caeteris hominibus, ut baptismus et coena Domini discernunt Ecclesiam ab aliis hominibus. Vult enim Deus eam conspici, vult agnosci Filium et exaudiri in toto genere humano, sicut dictum est: Hunc audite. Item, In omnem terram exivit sonus eorum. Vult extare confessionem, et notam esse invocationem Sanctorum. Item, Coena Domini est nervus publicae congregationis: quia enim Deus hoc modo colligit Ecclesiam et non aliter, scilicet voce Evangelii, vult hanc sonare in publicis honestis congressibus, sicut dictum est: In conveniendo populum et reges in unum, ut serviant Domino. Et ut talis congregatio sit conspectior, et quasi foedere aliquo copulata, hic ritus additus est, qui est similis libationi usitatae patribus. Hae publicae causae non sunt obscurae.

Diligenter autem privata causa in singulis consideranda est, videlicet quod sacramenta sint testimonia voluntatis Dei erga nos. Ut enim in promissione offertur gratia seu reconciliatio, sic in his externis ritibus idem servatur, et ritus est

commonefactio, pignus et applicatio ostendens promissionem gratiae ad singulos pertinere. Sic vocat Paulus circumcisionem sigillum iusticiae. Et sicut promissio fide accipienda est, ita in hac commonefactione et applicatione fides necessaria est. Ideo cum interrogamus de usu coenae Domini, usitate respondetur, utendum ea esse ad confirmandam fidem, quae scilicet hac commonefactione excitanda est, et agnoscendum testimonium applicatae promissionis. Ita privatim primus et immediatus et principalis finis est haec consolatio seu confirmatio fidei, nam haec idem sunt. Postea accedunt multi fines subordinati, gratiarum actio, invocatio, confessio doctrinae, foedus concordiae cum caeteris hominib. in eadem Ecclesia. Ideo et nomina huius ritus multa sunt.

Graeci vocant *λειτουργίαν*, id est, ministerium publicum, a *λήϊτὸν* quod significat rem partam in bello, unde *λειτουργίαι* dicuntur ministeria publica, collationes tributorum, certae aedificationes seu operae, quae fiunt Reipub. causa. Intelligunt igitur Graeci non solum coenam Domini, sed totum quod ibi agitur, concionem, distributionem coenae, invocationem et gratiarum actionem. Et vocabulum *λειτουργία* de operis Levitarum, ut de gestatione tabernaculi saepe usurpatum est.

Vocabulum Missa videtur Hebraeum esse, quod simpliciter significat contributionem pecuniae seu aliarum rerum, quia in hoc congressu conferebantur eleemosynae. Alii putant Latinam appellationem esse Missam, sicut Cyprianus pro remissione peccatorum nominat remissam. Et scribunt olim in Graecis Ecclesiis pronunciata esse haec verba, *λαοῖς ἄφεσις ἔστω*. Pro hac voce *ἄφεσις* dicunt Latinos usurpasse nomen Missa, sed quaecunque est origo, quaeratur concinna interpretatio. Usitatum nomen est et *εὐχαριστία*, quia certissimum est in hoc ritu Deo et Domino nostro Iesu Christo gratias agendas esse. In Aegypto etiam a contributione eleemosynarum Missam nomiarunt Agapen, quia *ἀγάπας* appellabant Eleemosynas, ut in Epistola Iudae dicitur: Helluantur de vestris agapis. Haec appellationum consideratio historica est, et ostendit veterem consuetudinem. Nunc de sacrificio dicam.

Sacrificium est opus a Deo mandatum, faciendum, ut Deo tribuatur honos, id est, ut ea obedientia ostendamus nos affirmare hunc solum esse Deum, quem sic colimus, et nos velle ei subiectos esse. Osiander tres species constituit, typicum, propiciatorium, et contributionem. Typica fuerunt omnes ritus Levitici significantes Christum, nec merebantur remissionem peccatorum, sed erant signa docendi causa instituta. Propiciatorium unicum est tota Christi obedientia, hoc unum meretur remissionem peccatorum et reconciliationem hominibus, et applicatur singulis propria cuiusque fide, audito, lecto, cogitato Evangelio.

Quod autem aliqui Levitici ritus dicebantur sacrificia pro peccato seu propiciationes, id nomen tantum habebant typi significantes venturam iusticiam, quae vere esset deletura peccatum, sed ipsi typi nec merebantur remissionem peccatorum, nec delebant peccata. Ideo dictum est ad Heb. cap. 10.: Impossibile est sanguine taurorum tolli peccata. Tertiam speciem fecit Osiander contributiones, ut in lege offerebantur fruges et pecudes, unde Levitae victum habebant, nec merebatur id opus remissionem peccatorum, sed erat merces debita docentibus, qui non possent studia doctrinae colere et propagare, si essent occupati aliis negociis in quaerendo victu. Tales igitur oblationes non vult proprie dici typos.

Etsi autem hanc enumerationem specierum non reprehendo, tamen quia hic non comprehunduntur sacrificia, quae sunt, invocatio, gratiarum actio, patientia in cruce etc. meam partitionem etiam repetam. Ego duas species constituo, propiciatorium et *εὐχαριστικὸν*. Propiciatorium seu *ἱλαστικὸν* simpliciter unicum est videlicet tota obedientia Christi, quae sola meretur remissionem peccatorum hominibus. Aliorum sanctorum bona opera omnia facta in fide reipsa sunt *εὐχαριστικὰ*, et non merentur remissionem peccatorum. De his dictum est Oseae 14.: Omnem aufer iniquitatem et reddemus vitulos labiorum nostrorum, id est, invocationem, confessionem, gratiarum actionem, laborem docendi. Haec nominantur alias sacrificia laudis. Et de patientia in cruce inquit Psal.: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, Denique omnia bona opera sanctorum facta in fide etiam typica huc pertinent, quia facienti in fide erant signa confessiones et gratiarum actionis.

Hanc declarationem monstrantem discrimen inter *ἱλαστικὸν* et *εὐχαριστικὸν* necesse est in Ecclesia extare, quia necesse est discerni sacrificium

Christi a caeteris omnibus. Pro vocabulo testamenti lingua Hebraea utitur nomine Berith, quod generaliter significat pactum. Et interpres Latinus reddidit his trib. vocabulis, pacti, foederis et testamenti. Graeci tantum habent *διαθήκη*, ut in Zach. dicitur: In sanguine testamenti tui educes vinctos de lacu. Est autem generaliter pactum promissio, id est consensus duorum vel plurium verbis expressus, quo se uterque obligat ad aliquid dandum aut faciendum, ut, Deus promittit Abrahae semen et terram, et obligat eum ad circumcisionem, quam affirmat esse testimonium de promissione. Vicissim promittit Abraham se circumcisionem recepturum esse, et traditurum posteris una cum promissionis propagatione, ut agnoscant verum Deum et promissum Dominum. Idem pactum nominat latinus interpres foedus, quae appellatio proprie ad pacta bellica pertinet, Latini veteres derivatum esse dicunt a fide.

Vocabulum testamenti latina consuetudo proprie accommodat ad honestam ordinationem morituri, in qua haeres instituitur, et legata certis hominib. attribuuntur et dantur certa mandata. Graeci utuntur vocabulo *διαθήκη*. Et Epist. ad Heb. urget emphasin, quod morte confirmatum sit testamentum filii Dei, Consideratis igitur fontibus vocabulorum, cogitemus quid significetur, cum nominatur vetus et novum testamentum.

Vetus testamentum est vetus pactum, quo Deus obligat se populo ad dandam certam sedem et politiam, in qua tamen velit colligere aeternam Ecclesiam: et vicissim obligat hanc politiam ad legis obedientiam et conservationem doctrinae et promissionis in sua politia. Novum testamentum est novae et aeternae iusticiae et vitae promissio propter Filium morientem, in qua Deus se obligat nobis ad dandam remissionem peccatorum et reconciliationem, iusticiam et vitam aeternam, et vicissim nos obligat ad credendum promissioni quae gratuita est, id est, tantum propter Filium datur, non propter legem.

Addita autem sunt signa novae promissioni, quae non sunt merita seu precium, sed sunt testimonia de promissione, sicut Petrus nominat baptismum stipulationem bonae conscientiae erga Deum. Ut enim in stipulatione interrogatio praecedit promissionem, ut sit magis perspicua asseveratio, Visne mihi pro mercede has res Lipsiam transvehere? volo. Ita in usu sacramentorum tanquam interroganti Deo, an velimus oblata illa bona accipere et ei credere? respondemus: Nos velle credere Evangelio, et hunc Deum invocare, qui se patefecit misso Filio. Hic ipse usus sacramenti est velut stipulatio: et talis asseveratio cum non est simulata, est vox fidei.

Hinc intelligi potest in usu sacramentorum fidem esse necessariam. Nomen stipulationis etiam indicat recte dici usum sacramentorum esse applicationem promissionis ad nos, ac significat Deum nobis aliquid exhibere tanquam interrogantem: Credisne tibi haec bona exhiberi a Deo? Credo et agnosco te verum esse Deum, te invoco.

His fundamentis cognitis intelligi potest reipsa discrimen esse inter sacrificium et signa, quae proprie nominantur Sacramenta. Nam per sacramenta Deus nobis exhibet et applicat suas promissiones, ut per baptismum recipit hominem. Sacrificia vero sunt opera, quae nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus, id est, ut testemur nos sentire hunc vere esse Deum quem invocamus et cui hanc obedientiam praestamus, ut castitas Ioseph est sacrificium, quia Deo hanc obedientiam praestat, et ostendit Deum quem ipse colit, talem esse, qui velit castitatem et hanc obedientiam postulet.

Cum autem in verbis coenae dicatur: Accipite, hic est sanguis meus novi testamenti, perspicuum est his verbis offerri res promissas in novo testamento, cum et dicat velut in stipulatione accipite, et mentionem faciat novi testamenti, quod est promissio remissionis peccatorum, reconciliationis et bonorum aeternorum. Promissio autem fidem postulat in singulis. Quare manifestum est eam applicationem non fieri pro aliis, sed tantum fieri applicationem sumenti, qui conversus fide accipit. Ita sumtio proprie habet rationem sacramenti in his qui sumunt fide. Postea verum est simul accedere oportere invocationem et gratiarum actionem. Haec opera quae accedunt sunt sacrificia *εὐχαριστικὰ* seu laudis, ut Psalmus vocat.

Est et hoc sciendum, nullum opus externum placere Deo ex opere operato, id est, sine interioribus motibus, vero timore Dei, vera fide faciente opus in agnitione Dei propter Deum, et fiducia Filii, sicut scriptum est: Veri adoratores adorabunt patrem in Spiritu et veritate, id est, spirituali motu et vera agnitione Dei iuxta verbum traditum. Sic et Paulus iubet offerre *λογι-*

κὴν λατρείαν Rom. 12. id est, cultum qui non tantum sit externus gestus. Sed in quo cogitatio vere intueatur et sentiantur in corde timor Dei et fides acquiescens in Deo. Externi gestus sine cogitatione interiore, sine timore et fide sunt ἄλογα opera sicut gestus pecudum, qui non reguntur cogitatione.

Haec dicta sunt ut Malachiae concio melius intelligatur, quae taxat caecam superstitionem populi et sacerdotum, qui erant sine conversione ad Deum, sine timore Dei, sine noticia Mediatoris, sine intellectu sacrificiorum, sine fide, et post ea fingebant mactationes esse cultus ex opere operato, et mereri remissionem peccatorum et alia bona, sicut Papistarum opinio est de Missa. Hanc caecicatem Prophetae saepe taxant. Post eam reprehensionem addit Malachias praedictionem de vero cultu, quem deleta politia Iudaica Deus affirmat se instauraturum esse inter gentes, atque ita consolatur nos, us sciamus aliquas reliquias Ecclesiae mansuras esse. Ideo dicit: Ab ortu Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, id est, fulgebit noticia vera Dei inter gentes.

IX. COMMENTARII IN PSALMOS

SCRIPTI PARTIM ANNO 1555., PARTIM 1553. ET 1554.

(Editi in opp. Mel. Witeb. T. II. p. 548 sqq.)

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ IN ARGUMENTA AC DISPOSITIONEM PSALMORUM.

Ad Ephesios quarto scribitur, divinitus servari ministerium doctrinae coelestis, et subinde excitari Prophetas, Pastores et Doctores, ne lux doctrinae coelestis, vera invocatio Dei et veri cultus extinguantur, et totum genus humanum ruat in tenebras, errores et aeternum exitium.

Ac series temporum Ecclesiae Dei, inde usque a primis parentibus ostendit exempla huius ingentis beneficii Dei. Subinde duces et doctores Ecclesiae excitati sunt, post Seth, Enoch, deinde Noë, Sem, Abraham, Ioseph, Moses, deinde Samuel, Samueli successerunt Nathan, David et alii. Nam illa aetas omnium florentissima fuit, et maxime ornata sapientia et victoriis. Deinde secuti sunt Elias, Helisaeus, hunc vidit Esaias, Esaiam vidit Ieremias, Ieremiam Daniel. Hi omnes fuerunt doctores, per quos Deus et testimonia edidit suae patefactionis, et doctrinam illustravit, et voluit eos legem et promissiones interpretari contra hypocritarum iudicia, ac testes esse verae interpretationis. Ita Deus in Ecclesia et suum verbum et donum interpretationis largitus est.

Quoties igitur de alicuius Prophetae scripto cogitamus, tota gubernatio Ecclesiae mente intuenda est, et considerandum quid sit vocatio prophetica, ut conciones propheticas sciamus vocem Dei esse se patefacientis generi humano, et Prophetam esse concionatorem vel gubernatorem vocatum a Deo immediate, et comprobatum certis miraculis, et testem verae interpretationis legis et promissionum divinarum de mediatore Christo.

Ac singulorum miracula testimonia sunt doctrinae ipsorum. Sic ergo audiamus Davidis conciones, tanquam vocem Dei sonantem de coelo, qua se vere et certo patefecit Ecclesiae Deus, et his concionibus confirmemus in nobis fidem et invocationem, et Deo gratias agamus pro hac patefactione et hac doctrina.

Sit ergo hoc fundamentum enarrationis, quod Psalmi vere sint doctrinae Dei, ut secundae Petri primo de Prophetis dicitur.

Deinde materias discernito. Ut universa doctrina Ecclesiae in duas partes distribuitur, videlicet legem et Evangelium, ita discernantur et Psalmi: alii magis continent doctrinam legis, id est, praecepta et adhortationes: alii magis interpretantur promissionem de Christo propriam Evangelii: alii prorsus pertinent ad genus *διδασκαλικὸν* seu demonstrativum, ut Psal.: Dixit Dominus, qui est interpretatio promissionis de Christo. Id enim praecipuum est Prophetarum officium, testes esse de venturo Messia et interpretes promissionum: alii sunt generis suasorii, ut qui concionantur de bonis operibus, aut consolantur pios in afflictionibus, aut continent petitiones, ut Psalmus 51.: Miserere mei Deus.

Haec genera discernenda sunt, ut fines Psalmorum intelligantur, hoc est, ut sciat lector, quid velit docere vel efficere Spiritus sanctus in singulis Psalmis, et mentem et cor ad illum motum accommodet qui proponitur, amplectatur fide doctrinam, expavescat lectione comminationum, sustentetur promissionib. ardenter petat, et vere expectet mitigationem calamitatum, meminerit insignia testimonia dogmatum Ecclesiae, ad alendam et confirmandam fidem, sicut Apostoli ex Psalmo 16. confirmant resurrectionem Christi. Haec distinctio in genere multum lucis adfert Psalmis, ut prudens lector facile intelliget.

Argumentum ac dispositio primi Psalmi.

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum etc.

Primus Psalmus tanquam praefatio est totius operis, et est generis demonstrativi seu didascalici: Est enim descriptio, docens quae sit vera Ecclesia Dei, quae videlicet amplectitur verbum Dei. Et haec discernitur a caeteris sectis, quae habent commentitiam doctrinam, sine verbo Dei. Amplificatur autem descriptio collatione successuum et poenarum. Haec collatio consolationem continet. In tantis aerumnis videtur Ecclesia frustra suscipere labores et pericula, sed non frustra suscipit, imo florebit ut palma, caeterae vero sectae delebuntur.

Cum autem docet quae sit vera Ecclesia, monet nos, alligatam esse ad verbum Dei, et cognitionem verbi Dei, et ministerium omnibus commendat.

Primi duo versus sunt descriptio Ecclesiae, quae est aucta antithesi. Primum enim negative recensetur, qui non sint membra Ecclesiae, postea additur affirmativa. *Et in lege Domini voluntas eius*, id est, qui hoc verbum a Deo traditum amplectitur, et non sequitur humanas opiniones de Deo, seu Ethnicas, seu Iudaicas, seu philosophicas, seu quascunque extra verbum Dei confictas.

Reliqui versus omnes continent amplificationem de successibus et fructibus verae Ecclesiae, et de exitio impiorum. Haec amplificatio consolatur pios, ut supra dixi.

Argumentum ac dispositio Psalmi II.

Quare fremuerunt Gentes, et populi meditati sunt inania? etc.

Secundus est prophetia de venturo Messia. Et quanquam in exordio et post narrationem habet insignes adfectus, obiurgationes et comminationes, tamen principalis narratio est generis demonstrativi: dicit enim, et mittendum esse Messiam, et quis sit, et ubi regnaturus sit. Et in fine additur testimonium de fide, qua beneficia Messiae accipienda sunt.

Exordium, vehemens increpatio est hostium Evangelii et comminatio. Hi adfectus ac motus conveniunt exordiis, ut ex praeceptis vulgaribus notum est. Et praecipue sunt usitati Prophetis, quorum initia magnos dolores significant, ut apud Esaiam: Audite coeli et terra. Admonentur ergo reges et principes, ne Christo adversentur, et damnantur iam omnes adversarii.

Dirumpamus vincula eorum] μιμητικῶς dicitur, et vox est impiorum, qui negant se passuros Evangelii propagationem. Deinde opponitur divina comminatio: Habitans in coelis irridebit eos.

Narratio. *Ego inungo regem meum super Zion montem sanctum.* In hoc versu affirmat Deus, certo se missurum esse Messiam, et diserte inquit: Ego inungo, ut sciamus non humanis viribus, sed mirabili modo divinitus constituendum esse hoc regnum.

Deinde addit quis sit hic rex, et quale sit hoc regnum futurum, videlicet in quo Filius Dei agnoscatur, et eius beneficia celebrentur, et quousque fines proferendi sint.

Postremo etiam addit de modo, quo beneficia huius regni consecuturi simus.

Quis sit? Hic Messias est Filius Dei: *Dominus dixit ad me, Filius es tu, ego hodie genui te.*

Quale regnum erit?

Non gubernabitur ut caetera, legibus forensibus et armis, sed regetur novo verbo de voluntate Dei placati per hunc Filium. Ideo dicit: *Praedicabo de praecepto, Filius meus es tu.* Hanc novam sententiam ait se praedicaturum esse de Filio. Et quia affirmat se praedicaturum esse, instituet ministerium Evangelii: docendum est igitur, et discendum. Et in hoc dicto cogitemus de studiis nostris: Deus adfirmat se hoc regnum praedicationis velle constituere: defendet igitur studia et doctrinam, nec sinet prorsus deleri Ecclesias, scholas, et domicilia doctrinae.

Quousque proferentur fines?

Per totum genus humanum: *Dabo tibi Gentes* haereditatem tuam etc., hic continetur doctrina de vocatione gentium.

Et nunc reges intelligite.

Adhortatio ad agnoscendum et veneraudum hunc regem: et nominatim alloquitur reges, ut sciant se quoque inferiores esse hoc Domino et hunc futurum omnium regum iudicem.

Et dulcissimum πάθος est de modo colendi huius Domini in his verbis: *Osculamini Filium.* Significatur ergo sic advenire, ut suavissime nos salutaturus sit: non veniet ut perdat genus humanum, sed ut omnes ad ipsum confugientes servet, sicut inquit: Venite ad me omnes qui laboratis. Haec vox est blanda salutatio, et dulcissimum osculum, quod offert nobis. Non ingreditur Hierosolymam Christus, ut Herodes trucidans populum, sed offerens salutem omnibus.

Et rursus ardentissimum πάθος est, in nuncupatione Filii: aeternus pater iubet ut Filium amplectamur, audiamus, osculemur, ergo et ipse diligit Filii amicos.

Deinde poenae contemnentium Filium recitantur. Et additur antithesis de praemiis eorum qui Filium audiunt, et de modo quo adplicantur Filii beneficia: *Beati omnes qui confidunt in eo.* Hic doctrina de fide et de iusticia fidei continetur. Adfirmat beatos fore homines, id est, liberos a peccato, morte, tyrannide diaboli, si confidant se propter filium a Deo recipi, et per filium defendi et servari. Hanc doctrinam non intelligebant Pharisaei et alii hypocritae, oppressi imaginationibus humanis et philosophicis de disciplina, et qui Deum dubitatione invocabant.

Sed Prophetae inculcarunt veram de fide doctrinam, et postea Christus et Apostoli. Et haec discenda est in veris exercitiis invocationis. Ac prorsus idem dicit hic Psalmus, quod Baptista inquit Iohan. 3.: Qui credit in Filium, habet vitam aeternam, qui non credit in Filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Argumentum ac dispositio
Psalmi III.

Domine quid multiplicati sunt tribulant me, multi insurgunt adversum me?

Similes sunt, in Christo et caeteris membris Ecclesiae Dei afflictiones, agones et precationes, etsi in Christo antecellunt. Et Prophetae cum sustinerent suos agones, videbant Christum similia passurum esse: ideo eadem vox est saepe in Psalmis Christi et aliorum precantium. Quia autem in hoc Psalmo haec sunt verba, *Ego sopitus sum et surrexi*, ideo accommodatur ad Christi mortem et resurrectionem, id non improbo. Nam Propheta etiam cum de suo periculo et sua liberatione precatur, tamen significat Christum similia passurum, imo docet nos propter illum Dominum liberari. Redditur nobis vita aeterna, quia Christo redditur, ut infra Psal. 15. diserte inquit: Non relinques animam meam in inferno. Adfirmat Christo reddendam esse vitam, sed simul complectitur se et omnia membra Ecclesiae. Nobis omnibus propter Christum redditur vita.

Haec regula in Psalmis observetur, ut sciamus saepe vocem Davidis, simul esse vocem Christi, et econtra vocem esse Davidis seu nostram vocem.

Est ergo hic Psalmus suasorii generis, precatio, ut liberemur in tristissimo agone, ubi videmur etiam a Deo abiecti. Nam haec vox non significat leves aerumnas: *Non est salus ei in Deo suo.* Et mixta est gratiarum actio, quae docet, quales sint liberationes divinae, scilicet longe superantes humanam potentiam.

Initium est querela: *Quam multi sunt hostes mei.*

Precatio: *Tu autem Domine susceptor meus es.*

Orditur autem petitionem ab argumento potentiae et voluntatis Dei quem invocat: intuetur personam, Deum videlicet, et eius praecepta, promissiones et exempla. Ideo te invoco unum, quia tu es scutum meum, id est, tu praecepisti te invocari, et dedisti promissiones, vis exaudire et iuvare, et toties iam declarasti ipsis factis, servasti me invocantem. Haec omnia complectitur cum significat causas cur ad ipsum confugiat. Constat autem in petitionibus praecipua argumenta sumi a facultate: Potes et vis me iuvare, et saepe iam servasti, Ad de igitur unum confugio. Haec sunt ardentia πάθη, cum in veris doloribus hac consolatione nos erigimus, videlicet cum adhuc in corde manet haec lux, nos non abiectos esse a Deo, sed vere recipi, exaudiri, et auxilium, mitigationem et liberationem, divinitus sensuros esse.

Est autem hic versus antithesis superioris particulae tristissimae: *Multi dicunt, non est salus ei in Deo suo.* Imo, inquit: non deficio a te, scio te velle invocari, et velle liberare.

Ac propter huius versiculi declarationem miscentur exempla liberationnm, quorum recitatio et gratiarum actio est, et doctrina, ostendens quomodo Deus liberet, videlicet cum prorsus humanis consiliis destituti sumus: *Ego sopitus sum et surrexi*, id est, ex media morte liberatus sum. Deinde sequitur expressa petitio: *Exurge Domine, salvum me fac.* Et tribuitur laus victoriae ipsi Deo: *Quia tu percutis hostes meos.*

Epiphonema generale, continens summam promissionum: Deus certo curat, iuvat, liberat Ecclesiam suam: *A Domino est salus.*

Argumentum ac dispositio Psalmi IV.

Cum clamo, exaudi me Deus iusticiae meae, in tribulatione qui me consolaris, Miserere mei, et exaudi orationem meam.

Plana et perspicua precatio est, et ad suasorium genus refertur, ut de precationibus dici solet. Continet autem hic Psalmus disputationem de scandalo crucis, ac refutat et obiurgat eos, qui propter calamitates et crucem existimant Ecclesiam a Deo abiectam esse, aut negligi, aut commentitiam esse totam doctrinam de Deo, quia videmus Ecclesiam aut calamitosiorem esse caeteris gentibus, aut certe nihilo tranquilliorem.

David opponit illi obiectioni duas responsiones. Prior est: Imo etiamsi exercemur horribiliter, tamen mirandis modis rursus liberamur, ut conspiciatur Dei praesentia. Altera est: Etiam corda nostra interiori consolatione confirmat, ut certo sciamus nos a Deo iuvari, et ut perferre miserias fortiter possimus, sicut Laurentius in craticula animosissime mortem perfert.

Primus versus est precatio: *Cum clamo, exaudi me.*

Secundus est apostrophe ad omnes, qui offensi specie crucis, existimant Deo non esse curae Ecclesiam invocantem ipsum: *O vos superbi, quare gloriam meam*, id est, meas aerumnas, ducitis esse probrum: quare diligitis vanitatem, id est, bona fallacia, fugacia, non durabilia, voluptates, vitam, opes.

Tertius versus opponit responsionem primam: *Imo Deus me mirandis modis liberabit.*

Quartus versus adhortatio est ad imbecilles et sanabiles, ut perferant miserias, nec deficiant propter crucem. *Si movemini propter* furores hostium, reprimite vos, nec peccate, vel deficientes a Deo, vel quaerentes inconcessa praesidia, vel ruentes inordinata cupiditate vindictae: sicut multi victi dolore et deficiunt a Deo, et quaerunt inconcessa praesidia, ut Saul, Achas et Graeci imperatores, qui attraxerunt Turcas.

Expositio proximi versiculi, *Cogitate*, quid nam? *Sperate in Domino, et sacrificate sacrificium iustum.* Nam haec pars expositive additur.

Sextus versus est repetitio querelae infirmorum: *Multi dicunt, quis ostendet nobis bona?* id est, multi metuunt fore ut deserti pereant et prorsus deleatur Ecclesia. Huic quaerelae precationem et alteram responsionem opponit. *Imo levatu lumen super nos*, id est, consolatione tua nos sustenta.

Septimus versus recitat alteram consolationem: *Das laetitiam in corde meo*, id est, tu nos interiore luce et consolatione confirmas.

Antithesis, *Illi habent opes et potentiam*, quae magis quaerunt, quam gloriam Dei. Non offendat hac ipsorum beatitudine, ut propterea ipsis adsentiar. Nos econtra fruamur hac beatitudine, quod tu es protector noster, et defendes et liberabis nos.

Argumentum ac dispositio Psalmi V.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum etc.

Titulus indicat argumentum. Orat enim David pro haereditatibus, id est, pro Ecclesia: nec dubia est sententia huius Psalmi. Totus enim precatio est, plena doloris et indignationis adversus impios doctores, qui cum autoritate, ordinaria successione, (ut vocat) potentia, titulis, opibus, antecellant misero coetui recte docenti, multorum animos movent, ut errores adprobent, stabiliant et defendant.

Adversus hos necesse est et doctrina et invocatione Dei muniri pios. Ideo ardenter orat David et Ecclesia statim initio, ut regatur et defendatur contra impostores. Haec propositio repetitur initio in tribus versibus.

In quarto sequitur ratio petitionis, quia Deus vere sit verax, bonus, iustus, volens tantum

vera, bona, iusta, et vere nolens mendacia, et omnia dicta et facta pugnantia cum sua voluntate et verbo. Ac sumitur ex hoc loco vera et necessaria doctrina, quae adfirmat Deum non esse causam peccati, nec velle nec adprobare peccatum.

Hoc loco et testimonia Iohannis 8. et alibi tradita cogitanda sunt, ut vere statuamus, Deum nolle et damnare peccata, et serio expavescamus metu irae Dei, et fugiamus omnia quae pugnant cum verbo Dei.

In sexto versu recitata antea ratione, petit deleri perniciosos doctores: *Perdes*, inquit, *loquentes mendacium.*

Deinde in octavo versu antithesis additur, petit ut Deus regat doctores et Ecclesiam vera doctrina et veris ac piis consiliis.

In nono versu illustris descriptio est perniciosorum doctorum, ubi dicit blandiri hominum iudiciis impias opiniones, sed tamen esse pestes exitiales iis qui decipiuntur, ut Caiphae ratio humano iudicio non poterat statuere, hunc Iesum crucifixum, esse Filium Dei et Messiam, et tamen error Caiphae, ipsi et aliis exitio fuit.

In fine repetuntur precationes, quibus petit ut impii doctores et gubernatores reprimantur, et econtra defendantur pii et salutares doctores et gubernatores.

Ultimus versiculus est promissio, quae consolatur pios, ne fracti desperatione abiiciant professionem et functionem verae doctrinae propagandae: ac testatur iuvari pios, nec posse prorsus deleri ab impiis. In dulcissima figura utitur: *Sicut scuto, favore tuo coronas nos.*

Argumentum ac dispositio
Psalmi VI.

Domine, ne in furore tuo arguas me, etc.

Petitio est plena tristissimorum et horribilium adfectuum, quos homines ebrii voluptatibus, aut qui habent animos occupatos curis opum aut ambitionis, non intelligunt. Sed Adam videns necem filii, David pulsus in exilium, Ezechias clamans: Sicut leo contrivit omnia ossa mea, Ieremias videns excidium patriae, Christus sudans sanguinem, hos affectus intellexerunt. Cum enim agnoscunt animi iram Dei, et se subiiciunt poenis, aut se valde supra vires premi sentiunt, aut metuunt aeternam reiectionem, petunt his verbis mitigationem: *Domine ne in furore tuo arguas me*, id est, ne totam iram effundas, ne me in aeternum interitum abiicias, ne propter me vagetur poena per familiam totam et gentes totas, ut Saul abiicitur in aeternum exitium: et Davidis poena vagatur per familiam et universam gentem, et horribiliter cumulantur scelera et exitia.

Saepe autem repetunt hanc precationem Prophetae. Ut Ieremias inquit cap. 10.: Corripe me Domine, non in furore tuo, ne in nihilum redigas me, effunde indignationem tuam super gentes, quae te non noverunt. Et Abacuc 3.: Cum irasceris, misericordiae tuae recorderis. Et Esaiae 64.: Et nunc Domine Pater noster es tu, nos vero lutum, et opera manum tuarum omnes nos, ne irasceris Domine valde. Ita Prophetae subiiciunt quidem se poenis, sed petunt mitigationem et deprecantur aeternum interitum, et suorum πανολεθρίαν.

Ac repetita est precatio in quatuor versibus haec repetitio, utcunque magnitudinem doloris significat.

Ratio autem hic et alias in Prophetis additur, propter quam mitigatio petitur, scilicet, quia Deus est misericors, imo et promisit mitigationem poenarum, ut Oseae 11. dicitur: Quomodo dabo te Ephraim? An sicut Adama ponam te? Imo conversum est in me cor meum, exarsit commiseratio mea. Non faciam furorem irae meae, Non perdam Ephraim, quia Deus ego sum, et non homo, In medio tui sanctus, id est, patefeci me vobis, tradidi vobis verbum meum, propter id inter vos habito, nec penitus vos dolebo. Et Ioel 2.: Misericors est Dominus, et poenitet eum mali, id est, mitigat poenam.

Altera ratio est, ne penitus extinguatur noticia Dei, et laus misericordiae et bonitatis eius. *Non est in morte qui memor sit tui, in inferno quis confitebitur tibi.* Mitiga poenas et serva me, ut noticia tua propagetur: item ut agam tibi gratias, celebrem tuum beneficium et tuam misericordiam. Ita propter gloriam Dei liberationem petimus. Sicut precatur Iosue in summo periculo: Quid facies magno nomini tuo. Et in Psalmo dicitur: Non mortui laudabunt te Domine. Nec ministerium in hac vita, nec Ecclesia in aeternum celebratura Deum esset, si Deus non mitigaret iram, ut et in hac vita sint doctores, et postea coetus in aeterna vita Deum celebrans: et

passim similes precationes in lectione prophetica sunt obviae.

Versu sexto et septimo repetitur querela de magnitudine doloris.

Versu octavo et deinceps describitur consolatio. Haec pars iam est gratiarum actio, et nobis doctrinam proponit. Ideo enim recitatur consolatio, ut sciamus Deum vere exaudire preces Ecclesiae et membrorum Ecclesiae. Ac ad nos restringenda est promissio. Nam David ut membrum Ecclesiae compellat hunc unum verum Deum, qui se in hoc populo patefecerat, et dederat promissionem misericordiae. In hanc promissionem intuens, petit beneficium, et hunc Deum alloquitur, qui promissionem certis testimoniis tradiderat. Quare et nomine peculiari יְהֹוָה eum compellat, quo seiungebatur invocatio in hac vera Dei Ecclesia, ab ethnica invocatione. Ipsum autem exemplum liberationis Davidis testimonium est promissionis. Ideo in nostris periculis et aerumnis legamus haec exempla, et credamus nos quoque exaudiri et impetrare mitigationem poenarum et liberationem. Et invocantes vero gemitu et hac fide, haud dubie sentient levationem, sicut alio loco dicit Psalmus: Prope est *Dominus* omnibus invocantibus eum in veritate.

Inseritur et gratulatio, qua triumphat adversus hostes: Vos, inquit, hostes Ecclesiae Dei gloriabamini in mea calamitate, et insultabatis nobis ac laeti vociferabamini nos a Deo reiectos esse, ut Semei insultabat Davidi, At nunc econtra agnoscite vestrum errorem, scitote nos vere exaudiri a Deo, Non sitis Epicurei, Non sitis hostes verbi Dei: tandem vos Deus puniet et pudefaciet. Hac propria et nativa Psalmi sententia considerata, sciamus eam precationem esse communem, quam omnes in magnis periculis et aerumnis corde et ore recitent, et ex qua consolationem petere debent, cum ibi testimonium promissionis, videlicet liberatio Davidis proponatur. Pertinent autem petitiones ad genus suasorium. Ad idem genus pertinet et exemplum liberationis, quia tanquam consolatio proponitur. Sed gratiarum actio pertinet ad genus demonstrativum, narrat enim non casu factam esse liberationem, sed a Deo et huius misericordiam celebrat.

Argumentum ac dispositio
Psalmi VII.

Domine Deus meus in te speravi, salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me, etc.

Titulus est ignorantia David, quam cecinit Domino de verbis Cus, filii Iemini. Etsi autem variae sunt interpretationes, tamen simplicissimam hanc esse iudico. Ignorantiam vocat professionem innocentiae, seu non agnoscentis conscientiae obiecta crimina, quod invaserit regnum, et privata cupiditate grassatus sit adversus Saulem. Nos disceremus, inficiatio David, seu innocentia David. Ipse verecundius, gravius et significantius inquit, Ignorantia, quasi dicat, non agnosco obiecta crimina: nec multum interest, utrum Sauli et Semei criminanti oppositum dicas hunc Psalmum, sed tamen magis consentanea est oratio eorum, qui hanc ardentem precationem compositam existimant adversus calumnias Semei. Hunc vocat Cus, id est, Aethiopem, id est, atrum et hostem Israëlitarum, id est, verae Ecclesiae. Ut si quis impium Eccium vocasset atrum, et hostem verae Ecclesiae. Exemplum autem transferri ad omnes similes casus potest. Semper impii deformare Ecclesiam et pios doctores atrocibus calumniis student, semper obiiciunt piis doctoribus crimen haereses, seditionum, ambitionis, et aliorum multorum furorum. Adversus has calumnias recitemus hunc Psalmum, qui duplicem responsionem continet, inficiationem, et petitionem liberationis, et huic ratio gravissima additur, videlicet ne opprimatur vera doctrina, ne impii potiantur ministerio.

In hanc sententiam inquit: ***Exuscita ad me iudicium***, id est, gubernationem quam mandasti, id est: Quia tu mihi ministerium commendasti, restitue id mihi, ut populus recte et pie doceatur ac regatur. Ita et nos haec duo opponamus calumniis, inficiationem falsorum criminum, et petitionem liberationis. Nam iusticia bonae conscientiae retinenda est, ut Petrus ait: Patiendum nobis esse, sed non ut vere reis furtorum aut homicidiorum. Et professio bonae conscientiae necessaria est coram hominibus.

Sed hic quaestio agitatur, cum David in iudicio Dei citet testimonium conscientiae suae, an probanda sit fiducia bonae conscientiae. Fa-

cilis explicatio est sententiam Pauli consideranti: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Alia est iusticia personae, qua persona tota coram Deo gratis reputatur iusta. Haec imputatio tantum fide accipitur, nec opponuntur nostrae virtutes aut beneficia. Cum autem hac iusticia personae donati simus, necesse est adesse et alteram iusticiam bonae conscientiae, seu operum: non indulgeamus ulli cupiditati contra conscientiam. Et haec iusticia bonae conscientiae placet Deo in reconciliatis, sicut Paulus inquit: Gloriatio nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae. Et Rom. 14.: Qui in his seruit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus. Et professio huius iusticiae coram hominibus in causis, ubi aliorum conscientiae periclitarentur re dissimulata, necessaria est, iuxta illud: Non dicas falsum testimonium. Si David confessus esset se fuisse seditiosum, perturbasset conscientias eorum, qui fuerunt ministri consiliorum Davidis. Ac maxime in causa doctrinae asseveratio necessaria est, quod res veras et necessarias, bona conscientia doceamus.

Prorsus igitur, ut David adversus suos calumniatores precatur, et profitetur iusticiam suae conscientiae seu causae, ita nos iisdem verbis et simili affectu cordis precemur, ut Deus reprimat nostros sycophantas, et profiteamur iusticiam causae nostrae. Reprimat autem Deus sycophantas, ne deleatur ministerium Evangelii: sed synagoga populorum circundet Deum, id est, Ecclesia reducatur ad Deum.

Nunc facile est videre sententias et ordinem Psalmi, considerata hac argumenti expositione et applicatione ad nostra pericula. Ut David titulum fecit ignorantia, id est, inficiatio calumniae: ita nos inscribamus nobis hunc titulum, depulsio calumniae, videlicet per inficiationem, et per precationem, qua Deum oremus, ut ipse nos a sycophantis liberet, ne ministerium Evangelii deleatur.

Primus versus petitio est liberationis. Observa autem compellari propria adpellatione verum Deum, patefactum in hoc populo. Hac compellatione complectitur promissiones, et testatur se alloqui verum Deum, qui se patefecit et tradidit promissiones. Ideo dicit, te invoco יְהוָה, quem profiteor vere esse Deum meum: profiteor Aegyptiorum et Syrorum, et aliorum impiorum commentitia numina, non esse deos: sed te revera esse Deum, qui te in Israël patefecisti, et verbum tuum nobis tradidisti.

Tertius versus continet inficiationem, qua iurat et Deum testem facit, se non esse reum eorum criminum, quae Semei obiicit. Non rapui regnum, non grassatus sum privata cupiditate adversus Saulem et eius posteritatem. Ita et nos profiteri causam iustam debemus. Haec professio propter homines necessaria est, et placet Deo (ut dictum est) in reconciliatis.

Sexto versu repetit precationem, et addit causam: *Exurge Domine, restitue mihi iudicium*, id est, gubernationem quam mandasti, restitue mihi regnum, ne dominentur impii oppressuri veram doctrinam, sed reducatur ad te synagoga populorum, propter hanc tuam Ecclesiam revertere tu ad nos, et reducito me.

In versu octavo provocat ad iudicium Dei, quod non de persona, sed de causa intelligatur. Semper Ecclesiae causa iniquis iudiciis maximae multitudinis damnatur. Sed Deus tandem suis testimoniis ostendit causam Ecclesiae veram esse: *Iudica me Domine secundum iusticiam meam*, non personae sed causae, de hac loquitur: et perspicuum est discrimen, consideranti ea quae supra dicta sunt.

Reliqui versus repetunt precationem, et hortantur impios ad poenitentiam, et praedicunt eis certum exitium, si non resipiscant.

Ultimus versus est gratiarum actio pro liberatione.

Totum autem Psalmum meminerimus nobis propositum esse exempli causa. Difficile est sapientibus sustinere calumnias. Docet igitur Psalmus quid agendum sit, et unde petenda et expectanda defensio, cum mundi iudicia sint iniusta. Docet tuendam esse iusticiam bonae conscientiae, et a Deo petendam et expectandam defensionem ac liberationem. Et exemplo suo testatur David, Deum revera refutare calumnias et sycophantias, sicut reductus est David, et punitus Semei. Hac doctrina confirmati et nos iam petamus et expectemus a Deo defensionem et liberationem adversus virulentos sycophantas, qui nobis crimen haereseos, seditionum, ambitionum, et alia multa falso obiiciunt.

Utilis doctrina et dulcis consolatio est hic Psalmus bonae menti, quae iniustis odiis, falsis suspicionibus et ementitis calumniis, ut saepe fit, oppugnatur.

Argumentum ac dispositio Psalmi VIII.

Domine Deus noster quam admirabile est nomen tuum etc.

Gratiarum actio est, et vaticinium de liberatione et gloria aeterna Ecclesiae, collectae ex toto genere humano. Et est opponendus hic Psalmus huic dicto: Optimum non nasci, aut quam celerrime extingui, quod dictum verum esset, si homo tantum ad hanc aerumnosam vitam mortalem conditus esset. Longe enim tristiora aut atrociora mala accidunt homini, quam ullis aliis animalibus. Sed ideo melius est nasci homines, quia Deus se generi humano multis et magnis ac illustribus testimoniis patefecit, et per homines vult celebrari, et vult eos aeterna gloria ornare: pro his beneficiis gratias agit, et simul de illa ingenti gloria vaticinatur. Nunc enim in hac vita etsi fide cernitur et incoatur, tamen nondum oculis conspicitur, cum haeredes vitae aeternae a tyrannis trucidantur multo crudelius, quam ullae bestiae.

Cum baptista ab Herode, aut Paulus a Nerone interficitur, nequaquam iudicant spectatores baptistam aut Paulum gloria et decore ornatum esse, et omnia pedibus eorum subiecta esse: sed iudicant hos miseriores esse leonibus, qui in circo spectabantur. Cum igitur liberatio Ecclesiae nondum conspiciatur, passim vaticiniis promissa est, ita et in hoc Psalmo praedicitur et promittitur.

Et collatio fit utriusque membri, nostrae miseriae et liberationis.

Descriptio miseriae haec est: *Quid est homo quod memor es eius, et filius hominis quod visitas eum?* id est, cum homo sit creatura aerumnosa, peccato et morti obnoxia, immensa bonitas est, quod tamen recepit nos Deus, et abolito peccato et morte, restituit nobis iusticiam et vitam aeternam.

Sivisti eum aliquantisper carere Deo. Adam post lapsum oppressus peccato et morte, caret Deo, sed aliquantisper, id est, non relinquitur in morte et sine Deo, sed rursus erigitur propter promissum semen, et ornatur gloria, id est, abolito peccato et morte, restituuntur iusticia et vita aeterna. Haec est illa liberatio, quae hic describitur. Estque Psalmus ex ipsa promissione sumtus, quae Adae et Abrahae tradita est. Hanc interpretatur, et docet colligi Ecclesiam, cui redditur amissa gloria.

Et quanquam Psalmum in genere de tota Ecclesia intelligo, tamen non displicet mihi interpretatio eorum, qui ad caput Christum accommodant eum. Nam et Christus paulisper caret gloria, factus pro nobis maledictum. Postea vero rursus ornatur gloria, et propter eum redduntur Ecclesiae iusticia et vita aeterna.

Primus versus est propositio gratiarum actionis et vaticinii: Ago tibi gratias Deo quod te patefecisti generi humano in tota terra, ubi simul praedicitur Ecclesiam colligendam esse ex toto genere humano.

Secundus versus dicit de modo colligendae Ecclesiae: Non humanis viribus aut consiliis, aut armis, hoc regnum constituetur, sed praedicatione Evangelii, sonantis per agmen imbecille, per quod Deus erit efficax.

Tertius versus dicit de effectu novi illius regni: *Videbo coelos tuos*, id est, aeternum regnum constituetur, coelos aeternos videbimus, in quibus fruemur consuetudine Dei, nec erimus obnoxii morti et peccato, ut nunc sumus.

Quartus versus et quintus continent collationem praesentis miseriae et liberationis: ac praedicitur Ecclesiam et caput Christum aliquantisper fore sine gloria. Sed tamen recepturos esse gloriam promissam et benedictionem, sicut docet promissio facta Abrahae: et haec liberatio hic praedicitur ac celebratur.

Reliqui versus sunt descriptio beneficiorum, quae sequuntur liberationem, seu descriptio gloriae et domini Christi et Ecclesiae. Christus exaltatus est super omnes creaturas, doctor est vitae aeternae, et depulsor mortis, depulsor omnium tyrannorum: ita Ecclesia habebit iusticiam, et aeternam vitam ac pacem. Non diabolus, non tyranni, non imperia, non bestiae ullae nocere amplius Ecclesiae potuerunt, sed ipsa in perpetua laetitia celebrabit Deum. Pro hac liberatione, inquit ultimus versus, agimus tibi Deus Iehova gratias, et hoc ingens et inenarrabile beneficium celebrabit semper universa Ecclesia.

Argumentum ac dispositio Psalmi IX.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.

Generalis gratiarum actio est pro deletis hostibus, et adplicatio exempli ad reliquam Eccle-

siam, cui hoc exemplum proponit, ut nos ad eundem modum in nostris aerumnis petamus a Deo, et expectemus liberationem. Ideoque miscentur generales promissiones: *Sperent in te omnes qui nomen tuum norunt, quia non relinques quaerentes te.*

Utrumque igitur ex hoc Psalmo et similibus discamus, videlicet gratiarum actionem, id est, confessionem animi vere statuentis, quod non casu, non humanis viribus, sed Dei auxilio adiuti et servati simus, quod Deus vere sit efficax, non sit inane vocabulum, non sit ociosus, non sit alligatus causis secundis, sed vere nos respiciat, nos exaudiat, adsit, opituletur, etiam cum destituimur a causis secundis. Sic vult agnosci Deus, hanc laudem vult sibi tribui. Verum natura hominum caeca, plerunque aut casu aut humana ope arbitratur liberationes sibi contigisse. Adversus hanc caecitatem testimonia divina ex Prophetis undique colligenda sunt, quae adfirmant a Deo regi, et servari Ecclesiam, sicut Psalmi alias dicunt: Vana salus hominis.

Deinde et promissionem auxilii infigamus animis, et promissioni exempla addamus, tum Davidis recitata in Psalmis, tum vero alia, ut Abrahae, et reliquorum. His promissionibus et exemplis accendantur fides et invocatio. Hi sunt, ut saepe dicitur, praecipui cultus Dei.

Est igitur hic Psalmus demonstrativi generis, quia est gratiarum actio, et finis primus est, ut Deo gloria tribuatur. Sed accedunt alii fines, ut monstrata hac Dei bonitate omnes alii invitentur, ut agnoscant Deum, credant ei, obediant ei, invocent eum et celebrent. Ideo interseruntur et promissiones, quae cum hortentur pios ad fidem et invocationem, tales adhortationes pertinent ad suasorium genus. Haec adplicatio ad nostrum usum diligenter consideretur. Nam propter nos haec scripta sunt, ut Paulus inquit Rom. 15.

Argumentum ac dispositio
Psalmi X.

Ut quid Domine recessisti longe, occultas te in tempore tribulationis, etc.

Psalmus decimus est suasorii generis. Est enim petitio defensionis adversus tyrannos, Epicureos et hypocritas, et eorum socios, qui conantur delere Ecclesiam Dei, et verae Ecclesiae membra: et non solum manifesta vi grassantur, sed etiam astutissime insidiantur eis, et varias fraudes serunt. Ut Saul vi et dolis Davidem oppugnabat. Hypocritae, pontifices, vim et fraudes exercebant adversus Ieremiam. Et nunc hostes verae doctrinae intenti sunt in occasiones omnes nocendi iis, qui recte docent: ubi possunt manifesta vi grassari, multos interficiunt: ubi violentiam exercere non possunt, serunt calumnias, ut alienent voluntates hominum a recte docentibus, et inflamment principum odia. Interim Epicurei illi, inimici verae Ecclesiae, iactant se paci publicae consulere, et rident stoliditatem recte docentium, quod pericula sibi accersunt. Tales multi sunt in aulis regum et pontificum, ut in Anglia Wintoniensis, in Gallia Constabilis, et alibi alii, quorum aliquos si intueamur planior erit hic Psalmus.

Initio autem continet querelam, ut omnes tristi gemitu, praesertim in calamitate, et invocamus Deum, et dolemus quasi negligi, non solum nos, sed gloriam Dei. Triumphant impii quasi nihil sit Deus, aut nulla sit providentia, et omnes religiones sint commentitiae. Hic zelus pro gloria Dei magis auget dolorem bonae mentis, quam lacerationes corporum.

Deinde sequitur longa hypotyposis, et imago tyrannicarum conspirationum, insidiarum, fraudum, violentiae, et Epicureae securitatis.

Versu duodecimo iam expresse ponitur petitio: *Exurge Domine, ne obliviscaris pauperum.*

Versu decimotertio et deinceps ponitur ratio petitionis haec: Iuva nos ut tuam gloriam asseras, ut refutes Epicureos, qui nunc cum non ostendis tuam iram adversus eos, putant inanem fabulam esse nomen Dei et totam Ecclesiae doctrinam. Ut igitur poena convicti, fateantur veram esse Ecclesiae doctrinam, et vere esse providentiam, punias eos manifestis exemplis, et defendas ac liberes Ecclesiam.

Hoc argumento in multis Psalmis utitur: petenda est enim defensio praecipue propter gloriam Dei. Psal. 79. dicitur: Cur dicent gentes, ubi est Deus eorum? Et Esa. 48. dicitur: Propter nomen meum removebo furorem meum. Item: Propter me faciam, ut non blasphemer. Sic et Ezechias precatur adversus Sennacherib 4. Reg. 19. Sic et nos hoc tempore oremus Deum,

ut reprimat Turcas et alios hostes Evangelii, praecipue ob hanc causam, ut blasphemiae refutentur, et omnes agnoscant hunc vere Deum esse, quem Ecclesia Christi invocat, et ad eum convertantur et Evangelium amplectantur.

Adduntur rationi petitionis promissiones, quae opponuntur Epicureis iudiciis, et adfirmant Deum iudicaturum esse, puniturum impios, et servaturum et liberaturum pios, etiamsi aliquantisper videntur deserti et orphani. Verba promissionis haec sunt: *Tibi pauper relinquitur, orphano tu es adiutor.* Tu vere exaudis gemitus et desideria adflictorum in Ecclesia tua.

In fine repetita est ratio, seu αἰτιολογία: Ne amplius homo sit tyrannus in terra, seu contritor iustorum, seu formidabilis iustis, id est, ne ausint homines, ut gigantes, ut Pharao, Rapsaces, Antiochus et similes, coelo bellum inferre, et Ecclesiam conculcare: punito blasphemos, ut omnes homines fateri cogantur, veram esse doctrinam, quae in Ecclesia Christi de Deo traditur.

Argumentum ac dispositio
Psalmi XI.

In Domino confido, quomodo dicitis animae meae, transmigra in montem sicut passer? etc.

Consolatio est, pertinens ad genus suasorium, recitantur enim querela, iniuriae et furores adversariorum. Et opponuntur promissiones, quae defensionem piis pollicentur, et minitantur poenas impiis. Hae antitheses considerentur in his versiculis: *Oculi eius in pauperem respiciunt. Pluet super peccatores laqueos.*

Sed exordium ipsum docet nos, ne satis esse putemus, quod promissiones audimus, sed oportet eas fide accipi. Addi fidem et invocationem necesse est, qua mens vere statuat nos exaudiri, respici, regi, iuvari et defendi. Nam haec fides est agnitio intuens Deum, et facit ut nostri labores et aerumnae fiant cultus Dei, et λογικὴ λατρεία. Miseriae ipsae sine fide et invocatione non sunt cultus Dei. Quare diligenter initium Psalmi consideremus, et discamus exemplum nobis esse propositum, sicut ipse inquit: *In Domine confido*, sic nos singuli excitemus fiduciam et cogitatione promissionum, et vera fide Deum invocemus, et nos sustentemus adversus diaboli et mundi insidias et terrores.

Argumentum ac dispositio
Psalmi XII.

Salvum fac Domine, quoniam defecit sanctus, etc.

Querela est corruptelis doctrinae, et precatio, ut Deus repressis imposteribus et adulatoribus restituat doctrinae puritatem, gubernet et servet recte sentientes: et miscet πάθος, Verbum Dei fieri notius in confessione, cum impii oppugnant, et conspici gloriam Dei, quae vincit, nec sinit extingui veritatem, sed deletis erroribus opitulatur veritati, ac perficit ut Ecclesia vera, quae profitetur et amplectitur Evangelium, retineat veram sententiam ad omnem aeternitatem. Sic deletis Ebionitis, Arrianis, Manichaeis, vicit vera sententia tantum Dei ope, sicut hic Psalmus docet nos petere: *Tu Domine custodies eos*: estque saepe recitandus, cum petimus, ut Deus impios doctores compescat, et verae doctrinae lucem accendat ac servet.

Argumentum ac dispositio
Psalmi XIII.

Usquequo Domine oblivisceris mei in perpetuum? Usquequo abscondis facilem tuam a me? etc.

Precatio est generis suasorii, quales plurimae sunt precationes in hoc toto opere: nec sunt obscurae sententiae, praesertim si ad usum transferantur. Si nos ipsos intuebimur, et nostra pericula considerabimus, agnoscemus similes esse gemitus omnium piorum et similia vota.

Exordium est querela valde tristis, qua deplorat differri auxilium et liberationem. Sicut omnes experimur in magno dolore et veris aerumnis, languefieri animos mora, cum non statim opitulatur Deus.

De hac mora saepe concionantur Prophetae, et iubent eam perferri, ut Abacuc 2. cap.: Si moram faciet, expecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit. Huc pertinet et parabola de vidua saepe interpellante iudicem, Lucae capite decimo octavo.

Querelam sequitur precatio: *Respice, exaudi me, illumina oculos meos*, da lucem oculis, id est, redde vitam et laeticiam.

Sequitur *αἰτιολογία*. Gloriae tuae interest me servari. Ego quidem paratus sum animo ad tolerandas poenas, sed tu propter gloriam tuam libera me, ne Epicurei clamitent, nihil esse Deum, neve idolorum cultores glorientur, sua commentitia numina potentiora esse, quam tu. Haec *αἰτιολογία* saepe in Psalmis repetitur, ut alibi: Ne dicant, ubi est Deus eorum.

In fine additur adplicatio de fide et spe, ut supra dictum est. Non satis est hanc sententiam in genere tenere, quod Deus exaudiat Ecclesiam, sed oportet nos fide amplecti promissiones, et eas ad nos accommodare. Include te quoque in numerum eorum, quos Deus alloquitur, et quibus tradidit promissiones, et te exaudiri, defendi et servari statuito. Hoc cum fit, sequitur liberatio, et liberationem sequatur gratiarum actio, et hoc exemplum declarat: *Exultabit cor meum*, propter liberationem, et: *Cantabo Domino*, id est, agam gratias, celebrabo eum, propagabo doctrinam.

Ero testis, *quod retribuat*, id est, exaudiat, iuvet, opem ferat, non deserat adflictos, sed pro calamitate retribuat liberationem. Sic enim phrasis saepe intelligenda est, cum verbo retributionis utitur.

Argumentum ac dispositio Psalmi XIIII.

Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus, etc.

Psalmus est *διδασκαλικὸς*, tria membra continens. Primum est concio poenitentiae, qua arguit omnes homines, et docet reos esse omnes secundum hanc naturae pravitatem. Sic et Paulus citavit hanc concionem, et diserte addit: Causati sumus omnes sub peccato esse. Item: Ut omne os obturetur, et reus fiat totus mundus Deo. Et alii manifestis sceleribus polluti sunt, quae iudicare ratio potest: alii vero, etiamsi non habent manifesta scelera, tamen secum circumferunt in mente dubitationes, in voluntate et corde securitatem et contentum iudicii divini, amorem sui, tyrannicas cupiditates, ambitionem, studium premendi imbecilliores, fiduciam suae potentiae, odium verae doctrinae, et alios vitiosos adfectus.

Accusat igitur, ut dixi, omnes homines, sed tamen discernit ab impiis veram Ecclesiam Dei. Impii furenter delectantur vel manifestis sceleribus, vel interiore pravitate, quam hypocritae excusant, nec agnoscunt esse peccatum. Et huic parti damnationem denunciat Psalmus. At pii agnoscunt suam immunditiem, et invocant Deum, et petunt remissionem, hos consolatur Psalmus.

Est igitur secundum membrum Psalmi distinctio impiorum ab Ecclesia, incoata in versu 4.: *Non agnoscunt qui operantur iniquitatem, devorant populum meum, et Dominum non invocant*, q. d. Etsi in omnibus est immundities, tamen aliqui perseverantes in peccatis, nolunt agnoscere peccata, nec invocant Deum, imo aut negant esse Deum, aut fremunt adversus eum, oderunt eius doctrinam, et sibi regna et tyrannides constituunt, et pie docentes delere cupiunt. Sed est alius coetus agnoscens peccata sua, invocans Deum, in hoc coetu esse Deum inquit, et fiduciam huius coetus ait esse Deum.

Haec distinctio in Psalmo observanda est, ut consolatio piis proponatur, qui expavescunt audita universali accusatione. Etsi est in omnibus peccatum, tamen differunt invocantes Deum, ab insipiente, qui dicit: *Non est Deus.* Hic coetus insipiens, perseverans videlicet in hac impietate, damnatur. Et de eo principium Psalmi intelligatur: *Dixit insipiens*, id est, impius coetus perseverans in contemtu Dei.

Deinde attexitur universalis accusatio. Sed in versu quarto rursus discernuntur pii ab impiis, et piis proponuntur dulcissimae et amplissimae consolationes. Quid enim maius bonum est, quam quod hic describitur? *Deus est in generatione iusta*, id est, in coetu iusto: adfirmat Ecclesiam esse domicilium Dei, regi, defendi, et servari a Deo. Haec sunt summa bona. Idem docet cum ait: *Dominus fiducia eius est.*

Tertium membrum concionatur de futura liberatione, et de venturo regno, quasi dicat: Etiamsi nunc Ecclesia oppressa est ingentibus aerumnis maxima pars generis humani ignara Dei contemnit et conculcat Ecclesiam, grassantur adversus eam tyranni et impii doctores ac haeretici. Denique non est alius coetus in mundo aerumnosior, quam Ecclesia: tamen liberabitur et regnabit gloriose, tunc cum ex Zion dabitur salvator,

id est, cum veniet Messias, et suum regnum incoabit, et gloria ornabit, quod coepit Christus facere in resurrectione sua, et perficiet in universali resurrectione.

Argumentum ac dispositio

Psalmi XV.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? etc.

Psalmus παραινετικὸς est, qui continet doctrinam de bonis operibus, ac praecipit quae opera in Ecclesia facienda sint, quae placeant Deo, quae uon placeant. Ac simul docet, quae sint vera et vita Ecclesiae membra, quae non sint. Multi propter circumcisionem et sacrificia vocabant se membra populi Dei, cum essent polluti impiis opinionibus, et delictis contra conscientiam. Ut nunc multi se vocant Christianos et membra Ecclesiae tantum propter ceremonias. Hanc falsam persuasionem, et hic Psalmus, et alii multi Psalmi, et multa dicta Prophetarum taxant. Ut Psal. 50.: Non de sacrificiis arguam te. Et Esaias capite 58. Et Micheas cap. 6. Et Zach. cap. 7.

Cum autem brevis Psalmus sit, tantum nuda praecepta recitans, ex aliis locis doctrina petenda est, quae concionatur de lege, quomodo, cum legi nemo satisfaciat, placeat tamen incoata obedientia: et quae peccata maneant in renatis in hac vita, et quae excutiant gratiam et Spiritum sanctum.

Scias autem totum Psalmum unam perpetuam propositionem seu narrationem esse. Hi sunt membra Ecclesiae Deo placentia non peritura, qui vera fide Deum invocant, et qui propter Deum diligunt proximum.

Versus secundus loquitur de operibus primae tabulae: *Ingrediens immaculate, et faciens iusticiam et loquens veritatem in corde suo.* Haec sunt opposita idolorum cultui et falsis opinionibus de Deo. Estque phrasis sumta ex Gen. cap. 17.: Ambula coram me, et sis immaculatus, quod Hebraeis תמים incorruptus, non morbidus. Nec significat perfectum, ut latine dicimus cumulatum seu consummatum, quod habet omnes partes, et omnium partium summos gradus. Nec significat immaculatum, ut multi intelligunt, in cuius moribus prorsus nihil sit vitii: sed ut de hostiis dicimus non morbidam pecudem nec mutilatam, ita hic dicimus incorruptum, non contaminatum cultu idolorum, aut falsis aut fanaticis opinionibus de Deo.

Sic et Psalmus loquitur: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, id est, incorrupti, non contaminati idolorum cultu et falsis opinionibus de Deo. Primum igitur flagitat, ut vera et incorrupta fide sincerum verbum Dei audiamus et amplectamur. Idem volunt verba haec: *Loquens veritatem in corde suo.* Prohibet enim praecipue mendacia doctrinae tum amplecti, tum stabilire approbando, vel dissimulando, ac praecipit ut veram doctrinam scilicet traditam a Deo amplectamur, et iuxta eam de Deo sentiamus, eum invocemus, et ei obtemperemus. Ideo additur huic membro: *Faciens iusticiam*, quod antithesi addita erit illustrius.

Est igitur faciens iusticiam, non fingens cultus aut opera per sese: non faciens cultus aut opera non tradita a Deo, sed faciens iusticiam, id est, cultus et opera a Deo tradita. Iusticiam vocat non Eleusinia, aut Bacchanalia, aut Monachatus, aut opera ab hominibus excogitata sine mandato Dei, sed tantum cultus et opera certo verbo Dei tradita.

Haec est simplex declaratio secundi versus, quae ostendit in eo versu recitari doctrinam primae tabulae.

Reliqui versus continent praecepta secundae tabulae, quae minus obscura sunt, quam doctrina primi praecepti. Ut constat parricidium Cain magis cerni et facilius iudicari posse, quam contemtum Dei et falsam opinionem de Deo, quae in corde eius erat. Sed mediocriter eruditi in doctrina verae Ecclesiae, norunt doctrinam virtutum primae et secundae tabulae, et vitiorum quae cum eis pugnant. His hic Psalmus non est obscurus.

Argumentum ac dispositio

Psalmi XVI.

Conserva me Domine, quoniam speravi in te, dixi Domine, Deus meus es tu, propter te non est mihi bene. etc.

Praecipue hic Psalmus est διδασκαλικὸς, seu prophetia, videlicet narratio de resurrectione Messiae, ac principaliter intelligatur loqui ipse Christus, etsi propterea, quod et Ecclesiam pati,

et propter Christum ac per Christum resuscitari oportet, postea ad membra accommodari potest, quae accommodatio tamen prudenter fiat, ut Filio Dei suus honos proprius tribuatur, de quo et hic Psalmus loquitur, videlicet de merito passionis. Filii Dei mors est sacrificium pro aliis. Nostrae afflictiones etsi fiunt sacrificia propter Christum fide, id est, cultus grati Deo, tamen non merentur aliis remissionem peccatorum.

Praeterea de nobis non dicitur prorsus eodem modo: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem seu deletionem. Christum statim oportuit resurgere, antequam dissiparetur eius corpus in aërem, quia divina natura non discessit a corpore Christi. Sed nostra corpora, etsi propter Christum resuscitantur, nec manent in perpetua corruptione, tamen prius in tenuissimos halitus dissipantur.

Postquam constitutum est, quae persona principaliter loquatur, membra consideremus, quae sunt quatuor: Petitio Christi, ut servetur, Adplicatio passionis, Narratio de resurrectione, et finis narrationis, ut collecta Ecclesia aeterna Deum celebret.

Initium primi versus est petitio: *Custodi me Deus.* Et querela addita est: *Bonum mihi non propter te*, quod simplicissime sic intelligo: Non est mihi bonum, id est, affligor propter te, id est, propter tuum mirandum et arcanum consilium de redimendo genere humano subii has horrendas poenas, non propter aliqua mea peccata. Ergo cum sis Deus meus, et velis tibi servare haereditatem tuam, et mea membra, non sinas me succumbere in his tristibus aerumnis, sed consolare et libera me. Hanc simplicem enarrationem recensendam esse duxi, quae nec absurda est, nec reddit Palmum obscuriorem. Si qui autem magis concinnam interpretationem mihi ostendent, libenter eos sequar.

De applicatione incipit concionari in tertio versu, ac tacitae obiectioni occurrit: propter quem finem pateris? Miserum est pati sine aliqua spe fructus aut liberationis? Sespondet igitur: Imo mea passio non fit frustra, non est tantum exitiosa, sicut aeterna miseria diabolorum: sed mea passio profutura est et salutem pariet iis, qui me agnoscent et amplectentur meum Evangelium, et merebitur ut sit aeterna et gloriosa Ecclesia Deum celebrans. Ideo dicit: *Omnis voluntas mea in Sanctis*, id est, ego sustineo propter Sanctos, quos diligo, et pro eis offero hoc meum sacrificium, idque pro eis adplico.

Deinde adiungit antithesin: *Sed alii, qui alium sequuntur, cumulant sibi dolores*, horum libationes repudio, nec nomina eorum commendabo, id est, qui non sequuntur, non audiunt Christum, sed fingunt sibi opiniones de Deo et cultus sua audacia, ut Ethnici fecerunt, et nunc Iudaei, Mahometistae et defensores idolorum faciunt, horum, inquit, cultus non recipio, sed iam pronuncio damnatos esse.

Testatur ergo hic versus defensores idolorum, etiamsi sacerdotes et Episcopi vocantur, tamen non esse membra Ecclesiae, sed iam hac ipsa voce Christi reiectos et damnatos esse. Pro his non precatur Christus, sacerdos noster, sed pro sanctis, id est, pro omnibus qui credunt Evangelio, ut ipse expresse ait Iohan. 17.: Rogo non pro eis tantum, sed etiam pro iis, qui per verbum eorum credent in me. Quo dicto, ut postulat officium sacerdotis, expresse pro nobis precatur, et suum sacrificium nobis adplicat, ut vulgo loquuntur. Conveniunt autem illa verba Christi, quae nunc ex Ioanne recitavi, prorsus ad hunc locum huius Psalmi.

Sequentes duo versus amplificant tertium: Non frustra patior, sed fructus passionis meae erit aeterna et gloriosa Ecclesia, in qua et ego et tota Ecclesia coram Deo laetabimur, et Deum celebrabimus. Ideo dicit: *Funes ceciderunt mihi in iucundis*, id est, sors haereditatis meae, ut funiculos pro mensuris in divisione camporum nominant.

Tertia pars Psalmi narratio est de resurrectione: Non relinquar in morte, ac ne quidem delebitur caro mea, sed reviviscam totus, etiam corpore.

Quarta pars in fine repetit secundam: Ideo patior, ut te celebremus, ideo dicit: *Benedicam tibi.* Et celebrabimus te in vita aeterna, laeticia et gloria nunquam desitura: tecum versabimur et fruemur tua consuetudine sine fine. Ideo inquit: *Ostendis mihi semitam vitae*, id est, verae non interiturae vitae, et uberrimam laeticiam, quam ex conspectu tuo capiemus, et aeternum gaudium.

Argumentum ac dispositio
Psalmi XVII.

Exaudi Domine iusticiam, intende deprecationi meae, auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis.

Precatio est, ut alii multi Psalmi, in qua petit duas res, videlicet, et ut regatur a Deo, ne aberret a vera doctrina, et ut defendatur contra tyrannos et impios doctores, qui delere veram doctrinam et stabiliunt errores, quibus extinguitur vera Dei noticia.

Est autem insignis antithesis in postremis versibus, ubi causam recenset, quae impios movet, cur adversentur veritati, scilicet, quod ventris commoda quaerunt. Cultus impii semper in mundo fuerunt grati multitudini, hoc est, maiori parti hominum: ideo et quaestuosi fuerunt, et sunt. Quare multi eos tuentur, ut potentum benevolentiam, et opes et dignitatem retineant, ut nunc Episcopi et Canonici propter opes et potentiam defendunt manifestam impietatem et turpitudinem. Econtra vera Ecclesia est subiecta cruci in hac vita. Sed consolatio hic additur de vita aeterna: *Satiabor cum surget imago tua*, id est, cum restitues integram imaginem tuam in resurrectione mortuorum.

Argumentum ac dispositio
Psalmi XVIII.

Diligam te Domine fortitudo mea, etc.

Hic Psalmus recitatur in historia Davidis paulo ante eius mortem, ubi satis adparet ab ipso Davide tanquam gratiarum actionem recenseri, in qua primum pericula, certamina et aerumnas narrat, et testatur se nominatim illum verum Deum, qui se in Sina illustribus et certis testimoniis patefecit, invocare. Deinde recitat gloriosas liberationes, et fatetur eas Dei beneficia esse. Et inter pericula diserte recitat domestica seu intestina, quod hostes habuerit acerrimos et infestissimos cives populi Dei, Saulem, Absalonem, et eorum factionibus addictos. Praedicat autem non solum hos oppressos esse, sed tam fuisse gloriosam victoriam, ut pro impiis et perfidiosis civibus, postea gentes ipsi adiunctae sint et pie obedire coeperint. Tandem, ut solet hanc gratiam relaturum se esse affirmat, quod haec beneficia celebraturus sit, ut praesentia Dei in Ecclesia et gloria agnoscatur, et multi Deum timere et invocare discant. Nam ad hunc praecipuum finem referendae sunt gratiarum actiones, ut alii moti nostris testimoniis de beneficiis Dei confirmentur, et vere credant Deum adesse in Ecclesia, punire contemtores doctrinae coelestis, et vere exaudire, recipere et iuvare eos qui ad ipsum convertuntur, et eum invocant, sicut de hoc fine saepe Psalmi ipsi nos commonefaciunt. Ut Psal. 58.: Et dicet homo, utique est fructus iusto, utique est Deus iudex in terra.

Etsi autem haec est prima sententia Psalmi, quam recensui, tamen ut aerumnae et victoriae Davidis sunt typus passionis et victoriae Christi, ita Psalmus ipse non de solo Davide loquitur, sed simul significat et Christi aerumnas et victoriam. Et finis proprius monstrat Christum, quem suae gentis sacerdotes, principes et maxima multitudo, horribili furore persequitur et interfici curat. Et pro his perfidiosis civibus Ecclesia ei ex gentibus collecta et adiuncta est: et ipse vere caput est gentium, videlicet universae Ecclesiae collectae ex semine Abrahae et gentibus, impertiens vitam aeternam, quam impertire David non poterat. Ergo etiam cum pro liberationibus quae nobis contigerunt, ut multae a Deo fiunt Sanctorum liberationes omni tempore, hunc Psalmum recitabimus, tamen simul cogitemus significatas esse aerumnas et victorias Christi: imo sciamus hanc nostram invocationem et gratiarum actionem Deo placere, quia est adiuncta invocationi et gratiarum actioni Christi, qui pro nobis passus est, et suarum victoriarum beneficia nobis donat. Quod liberatur Paulus dimicans cum bestiis, beneficium est victoriae Christi, id est, quia vicit Christus, ut redimat et colligat aeternam Ecclesiam, ideo iuvat Paulum et alios fide invocantes. Ipse etiam David haec de se recitans, tamen mente intuebatur venturum Christum, quem cogitabat habiturum aerumnas similes, et gloriosas victorias. Ideo statim post huius Psalmi recitationem in historia Davidis sequuntur ultima verba Davidis, ut textus vocat, in quibus clarissime vaticinatur de venturo Christo.

Argumentum ac dispositio
Psalmi XIX.

Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annunciat firmamentum.

Prior et longior pars Psalmi est narratio ac prophetia de Evangelio spargendo per totum orbem terrarum, de adventu Christi et gloriosis eius victoriis, de efficacia verbi, quo Deus patefit, et colligitur aeterna Ecclesia.

In fine brevis doctrina additur de discrimine piorum et impiorum, et precatio de peccatis, quae reliqua sunt in renatis in hac vita, et de gubernatione qua se in doctrinae intellectu et professione regi petit.

Etsi autem Iudaei primam partem exponunt de creatione, in hanc sententiam, Deum agnosci ex creatione, ex motibus coelestibus et ordinatis temporum vicibus, quae certe sunt testimonia de mente aeterna architectatrice, et ostendunt mundum non extitisse casu: tamen huic descriptioni de coelis, de nocte, Sole, perspicue inserit mentionem de praedicatione, et postea addit laudationem verbi. Loquitur igitur de propagatione Evangelii et noticia Dei accensa per vocem Evangelii, non tantum de ea, quae sumitur ex opificio mundi. Et expresse attexit in fine praeceptum de retinendo verbo Dei, et ita discernit pios et impios. Illi sunt, inquit, servi tui, qui legem tuam audiunt et custodiunt. Id enim adfirmat versiculus: *Etenim servus tuus commonefit*, id est, eruditur *per ea*, et custodienti retributio magna.

Nec noticia sumta ex motuum coelestium ordine, sine verbo Dei, gignit Ecclesiam, sed necesse est accedere vocem Evangelii. Nam noticia illa philosophica etiam gentibus nota est, et utcunque est particula legis Dei, sed non complectitur Evangelium de remissione peccatorum. Retineamus igitur certo hanc sententiam de propagatione Evangelii et de adventu et victoriis Christi hunc Psalmum concionari, et priores versiculos de loco et tempore intelligendos esse: *Coeli enarrant gloriam Dei*, id est, ubique spargitur vox Evangelii. Item: *Dies diei eructat verbum*, id est, manet in tota aeternitate vox Evangelii, nec opprimetur ulla potentia impiorum. Non sunt loquelae neque sermones quorum non audiantur voces, id est, Evangelium sonant omnes linguae sparsum inter omnes gentes. Et haec praedicatio ad quid instituta est? Ad Christum Filium Dei monstrandum. Huic ponitur tentorium in Ecclesia, ut Soli in coelo. Hic Christus patefit, hic est fons lucis, ut Sol fons est corporalis lucis.

Deinde sequitur commemoratio de Evangelii efficacia et de ministerio evangelico: *Lex Domini incorrupta*, id est, haec doctrina revelata a Deo, vere et incorrupte monstrat voluntatem Dei. Sola lex Mosi non ostendit remissionem peccatorum, philosophia vero multipliciter de Deo errat: at vox Evangelii damnat peccatum et ostendit remissionem peccatorum propter Filium Dei. Et haec vox consolationem, laeticiam et vitam aeternam mentibus adfert, et est aeterna sapientia mansura nobisum in vita aeterna. Ideo dicit: *Timor Domini mundus permanet in aeternum*, id est, hic cultus Dei, quem docet vox Evangelii, est mundus, Deo placens aeternus.

Versus undecimus discrimen piorum et impiorum tradit: pii sunt, seu servi Dei, qui audiunt et custodiunt hanc doctrinam de Christo, quae in totum orbem terrarum sparsa est. Et hi habebunt vitam aeternam.

Additur obiectio: At manet peccatum in servis Dei? Huic obiectioni respondet: Ubi est agnitio Evangelii? id est, vera fides et verus cultus in corde, etiamsi manent peccata non voluntaria, ut magna est imbecillitas naturae humanae, tamen illae sordes remittuntur, et eas hic remitti petit.

Versus decimus tertius discrimen tradit peccatorum: *At a superbis custodias me*, id est, fac ut veram fidem, timorem, invocationem retineam, nec sine me abstrahi per superbos, id est, per impios doctores, contemtores Evangelii, Epicureos, defensores impiorum dogmatum: hunc lapsum prohibe.

In postremo versu petit ut gubernetur a Deo, ut doctrinam Evangelii recte intelligat et pure doceat.

Multa igitur hic Psalmus continet, vaticinatur de propagatione Evangelii per totum orbem terrarum, promittit adventum Filii Dei, adfirmat ministerium Evangelii esse efficax, ut 2. Cor. 3. dicitur, admonet nos de peccato manente in renatis, item de remissione peccatorum, item de discrimine peccatorum, et de gubernatione Spiritus sancti. Ut autem ipse remissionem pecca-

torum et gubernationem Spiritus sancti petit, ita nos petamus, ut superiores versus ad confirmationem fidei nostrae de ministerio Evangelii accommodemus.

Argumentum ac dispositio Psalmi XX.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob.

Dulcissima precatio est pro rege, seu pro regno ac politico statu, quae docet et testatur, successus in imperiis, felicia consilia, salutarem gubernationem et victorias, Dei opera et beneficia esse, et vere iuvari a Deo principes invocantes ipsum. Sicut Psalm. 144. dicitur: Benedictus Dominus Deus meus rex, qui docet manus meas ad praelium. Item: Qui das salutem regibus.

Altera pars Psalmi gratiarum actio est, qua fatetur regem adiutum esse, defensam esse politiam, quae Ecclesiae et piae doctrinae studiis hospitium praebet. Et doctrina utilissima admixta est, taxans fiduciam sui, et requiens invocationem Dei. Sicut saepe alibi detestatur Deus fiduciam humanae potentiae, ut Psalm. 33.: Non salvatur rex per magnos exercitus: Fallax equus ad salutem. Et Psalm. 6.: Non egredieris Deus in virtutibus nostris, Da nobis auxilium de tribulatione, vana salus hominis. Ita hic inquit: Illi in curru et in equis. Ipsi incurvati sunt, et ceciderunt, etc. Econtra postulat Deus, ut vere statuant nostrae mentes, iuvari nos ab ipso, et eum invocent, sicut hic inquit: *Nos autem nomen Domini Dei nostri invocabimus.* Concurrant haec, officium vocationis, et fides invocans Deum. David facit officium vocationis, contrahit exercitum mediocrem, laborat, praeliatur: interim vero sentit consilia et dextras iuvari a Deo. At impius rex Achab aut similis contrahit exercitum quantum potest, et laborat, et hoc suo adparatu confidit, nec audet petere aut expectare Dei praesentiam. Hoc discrimen considerandum est, ut et nostras actiones intelligere et fidem exercere discamus.

In fine etiam Epiphonema additum est, quod Deus certo sit exauditurus invocantes, hac promissione confirmati fidem et invocationem accendamus. Erit autem hic Psalmus nobis et magis perspicuus et magis dulcis, si saepe recitabimus, precantes pro politia, et cogitantes de magnis periculis omnium piorum gubernatorum. Ac meminerimus mandatum Dei, ut ex animo petamus, ut regat et iuvet omnes qui praesunt, et det politias tranquillas, quae sint honesta hospitia Ecclesiarum et litterarum, et prohibeat latrocinia, vastationes et disciplinae dissolutionem.

Argumentum ac dispositio Psalmi XXI.

Domine, in virtute tua laetabitur rex, et in salutari tuo exultabit vehementer, etc.

Prorsus idem argumentum est huius Psalmi quod proximi: sed gratiarum actio praeponitur, quae testatur Dei beneficium esse regis gubernationem et defensionem. Deinde sequitur precatio, petens haec beneficia. Docet igitur Spiritus sanctus in his Psalmis, sicut in multis aliis locis, non casu, non tantum humana sapientia, ut philosophi putant, constitutas esse politias, sed a Deo mentes regum et principum exuscitari ad constituendas Respublicas et iuvari in earum gubernatione et defensione, sicut et Daniel inquit, capite secundo: Deus transfert regna et constituit. Hac sententia necesse est confirmari mentes, ut petant a Deo auxilium in omnibus negociis et periculis gubernationis, nec tantum considerent humanas vires, sicut Aiax dicebat: Aliis imbecillibus opus esse auxilio Dei, se vel sine illo potiturum victoriis. Quanquam autem poëtae non norant testimonia, quae Deus edidit sua voce et suo verbo de hoc articulo et aliis, tamen magnitudine periculorum quae gubernationem comitantur, convinci se intelligunt, ut statuant sine Dei auxilio non posse vinci tantam molem periculorum. Sed nos toties commonefacti voce Dei, credamus opus esse praesentia Dei et eam petamus. Ideo in hoc Psalmo non solum recitat David quid agat Deus, nec tantum petit auxilium, sed monet etiam in ipso gubernatore hanc fidem accendi oportere, quae statuit Deum adesse et opem ferre regentibus imperia. Petit et expectat haec ingentia beneficia. Haec doctrina in his verbis proponitur versu septimo: *Quoniam rex sperat in Domino*, et additur promissio: *et in misericordia altissimi non commovebitur.* Hunc versiculum non solum principes, sed nos quoque orantes pro politiis infigamus animis, credamus Deus custodem esse politiarum, et tunc incolumes

mansuras esse, cum a Deo petemus defensionem. Misericordia altissimi, inquit, teget principem ne evertatur, non exercitus, non magnitudo pecuniae, non amicorum coniunctio aut sociorum foedera.

Versu undecimo causam recitat quare Deus opem ferat, quia hostes iustorum et piorum principum inferunt bellum non hominibus tantum, sed Deo. *Proiecerunt*, inquit, *super te malum*. Adest igitur Deus, ne ab impiis et superbis confirmari sinat Epicureum contemtum, ut in alio Psalmo dicitur: Ne quando dicant, Ubi est Deus eorum? Et Esaias 48. capite dicit: Propter nomen meum longe faciam furorem meum, propter me, propter me faciam, ut non blasphemer, et gloriam meam alteri non dabo. Hanc causam Deo et nos in precationibus adversus Turcicam crudelitatem et alios tyrannos proponamus.

Argumentum ac dispositio Psalmi XXII.

Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Longe a salute mea abes, et a verbis rugitus mei, etc.

Precatio est petentis liberationem in maximis aerumnis et in morte, et habet tristia πάθη, quibus confert suas afflictiones cum patrum aerumnis, et queritur suas esse maiores. Deinde sequitur gratiarum actio pro liberatione, et adduntur effectus gratiarum actionis, quod et has liberationes celebraturus sit, et totam doctrinam de Deo late propagaturus, quo officio collecturus sit aeternam Ecclesiam, et quidem inter gentes, quia futurum sit ut Deo nascatur novus populus. Ita in fine vaticinatur de propagatione Evangelii, de vita aeterna, et de vocatione Gentium. Estque persona loquens, Christus. Nam etiam David de se quoque loquitur, et similia patitur, tamen scit suas afflictiones et liberationes imagines esse afflictionum et victoriarum Christi, quas secutura erat Evangelii propagatio et collectio Ecclesiae. Et hunc Psalmum recitat David, significans venturum Christum similia passurum esse, et postea liberatum ac triumphantem propagaturum esse Evangelium, daturum vitam aeternam, et collecturum Ecclesiam inter gentes etc. Congruit igitur Psalmi recitatio Davidi ut typo significanti venturum Christum, at Christo, ut praecipuo membro Ecclesiae, imo illi cuius passio vere vincit omnium Patrum miserias, et cuius victoria restituit vitam aeternam. Multa verba magis congruunt ad historiam Christi, quam Davidis. Sed tamen et David pene similia patitur: nec nimis anxie de singulorum verborum accommodatione disputo. Satis est in summa hoc tenere, describi hic passionem Christi et victorias. Nec excludendum esse Davidem, quia typus sit Christi. Tristissima πάθη sunt, quod queritur se relictum esse a Deo, et quod non liberetur sicut Patres, sicut Abraham, Iacob, Ioseph liberati sunt, ne interficerentur.

Argumentum insigne inseritur, et ad fidem excitandam insigne, quod ait, se inde usque ex utero matris a Deo servatum et defensum esse. Ita superiorum liberationum recordatio exuscitat et confirmat fidem.

Versu vicesimo secundo incoatur gratiarum actio, in qua usitate promittitur celebratio nominis Dei, et doctrinae. Quid enim aliud reddere possumus, ut saepe alias Psalmi eandem sententiam repetunt: Non moriar sed vivam, et narrabo opera Domini. Postea sequuntur vaticinia de vita aeterna. Vivet cor vestrum in aeternum. Et de collectione Ecclesiae: Convertentur ad Dominum omnes fines terrae. Item: Populo genito quem fecit.

Argumentum ac dispositio Psalmi XXIII.

Dominus pastor meus, nihil mihi deerit, etc.

David agit gratias *Deo* pro nutritione, defensione et gubernatione, adfirmans haec esse beneficia Dei: et simul petit haec bona deinceps sibi tribui. Addit autem causam impulsivam, qua moveri Deum orat, ut haec tanta bona largiatur, videlicet hanc quae recensetur in versiculo tertio: *Propter nomen tuum serva et rege nos Deus*. Quam ob causam? Num propter nostra merita? Non, sed propter nomen tuum, id est, ne tuum nomen apud Epicureos contumelia adficiatur, qui in calamitatibus piorum clamitant: Ubi est Deus eorum? Ut igitur convincantur impii quod exaudias et serves nos, ne sine nos deleri: Tuae noticiae et tuae gloriae defensione movearis, ut nobis opem feras, sicut Esaiae 48. dicitur: Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer, et gloriam meam alteri non dabo.

Haec causa et in Psalmis et alibi saepe repetita est. Ita infra dicitur Psal. 114.: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Additur et causa finalis, quae vicina est impulsivae: Ad quem finem petenda est defensio? Num ut ociosi voluptatibus fruamur, sicut impii hunc solum esse fructum et finem laborum arbitrantur. Dimicat Antonius, ut repressis adversariis securus dominetur et voluptatibus fruatur. Sed David petit defensionem, ut postea serviat in domo Domini, discat doctrinam coelestem, et ornet Ecclesiam propagatione salutaris doctrinae, assuefaciat iuventutem et populum ad agnitionem Dei. Hic finis pio gubernatori propositus est. Cum ex acie victor domum redit, maior cura animo obversatur, quam erat altera gerendi belli cura, scilicet quomodo recte Ecclesiam gubernet. Ad hunc finem caeteri labores ab omnibus hominibus referendi sunt, ut pro vocatione singuli serviant Ecclesiae, et aliquid operae conferant ad tuendam et ornandam doctrinam. Sic et in aliis Psalmis propter hunc finem petit vitae prorogationem: Non mortui laudabunt te Domine. Ut enim sint doctores, necesse est aliquos recte eruditos et usu confirmatos vivere. Haec est Psalmi summa, quem et nos planius intelligemus, cum hoc ipso consilio recitabimus, ut nos quoque Deo gratias agamus pro nutritione, defensione et gubernatione, et haec ipsa beneficia ab eo petamus. Scribuntur enim haec cantica non propter Davidem, sed propter universam Ecclesiam. Spiritus sanctus per Prophetam docet omnes pios, haec esse beneficia Dei, et promissa esse Ecclesiae. Suntque sumtae hae sententiae ex primis illis promissionibus traditis Abrahae. Ut Gene. 15.: Noli timere Abraham. Ego protector tuus sum, et merces tua valde.

Obstrepit autem nobis indignitas nostra et accusat nos conscientia, quod poenas meriti simus. Ideo languefit spes auxilii: sed opponatur huic accusationi doctrina Evangelii de gratuita remissione peccatorum. Item hac ipsa vox: *Propter nomen tuum*, propter gloriam tuam Deus exaudias et iuves nos, ne Epicurei et blasphemi vociferentur nullam esse Ecclesiam Dei, nihilo magis doctrinam traditam per Prophetas et Apostolos, divinam esse, quam Mahometicam: has blasphemias refutato repressis furoribus impiorum, et defensis nobis. Denique ideo petimus defensionem, ut diu serviamus tuae Ecclesiae, ut iuventutem et populum docere possimus, ut salutaris doctrina propagetur ad posteros et ad multas gentes.

Haec est simplex Psalmi sententia, quae nobis illustrior et dulcior erit, cum ad usum in precatione transferetur. Ac sciendum est inter cultus Dei praecipuos esse, haec ipsa officia, talem gratiarum actionem et petitionem. Nam humana ratio alioqui somniat haec bona casu aut nescientibus offerri aut amitti. At nos sciamus ea Ecclesiae vere a Deo dari, et velle Deum ut ea petamus, ac fidem hac petitione exerceamus. Turci nunc denunciant bellum et vastationem toti Europae et universae Christi Ecclesiae: adversus haec tanta pericula tegi et defendi nos a Deo petamus, ne ipsius noticia deleatur. Haec petitio plus proficiet quam regum et exercituum arma, sicut supra dictum est: Illi in curribus, et in equis, Nos autem nomen Domini Dei invocabimus. Metaphorae multae dulces sunt in hoc Psalmo, quarum intellectus facilis est. Loca virentia et herbida, amnes, mensa, significant nutritionem et consolationem. Virga et baculus significant defensionem et gubernationem.

Argumentum ac dispositio Psalmi XXIIII.

Domini est terra et plenitudo eius, orbis terrarum et qui habitant in eo.

Prophetia est de Ecclesia Dei colligenda in toto terrarum orbe, et passim in mundi imperiis. Et intertexta doctrina quid sit Ecclesia, et qualis populus sit, et quae bona accipiat a Deo. Etsi igitur breve carmen est, tamen plenum est eruditionis: et enarratio est promissionis traditae Abrahae, ac pertinet ad genus demonstrativum seu *διδασκαλικόν*. Inseritur autem et adhortatio ad reges et principes, ut patefaciant imperia Evangelio, nec arceant venientem Christum, sicut et Psalmo secundo compellat reges: Et nunc reges intelligite, quia diabolus praecipue impellit gubernatores mundi, ut adversentur Christo. Et hi excandescunt ideo, quia Evangelium damnat idola, et alia scelera, quibus polluti sunt, et mutatio cultuum videtur eis parere dissipationes suarum gentium. Praemonentur ergo et reges in Psalmis, ne bellum moveant adversus Christum, ne admittant ista odia, quia Christus salutem eis offert, et repugnantes puniet ac delebit, sicut

Psalmo secundo dicitur: Tanquam vas figuli confringes eos. Et hic: *Attollite portae capita vestra*, id est, imperia patefaciatis iter venienti Christo: et elevamini portae mundi, id est, aperiamini vos Respub. ut rex gloriae ingrediatur, ut illuscescat vobis Evangelium, et adsit inter vos Christus, et sit efficax, faciat vos haeredes vitae aeternae. Sed si bellum adversus eum movebitis, scitote vos perituros esse. Nam ipse est potens in praelio, vincit et delet tyrannos, sicut delevit Pharaonem, Sennaherib, et alios innumerabiles.

Orditur autem Ecclesiae descriptionem a capite, scilicet ab ipso Domino Christo, et a loco ubi collecturus est Ecclesiam. Hic noster Dominus Iehova, inquit, qui vere est conditor rerum, colliget sibi Ecclesiam in toto orbe terrarum. Qualis erit populus? Num ut nunc colens Deum externis ceremoniis? Imo talis erit populus, *Innocens manibus, et mundus corde*, et non adplicans ad vanitatem animam suam, et non iurans dolose, id est, non adplicans ad vanum et mendacem cultum, ad mendacem doctrinam animam suam, sed verum Deum agnoscens et invocans, amplectens verbum a Deo traditum, non ficta hypocrisi colens, sed vere timens, vere invocans: mundus corde, et innocens manibus, id est, vere, non ficta hypocrisi obediens Deo in omnibus praeceptis.

Quae bona accipiet hic populus a Deo? *Benedictionem et iusticiam*, id est, hic populus agnoscens hunc verum Deum, colligentem Ecclesiam, accipiet iusticiam, id est, pronunciabitur iustus, ac Deo placens: accipiet et benedictionem, id est, liberationem a peccato et morte, donabitur Spiritu sancto et vita aeterna. Est ergo haec definitio Ecclesiae proprie dictae: Ecclesia est coetus hominum collectus passim ex genere humano voce Evangelii, amplectens Evangelium, et vere agnoscens et invocans Deum fide Mediatoris Christi, per quem Ecclesia redemta est, habens remissionem peccatorum et Spiritum sanctum ac obediens Deo, et donandus Spiritu sancto.

Quomodo autem haec dicta intelligenda sint, innocens manibus, mundus corde, ex Evangelio sumatur declaratio, quod oporteat in hac vita incoari novitatem spiritualem, et quod peccati reliquiae maneant, sed tamen remittantur credentibus in Christum.

Deinde sequitur concio ad reges et principes. Et hic locus observandus est, ad docendos magistratus politicos, ut sciant ad se quoque pertinere curam iuvandi propagationem Evangelii, et tuendi veras Dei Ecclesias. Non existimemus a Deo tantum ideo ordinatas esse politias, ut ventris bona quaeramus. Nec magistratus putet se tantum esse armentarium, hoc est, custodem pacis externae, ut multi loquuntur: sed multo magis custodem disciplinae, prohibentem omnia externa scelera contra primam et secundam tabulam: ac primum sciat se debere gloriam Dei ornare, qui propterea coniunxit homines politica societate, ut alii alios de voluntate Dei doceant, et propagari Evangelium inter homines possit. Execranda est igitur impietas principum et magistratuum, qui tolerant confusiones quarumcunque sectarum, aut opprimunt Evangelium, hoc falso praetextu, quasi ad magistratum non pertineat cura iuvandi propagationem Evangelii. Hanc impietatem et secundus Psalmus taxat cum ait: Et nunc reges intelligite.

Argumentum ac dispositio Psalmi XXV.

Ad te Domine levavi animam meam, etc.

Totus Psalmus precatio est, in qua manifesta petitio est remissionis peccatorum. Testatur ergo dari remissionem peccatorum, et est vox Evangelii docens totam Ecclesiam de hoc articulo, videlicet de remissione peccatorum certa et gratuita, donata per misericordiam, quae ex voce legis non potest esse certa, quia lex semper postulat conditionem perfectae obedientiae. At hic petitur remissio peccati, etiamsi sentimus manere in nobis magnam imbecillitatem, caliginem, dubitationes, pravos affectus, et varias flammas peccatorum. Ac nominatim fit mentio peccati nobiscum nascentis, quod vocamus peccatum seu morbum originis. Id enim vocat peccatum pueritiae suae, id est, quod inde usque a nativitate nobiscum circumferimus, et deponere non possumus, scilicet mentis infirmitatem, dubitationes, pravas inclinationes voluntatis et cordis. Est autem longa precatio et circumstantiis amplificata, ut discernatur ab ethnica, et ne sit frigida aut simulata βαττολογία, sed vere et ex animo proficiscens petitio.

Circumstantiae hae sunt. Primum significat quem Deum alloquatur: nominat enim illa appellatione, quae propria erat Dei, qui se pate-

fecerat in Israël. Et addit se illum Deum alloqui, qui tradidit suum verbum populo Israël, quia facit mentionem foederis seu Testamenti, id est, promissionum quibus receptus est hic populus, clareque discernit Ecclesiam Dei a gentibus: et promissionum summam complectitur hoc dulcissimo versiculo: *Omnes viae Domini misericordia et veritas, custodientibus foedus eius et testimonia eius*, id est, Deus vere est misericors et beneficus erga Ecclesiam suam, quae verbum ab ipso traditum amplectitur, et fide eius verbi ipsum invocat et eum colit.

Secundo causam exponit, cur ad Deum accedat, etsi sciat Deum irasci peccato. Huic obiectioni opponit doctrinam de gratuita misericordia, quam ex promissionibus intelligebant, quae vere sunt Evangelium. Et has Prophetae sapienter discernebant a lege: *Reminiscere miserationum tuarum Domine, et misericordiae tuae, quia a seculo sunt*, id est: Agnosco meum peccatum, et scio me non esse iustum legis impletione. Quare confugio ad misericordiam tuam, quam patefecisti ab initio. Noluisti genus humanum totum perire, sed excerpsisti tibi Ecclesiam, dedisti promissiones, in quibus testatus es te recipere amplectentes verbum illud. Recepisti Adam, Nohe, Abraham, Mosen, Aaron, qui horribiliter lapsus erat. Sic me quoque recipias immensa misericordia tua propter promissum Dominum. Vehementissimum πάθος est, intuentis lapsus omnium Sanctorum et eorum restitutionem inde usque a principio. Nam et dolor ex cogitatione imbecillitatis humani generis augetur et conspicitur magnitudo misericordiae. Adiungatur autem ad hunc versum de misericordia versus tertius, continens promissionem dulcissimam: *Omnes qui te expectant, non confundentur.*

Adiungatur et promissio in versu undecimo: *Omnes viae Domini misericordia et veritas, custodientibus foedus*, id est, Ecclesiae amplectenti verbum, invocanti iuxta promissiones. Adiungatur et versus duodecimus: *Propter nomen tuum Domine propicius esto.* Quasi dicat, non propter nostra merita, sed propter misericordiam tuam, et ut ingens magnitudo misericordiae tuae celebretur, et alii expavescentes et trepidantes ad te redeant, et vere rursus celebrent.

Tertio nominantur et exaggerantur res quae petuntur, scilicet, remissio peccatorum, et gubernatio ac defensio, quae comitantur remissionem. Miscentur autem querelae, quae exaggerant peccati magnitudinem. Nominat peccatum pueriçiae, id est, quod inde usque a nativitate haesit in natura, et postea inquit: Propicius esto peccato, qui magnum est, seu multiplex, id est, magna caligo et aversio seu aberratio a Deo, et magna confusio omnium motuum carentium gubernatione Dei, ruens contra Deum, et ei displicens. Hae querelae diligenter cogitentur, ut emendemus carnalem securitatem et hypocrisin extenuantem peccatum. Apte igitur ea, quae in precatione praecipue cogitanda sunt, recensuit, quem Deum invocet, cur ad eum accedat, quid petat, quanta sit magnitudo nostrae miseriae. Interserit et promissiones quibus precantis fiducia erigitur et confirmatur: *Omnes qui te expectant, non confundentur*: *bonus et rectus Dominus*, propterea docebit peccatores in via, diriget afflictos in iudicio: id est, mitigabit eis afflictionem, consolabitur eos. Est et haec promissio: *Quis est homo qui timet Dominum*, docebit eum viam quam elegit, id est, quanta res, quam felix est ille homo qui timet Dominum, qui amplectitur verbum Dei, nec abiicit fidem: Hic habet gubernatorem et defensorem Deum. *Secretum Domini, timentibus eum*, id est, timentes Deum agnoscunt secretum Domini, id est, praesentiam, et auxilium Dei, quod est secretum, non intellectum mundo, quia impii non credebant Davidem in exilio curae esse Deo.

In fine repetuntur et cumulantur petitiones de remissione peccatorum, gubernatione et defensione.

Ultimus versus addit ἐπιφώνημα, continens promissionem universalem, quae toti Ecclesiae liberationem pollicetur. Significat igitur restare vitam aeternam, in qua Ecclesia liberata ab omnibus malis, acquiescet in Deo.

Argumentum ac dispositio Psalmi XXVI.

Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, et in Domino sperans non infirmabor, etc.

Totus Psalmus initio precatio est, qua petit defensionem contra hostes Ecclesiae et Evangelii: deinde confessio est, qua testatur se profiteri veram Ecclesiae doctrinam, et fugere et damnare

hostium Evangelii doctrinam, societatem, consilia et foedera. Hanc constantiam verae professionis ideo recitat, ut exemplum omnibus proponat, qualis esse confessio debeat. Non satis est, ut multi fingunt, nosse vera, et approbare apud se tacitos, ac interea foris in consuetudine hominum ritus impios servare, et exemplo stabilire, et vel mutum esse, cum tyranni ad supplicia rapiunt innocentes propter veritatis professionem, aut colludere cum eis; sed vult Deus extare confessionem manifestam, sicut ait Christus: Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram patre coelesti. Vult autem ideo manifestam promissionem edi, primum ut ipse innotescat et celebretur: deinde ut fiat seiunctio Ecclesiae Dei ab impiis et hostibus Dei. Etsi enim Ecclesia est coetus despectus in mundo, tamen Deus eam conspici et audiri vult, ut propagetur doctrina, ipse innotescat et multi vocentur ad salutem. Ideo Psalmus hic recitat suam confessionem, quae necessaria est propter alios homines, ut dixi. Et hae tota descriptio in Psalmo exempli causa proposita est, ut nos eam imitemur.

Semper autem confessionem sequuntur ingentia pericula et certamina. Ideo petenda est defensio, sicut hic petit: *Iudica me Domine*, id est, defende me tuo iudicio. Deinde causam addit: quia profiteor veram doctrinam, nec colludo cum hostibus tuis. Haec causa recitatur, non ut opponatur meritum, sed ut causa periculi ostendatur: Defende me, quia ingens onus confessionis sustineo. Et in tali periculo peculiariter promisisti defensionem propter tuam gloriam, et propter doctrinae propagationem. Haec est simplicissima interpretatio. Nec tamen meritum prorsus abiicio, sed ita, ut prius persona intelligatur iusta fide per misericordiam propter Mediatorem. Deinde haec ipsa opera, diligentia in vocatione, constantia in confessione et cruce, labor in docendo, et refutandis adversariis, sunt sacrificia Deo grata et amplissimis praemiis compensantur. Multae sunt autem dulcissimae amplificationes: Fugio doctrinam hostium Evangelii, gubernationem et sacrificia eorum. Econtra vero vocem tuae laudis, id est, veram doctrinam, audio et doceo, et aliis narro, et diligo tuam Ecclesiam, id est, ad hanc fovendam, iuvandam, tuendam refero studia, consilia et labores meos. Sicut enim primum praeceptum est: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde: ita summum est omnium operum discere verbum Dei, et ut suo quisque loco iuvet propagatione, ornet et defendat ministerium verae doctrinae, foveat concordiam verae Ecclesiae, defendat eam, et reprimat adversarios.

In postremo versu addita est causa finalis, cur petat servari, videlicet, ut in Ecclesiis benedicat Domino. Huius causae fit mentio in plurimis Psalmis, ubi addit se hanc gratiam relaturum esse pro beneficio accepto, videlicet ut doctrinam latius spargat, ut Psalmus 118.: Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. Ita hic promittit idem officium: In Ecclesiis benedicam Domino, Tuo coetui proponam verbum tuum, docebo et confirmabo alios, ut Christus praecipit: Et tu conversus confirma fratres tuos.

Argumentum ac dispositio Psalmi XXVII.

Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo?

Precatio est ardentissima et magna adfectuum varietate amplificata: mixtae sunt gratiarum actiones, promissiones, et praecepta de fide, sed principalis petitio est, ut servetur una cum Ecclesia, sicut nos nunc petere debemus: *Unum hoc petii a Domino, ut habitem in domo Domini semper, et visitem templum eius*, id est, ut salva sit Ecclesia, et nos una cum Ecclesia servemur. Haec sententia amplificata est Dei promissionibus: *Dominus est lux mea*, id est, consolator. *Quem igitur timebo?* id interrogative legendum est. Est enim sententia: Deo protegente, non formidandam esse ullam hostium potentiam.

Alia amplificatio ab hostium viribus et rabie sumta est, cum ait: *Ut edant carnem meam.*

Alia amplificatio sumta est a desertione: *Sum solus*, deseror etiam ab intimis amicis. Haec querela in levioribus negociis, etiam prophanorum hominum usitata est, ut dicitur: Nusquam tuta fides, sed multo crebrior est in Ecclesia. Quare passim in Psalmis repetitur, ut Psal. 41.: Homo pacis meae in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. Et experientia quotidiana testatur multos experiri tales desertiones, qui legentes hanc consolationem in Psalmis, sciant sibi promissionem

hic propositam esse: Etiamsi pater et mater me deserant, tamen Deus mihi aderit, me defendet et servabit.

Promissiones autem et praecepta de fide: *Expecta Dominum*, docent nos usum huius doctrinae. Tenenda est promissio, et sciendum quod vere sit mandatum Dei, ut etiamsi sumus in aerumnis ingentibus, tamen iuxta verbum statuamus nobis adesse Deum opitulatorem, et mitigaturum esse calamitates, nosque tandem liberaturum esse. Ideo fidem suam ipse commemorat, ut exemplo suo nos admoneat de applicatione, et de expectanda consolatione: *Credo*, inquit, *me visurum esse bona Domini in terra viventium.* Etiamsi premor undique tamen hac me consolatione sustento, acquiesco in promissione divina, et hac fide liberationem tranquillus expecto, et quidem evenient bona non peritura, sed bona Domini, lux, iusticia et vita aeterna. Et servabor in terra viventium, id est, non opprimar ab hostibus in hac vita, nec deinde mergar in aeternam mortem, sed celebrabo Deum inter viventes in hac vita et in vita aeterna: tecte enim simul concionatur de vita aeterna.

Argumentum ac dispositio Psalmi XXVIII.

Ad te Domine clamabo, petra mea ne sileas a me, etc.

Initio recitatur precatio, quae amplificata est tristissimis affectibus. Luctatur Propheta cum horrendis terroribus, premitur conspectu peccati, et metuit se abiici cum impiis et damnatis. Huius ingentis et horrendae consternationis gustum in sensu poenitentiae pii experiuntur. Nec aliis verbis hi pavores magis proprie describi possunt, quam quae sunt in ipsis Psalmis. Deplorant suam immunditiem, agnoscunt iustam iram Dei, sentiunt poenas, fatentur poenas minores esse suis peccatis, ut clamitat Daniel cap. 9.: Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei: metuunt igitur se prorsus abiici cum damnatis in aeternum exitium.

In his tantis doloribus succumbunt Saul, Iudas et alii innumerabiles. Sed David, Ezechias et similes sustentantes se cogitatione promissionis seu Evangelii, agnoscunt promissam esse remissionem peccatorum, ut mox Psal. 32. dicitur: Dixi confitebor adversum me iniusticiam meam Domino, et tu remittis impietatem peccati mei. Sed Ethnici, ut Cato, Brutus et similes, merguntur in opiniones Epicureas, cum vident se in causis, ut putant, iustioribus succumbere, queruntur non esse curae Deo res humanas, nec confugiunt ad Deum. Ut Brutus moriturus clamavit: O Deus quis est horum malorum causa? Et Cato dicebat, magnas esse tenebras humanae mentis de voluntate Dei, quod Pompeius antea in causis iniustis fortunatus fuisset, nunc in causa ut ipsi videbatur iusta, infelix esset. Tales sunt in magnis aerumnis querelae et disputationes omnium sapientum, qui ignorant Evangelium, quod monstrat causas calamitatum et veras consolationes.

Post precationem vero sequitur gratiarum actio versu sexto, qua testatur se servatum esse. Et ob hanc ipsam causam suam liberationem recitat, tanquam exemplum promissionis universalis. Omnes caeteri petant liberationem, et certo credant se exaudiri a Deo confugientes ad ipsum, ut alibi Psalmus inquit: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum. Et Ioël inquit: Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit. Hae universales sententiae diligenter considerandae sunt, ut nos ipsos in eas includamus. Et David suas liberationes ideo recitare se adfirmat, ut caeteros exemplo suo ad fidem invitet, ut Psal. 34. inquit: Accedite ad eum, et accurrite, et vultus vestri non confundentur. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, et ex omnibus tribulationibus eripuit eum. Sic igitur exempla liberationis Davidicae legamus, et ut nobis promitti auxilium statuamus, ac praecipi discamus, ut talibus commonefacti exemplis liberationem petamus et expectemus. Ideo in fine addita est precatio pro universa Ecclesia, ut significet suum exemplum ad caeteros pertinere. Saepe autem in fine Psalmorum tales communes precationes attexit, quibus voluit omnes lectores commonefacere de hoc officio, omnium maxime necessario, videlicet de precatione pro universa Ecclesia.

Adiungamus ergo nostra vota ad hanc ipsam vocem Prophetae: *Salvum fac populum tuum, et benedic haereditati tuae, et rege et extolle eos semper*, defende Ecclesiam adversus omnium impiorum haereticorum et tyrannorum furores, et studia et disciplinam rege, et servato, ut semper

sint qui te vere doceant, et ad posteritatem transmittant, Amen.

Argumentum ac dispositio Psalmi XXIX.

Afferte Domino filii fortium, afferte Domino gloriam et fortitudinem.

Hic Psalmus est generis demonstrativi, quia laudatio seu descriptio est veri Dei, ostendens quis sit vere Deus, et quomodo et ubi agnosci velit. Primum igitur propositio recitatur, quae iubet huic Deo offerre, id est, hunc Deum invocare, qui se patefecit tradito verbo in hoc populo, et cuius vox fuit, est et erit efficax: ut quassavit montes vox Dei cum populus esset in deserto, sic semper vox Evangelii data a Deo, erit efficax, colliget Ecclesiam, et in ea lucem et vitam aeternam incoabit, et in ea Ecclesia perpetuo habitabit.

Tres sunt igitur partes huius Psalmi. Prima est de vera invocatione: Hunc Deum invocate, qui huic populo Israël verbum suum ingentibus et illustribus testimoniis tradidit.

Secunda est de vocis ac ministerii evangelici efficacia. Certo sciamus Deum velle efficacem esse per vocem Evangelii, colligere Ecclesiam, dare remissionem peccatorum, novam lucem et vitam aeternam, sicut vere fuit efficax cum quassaret montem Sinai, et ederet alia miranda testimonia in deserto. Hanc collationem Paulus eruditissime tractat in 2. Epistola ad Cor. 3.: Cum fuerit ingens gloria veteris Testamenti, multo maior erit gloria novi Testamenti, id est, cum Deus illustribus testimoniis ostenderit se esse efficacem in Ecclesia eius temporis, et ornarit eam tunc magna gloria, et miranda defensione, non dubitemus Deum efficacem esse etiam promulgato Evangelio: quanquam horribiliter onerati sumus cruce in hac vita, ac nondum efficacia illa et gloria cernitur.

Diligenter autem doctrina de efficacia ministerii Evangelii discenda est, ne quaeramus Deum sine suo Evangelio: deinde ut sciamus etiam in ipso Evangelio acquiescendum esse, et Deum vere hoc modo per fidem acquiescentem in Evangelio, dare haec ipsa bona, quae promisit, scilicet remissionem peccatorum et Spiritum sanctum.

Hanc doctrinam de efficacia ministerii evangelici non intelligunt mentes prophanae: sed experientia in vera consolatione ostendit necessariam et salutarem esse. Anabaptistae et alii fanatici totam delent, qui suis imaginationibus relicto Evangelio novas illuminationes quaerunt. Tales furores execrandi sunt, et opponenda sunt testimonia de efficacia ministerii evangelici.

Tertia pars de Ecclesia loquitur: semper regnabit verus Deus in Ecclesia, in qua sonat verbum ab ipso traditum. Haec sententia docet et quid sit Ecclesia, et promissionem tradit, quae adfirmat Ecclesiam perpetuo mansuram esse, qua consolatione piis opus est, ne existiment Ecclesiam interituram esse, cum tam varie oppugnetur et quassetur.

Argumentum ac dispositio Psalmi XXX.

Exaltabo te Domine, quoniam subvexisti me, etc.

Gratiarum actio est, recitans beneficium seu liberationem. Miscentur autem ut fit, descriptiones periculi et afflictionum, et enarrantur causae periculi, et argumenta propter quae expetenda est liberatio. Saepe autem dictum est, hac narrationes ideo scriptas esse, ut exempla proponantur, quae testentur Deum vere exaudire eos qui invocant in Ecclesia, et vere opitulari eis, et doceant fidem et invocationem. Sicut enim Deus promissiones tradidit, et scribi voluit, et exempla liberationum multa quotidie ostendit, et insignia aliqua scribi voluit, tanquam testimonia promissionum, ut discamus vere exaudiri invocantem Ecclesiam, et accendantur fides, invocatio, et alii motus Deo placentes in cordibus piorum: ideo toties iam dictum est, oportere nos exempla ad usum nostrum transferre. Sicut te includis in vocem promissionum, sic etiam exemplum tibi concionari scias, quia Deus non est personarum acceptor. Tam vult Deus te exaudire, quanquam exaudivit Davidem, modo ut petas auxilium. Itaque gratiarum actio in hoc Psalmo, ut alibi, testatur nos exaudiri, et iubet exemplo ut petamus auxilium, et accepto beneficio gratias agamus, et alios nostra fide et confessione ad invocationem invitemus.

Tres primi versus eandem propositionem repetunt: *Tu Deus liberasti.* Quartus versus addit gratiarum actionem, quam vult fieri a toto coetu, quia passim Psalmi deducunt nos ad coe-

tum, volunt ut ad Ecclesiam nos adiungamus, et ut in Ecclesia sonet nostra confessio. Ideo inquit: *Psallite Domino Sancti eius.*

Versu quinto collatio recitatur adflictionis et consolationis. Significat breve esse tempus adflictionis, sed postea consolationem aeternam, ut 2. Cor. 4.: Momentum adflictionis nostrae efficiet aeternum pondus gloriae. Haec collatio necessaria est, ut sciamus finem fore praesentium miseriarum, quae saepe sunt horribiles.

Versu 6. et 7. recitantur causae adflictionum: Dixi in abundantia mea, non movebor. Responsio est securitatis in rebus secundis, et commonefactio, ut cogitemus res secundas Dei beneficia esse, nec fiamus insolentes, superbi, negligentes: Tantisper, inquit, floreo, dum me iuvas. Sed cum abscondis faciem tuam, id est, cum non aspicis ut me iuves, ingentibus miseriis opprimor. Sed in his ad te confugio.

Versu 9. argumentum recitatur quare sit petenda liberatio, scilicet ut Deus glorificetur: *Quid prodest Deo noster interitus?* Et ut dicitur in Tobia: Non delectatur Deus perditione nostri.

In fine precationes adduntur, quia subinde iterum nobis opus est liberatione. Haec omnia cum ad usum nostrum transferuntur, ut saepe dixi, fiunt illustria, et ita dulcescunt Psalmi, cum discimus fidem et invocationem in his exemplis. Repeto autem quod supra saepe dictum est, in hac invocatione accendatur fides, ut nos vere exaudiri statuamus. Et sicut promissionem ad nos pertinere scimus: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit: ita haec exempla proposita esse sciamus, ut nos quoque credamus similiter exaudiri. Dives est enim Deus erga omnes qui eum invocant.

Argumentum ac dispositio Psalmi XXXI.

In te Domine speravi, non confundar in aeternum, etc.

Precatio est, qua uti omnes pii possunt in petenda liberatione. Et exemplum hic descriptum, ut saepe alias, docet in tali petitione fidem adferendam esse. Exaggeratur autem calamitas et miscentur gratiarum actiones et promissiones, ut fit in his descriptionibus: quia recordatio liberationum priorum accedit, et in praesentia aliqua mitigatio sentitur. Observanda est autem collatio spei verae et spei carnalis. In primo versu statim in propositione dicitur: *In te Domine spero: non confundar in aeternum*, id est, mea spes non nititur humanis praesidiis, non mea iusticia, non meis viribus, sed tua misericordia. Tu igitur eripe me tua iusticia, id est, tu me declares iustum et tibi acceptum esse. Aliter enim phrasis accipienda est, quam si Latino more de iudice loqueremur iudex iusticia tua punias parricidas.

In versu sexto clare discernit duplicem spem: *Odi observantes vanitatem*, id est, eos qui humana sapientia, humana iusticia, praesidiis amicorum nituntur. Haec omnia vana et fallacia sunt, sicut alias scriptum est: Maledictus qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum. Econtra vero inquit Psalmus: *Ego in Domino speravi.* Hoc dicto et similibus docemur de spe, quae petit et expectat auxilium a Deo, etiam cum destituti sumus humanis auxiliis, ut alibi dicitur: Pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. In fine gratiarum actio recensetur: *Benedictus Dominus, qui mirificavit misericordiam suam mihi.*

Deinde additur adhortatio, quae ostendit applicationem exempli. Sicut ego exauditus et liberatus sum, ita nos quoque exaudiemini. Ideo viriliter agite, non succumbite animis, non abiicite promissionem verae doctrinae, erigite et confirmate animos spe et expectatione auxilii divini. Estque promissio dulcissima addita: *Fideles custodit Dominus*, id est, veraces et constantes, qui veritatem Dei amplectuntur, et vera sine hypocrisi docent. Econtra vero perdet Deus superbos, qui audacissime et superbissime contemnunt Deum, freti humana potentia, ut nunc homines pios crudelissime interficiunt multi Epicurei, audacter contemnentes Deum. Sed Deus eorum furores aliquando reprimet.

Argumentum ac dispositio Psalmi XXXII.

Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.

Titulus monet hunc Psalmum plenum esse eruditionis. Inscribitur enim eruditio. Etsque doctrina propria Ecclesiae de remissione peccatorum, de peccato manente in Sanctis in hac vita,

de confessione peccati, de discrimine verae iusticiae arrogantiae hypocritarum, de causis calamitatum humanarum, de vera consolatione, quae in Ecclesia traditur in doctrina de cruce. Haec tota doctrina extra et supra philosophiam et rationis humanae iudicium posita est, et discernenda est a lege. Est enim vox Evangelii, in quo patefit arcana voluntas de gratuita remissione peccatorum, et de vera consolatione in cruce. Ideo autem hic Psalmus variis interpretationibus contaminatus est, quia pauci recte intelligunt doctrinam de gratuita remissione peccatorum, et multi ineruditi confundunt genera doctrinarum, Legem et Evangelium. Ordine autem propositiones considerentur.

Primus et secundus versus continent expressam et perspicuam propositionem de gratuita remissione peccatorum: *Ille est beatus et iustus, cui remittitur peccatum*, id est, quem Deus recepit, etiamsi indignum et adhuc habentem sordes in hac carnali natura. Non propter merita nostra, non propter virtutes nostras, sed propter Deum recipientem nos sua misericordia, data promissione, sumus iusti. Haec est doctrina quam Paulus copiose enarrat in Epistola ad Romanos, ubi horum versuum testimonium citat.

Sequentes versiculi loquuntur de confessione peccati: *In cuius spiritu non est dolus*, id est, ubi est agnitio et confessio peccati, item agnitio misericordiae et promissae gratuitae reconciliationis fide apprehendens remissionem, in tali pectore non est hypocrisis, arrogans sibi iusticiam.

Cum tacerem, ossa mea languefacta sunt, id est, in pavore et lucta, priusquam confessione gratuitae remissionis erigerer, pene extinctus sum. Cum Deus ostendit nobis peccatum expavescimus, ut inquit Ieremias: Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum etc.

Sequitur repetitio et declaratio propositionis principalis: sic consequitur homo remissionem cum confitetur peccatum, et petit gratis remitti propter promissionem divinam. Haec est dulcis et firma consolatio, vere incoans vitam aeternam in corde, quod adfirmat nos certo donari remissione, etiamsi non adferimus merita, sed hunc ipsum gemitum agnoscentem peccatum et petentem remissionem.

Secunda propositio, discernens hypocritas et iustos fide. Etiam in Sanctis manet peccatum, sed remittitur petentibus: *Pro hoc orabit ad te omnis Sanctus.* Sancti non satisfaciunt legi, non sunt iusti impletione legis: sed adhuc secum circumferunt multa vitia interiora, dubitationes, diffidentiam, securitatem et alia mala, quae extenuant hypocritae, sed Sancti agnoscunt esse peccata, et petunt condonationem, et acquiescunt in doctrina huius Psalmi, sciunt homines ita iustos esse, quia peccatum tegitur et non imputatur.

Πάθος: *Ergo in tribulatione ad te confugiam.* Qui ignorant hanc doctrinam de gratuita remissione, in calamitatibus iudicant se propter peccata a Deo abiici, ut inquit Cain: Maius est peccatum meum, quam ut remitti possit. At haec doctrina revocat animum ex inferis, cum ostendit certo gratis remitti peccata, et Deum praecipere, ut fide petamus remissionem.

Inseritur promissio, in qua Deus promittit se velle hanc doctrinam pios docere, quia sine luce divina non tollitur hypocrisis.

Tertia propositio, Principalis causa calamitatum humanarum est, non, ut philosophi putant, materia, sed peccatum in natura hominum. Mors et aliae miseriae humanae sunt carcer impiorum, qui debebat homines admonere de ira Dvi adversus peccatum: *Chamo et freno maxillas eorum constringis, cum non adpropinquant ad te.* Vagantur horribiles poenae per totum mundum, Sodoma, Aegyptus, Ierosolyma, Babylon, Roma delentur. His exemplis et coërcet Deus impios, et commonefacit omnes homines, ut agnoscant Deum vere irasci peccatis, et aliqui ad Deum convertantur.

Quarta propositio, Utrique pii et impii morte onerati sunt, et horrendis calamitatibus excruciantur. Sed impii succumbunt ac ruunt in aeternum exitium, quia nolunt audire remissionem peccatorum. Econtra vero petentes remissionem peccatorum, sciunt se propter peccatum subiectos esse morti et aliis miseriis, sed tamen non abiici a Deo propter has poenas. Sustinent igitur aerumnas et petunt remissionem, et sciunt se vere exaudiri a Deo, et iuvari, et tandem liberationem propositam esse.

Epiphonema: *Laetamini in Domino.* Has consolationes de gratuita remissione, et de auxilio in cruce qui tenent, experiuntur in magnis doloribus veram levationum, imo vitae aeternae gustum et incoationem. Haec tota doctrina, ut supra dixi, philosophis ignota est: ideo videtur obscurior. Philosophi iubent tantisper humana

praesidia quaerere, dum aliqua inveniri posse videntur: postea velut amissis tabulis in mari, sinunt mergi animos, cum ratio nihil videt auxilii. Sed mens intelligens Evangelium, in qua fides accensa est, scit Deum adesse invocantibus etiam cum destituimur humanis auxiliis, ut Esaias inquit, Deum habitare in adflicto Spiritu. Et Psalmus 34.: Prope est Dominus his, qui tribulato sunt corde.

Argumentum ac dispositio Psalmi XXXIII.

Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio.

Doctrina est gratiarum actio de providentia, quae non tantum intelligatur, ut philosophi eam intelligunt, qui in hac ipsa sententia dupliciter errant. Primum vagantur animis, non quaerentes verum Deum, qui se verbo suo et promissionibus patefecit: deinde etiamsi concedunt Deum magna quaedam gubernare, ut cum vident excuti ex regno Astyagen, et iuvari Cyrum imbecilliorem, tamen aiunt multa prorsus committi nostrae diligentiae, et semper dubitant, an exaudiantur hominum preces.

At hic Psalmus docet hunc verum Deum invocandum esse, qui se in Ecclesia, datis promissionibus, patefecit. Et hunc adfirmat curare humana, magna et parva, et exaudire invocantium preces, ac velle quidem ut singuli suscipiant opera vocationis suae, ut Doctores doceant, Senatores regant consilio Rempub., Duces praelientur, patresfamilias erudiant liberos, unusquisque studeat vitare delicta, et conferat operam ad ornandam Ecclesiam et tuendam communem tranquillitatem. Sed tamen sciamus, etsi non sumus ignavi ac bona conscientia annitimur, tamen Dei est provehere hos conatus, et efficere ut sint felices et salutares. Ita discamus concurrere in omni bona actione, Dei auxilium et nostrum conatum, sicut usitate dicitur: Praeeunte gratia, comitante voluntate.

De hoc concursu et auxilio Dei docet nos hic Psalmus. Tradit doctrinam quod Deus vere et condiderit universum opificium mundi, et adsit suis operibus, eaque servet, et praecipue tueatur Ecclesiam. Hanc promissionem inculcat et praecipit de fide, ut credamus Deum adesse suis operibus, et promissionem auxilii omnibus periculis opponamus, et petamus auxilium. Hos cultus monet esse praecipuos et ignotos humanae rationi. Accendi igitur et crescere fidem huius invocationis exercitio oportet.

Sennaherib inferens bellum Iudaeae, cogitat se suo consilio, et exercitus sui robore domiturum Iudaeam, non cogitat de praesentia Dei, nec vere petit auxilium divinum, sed ut Aiax dicebat, Timidis opus esse auxilio divino, se etiam sine Deo potiturum esse victoria: ita Sennaherib summovet Deum. At econtra Ezechias scit adesse Deum Ecclesiae suae, petit et expectat defensionem: nec fallit haec fides ipsius expectationem, sed vere impetrat defensionem. Haec exempla nobis proponamus, ac sciamus et promissiones omnibus propositas esse, et exempla propter nos scripta esse, ut similis fides in nobis accendatur, et petamus et expectemus auxilium, et Deum celebremus.

De his fidei exercitiis saepe iam dictum est in aliis Psalmis. Et Paulus suum exemplum recitat 2. Corinth. 1.: Responsum mortis in nobis ipsis habuimus, Ne essemus confidentes in nobis ipsis, sed in Deo resuscitante mortuos, qui ex tanta morte nos liberavit, et rursus liberabit, iuvantibus vestris precibus, ut deinde per plures agantur gratiae: quo in loco Paulus eruditissime recensuit et causam adflictionum, scilicet ut fiducia nostri deponatur, et agnoscatur praesentia Dei, et petatur auxilium.

Deinde causae sunt cur Deus adiuvet, Finalis, ut ipse celebretur, et multi invitentur ad invocationem. Sed impulsiva partialis, nostrae et aliorum preces. Impulsiva vero principalis est mediator Christus pro nobis intercedens.

Exordium Psalmi est: *Exultate iusti in Domino.* Iubet celebrare bonitatem Dei et agere gratias.

Narratio est: *Verbo Domini coeli facti sunt.* Orditur a creatione, ut postea addat doctrinam de praesentia Dei servantis sua opera, et praesertim Ecclesiam.

Dominus dissipat consilia Gentium. Hic etiam recitat doctrinam de providentia, quod curet et defendat Ecclesiam, reprimat impetus tyrannorum, sicut Pharaonem et multos alios repressit.

Beata gens, cuius est Dominus Deus eius. Hic versiculus promissio est, testificans hoc auxi-

lium praecipue ad Ecclesiam pertinere. Et simul docet nos de vera invocatione, et quae sit vera Ecclesia. Haec, inquit, vera est invocatio, agnoscere et invocare hunc Deum, qui est Iehova, qui se Israëli patefecit, et promissionem nobis illustribus testimoniis tradidit, qua adfirmat se nos recipere, exaudire, et donare praesentibus et aeternis bonis propter promissum semen. Haec est vera Ecclesia et haereditas Dei, populus quem Deus sibi expresso verbo adiunxit.

Deinde repetit doctrinam de providentia, praesentia et auxilio Dei, et extenuatione virium humanarum: *Humanae vires sine Deo sunt inanes*, *fallax equus ad salutem*, ut exitus Sennaherib ostendit: *At oculi Domini intuentur metuentes eum*, *Deus custodit invocantes eum*, ut Ezechiae liberatio testatur: Deus aspicit hominum opera et consilia. Quod vero ait: *Format*, non intelligatur malarum cogitationum autor esse, sed bonos conatus adiuvat, malos reprimit, cum videat utrosque.

Deinde adiungit precationes tanquam conclusionem, ut in nobis quoque haec fides accendatur, credens Deum opitulari invocantibus et petens auxilium: *Anima nostra expectat Dominum: auxilium nostrum et scutum ipse est. Fiat misericordia tua Domine super nos.*

Argumentum ac dispositio Psalmi XXXIV.

Benedicam dominum in omni tempore semper laus eius in ore meo.

Hic dulcissimus Psalmus saepe citatur, quia non solum praecepta et promissiones uberrimas continet, sed etiam applicationem exemplorum, quae docet nos intueri in exempla, et non absterreri hac humana ratiocinatione: Privilegia non transferantur in exemplum. Etiamsi Abraham, Ioseph, David adiuti sunt, tamen non sequitur caeteris similia beneficia expectanda esse. Imo, inquit hic Psalmus, similia beneficia caeteri omnes expectent, qui Deum vere invocant, et ad cum confugiunt.

Sed hic prius tenenda est doctrina Evangelii, ut argumentum explicetur, quod lex opponit. Iustus dat aequalia aequalibus: Ioseph et ego sumus inaequales, ille erat iustus et ornatus omnibus virtutibus, ego sum iniustus, et multorum peccatorum reus: ergo illi iuste praemia data sunt, ego iuste poenis adficior. Sed minor explicatione indiget, quae ex Evangelio sumenda est. Sumus aequales Ioseph et nos, utrique enim sumus rei multorum peccatorum: sed et Ioseph recipitur gratis per misericordiam, et nos gratis recipimur per misericordiam propter Filium Dei. Ita rursus efficimur aequales. Haec est ingens bonitas, quam vult Deus agnosci et conspici. De hac aequalitate sciamus nobis Evangelii vocem concionari, quam nisi vera fide infixam animis tenebimus, hae consolationes in hoc Psalmo propositae, nec intelligentur, nec lenient dolores.

Postquam autem scimus recipi propter Filium Dei gratis aequaliter omnes qui Deum invocant, et fiducia Filii Dei credunt sibi remitti peccata, tunc dulcescunt hae consolationes, tunc scimus ad nos pertinere haec dicta: *Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde, et contritos spiritu salvabit.* Haec doctrina aliena est a iudicio rationis et sententiis legis, sed tamen vera est. Est enim sine ulla dubitatione aeternum et immutabile Dei Evangelium, quod protulit Filius Dei ex sinu aeterni patris, ut hac vera consolatione ad Deum revocemur. Hac praemonitione considerata facilis est Psalmi interpretatio.

Primum agit gratias Deo pro liberationibus. Deinde exemplum suae liberationis proponit toti Ecclesiae, ac hortatur singulos, ut exemplis aliorum, qui experti sunt Dei beneficia, petant et expectent liberationem.

Et in versu quarto ὑποτύπωσις est dulcissima. In qua inquit magna frequentia accurrere miseros ad Deum, et exaudiri eorum gemitus, vota. In hac frequentia accurrentium nos quoque simus, et cum promissionibus crebro repetitis, tum vero exemplis Sanctorum invitemur.

Deinde sequuntur promissiones exaggeratae aliquot versibus, in quibus non solum promissiones considerentur, sed etiam doctrina de fide, ut supra saepe dictum est. Edit Deus promissiones et vult nos eas fide accipere, hoc est, in ipso verbo acquiescere, et revera expectare eventus. Haec doctrina in quotidiana invocatione et experientia discenda est. Et semper oculis, auribus ac mente circumferatur haec sententia: *Gustate et videte quod bonus sit Dominus*, *beatus vir qui confidit in eo.* Hoc dictum saepe repetitum

in Psalmis docet nos, ut fide promissiones amplectamur, acquiescamus in verbo, et expectemus auxilium, sicut saepe dictum est.

Miscentur deinde praecepta, quae quomodo fiant a Sanctis, et quomodo placeant Deo, ex Evangelio discendum est, etc.

Argumentum ac dispositio Psalmi XXXV.

Iudica me Domine cum contendentibus mecum, pugna cum pugnantibus contra me.

Totus Psalmus precatio est. Initio petens defensionem contra impios, qui ardent iniustis odiis adversus pios, et delere eos conantur: ac petitioni seu propositioni querela attexitur describens furores impiorum.

In fine repetitur propositio seu petitio. Et sicut saepe alias fit in Psalmis, alias brevius hic asperguntur promissiones et causae liberationis. Promissio velut exemplo significatur versu nono: *Anima mea laetabitur in Domino.* Nam liberationes Davidis hic propositae sunt exempla promissionis, ut saepe dictum est, quae scripta sunt, ut nos quoque petamus et expectemus auxilium in nostris afflictionibus. Non propter unum Davidem, nec de uno Davide haec scripta sunt, sed de omnibus membris Ecclesiae Dei. Ut enim promissiones liberationis ad omnia membra pertinent: ita exempla testantur vere praestari invocantibus ea quae promissiones pollicentur.

Postremo causa finalis liberationis haec est, ut miranda facta testentur, Deo curae esse Ecclesiam: et cum haec beneficia recitantur, multi agnoscunt Deum et invitantur ad timorem Dei et ad fidem, ut Dei gloria celebretur. Ut cum Aegyptii et vicini audiverunt liberationem populi Israël ex Aegypto, fama doctrinae late sparsa est, et multi coeperunt amplecti veram doctrinam, vere timere Deum, et vera fide eum invocare, ideo dicit: *Iudica me secundum iusticiam tuam Domine Deus meus*, ne laetentur adversus me, id est, tuam causam defende, ne impii vociferentur me deserto, nihil esse veram providentiam, non esse discrimen Ecclesiae Dei et impiorum: ideo tu ostendas discrimen, et testificeris vere te in Ecclesia invocari, vere hoc verbum, quod Ecclesia a te accipit, divinum esse: caeteras vero regiones ignaras verbi a te traditi commentitias esse. Hic finis in petenda liberatione semper nobis propositus sit, ut gloria Dei celebretur, ut alias dicitur: Ne dicant in gentibus, ubi est Deus eorum?

Argumentum ac dispositio Psalmi XXXVI.

Ex intimis cordis dico de transgressione impii, non est timor Dei ante oculos eius, etc.

Est et hic Psalmus precatio universae Ecclesiae contra impios doctores. Sed initio ponitur narratio, quae est εἰκὼν et imago impiorum doctorum illustris. Principio autem detrahit eis virtutes, quae necessariae sunt in his, qui sunt vere membra Ecclesiae Dei et Deo placent. Nam timor Dei generaliter significat verum cultum Dei, veros pavores, veram fidem non discedentem a verbo Dei, veram invocationem huius veri Dei, qui se patefecit in Ecclesia suo verbo: deinde et totam obedientiam quae praestatur propter reverentiam Dei, et vera fide praelucente verbo Dei. Ubi hic timor non est, ibi est Epicureus contemtus, vel audacia fingendi dogmata et cultus, ut in omnibus haereticis et defensoribus idolorum, qui non volunt videri ἄθεοι. Et tamen non invocant verum Deum, quia discedunt ab eius verbo.

Postquam radicem descripsit, scilicet caliginem in mentibus, et contemtum Dei et verbi eius, deinde malos fructus recitat, inter quos praecipui sunt, opiniones contumeliosae adversus Deum, et audacissime conficti errores et cultus, sicut Ethnici horribilia portenta finxerunt. Deinde adduntur praestigiae, quibus confirmantur errores. Nominat igitur πιθανολογίαν, quae fucosa specie et sophistica ornat falsa dogmata. Ideo dicit eos blande persuadere opiniones suas, ut inveniant iniquitatem, id est, late propagare possint.

Huic artificiosae imposturae proxima est calumnia, qua corrumpunt veras sententias, et odia accendunt contra pios doctores, et sunt autores dissidiorum publicorum et dilacerationum Ecclesiae seu schismatum. Ideo addit, ut odia moveant.

Pertinent ad descriptionem calumniae seu sicophantiae et haec quae sequuntur: *Verba eorum perniciosa et fraudulenta.* Hic aperte doctrina impia taxatur, quae est mendacium per-

niciosum Ecclesiae, et contumeliosum contra Deum. Et cum primum perdit animas avulsas à Deo, postea etiam in hac externa gubernatione Ecclesiae, causa est magnarum dissipationum et tristissimarum calamitatum, ut Anabaptistici furores impulerunt multos ad movendas seditiones, quae fuerunt exitiosae totis civitatibus.

Tertio accedit pertinacia, quam describit inquiens: *Non vult doceri ut bene faciat.* Magnum decus est antecellere opinione sapientiae et sanctitatis. Id decus cum homines ament et aegre patiantur sibi eripi, ut dicitur: Qui velit ingenio cedere rarus erit: acriter et pertinaciter dimicant de opinionibus suis, ut gloriam suam tueantur. Et homines natura sunt superbi, et dolent vinci et exui gloria quam habuerunt. Hae sunt causae pertinaciae, quae facit ut priores morbi, scilicet error et temeritas fiant mala incurabilia. Ideo Paulus iubet haereticos postquam aliquoties admoniti sunt, vitare, quia non admittunt medicationem, et sunt, ut ipse inquit, *αὐτοκατάκριτοι.*

Quarto, Non sibi tantum nocent impii doctores, sicut plerique alii furentes suo corpori nocent: sed ad eas pestes, quas iam recensuit, accedit et haec, quod ardent cupiditate late spargendi veneni, et hoc ut perficiant, dolo et saevitia pugnant.

Sunt igitur non solum calumniatores et pertinaces, sed etiam *κακοῦργοι,* ut nunc pontificii et monachi defendunt sua idola, et acerrime pugnant fraudibus et crudelitate, ut recte sentientes deleant. Ideo inquit Psalmus: *Perniciem struit in lecto suo, stat iuxta viam non bonam*, id est, dies noctesque quaerit consilia delendae verae doctrinae et opprimendi recte sentientes, nec veretur falso praetextu rapere innocentes ad supplicia, aut impia bella movere.

Hactenus descripsit impios doctores narrans eos esse contemtores Dei et verbi eius, et errorum autores et defensores, sophisticos, calumniatores, pertinaces, et saevas pestes iniusta crudelitate grassantes in Ecclesia.

Deinde sequitur precatio ad verum Deum, qui se in hoc populo patefecit, dato verbo suo certis testimoniis. Causas autem, propter quas se exaudiri sperat, commemorat, misericordiam Dei et veritatem, id est, promissiones, quas Deus iustus et verax certissime praestat. In his promisit se illam Ecclesiam, quae amplectitur verbum Dei, servaturum esse, et eius gemitus et preces exauditurum.

Interserit autem sententiam: *Homines et iumenta servabis Domine.* In quo dicto generalis rerum conservatio confertur cum speciali Ecclesiae conservatione, sicut Paulus inquit prima Timoth. 4.: Qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium, id est, Deus servat totam rerum universitatem, coelum, terram, pecudes, et universum genus humanum, sed propter Ecclesiam, scilicet ut Ecclesiam sibi colligat ex humano genere. Hanc vero Ecclesiam non solum in hac vita servat, sed etiam adiunget sibi in vita aeterna, et ornabit aeternis bonis. Ideo sequentes versiculi in Psalmo proprie de Ecclesia concionantur, eamque nominant: *Filii Adam in umbra alarum confident. Saturabuntur pinguedine domus tuae*, id est: Nobis qui sumus in domo tua, id est, in Ecclesia aedificata verbo tuo, facta est promissio defensionis, et aeternae salutis. Nos umbra alarum tuarum tegimur, Nos in lumine tuo, id est, praelucente verbo tuo, videbimus lumen, id est, experiemur consolationem. Hanc dulcissimam commemorationem promissionum adfert ad Deum, et petit defensionem et gubernationem adversus impios doctores et tyrannos.

Fiet autem nobis magis perspicua sententia Psalmi, si cum similibus periculis nos quoque conflictemur, has preces vera fide dicemus, et has ipsas promissiones statuemus ad nos quoque pertinere, sicut non dubium est pertinere eas ad veram omnium temporum Ecclesiam, videlicet eam quae amplectitur Evangelium, et non defendit idola et impios errores.

Argumentum ac dispositio Psalmi XXXVII.

Noli aemulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.

Doctrina est et consolatio opponenda scandalo crucis, de quo humana ratio ignorans cur Ecclesia subiecta sit cruci et aerumnis, non recte iudicat. Videt enim communes esse miserias bonorum et malorum, iustorum et iniustorum, imo fortunam saepe magis saevire in homines iustos, quam iniustos, ut Ieremias, Baptista et multi similes crudelissime interfecti sunt. Interea Dio-

nysius tyrannus pater, et Tyberius et multi scelerati in magnis voluptatibus vixerunt, et sine violentia mortui sunt. Cum igitur nec praemia dari iustis, nec poenae tantum iniustos opprimere videantur, sed pariter vagari poenas per malos et bonos adpareat, caeca ratio hominum tollit providentiam, et removet Deum a gubernatione, imaginatur casu omnia ferri, pingit fortunam caecam, denique horrendos furores cumulat, ut multorum Epicureorum sermones quotidie ostendunt. Remota vero providentia deinde ratiocinantur impii: cum iusti saepe propter iusticiam augeant sibi miserias, quae stulticia est recte facere? Epicureo stulti videntur Ieremias, Baptista, Christus, Paulus, et similes, cum sibi accersunt pericula recte docendo. Diceret enim eos suavius victuros esse, si tacerent, et potius foverent eum statum, quo delectabantur principes, ut faciebat Solon non opponens se Pisistrato, aut Hortensius, Lucullus et alii, non adversantes Syllae, quanquam satis crudeliter dominanti.

Cum autem semper multi homines deficiant a Deo propterea quod vident iustos duriter premi: hic Psalmus doctrinam tradit, in qua primum praecipit ut Deo obediamus, nec offensi illa specie, quod miseriae sint communes, deficiamus.

Deinde addit consolationem, in qua est asseveratio de providentia. Adfirmat certe Deum curare Ecclesiam, et punire impios. Et hoc fit dupliciter, id est, tum in hac vita, tum post hanc vitam. Regulare est atrociter violantes politicam iusticiam, divinitus rapi ad supplicia in hac vita, ut ait Christus: Quicunque gladium acceperit, gladio peribit, ut Cain, Saul, et innumerabiles tyranni et homicidae plectuntur in hac vita. Ita regulare est blasphemos contra conscientiam agentes, periuros et pollutos incestis libidinibus in hac vita puniri, ut Sodoma, Thebae, Athenae, et multae totae gentes propter libidines deletae sunt. Haec regula vera et formidanda est, etiamsi aliquid interdum praeter regulam fit: ut etiamsi hyeme interdum aliqui dies calidi sunt similes aestivis, tamen regula vera est hyemem frigidam esse. De iudicio vero post hanc vitam notae sunt expressae conciones, Esaiae ultimo et Matthaei vicesimo quinto, et alibi. Cum igitur certissimum sit, Deum punire perseverantes in impietate, execrandi sunt Epicurei, qui tollunt providentiam, et nostrae mentes confirmandae sunt, ut sciant Deum vere curare humana, et ut recte faciamus.

Sed rursus quaerit humana ratio: cur iusti tam sunt aerumnosi? ut Abel, Ieremias, Christus? Haec est arcana sapientia Ecclesiae: nec philosophia ulla monstrat causas, sed sola Evangelii doctrina. Prima autem et praecipua causa est, peccatum quod in hac depravatione naturae adhuc haeret. Premitur ergo Ecclesia, ut agnoscat iram Dei adversus peccatum, et ut haec immundities in nobis, securitas, neglectio Dei, fiducia nostrae sapientiae, et aliae errantes cupiditates frenentur, et aliquo modo minuantur. Ideo inquit Paulus Rom. 7.: Propter peccatum corpus nostrum morti destinatum est. Deinde concurrunt aliae multae causae, quae recitantur in copiosiore doctrina de cruce.

Etsi autem et Ecclesia adfligitur, tamen plurimum interest inter Ionathan et Saulem. Ionathae adest Deus, et sustentat eum etiam in morte, et dat praemia post hanc vitam. Imo et in hac vita servatur ille coetus quem probabat Ionathas, et causa comprobatur. Saul vero sine consolatione extinguitur, et ruit in aeternas poenas: et coetus quem probabat, postea quoque deletur, et causa damnatur.

Multae sunt etiam singulorum piorum mirandae liberationes in hac vita, ut Ioseph, Davidis, Danielis. Melius est igitur iusto, quia semper habet certum praesidium, scilicet Deum, qui adest, sustentat adflictum, mitigat adversa et saepe prorsus liberat. Semper autem dat praemia aeterna, et causam comprobat, et servat Ecclesiae corpus. Econtra vero blasphemi etiamsi aliquandiu florent, tamen evertuntur et delentur.

Haec est summa huius Psalmi, in quo ars vitae est, quae semper nobis sit in conspectu. Philosophi multum disputant, cum tam varia sint in omni vita et omnibus negociis pericula, quid agendum sit? Respondet Psalmus: Obtempera mandatis Dei, exitus vero ab ipso gubernari scias, et expecta successus et felices exitus a Deo. Nec frangare animo, etiamsi magni labores perferendi sunt, quia aderit tibi Deus, ut et Paulus inquit: Labor vester non erit inanis in Domino.

Ridiculum videtur quod Paulus discurrit per Asiam et Europam collecturus Deo Ecclesiam: frustra enim videtur laboraturus in mutandis publicis persuasionibus et religione. Et haec novi-

tas magnos tumultus et seditiones paritura erat. Quare si Socratem consuluisset, an hic labor suscipiendus esset, certe Socrates dissuasor fuisset. Sed hic in Psalmo discimus mandatis Dei obediendum esse, et exitus Deo commendandos.

Hanc artem vitae longe praestantiorem omnium philosophorum Ethicis, oportet bene inculcatam esse mentibus: quia saepe errant homines, cum contra mandata Dei futuris eventibus occurrere volunt. Ut autem haec ars vitae intelligatur et exerceatur, utraque virtute opus est, timore Dei et fide. Timor obediat, et fides intuens Deum statuat nos iuvari et tegi a Deo, ac petat et expectet bonos eventus. Ac in talibus exercitiis lux fidei in omni vita crescere debet.

Totus autem Psalmus alias regulam seu praeceptum tradit, ut mandatis Dei obediamus: alias promissiones et comminationes. Et eaedem sententiae variis figuris repetitae sunt. Proponit hypotyposes, florentes impios et saevientes in Ecclesiam, sed mox ruituros et perituros. Econtra vero Ecclesiam oppressam, et tamen rursus emergentem ex miseriis.

Argumentum ac dispositio Psalmi XXXVIII.

Domine ne in furore tuo arguas me, etc.

Primus versus, et postremi duo, et decimus quintus et decimus sextus, sunt precationes, in quibus petit David mitigationem ingentium calamitatum et liberationum, ne abiiciatur a Deo, ne opprimatur hostium furore, ne pereat, sicut impii ex tragicis malis ruunt in aeternum exitium, ut Pharao, Saul et similes perierunt.

Duas autem causas recenset, ut saepe, cur sit adiuvandus. Alteram impulsivam, quia spero in te, id est, fide invoco te, et auxilium a te expecto. Promisisti autem auxilium ad te confugientibus, sicut alibi dicitur: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Altera causa est finalis, ne triumphent adversarii, et blasphemi glorientur, suas opiniones veras esse, doctrinam Dei commentitiam esse. Promisit autem Deus se gloriam suam defensurum et adserturum esse, ut Esaiae 48. dicitur: Propter nomen meum amovebo iram meam. Et deinde sequitur: Propter me, propter me faciam, ne blasphemetur nomen meum, Et gloriam meam alteri non dabo. Hae causae valent apud Deum. Cum enim sit verax, promissa haud dubie praestat. Utrumque autem promisit, et exauditurum se invocantes, et asserturum se esse gloriam suam. Hanc fidem discamus nos quoque ad Deum in precando adferre. Has causas, quae toties in Psalmis repetuntur, proponamus Deo: quod si faciemus, experiemur certo, non esse irritos gemitus nostros et petitiones.

Sed humana natura, propter magnam confusionem dubitationum in corde, pene surda est ad has promissiones, nec indicat tam liberales esse, aut ratas et firmas esse. Huic dubitationi repugnandum est. Semper autem cum promissiones cogitamus, simul intuendus est mediator Filius Dei. Ita cogitatione causarum, quibus Deus testatur se moveri, fides excitanda est, et petendum et expectandum est auxilium.

Caeteri versus in toto Psalmo sunt tristissima querela, et narratio ingentium dolorum, amplificata mentione causarum et circumstantiarum. Non enim tantum hominum odia et corporis pericula et cruciatus recitat, sed etiam aliam tristiorem causam summae moesticiae narrat, videlicet quod manu Dei prematur et sagittis divinis vulneretur, perterrefactus a Deo ostendente iram suam adversus peccata.

Fortis animus tantisper donec conscientia est integra et statuit se Deo placere et a Deo defendi et iuvari, facile perfert ac despicit iniurias illatas ab hominibus, ut Laurentius et multae puellae in suppliciis despexerunt tyrannos et mortem. Sed cum conscientia expavit, et deseri ac abiici a Deo videmur, et Deo irascente, ruituri in tristiora mala: hic dolor longe asperior est omnibus corporum cruciatibus. Talis fuit Davidis moesticia in exilio, sentientis molem peccati sui et iram Dei. Talis et Ezechiae dolor fuit, de quo dicit: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. Etsi autem diu nemo potest hos horribiles pavores sustinere, tamen multis accidunt adversa inextricabilia humano consilio, in quibus degustant animi hos tristissimos dolores. Non intelligunt autem querelam aut consolationes, Epicurei aut hypocritae ebrii laeticia, quam ex voluptatibus suis aut gloria percipiunt, sed aerumnosi aliquo modo hanc querelam intelligunt. His prodest huius Psalmi meditatio: Primum ut exemplo se erudiant. Cum enim et caetera membra Ecclesiae vident in tantis miseriis esse, sciant se quoque non abiectos esse

a Deo propter calamitatum magnitudinem. Deinde quaerant et consolationes, erigant se cogitatione promissionum, fide et invocatione, ut David ipse se sustentabat. Experientur autem hanc invocationem non esse irritam.

Argumentum ac dispositio
Psalmi XXXIX.

Dixi custodiam vias meas, ut non peccem lingua mea, custodiam os meum capistro, dum adhuc impius coram me est.

Est et hic Psalmus consolatio, opponenda scandalo felicitatis impiorum, quos cum florere multi vident, et Ecclesiam oppressam esse ingentibus miseriis, cogitant potius illum florentem coetum Deo curae esse, quam hos miseros. Huic dubitationi multae conciones Prophetarum, Christi et Apostolorum medentur, quae docent quare Ecclesiam in hac vita Deus velit adfligi, et iubent duplici collatione leniri dolorem. Prior est, quod brevi tempore Ecclesia adfligitur, postea habitura aeternam laeticiam: impii vero deinde futuri sint in aeternis poenis. Altera est, quod etiam in hac vita pii norunt remissionem peccatorum, et sciunt se Deo curae esse, et a Deo defendi, etiamsi non habent praesidia humana. Hae duae collationes hic quoque valde *παθητικῶς* recitantur. Propheta narrationem instituit suo exemplo docens alios: Non cedam, inquit, dolori meo, sed erigam et confirmabo animum, ne deficiam a Deo hac offensione quod impios florere video.

Est igitur Psalmus doctrina, seu paraenesis, sed in narrationem translata: Ne deficias a Deo, ne dubites de providentia etiamsi florent impii, et Ecclesia magnis aerumnis premitur. Huic sententiae mixti sunt tristes adfectus, qui describunt animum cum dubitatione et indignatione luctantem, quos motus tamen vincit fides: *Dico custodiam vias meas, ne peccem lingua mea*, id est: Etsi cum video impios florere, et Ecclesiam adfligi, moveor hac inaequalitate, et de providentia disputo, tamen non deficiam a verbo Dei propter hanc offensionem. Excrucior vehementer, quod haec verba indicant: *Conculcavit cor meum.* Nam nunc praesertim cum vincunt ac triumphant impii et insultant piis, magno dolore adficiuntur hi, qui se premi et conculcari sentiunt. Sed oppono, inquit, duas consolationes. Prior est: Scio hanc vitam brevissimam esse, et te Deus oro, ut meam mentem ita regas, ut intelligam non anteferendas esse delicias huius brevissimae vitae aeternis bonis et poenis. Accende in mea mente hanc lucem, ut aeterna bona et aeternas poenas intelligam et magni aestimem, nec securus sine agnitione peccati, irae tuae, et misericordiae tuae vivam, ut vivunt Epicurei, tyranni, et omnes ignari Evangelii, sed agnoscam hanc vitam (ut est) propter peccatum morti et aliis calamitatibus subiectam esse, nosque ideo castigari, ut peccatum et iram tuam agnoscamus, et petamus remissionem peccatorum iuxta promissionem tuam, in qua te patefecisti. Etiamsi nunc florent impii et securi triumphant, tamen aliquanto post morientur, et ruent in aeternas poenas. Haec vult, cum petit se erudiri, ut agnoscat huius vitae fugacitatem et infirmitatem: *Notum fac mihi Domine finem meum, omnis homo est vanitas*, etiamsi aliquandiu florent aliqui.

Altera consolatio est longe maior. Habeant illi opes, imperia, voluptates, gloriam, Ego firmius praesidium habeo, scilicet Deum ipsum: scio remissionem peccatorum promissam esse, Et scio Deum esse defensorem meum. Haec bona longe maiora sunt omnibus mundi opibus, praesidiis et voluptatibus. Ideo dicit: *Et nunc quid expecto Domine? Spes mea in te est*, id est: Tu Deus es meum praesidium. Ideo sequitur petitio remissionis peccatorum: Scio te velle remittere peccata iuxta promissionem tuam. Hac fiducia ad te accedo: *Ex omnibus transgressionibus meis eripe me.*

Sequitur et alia petitio de defensione: Etiamsi adfligor, tamen ita sustentes me, ne tandem nomen tuum contumelia adficiatur, sed ut conspici possit doctrinam, quam circumfero, tuam esse, et te vere exaudire invocantem Ecclesiam, iuva et libera me.

In decimo versu repetitio est petitionis de remissione peccatorum: *Aufer a me plagam tuam.* Est enim Epitasis in dictione *tuam*, quasi dicat: Hominum furores adversus me non sunt summum malum: sed Tu non irascaris, tu non abiicias me in aeternum exitium: sicut abiectus est Pharao, Saul, et alii impii, Tuam iram sustinere infirmitas nostra non potest.

In versu undecimo expresse docet causam adflictionum esse, peccata nostra: *Propter iniquitatem corripis hominem.* Hanc sententiam

opponit humanis iudiciis, quae fontes calamitatum humanarum ignorant, et quaerunt falsas causas et inania remedia. Scitote vos securi, etiam Ecclesiam propter peccata puniri: Quanto magis vos puniemini? Nec effugietis poenas, etiamsi omnia consilia vestra nunc eo spectant, ut vitae praesidia vobis quaeratis: Ut non effugerunt poenas Pharao, reges Cananaei, et alii multi, quorum magna potentia fuit.

In fine repetit precationem addito argumento et exemplo: *Quia sum peregrinator tuus sicut patres*, id est, hospes sum in terra, nec aliud praesidium habeo nisi te.

Argumentum ac dispositio Psalmi XL.

Expectans expectavi Dominum, et inclinatus est ad me, et exaudivit preces meas.

Initio hic disputatur de persona loquente: constat autem ex Epistola ad Hebraeos decimo capite, aperte sermonem in hoc Psalmo tribui Christo. Et verba conveniunt proprie ad Christum: *Tunc dixi, ecce venio, in volumine libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam Deus meus, volui, et lex tua intra me est.* Filius Dei ipse offert se, ut fiat victima. Tunc dixi, Ecce venio. Et ait de se scriptum esse in lege, promissionis de ipso editae et promulgatae sunt. Lex lata est, et omnes illi cultus instituti, ut significarent venturum Messiam, ut Paulus inquit, Christum esse finem legis. Et in hac narratione Psalmi offert Messias suam obedientiam inquiens: *Ut faciam voluntatem* tuam Deus meus. Volo, et lex tua intra me est. Ego vere et toto corde obediam, sustinebo poenas pro electis, ac redimam Ecclesiam meo sanguine, sicut promissiones a te editae, et lex et cultus priores significarunt.

Hic sermo aptissime tribuitur Messiae. Ac si quis velit Psalmum tribuere Davidi, tamen haec verba transferre in Messiam cogeretur: sicut supra aliquoties diximus, Davidem recitare suas adflictiones et liberationes, tanquam typum Christi, ut significet, qualis futurus sit Christus, et quales futurae sint adflictiones et liberationes Ecclesiae.

Sed nos sermonem Christo tribuemus. Ac sex priores versus sunt exordium, in quo est gratiarum actio. Ait Messias se tristissimis doloribus oppressum fuisse, sed tamen expectasse a Deo auxilium, atque ita praedicat se liberatum esse, non casu, non humanis consiliis et viribus, sed mirandis Dei operibus. Haec pars exemplum est docens, ut in adflictionibus petamus et fide expectemus auxilium a Deo, et commonefaciens nos de promissionibus. Ait enim: *Beatus vir qui ponit Dominum spem suam.* Promittit auxilium invocantibus Deum.

Sequentes versus sunt narratio et prophetia de passione Christi. Orditur autem hanc narrationem ab amplificatione: *Valde miranda sunt opera tua Deus*, nec magnitudo eorum verbis enarrari potest. Deinde reiicit sacrificia in lege instituta. Et clare adfirmat his sacrificiis non tolli peccatum et mortem. Tales conciones in Prophetis plures sunt, quae reprehendunt falsas opiniones de sacrificiis. Et hinc sumsit Epistola ad Hebraeos hoc dictum: Impossibile erat sanguine taurorum auferre peccata.

Quid igitur postulat Deus? *Aures perfodisti mihi*, inquit, id est, mihi Messiae mandatum dedisti, ut mea obedientia fiat placata ira tua, et tollantur peccatum et mors. Ad hanc praestandam venio et me offero. Haec narratio est et brevis descriptio passionis: Ecce venio, offero, et praesto obedientiam, quae in lege et Prophetis de me scripta est. Ego Messias adsum promissus decreto immutabili Dei et obediam in passione, sicut mactatio agni et alia multa significarunt, et Prophetae dixerunt, Esaiae 53.: Ponet animam suam hostiam pro peccato. Et Zacharias: In sanguine Testamenti tui educes de lacu vinctos tuos. Sic et Epistola ad Hebraeos inquit: Qui in diebus carnis suae preces et supplicationes ad eum qui potest salvare ex morte cum clamore magno et lacrimis offerens, exauditus est propter reverentiam, id est, propter veram cordis obedientiam, quam patri vero amore praestitit: de qua obedientia et reverentia proprie haec verba Psalmi loquuntur: *Volo*, et *lex* tua intra me est, id est, volens tibi obedio, et hoc mandatum toto corde facio.

Concionatur ergo haec pars de abrogatione legis, et testatur mactationibus pecudum non potuisse tolli peccatum et mortem, sed Messiae obedientia placatam esse iram Dei. Et quia facit mentionem libri, deducit lectorem ad promissiones subinde promulgatas. Ex his vult cognosci, qualis sit obedientia Messiae.

Versus decimus et undecimus concionatur de fructu passionis. Quia ira tua placata est mea obedientia, hanc tuam iusticiam arcanam et ignotam mundo praedicavi, id est, praedicavi Evangelium, ut voce Evangelii multi acciperent hanc iusticiam, id est, crederent se recipi propter me, et iam se iustos pronunciari hac iusticia per me patefacta. Ita saepe alias adiungit passioni praedicationem Evangelii, ut Psal. 22.: Narrabo nomen tuum fratribus meis. Nisi enim accederet praedicatio Evangelii, maneret ignotum beneficium, nec applicaretur hominibus: necesse est igitur sonare vocem Evangelii in Ecclesia.

Sequentes versus sunt precatio et petitio auxilii, plena tristissimorum affectuum: *Quia vero*, inquit, *apprehenderunt me iniquitates meae.* Hanc partem volunt recitari in persona Davidis, sed sciamus etiam Christum sic loqui, qui sentit in se translata esse nostra peccata. Id est enim fieri hostiam pro peccato, sustinere iram et poenam ac reum dici, quasi ipse se turpissimis nostris sceleribus polluisset. O inenarrabilem humilitatem: Filius Dei, qui non fecit peccatum, iacet prostratus coram aeterno patre, et in sese derivat iram, ac si ipse polluisset se his horrendis flagitiis, quibus nos miseri polluti sumus. Agnoscamus hanc humilitatem, ut agamus Filio Dei gratias, et beneficium eius discamus fide accipere, et grati celebremus.

Argumentum ac dispositio Psalmi XLI.

Beatus qui intelligit super pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.

Dulcissimus Psalmus est, nec tantum adflicto ipsi, sed etiam eius defensoribus concionatur. Ac primum doctrina et promissio traditur, videlicet Ecclesiam oppressam ab impiis fovendam et tuendam esse. Et promittuntur praemia iis qui Ecclesiae in aerumnis benefaciunt, ut Exodi 1. obstetrices contra edictum regis servant infantes Hebraeos 3. Regum 18. Abdias abdidit Prophetas in speluncas, ne raperentur ad necem ab impia et tyrannica regina. Constantinus texit Ecclesiam contra Maxentium et Licinium. Et nunc aliqui pii principes nolunt adiuvare furores pontificum et regum exercentium saevitiam in homines innocentes, veram et puram Evangelii doctrinam pio studio amplexos, et fovent Ecclesias et pia studia magno suo et suarum ditionum periculo. Talibus hic Psalmus dulcissimam consolationem proponit, ac adfirmat Deum defensurum esse hos ipsos, qui piorum aerumnis adficiuntur, et eis opem ferunt.

Nihil obscuritatis est in hoc Psalmo, si vitam ipsam, Ecclesiae pericula, hostes et hospitia intueamur. Maxima pars hominum contemnit aut odit Ecclesiam, et adsentitur tyrannis, ut nunc plurimi adiuvant pontificum saevitiam. Et singuli homines experiuntur paucos esse miserorum amicos. Estque notissima et haec querela:

Donec eris felix multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Econtra vero Psalmus docet opitulandum esse innocentibus in calamitate. Et promittit pro hoc officio praemia. Praeceptum notum est: Non occidas. Et Proverb. 24. dicitur: Eripe eos qui ducuntur ad mortem, sed hoc loco promissio addita est: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem*, id est, qui adficitur calamitate piorum oppressorum: In die mala liberabit eum Dominus.

Hac promissione confirmati, fide statuamus placere Deo haec officia, fugere societatem tyrannorum saevientium in Ecclesiam praebere hospitia Ecclesiis et piis studiis, fovere miseros, quibus tyranni iniusta supplicia minantur. Et sicut texit Deus Abdiam tegentem Prophetas, de quo prius dictum est, ita teget principes, civitates, et singulos qui benefaciunt piis. Ita inquit Christus Matth. 10.: Si quis vel potum aquae dederit minimo ex discipulis meis propter doctrinam, non perdet mercedem. Et Paulus 2. Timoth. 1. precatur pro hospite suo Onesiphoro: Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia saepe me recreavit. Et cum Ierosolymam deleret Nabogdonosor, promittitur tamen defensio regis ministro qui defenderat Ieremiam, ut scriptum est Ieremiae 36.: Vade et dic Abedmelech Aethiopi: liberabo te in die illa, ait Dominus, etc.

Hactenus recitavi sententiam promissionis quae concionatur Ecclesiae defensoribus in tribus primis versibus. Sequentes versus usque ad finem sunt precatio et gratiarum actio ipsius adflicti petentis liberationem, ut Deus celebretur, et postea gratias agentis pro liberatione. Et inseritur longa querela, exponens hostium odia et conspirationes,

et nominatim deplorans perfidiam eorum, qui ex amicis fiunt saevissimi hostes: ut Davidi factus est hostis Achitophel, qui antea inter familiarissimos amicos fuerat. Intelligamus autem Psalmum in genere de hac usitata perfidia concionari, et ad omnium temporum exempla accommodari posse. Usitatae enim sunt hae querelae, deseri nos ab amicis in rebus adversis, imo etiam despici, et multos ex amicis fieri crudeles hostes. Ideo illa dicta saepe recitantur: Nusquam tuta fides. Et cum fortuna statque caditque fides.

Augetur autem dolor, cum illi qui fuerunt antea nobis amici, et nostris evecti beneficiis fiunt hostes, ut apud Sophoclem dicitur: Quod vulnus est amico maius perfido? Ita Christo fit ex Iuda discipulo et amico crudelissimus inimicus. Et accidunt similia omnibus bonis, praesertim in gubernatione omnibus aetatibus. Ut nunc cum summa fuerit amicicia inter landgravium et Lycaonem, tamen postea Lycaon oblitus veteris amiciciae et meritorum, conatus est landgravio dignitatem, ditionem et vitam eripere.

Haec pericula intelligamus et intueamur hic propositam precationem et consolationem. Exemplum enim hic propositum ad omnes pertinet, ut David petens auxilium exauditur et liberatur, ita certo nos quoque precantes exaudit Deus, et mitigat nobis calamitates. Ac saepe dictum est his Psalmis, ubi talia exempla et consolationes proponuntur, ut multi sunt Psalmi similes, semper adiungendam esse doctrinam de fide. Adplicemus nobis promissiones, commonefacti his exemplis, et vere credamus nos similiter exaudiri et iuvari, quod si faciemus, experiemur consolationem non inanem, sed efficacem esse.

Argumentum ac dispositio
Psalmi XLII.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.

Precatio est, in qua describitur agon et acerrimum certamen fidei seu spei, luctantis cum desperatione, et difficulter se erigentis inter tot fluctus qui subinde rursus in aegram mentem irruunt. Et apparet describi exilii dolores et certamina, ubi causae ingentis moesticiae diligenter considerandae sunt. Non dolebat David ut Camillus aut Themistocles ideo tantum, quod ab ingratis civibus iniuria adfectus esset, quod honore quem in patria habuerat spoliatus esset, quod facultatibus, patria, coniugum et liberorum suavitate careret. Harum rerum iactura seu amissio etsi etiam fortibus viris dolorem adfert, tamen homo prudens lenire mediocriter hanc moesticiam potest, qui videlicet intelligit iusticiam et animi moderationem retinendam esse, etiam cum bona fortunae amittuntur, quia virtus anteferenda est fortunae bonis.

David autem longe maiores et tristiores causas doloris habet. Multis magnis vulneribus lacerata est eius conscientia. Agnoscit sua peccata, quae multa et atrocia erant, propter quae metuit se prorsus a Deo abiici, et videt se et totam Dei Ecclesiam iam puniri, et timet futurum ut et ipse et populus longe maioribus poenis etiam deinceps obruatur. Se videt non solum regno expulsum esse a filio, sed etiam exutum illa ingenti gloria sapientiae et iusticiae, quam antea habuerat. Nunc non solum inimici iudicant eum esse pestem publicam, sed ipsius conscientia hoc disputat, considerans magnitudinem peccatorum et irae Dei. Ego, inquit, in populo Dei rex et vocatus a Deo singulari modo, et ornatus ingentibus donis et victoriis, abieci obedientiam, et mihi indulsi: rapui sancti viri sanctam coniugem: pollui ipsius et meam conscientiam: deinde maritum fraude interfeci et interfeci alios una: praebui occasionem blasphemis hostibus, ut adversus Deum Israël triumphantes dicerent convicia.

Post haec peccata secutae sunt poenae, quae cumularunt peccata: filius stupravit sororem, Absalon fratrem interfecit: postea mota seditione adversus patrem, stupravit coniuges patris, quo scelere vicit impiarum gentium furores. Deinde in seditione necesse est infinita scelera committi. Nec David ante restitutionem ulla humana sapientia finem videre aliquem confusionum secuturarum potuit. Horum tantorum peccatorum, tantarum calamitatum et scandalorum causam esse lapsus, ut erant, iudicabat.

Quantus autem dolor sit in tali consternatione animi intuentis et peccata sua, et poenas ac iram Dei, non potest verbis satis explicari. Sed piae mentes, quae degustaverunt aliqua ex parte tales dolores, utcunque hunc agonem intelligunt. Camillus, Themistocles, quia non aguntur cogitatione iudicii Dei, non sentiunt hos dolores.

Sic ergo legamus hunc Psalmum, ut experientiam aliquo modo intueamur. Membra quaedam describunt ipsos dolores et angustias, quasi desperabundae mentis et ruiturae in aeternum exitium. Econtra alia membra describunt fidem seu spem erigentem cor, pene obrutum desperatione.

Primus et secundus versus propositionem continent, videlicet precationem, cui adfectus tristissimi admixti sunt: *Sicut cervus in venatione fugiens*, et longo cursu fatigatus appetit undam, *sic ego* pene consumtus dolore, quaero misericordiam, reconciliationem et auxilium.

Tertius et quartus versus recitant dolores exilii et desiderium reditus ad templum, et restituti boni status in populo Dei, ne diutius grassentur impiae confusiones, quarum in seditione nullus finis futurus erat.

In quinto et sexto rursus erigitur consolatione: *Spero in Deo*, *quoniam adhuc confitebor illi*, id est, etiamsi regnum et gloriam quam habui amisi, etiamsi horribiliter premor mole peccatorum meorum, tamen a Deo non deficiam: sed sustentabo me promissione ipsius, et sperabo mitigationem calamitatis et liberationem.

In septimo rursus describuntur fluctus pavorum varie occursantium animo.

In octavo miscet consolationem aliquanto laetiorem: *Imo et die et noctu* misericordiam Dei iuxta promissiones cogitabo et precabor.

In fine repetit priores versus, qui et querelam continent, ita in postrema particula dulcem consolationem velut emergentis iam ex illis fluctibus pavorum et desperationum.

Hactenus utcunque ostendimus quales dolores ipse David sustineat, et quomodo se consoletur, sed haec non propter ipsum, sed propter nos scripta sunt. Habent et alii multi in Ecclesia ingentes dolores, alii magis, alii minus acres. Omnes autem discamus voluntatem Dei esse, ut in talibus doloribus non succumbamus, sed erigamus nos fide et spe. Et hanc fidem et spem niti oportet non nostra iusticia aut dignitate, sed sola misericordia Dei patefacta in promissionibus: Etiam cum tristissimi fluctus in nos irruunt, ut conspectu nostrorum peccatorum et irae Dei expavescamus, ac metuamus aeternam abiectionem, tamen nos erigamus hac voce, qua hic se David sustentat: *Spera in Deo.* Non deficias a Deo, sed crede per misericordiam propter Filium mediatorem te vere recipi a Deo, etiamsi nulla merita adfers. Sic accommodanda est haec sententia ad doctrinam de iusticia fidei, sicut et Augustinus eam dextre accommodat, et recte enarrat in huius Psalmi enarratione.

Causa finalis etiam consideretur, cur petat exaudiri et liberari, videlicet: *Ne blasphemiae dicantur adversus Deum*, *ubi est Deus tuus*? Item ut ipse rursus celebret Deum, hoc est, ut verae doctrinae propagationem adiuvet, quae ab impio sodalitio Absalonis contemnebatur. Has causas finales subinde in Psalmis repetit, ut saepe dictum est, quas etiam nos in invocatione Deo proponamus. Impulsiva causa est, ut supra dictum est, cur liberet Deus, promissa misericordia propter Filium. Finales causae praecipuae sunt, ut refutentur impii qui triumpharunt contra Deum et blasphemias sparserunt. Item ut vera doctrina de Deo non extinguatur. His causis testatur Deus se moveri, ut Esaiae 48. dicitur: Propter nomen meum longe faciam furorem meum. Item: Propter me, propter me faciam ut non blasphemer, et gloriam meam alteri non dabo. Accendamus igitur fidem in invocatione, cogitatione harum causarum.

Argumentum ac dispositio Psalmi XLIII.

Iudica me Deus, et age causam meam contra gentem non sanctam, etc.

Precatio est eiusdem argumenti ut in proximo petit. Petit enim ut Deus sit iudex, et defendat causam iustam adversus impios hostes, qui non tantum corpus Davidis e medio tollere conantur, sed insuper causam et doctrinam eius damnant. Ac nobis hoc tempore facilis est accommodatio. Defensores impiae doctrinae Ecclesias nostras delere conantur, non tam privato odio adversus hos homines, quam quia genus doctrinae cupiunt extinguere. Hoc autem servari necesse est. Et vult Deus a se peti, ut ipse suis mirandis factis defendat, ut ipsi tribuatur gloria defensae Ecclesiae, et ut nos cernamus testimonia praesentiae Dei in Ecclesia. Hae causae diligenter considerandae sunt, et earum cogitatio nos commonefaciat, ut ardentius petamus, et constantius expectemus a Deo auxilium, nec μικρόψυχοι ac trepidantes quaeramus iniusta auxilia, ut Sede-

chias quaerebat foedera Aegyptiorum, et Palaeologi Turcas in Europam attraxerunt. Sed piae mentes intueantur hos Psalmos, qui ideo divinitus propositi sunt, ut nobis notae sint promissiones Dei, et extent exempla auxilii divini, ut petamus et expectemus a Deo auxilium, saepe ita cogites.

Deus aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, tuam gloriam defendito: multi cogitant omnia casu ferri, aut humanam calliditatem plus valere, quam invocationem tui. Obsecro exaudias ac iuves nos, ut appareat te esse defensorem invocantium te: ostende te plus posse quam diaboli et impiorum artificia et conatus, ostende testimonium quod adsis in Ecclesia.

Has petitiones experiemur non esse irritas. Sic enim docuit nos petere: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Item: Ne dicant in gentibus, ubi est Deus eorum?

Primus versus est propositio Psalmi: *Iudica me Deus.* Hic phrasis Hebraica cognoscenda est. Nam Latini aliter loquuntur, sed David hoc vult: Sis tu Deus iudex, et iustum defende et reprime iniustum. Deinde miscentur querelae et petitiones. Exponitur dolor, ut petitio sit ardentior. Petit autem hoc praecipue, ut reducatur ad societatem Ecclesiae. Ita nos petamus et servari Ecclesiam, et nos in hac arca regi et servari. Hae petitiones sunt praecipuae, et saepe recensentur in Psalmis, ut Psalmo 84.: Beati qui habitant in domo tua Domine, etc.

Argumentum ac dispositio Psalmi LXIV.

Deus, auribus nostris audivimus patres nostri annunciaverunt nobis.

Hic Psalmus imago est Ecclesiae omnium temporum. Ideo primum continet historicam narrationem, quae est doctrina ostendens unde sit Ecclesia, a quo collecta sit, videlicet a Deo, et quod sit Dei peculiaris populus, seiunctus a caeteris gentibus: Quodque certum et singulare munus habeat, scilicet ut sit custos verbi, quo se patefecit Deus, quod sit dissimilis status futurus huius populi et imperiorum mundi: quod imperia mundi crudeliter grassatura sint in Ecclesiam, sed tamen Deum servaturum esse semper aliquem suum coetum custodem et propagatorem Evangelii: et quod velit in his adflictionibus lucere fidem nostram in confessione et invocatione. Haec omnia scire Ecclesiam necesse est, quid sit, qualis coetus sit, ad quod munus vocata sit, quae si habitura pericula, quae auxilia, quos exitus. Nam pii non possent perferre aerumnas, si haec nescirent. Ideo historica commemoratio proponitur, quae quidem et causas petitionis continet. Ideo enim Deus Ecclesiam vult servare, quia ipse eam elegit et diligit, et vicissim Ecclesia eum celebrat et vere invocat. Voluit Deus ex genere humano colligere haereditatem Filio. Hanc redimit per Filium hanc regit, et mirabilibus modis defendit et servat.

Haec initio commemorantur, quasi sic dicat: Tu vis Deus servare tuos quos elegisti, et diligis, et qui vicissim te vere celebrant et invocant. Cum igitur nos ad agnitionem tuae doctrinae vocaveris, et diligas hunc coetum, et in hac terra nos collocaveris, ut testes essemus tuae doctrinae, defende et serva nos. Et exemplis hanc tuam voluntatem declarasti, saepe nos defendisti: nec nos arcu nostro et nostris armis tot gentes vicinas delere potuissemus, sed a te palam adiuti sumus: ergo nunc quoque serva nos.

Hic causas petitionis recitari manifestum est, quibus verbis simul gratiae aguntur pro illis beneficiis, et significatur deinceps etiam Deum Ecclesiae suae protectorem fore. Haec primum de Ecclesiae defensione et de cruce dicuntur.

Postea addit doctrinam de confessione. Non adfligitur Ecclesia, ut imperia mundi, propter idola, tyrannides, libidines. Nam hae sunt praecipuae causae cur mutantur, sed quia diabolus odit Deum, irritat impios principes, ut saeviant in Ecclesiam. Cum igitur diabolus conatur delere veram Dei noticiam, Ecclesia in suppliciis opponat veram confessionem: ita nostrae adflictiones fiunt testimonia doctrinae et sacrificia Deo grata. Ideo hic dicit: *Non obliti sumus te, propter te occidimur tota die.*

Docet igitur Psalmus edendam esse confessionem in suppliciis, et simul ostendit quare mundus grassetur in Ecclesiam, scilicet odio Dei et verae doctrinae. Cum autem sciamus Deum non permissurum esse, ut vera doctrina deleatur, simul hac consolatione sustentamur, Deum in hoc agone nobis adfuturum esse.

In fine additur petitio, ut liberemur a saevitia diaboli et tyrannorum. Erit autem magis perspicuus Psalmus, si cum aliorum temporum,

tum vero huius nostrae aetatis saevitiam considerabimus, et causas saevitiae regum intuebimur, et nos ad confessionem et ad petitionem auxilii hac ipsa recitatione Psalmi exuscitabimus. Semper autem sciamus in his petitionibus fidem accendi oportere: vere credamus nos quoque recipi et exaudiri propter promissam misericordiam. Ideo in fine addita est particula: Redime nos propter misericordiam tuam. Ita placebit Deo precatio et erit efficax, cum vere credimus nostros gemitus et nostra vota exaudiri propter Mediatorem nobis donatum, propter quem misericordia promissa est. Et haec fides in invocatione exercenda est expectatione auxilii.

Argumentum ac dispositio Psalmi XLV.

Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi, lingua mea calamus scribae velociter scribentis.

Totus Psalmus prophetia est de Messia promisso, narrans quis sit, quale sit eius regnum, et quae bona populo Dei exhibeat. Deinde etiam alloquitur Ecclesiam, et ei praecipit, ut hunc regem audiat: et commemorat ei habituram ingentem gloriam, sed simul impios grassaturos esse in eam, sed hunc Messiam victorem fore et habiturum regnum aeternum. Haec est summa Psalmi, qui magna ex parte est narratio, pertinens ad genus demonstrativum: ac ut usitatum est in genere demonstrativo splendidius loqui, ita hic multa sunt ornamenta, figurae et compellationes, pene ut in Amatorio carmine seu *κωμαστικῷ*, ut vocant.

Adiungatur autem hic Psalmus promissionibus de Messia traditis Abrahae et Davidi. Estque compositus, ut sit explicatio promissionum, et doceat quis sit Messias et quale sit eius regnum. Adplicationem vero et usum huius laudationis Messiae docet ipse Psalmus, cum praecipit Ecclesiae ut *audiat* hunc Messiam. Haec pars Psalmi est generis suasorii, quia praecipit iam monstrato Messia quomodo sit amplectendus. Ideo primum diligenter considerata laudatione Messiae, cogitemus quis sit, et quae bona exhibeat. Postea sciamus eum audiendum esse, et haec ipsa bona fide accipienda esse.

Non est hoc regnum simile Alexandri regno, ubi rex sibi potentiam quaerit, et aliquibus suis amicis dat opes. Hoc regnum longe aliud est, venit Messias, ut nobis impertiat aeterna bona, et id faciat verbo et Spiritu sancto, et mirabiliter custodiat ac servet nos inter pericula, quae nec cavere nec regere ipsi possumus: ut servavit populum Israël incedentem per mare rubrum, inter stantes aquarum cumulos. Nec potest Alexander absens absentibus ducibus opitulari. Hic vero noster rex semper adest Ecclesiae, et ubique et omnibus temporibus exaudit et iuvat invocantes. Haec omnia firma fide statuenda sunt. Id praecipit Psalmus, cum inquit: *Audi filia, inclina aurem tuam.* Estque haec admonitio de adplicatione diligenter cogitanda, ut discamus quomodo et huius regni membra efficiamur, et bona quae promittit consequamur.

Laudationes multae sunt. Primum, ut in comastico carmine forma laudatur, et expresse antefertur omnium hominum pulcritudini. Quia revera nullius hominis sapientia et virtus par est sapientiae et virtuti Christi, quarum rerum vera est et summa pulcritudo. Ut cum cogitamus Ioseph, quasi mente pingimus virum pulcerimum, omnes actiones gravissime et honestissime moderantem. Sic multo magis de Messia cogitantes, de vera pulcritudine, id est, de sapientia in eo lucente, et de omnibus virtutibus cogitemus.

Est autem inter praecipua officia huius regis, docere Evangelium. Ideo laudatur eloquentia: *Diffusa est gratia in labiis tuis.*

Benedixit te Deus in aeternum. Hac voce significat se enarrare promissionem traditam Abrahae. Omnes alii homines sunt maledicti, id est, rei coram Deo, oppressi peccato et morte, et horrendis calamitatibus obnoxii, ut tragica exempla omnium temporum ostendunt. At hic noster rex benedictus est, id est, Deo placens, ornatus vera sapientia, iusticia et vita, deleturus peccatum et mortem, et diabolo aeterna vincula iniecturus. Haec omnia complectitur appellatio benedictionis.

Nec intelligatur benedictio ita, quasi tantum ipsi Christo prosit, sed ideo ipse benedicitur, ut nobis sua bona impertiat, sicut promissio inquit: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et infra Psalmus ipse interpretatur hanc benedictionem: *Unxit te Deus, Deus tuus oleo laeticiae propter consortes tuos*, id est, ideo aeternus pater Filium misit, et ordinavit ad hoc sacerdotium et regnum, data ei potentia divina et Spiritu sancto, ut ipse consortes suos liberet, et donet illis

etiam Spiritum sanctum, quo in eis novam lucem, iusticiam et vitam aeternam efficiat. Nam particulam Propter diligenter expendi oportet.

In versu tertio, quarto et quinto narrantur praelia et victoriae huius regis, et simul significatur, impios in mundo adversaturos esse huic regi. Sed mox adfirmat hunc regem fore victorem, et quidem eius regnum aeternum fore: *Sedes tua Deus in aeternum et semper.*

Quale autem erit regnum? Quae bona exhibet? Id mox narrat: *Sceptrum rectum* restitues iusticiam tuo populo, et delebis peccatum: Et quidem unctus es propter nos, ut in nos transfundas iusticiam et vitam aeternam, ut propter te remittantur nobis peccata, et reddantur iusticia et vita aeterna.

Phrasis in verbo Ungendi sumitur a more ordinandorum sacerdotum, et regum, qui cum ordinabantur, balsamo perfundebantur. Nec dubium est hunc ipsum morem a Deo traditum esse, ut esset umbra et signifiacatio huius praecipui regis et sacerdotis Filii Dei, qui unctus est ab aeterno patre, id est, ordinatus ad hoc ministerium, et donatus potentia divina et Spiritu sancto, ad perficiendam hanc mirandam liberationem, Ecclesiae colligendae ex toto genere humano, et donandae iusticia et vita aeterna.

Myrrha et reliqui odores et vestes figurate significant virtutes et afflictiones Christi, etsi haec pictura hoc loco ut pars regii splendoris narratur.

Apostrophe ad Ecclesiam diligentissime observanda est, quia, ut dixi, de applicatione concionatur, ac simul significat hunc regem non armis, sed voce Evangelii populos sibi adiuncturum esse. Et clare significatur hic Ecclesiam colligendam esse semine Abrahae, et ex gentibus. Imo et hoc tecte significat, politiam Mosi delendam esse, quia iubet Ecclesiam collectam ex semine Abrahae oblivisci populi sui.

Hic etiam expressum testimonium observetur, quod docet hunc regem, promissum Messiam et Hominem esse a Deum, et tamen personam huius Messiae a persona aeterni patris discernendam esse: *Et concupiscet rex decorem tuum*, qui scilicet homo ex semine Abrahae nascetur. Et idem est, ut hic adfirmat in versu undecimo, Deus. Nam haec adpellatio, quae hic ponitur, *Adonai*, proprie Deo tribuitur. Et supra dicitur: Sedes tua Deus, ubi ipsum Messiam alloquitur.

Ecclesia gentium significatur, cum nominat filiam Tyri.

Postremi duo versus continent promissionem perpetuitatis Ecclesiae et ministerii evangelici, Ut collegi Ecclesiam vocatis Patribus, Adam, Iacob, Mose, Samuele, Davide: sic colligam Ecclesiam vocatis filiis ex semine Patrum et ex gentibus. Et hi fungentur ministerio evangelico, erunt custodes et propagatores Evangelii in omnibus regionibus, non tantum in Palaestina. Per horum ministerium erit efficax Christus, et colliget aeternam Ecclesiam, celebraturam Deum et Filium eius Dominum nostrum Iesum Christum in omni aeternitate.

Dabit igitur hic rex iusticiam et vitam aeternam suo populo, qui eum audiet. Haec est summa Psalmi.

Argumentum ac dispositio Psalmi XLVI.

Deus nostra spes et fortitudo, auxilium in tribulationibus, etc.

Gratiarum actio est pro defensione Ecclesiae dulcis et erudita, simul complectens et consolationes, in quibus auxilium deinceps quoque promittitur, et obiurgationes diffidentium, qui in trepidatione varia consilia regularia et irregularia quaerunt, sicut reges Iuda ab Aegyptiis, ab Assyriis, a Syriacis regibus auxilia petebant. Et hoc tempore multiplicia foedera fiunt, alii Turcos, alii Gallos, alii Anglos sibi adiungere conantur. Hae trepidationes oriuntur a diffidentia animorum, qui, quia non cernunt Dei praesentiam, quaerunt humana praesidia, seu concessa seu inconsessa. Etsi autem homines non ignari doctrinae fidei, iudicant hanc diligentiam magnam sapientiam esse: quia ut rectum est in via comites contra latrocinia habere, ita cogitat ratio iustum esse, quam plurimos et firmissimos socios ad pericula propulsanda devinctos habere, ut dicit Euripides: *Μίας γὰρ χειρὸς ἀσθενὴς μαχή*, tamen doctrina fidei aliter iudicat.

Primum videt quam causam sustineat, ut hoc tempore principes harum regionum propter Evangelii confessionem sunt in periculo. Hic causam recte intelligere studeant, et sciant ve-

ram, necessariam et salutarem doctrinam non esse abiiciendam. Hanc igitur fideliter retineant et non mutent. Postea si qua vis adversus eos suscipitur, primum petant et expectent a *Deo* consilia et defensionem: deinde cogitent quibus humanis praesidiis uti rectum sit, quorum coniunctio fugienda sit. Utantur mediocribus copiis hominum de vera doctrina consentientium, et Deum cum ipsis recte invocantium, non misceant blasphemos, non attrahant Turcos aut similes, sed sciant adesse Deum in acie, et praecipuum ducem et propugnatorem esse.

Hac fide dimicent cum opus est, freti auxilio *Dei*, et non sint ignavi et segnes, faciant necessaria, et non moveant non necessaria, inani *πολυπραγμοσύνῃ*: multas iniurias tolerent ac dissimulent, quae sine impietate dissimulari possunt.

De hac fide et hac arcana sapientia piorum concionatur hic Psalmus, quae in quotidianis periculis discenda est, et ipsa fidei exercitia monstrabunt discrimen humanae *πολυπραγμοσύνης*, et lucis fidei.

Propositio est: *Deus nostrum refugium est et fortitudo, et auxiliator in tribulatione.* Hac asseveratione celebrat beneficium Dei, et simul agit gratias, et promissionem nobis proponit, pollicentem auxilium quocunque tempore.

Secundus versus est consequens, et adplicatio propositionis. Ideo non timeamus, non deficiamus a Deo, fracti metu hostium.

Deinde sequuntur amplificationes, in quibus similitudine quadam pinguntur imperiorum tumultus. Similitudo sumitur a naturae partibus, sed significat imperia. Etiamsi terra quassata et mare intumescens confundantur inter sese in unum chaos, id est, etiamsi omnia imperia horribilibus tumultibus inter sese collidantur, tamen mansura est Ecclesia Dei.

Huius amplificationis illustria exempla sunt, bella Sennaherib, Persarum et Alexandri bellum, Syriaca et Romana bella, in quibus cum vicinarum gentium politiae et religiones valde mutatae sint, tamen Deus mirabiliter texit suae doctrinae sedem et Ecclesiam.

Ideo sequitur in quarto versu alterum membrum collationis, *Fluminis rivuli rigabunt civitatem Dei,* quasi dicat: Etiamsi alibi terra et mare quassata miscebuntur in unum chaos, tamen non turbabuntur fontes et rivuli, qui hanc civitatem, quae est sedes praecipua doctrinae Dei, constituta mandato Dei, recte fungitur ministerio prophetico, habet Prophetas recte docentes verbum Dei, irrigant.

Usitatae sunt allegoriae dicere fontes, rivulos, pro doctrina et munere docendi.

Est et hoc usitatum in Psalmis, cum prius aliquid figurate dictum est, postea prorsus idem sine figura apertius dicere, ut fit in quinto et sexto versu, ibi clare dicitur servari Ecclesiam, quia Deus in ea habitet et eam adiuvet: caeteras vero gentes et religiones deleri, sicut horribiliter deletae sunt subinde multae gentes et toto orbe terrarum, Aegyptii, Syriaci, Chaldaei, Asiatici, Graeci, Romani. Horum omnium politiae et religiones cum ipsis gentibus interierunt.

Septimus versus repetit propositionem, ut agamus gratias, et fateamur non nostris consiliis et viribus, sed a Deo servari Ecclesiam. Si fiat collatio humanarum virium, tam facile erat Alexandro dissipare Iudaeam, aut mutare eius politiam, quam facile fuit occupare et mutare Aegyptum, sed Iudaea tegebatur dextra Dei.

Octavus versus est Epiphonema, invitans omnium temporum Ecclesiam, ut haec miranda facta Dei consideret, et firma fide petat et expectet defensionem.

Sed hic quaestio est, quomodo Psalmus congruat ad nos? Potest enim obiici, Hierosolymam mansisse, quia nominatim de ea promissiones editae sunt, mansuram esse usque ad Messiae adventum. At de nostris civitatibus non sunt editae promissiones, ut Ephesus periit, etiamsi ibi docuerunt Ioannes, Timotheus, et horum auditores.

Respondeo. Psalmus et promissiones semper principaliter de Ecclesia loquuntur, id est, de coetu puram Evangelii vocem sonante, et recte Deum invocante. Hunc servari prorsus non dubium est, etiamsi membra aliqua trucidantur.

Praeterea cum in hac vita opus sit domicilio, Deus etiam aliquos nidos et aliquas politias semper dat huic agmini: sed hoc discrimen est, Tempore legis Mosaicae nominatus fuit certus locus, nunc non nominatus est certus locus, et tamen dat *Deus* aliqua domicilia, sicut enim in populo Israël promissionem potius de Ecclesia quam de loco intelligi voluit. Ideo dispersit decem tribus, et postea abduxit tribum Iuda in Babylonem, deleta Hierosolyma, ut scirent Ecclesiae sedem ibi fore, ubicunque vera doctrina sonaret, nec su-

perstitiose ad locum alligandam esse promissionem.

Concionatur ergo Psalmus in genere de Ecclesia: huic defensio promittitur ubicunque est. Et tamen aliquam sedem doctrinae et ministerii Deus etiam servat, et defendit tantisper, dum ibi gubernatores recte funguntur ministerio. Hanc consolationem teneamus, ut cura docendi et discendi in nobis acuatur.

Penultimus versus est obiurgatio taxans diffidentiam, trepidationes et πολυπραγμοσύνην humanam, ut Achas taxatur ab Esaia, quod auxilium Assyriorum quaerat, cum quidem Deus prohiberet externa auxilia attrahi. Etsi igitur Iudaei varie exponunt hunc postremum versiculum, tamen sciamus praeceptum esse, oppositum illis trepidationibus et consiliis humanae sapientiae, quaerentis varia auxilia, propterea quia ignorat Deum aut diffidit Deo. *Vacate*, id est, ne trepidate, ne discurrite ad varia praesidia quaerenda, seu concessa, seu inconcessa, sed acquiescite in Deo, quem etsi non cernitis, tamen scitis tradidisse promissiones, et velle ut sic invocetur, petito auxilio iuxta promissionem, etiamsi ipse non cernitur.

Haec doctrina de fidei exercitiis saepe repetita est, ut Esaiae 30.: In silentio et spe erit fortitudo vestra. Hic quoque silentium opponitur illis trepidationibus, et illi πολυπραγμοσύνῃ, de qua dixi, et significat reprimendas esse has trepidationes, et acquiescendum esse in Deo.

Postquam autem iussit nos frenare nostram curiositatem, opponit econtra auxilium divinum, monstrat obiectum fidei, et iubet nos vera fiducia praesentiae Dei erigi, et quidem praecipit ut verum Deum agnoscamus et invocemus, qui se patefecit in Israël dato suo verbo, nec delabamur ad commentitia numina. Ideo dicit: *Cognoscite quod ego sim Deus, exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra,* id est, cum estis in periculis, non trepidate, non quaerite inconcessa praesidia, quasi nihil sit Deus, aut non curet vos. Sed primum omnium mentes vestrae Deum intueantur, qui se in hoc populo Israël patefecit, et ab eo auxilium petite et expectate iuxta promissiones. Et scitote hunc cultum ei placere et praecipuum esse, quia non frustra se patefecit, non frustra tradidit promissiones, sed vult agnosci, vult testimonia de se conspici in Ecclesia, et coram hostibus. Ideo dicit: Exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra. Non volo tantum in illa mea luce ignota creaturis latere, sed prodeo, volo agnosci, conspici, diligi, invocari, volo peti a me et expectari auxilium, volo celebrari a meis, et formidari ab iis qui verbum meum nolunt amplecti.

Dulcis consolatio in his verbis proponitur: Exaltabor in gentibus, exaltabor in terra. Promittit enim Deus se editurum de se testimonia, ut invocetur, et ut eius beneficia in terra inter nos miseros homines celebrentur.

Argumentum ac dispositio Psalmi XLVII.

Omnes populi plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis.

Gratiarum actio est triumphale carmen, seu ἐπινίκιον, generis demonstrativi, testificans perpetua narratione, Deum constituere id regnum, quod Messiae promisit, id est, certo mitti Messiam, et per eum colligi Ecclesiam aeternam, liberandam a peccato, morte, tyrannide diaboli, et ab omnibus calamitatibus. Et significat hunc Messiam esse Deum, eumque iubet agnosci, et excipi a principibus et gentibus, et quidem monet qui cultus sit praecipuus cum ait: *Psallite sapienter.*

Totus igitur Psalmus vaticinium est, adfirmans, certo constitui regnum Messiae, quod quale sit, et quae bona adferat, et a quibus malis liberet, ex promissionibus et multis concionibus Prophetarum discendum est. Hic generalibus verbis victoria celebratur, praecipitur cultus, et nominatim praedicitur colligendam esse etiam ex gentibus, et fit mentio principum, quia Deus ex omnibus vocationibus a se ordinatis aliquos colligit.

Victoria celebratur his verbis: *Excelsus Dominus subiiciet nobis populos et regna, eliget nos ut simus haereditas aeterna. Ascendit Deus*, id est, gloriose se patefecit, ut quando nobiscum in deserto ascendit, prodiit ut victor et triumphator. Hic sumamus ex aliis locis quales sint victoriae Messiae. Delevit peccatum et mortem, et liberavit nos a tyrannide diaboli. Plus enim praestat hic Messias quam alii reges et liberatores. Cyrus, Alexander etiam sunt gloriosi reges, liberant suos amicos a periculis, dant eis provincias, sed quam brevis est horum potentia et gloria?

Explodamus igitur somnia de regno politico Messiae, quod Iudaei nunc fingunt, et res aeternas cogitemus. Noster Messias aeternum regnum constituet, abolito peccato, deleta morte, et restituta aeterna iusticia et vita. Haec bona ab eo petamus et expectemus.

Cum igitur det aeterna bona, ut Esaias eum vocat Patrem aeternae vitae, sciamus Messiam nostrum, omnipotentem ac Deum esse. Ideo hic eum expresse Deum nominat: *Regnat Deus, sedet Deus in sede sancta sua, etc.*

Secundo cultus praecipitur toties repetitis his verbis: *Iubilate Deo, psallite, psallite sapienter.* Haec verba praecipiunt, ut agnoscamus eum et celebremus, et quidem sapienter, quasi dicat: Interest inter honores huic regi debitos, et aliis regibus. Caeteri reges coluntur externis officiis, hic colendus est sapientia, id est, audiendo eius verbum et recte ac sapienter intelligendo, amplectendo, profitendo, praedicando.

Iudaei non psallunt Messiae sapienter, cum fingunt regnum politicum et interiturum, imo cum fascinati hac persuasione crucifigunt Messiam. Id nequaquam erat iubilare et sapienter psallere. Sic de caeteris impiis doctoribus omnium temporum iudicemus. Non sapienter psallunt monachi, qui tantum docent legem et iubent dubitare, atque ita delent Evangelium et doctrinam de fide.

Commonefacti igitur hoc dicto, Psallite sapienter, praecipi nobis sciamus, ut non obiter tantum audiamus verbum Dei, sed magna cura discamus, conferamus, quaeramus unam constantem et immotam sententiam, quae nos doceat veram invocationem et veros cultus, sicut et Paulus inquit: Verbum Dei habitet inter vos abunde, omni sapientia.

Haec de praecipuo cultu in hoc Psalmo dicta, saepe cogitemus, ut nos ad doctrinae studium et veram invocationem exuscitemus.

Tertio de vocatione gentium expresse dicitur: *Regnat Deus super gentes.* Caeterum alibi copiose dicitur, quantarum rerum doctrinam complectatur hic locus, scilicet promissio vocationis gentium. Testatur enim remissionem peccatorum dari propter Filium Dei mediatorem, Gratis, non propter legem. Haec consolatio necessaria est piis, et attente consideranda, quoties de vocatione gentium dicitur.

Postremus versiculus de vocatione principum non obiter praetereundus est. Nam et principes docet ac consolatur, et universae Ecclesiae consolationem gratam poponit.

Primum testatur munus ipsum principum approbari a Deo, et quidem ornat eos honesta descriptione, vocat eos *scuta terrae*, vult Principes protectores esse populorum, non tyrannos et vastatores terrae.

Secundo multo maior laus est, quod vocari eos dicit, ut sint membra Ecclesiae Dei, ut aeternam gloriam in consuetudine Dei, et Christi habeant. Quanto gloriosus erit, in conspectu Dei, Angelorum et generis humani, post resurrectionem stare laetos apud Christum, Prophetas et Apostolos, Davidem, Ezechiam, Iosiam, Constantinum, Theodosium, quam ad diabolos, Caligulam, Herodem et alios tyrannos, in aeternos cruciatus abiici?

Ideo dicit: *Principes populorum congregantur cum populo Dei Abraham*, quasi dicat: Aliqui principes ex ingenti dissipatione gentium excerpentur, et erunt in congregatione Ecclesiae Dei, quem invocavit Abraham, et qui dedit Abrahae promissionem. Erunt semen Abrahae spiritu, non carne: Sed ament congregationem, id est, concordiam Ecclesiae, non faciant destructiones, ut imperatores, qui aluerunt impia dogmata, Constantius, Valens, et alii.

Tertio, his ipsis principibus praecipitur, ut te Deo subiiciant, non constituant ipsi suo arbitrio religiones, ut Achas, Manasse, Nabugdonosor, sed vero pectore obediant voci Dei, et non anteferant suas imaginationes. Ideo dicit: *Apud principes exaltatus est Deus*, id est, Principes se et sua imperia et suam sapientiam subiiciunt Deo, et ipsius doctrina reguntur, non propriis opinionibus. Sic magnifit Deus, et antefertur autoritati humanae et vere colitur.

Exaltatur item pietate principum apud populum, quia principum exemplo multi invitantur ad cognoscendam doctrinam. Et cum non exercetur saevitia in Ecclesiam, plures audiunt doctrinam, et imbecilles facilius provehi et erudiri possunt, et disciplina honestius et severius regi potest, cum congruunt piae voluntates et sententiae gubernantium Ecclesiam et politias.

Haec igitur vox Psalmi principibus inculcanda erat, ut excitarentur ad pietatem, cum audirent ipsorum obedientia gloriam Dei multipliciter augeri.

Argumentum ac dispositio
Psalmi XLVIII.

Magnus Dominus et laudabilis valde, in civitate Dei nostri in monte sancto eius.

Initium Psalmi gratiarum actio est pro his ingentibus beneficiis, quod Deus certis testimoniis se patefecerit, dederit promissiones, instituerit cultum, delegerit locum Sion, ut sciri posset ad posteritatem, ubi sit, et ubi mansura sit Ecclesia. Haec bona sunt omnium summa et maxima, et incoatio aeternae vitae.

In hac igitur gratiarum actione doctrina maxime necessaria Ecclesiae et ad omnia tempora pertinens continetur, quae monstrat verum Deum et veram invocationem, et discernit eam a falsa. Adfirmat enim hunc solum esse Deum qui se patefecit in Sion, et ibi tradidit promissiones, et iuxta has promissiones fide colendum esse, alia numina commentitia esse, alios cultus reiectos. Et sicut tunc in Sion vere adfuit Deus et vere ibi fuit Ecclesia, ita scimus ibi certo adesse Deum, ibi vere eum coli, ubicunque toto orbe terrarum illud idem verbum, quod in Sion propositum est, sonat, sicut apud Esaiam dicitur: Ex Sion egredietur. Et fluent ad montem Sion omnes gentes, id est, Evangelion inter gentes spargetur, quod in Sion promissum est. Quare ibi certo Deus aderit, exaudiet, servabit, et ibi vere erit Ecclesia Dei, ubi sonabit vox Evangelii, quae ex Sion accepta est, sicut et Filius Dei adfirmat Ioan. 14.: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus.

Ita hunc Psalmum ad omnia tempora accommodemus, et nunc quoque inde discamus, ubi et quomodo quaerendus sit Deus, ubi sit Ecclesia: et cum didicerimus hic vere adesse Deum, et hic vere esse Ecclesiam, ubi vox Evangelii sonat, acquiescamus in Deo monstrato per Evangelium, invocemus eum, petamus ab eo bona, voce huius Psalmi: *Expectamus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Agamus et gratias voce huius Psalmi: *Magnus Dominus et laudatus valde.* In tali accommodatione sententia fiet illustrior.

Miscentur gratiarum actioni et laudatio Ecclesiae et consolatio.

Dulcissimum praeconium est Ecclesiae in versu secundo: *Mons Sion est pulcer surculus laetificans terram.* Quid potest dici dulcius? Opes et regna existimantur esse summa ornamenta civitatum, sed hoc bonum aeternum longe maius est, videlicet praesentia Dei promittentis salutem, exaudientis et servantis homines.

Talis civitas ornata hoc bono vere antecellit omnibus, et vere est amoenissimus hortus, remedia gignens omnium miseriarum.

Si conferantur ad tale templum et talem scholam, ut fuit in Sion coetus Nathan, David et aliorum piorum, maximae et potentissimae civitates, Babylon, Athenae, Roma, ingens dissimilitudo est. Nam illae sine Evangelii voce tantum speluncae latronum, et miserrimorum hominum hospitia fuerunt. Sion autem est arx in qua Deus praesens exaudit et servat invocantes, et dat eis aeterna bona. Ita discamus agnoscere Ecclesiam, et eam anteferre aliis coetibus.

Consolatio est quod adfirmat reges eam admirari et non posse delere. Huc promissiones accommodentur aliae, quae pollicentur Ecclesiae defensionem, Matth. 16.: Portae inferorum non praevalebunt adversus eam.

Postea in versu nono ponitur precatio: *Expectamus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Brevis petitio est, sed complectitur summam omnium promissionum. Et ad praecipuam maxime referenda est, id est, ad promissionem Mediatoris et remissionis peccatorum, iusticiae et vitae aeternae. Expectamus misericordiam tuam, id est, remissionis peccatorum, reconciliationem et vitam aeternam, conservationem Ecclesiae et huius nostrae politiae, propter Mediatorem quem nobis promisisti. Propter hunc etiam mitigationem communium aerumnarum petimus et expectamus.

Sed dicat aliquis, Cur audes petere? unde scis te exaudiri ac respici a Deo, te recipi? Ideo addit: *Petimus haec in medio templi tui.* Hic sunt promissiones editae, quae adfirmant vere adesse Deum, exaudire et servare propter Mediatorem. Ita nunc quoque in nostris periculis clamemus ad Deum, qui misso Filio suo Domino nostro Iesu Christo crucifixo pro nobis in Sion et resuscitato, se patefecit: Expectamus Deus misericordiam tuam, in medio Ecclesiae tuae: Ne sinas extingui lucem Evangelii tui, et agnitionem ac invocationem Nominis tui: ne sinas deleri doctrinam de disciplina, ac plena omnia fieri Turcicae et Hispanicae impietatis et spurcitiae. Ex-

audias Ecclesiae tuae gemitus propter Filium tuum, qui dixit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

In versu decimotertio praeceptum additur de diligenda, ornanda, servanda, defendenda Ecclesia, sicut alias inquit: Rogate quae ad pacem sunt Ierusalem, ita hic praecipit: *Fideliter extruite muros eius*, id est, diligite et fovete Ecclesiam omnibus officiis. Doctores recte doceant, nec dissepent Ecclesiam pravis opinionibus ac perniciosis rixis. Principibus curae sit servare ministerium Evangelii ad omnem posteritatem, nec exerceant saevitiam in pios recte sentientes, sed tueantur eos, et extingui veram doctrinam non sinant. Iuventus amet studia Ecclesiae necessaria, et populus et studia doctrinae et ministerium publicum servet.

Haec et similia officia praecipit in hoc versu, quo commonefacti magis et Ecclesiam et studia doctrinae amemus.

Argumentum ac dispositio Psalmi XLIX.

Audite haec omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem.

Multi sunt Psalmi qui hoc ipsum argumentum repetunt, scilicet consolationem Ecclesiae et singulorum piorum adversus scandalum crucis, ut Psalmus quartus, item tricesimus septimus et alii. Cum enim in hac mortali vita Ecclesia et singuli pii ingentibus aerumnis exerceantur, et interea impii floreant potentia, opibus et imperiis, et fruantur voluptatibus, maxima pars generis humani ignara cur Deus subiecerit Ecclesiam cruci, appetit haec commoda praesentis vitae, potentiam, opes, voluptates, et fugit aerumnas. Deinde disputat de iusticia Dei, quia causam consilii divini ignorat, et sic ratiocinatur.

Impossibile est genus humanum, si est curae Deo, tantum ad miserias conditum esse, sicut equos aut boves. Aut igitur Deo cariores sunt illi, quorum vita tranquillior est, et minus aerumnosa, aut nulla est providentia. Si nulla est providentia, stulte sibi accersit Ecclesia labores et pericula. Si est providentia, cur in tantis miseriis est Ecclesia? Id enim videtur iniustum propter duas causas.

Nemo amicus vult amicis male esse: Si Ecclesia est cara Deo, cur tam duriter excruciatur?

Praeterea, Iustis convenit bene esse, Ecclesia affirmat se iustam esse, cur igitur tam atrociter affligitur? Et quidem lex divina promittit bona iustis. Sic enim inquit: Qui fecerit ea, vivet in eis. Cur hanc ipsam promissionem non praestat Deus? Cur Abel, Ieremias et similes interficiuntur, cum quidem non propter delicta, sed propter recte facta trucidentur?

Haec confusio bonorum et malorum valde multos movet, ut de providentia dubitent. Nec explicari haec quaestio potest nisi ex doctrina divinitus revelata certissimis testimoniis in Ecclesia.

Respondet igitur Psalmus uno versiculo ad omnes obiectiones. Si est providentia, impossibile est bonos in genere humano tantum ad miserias conditos esse. Adsentior, inquit Psalmus, quia restat iudicium in quo Deus liberabit me, ut versu quintodecimo dicitur. Interea in hac mortali vita cur sustinendae sint aerumnae, certa causa est consilii divini, ut postea dicam.

Eadem responsio refutat illud: Nemo amicus vult amicis male esse, verum est, perpetuo, sed ad tempus pater vult castigari liberos. Et cum Deus sit iustus, et in nobis haereat peccatum, necesse est nos castigari, sed tamen quia nos recipit Deus, erit poenarum finis.

Ita respondetur et ad illud: Iustis Deus vult bene esse. Abel, Ieremias sunt iusti, ergo debet eis bene esse. Psalmus respondet ad conclusionem: Bene erit Abel et Ieremias in vita aeterna. Sed cur in hac vita calamitosi sint Abel et Ieremias, certe causae sunt consilii divini. Primum in his quoque haeret peccatum. Vult autem Deus praesertim in Ecclesia, agnosci peccatum et horrendam totius generis humani corruptionem. Ideo tota Ecclesia subiecta est aerumnis.

Responsio igitur ad minorem haec est. Abel et Ieremias sunt iusti, imputatione: sed nondum in vita mortali sunt sine peccato. Et vult eos Deus agnoscere iram suam adversus communem generis humani depravationem.

Deinde vult hos esse testes doctrinae suae et futuri iudicii, cum in hac vita non conspiciatur discrimen inter Abel et Cain, inter Paulum et Neronem, et tamen Deus clare ostenderit se recepisse Abel et Paulum, certo statuendum erit post hanc vitam discrimen inter illos fore. Restat igitur aliud iudicium. Huius ipsius iudicii testimonia sunt mors Abel et Pauli et similium.

Sed cur dicit lex: Qui fecerit ea, vivet in eis? quod dictum cum isto congruit: Iustis debet bene esse.

Brevissima responsio est: Legis interpres est vox Evangelii, quae dicit qui sint iusti et quando bene esse iustis debeat. Interea lex omnes accusat.

Sed extra hanc veram et universalem responsionem, haec responsio de politica gubernatione etiam tenenda est. Certum est atrocia delicta atrocibus poenis in hac vita puniri, ut dicitur: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Quantumvis igitur impii glorientur se regnare et florere, tamen certissimum est ruere in poenas in hac mortali vita regulariter omnes qui violant externam disciplinam. Constat igitur puniri a Deo scelera. Sed cur Abel, Ieremias et similes etiam affliguntur, hoc non pertinet ad iudicium politicum. Hi intelligunt ipsi, cur affligantur, scilicet non propter civilia delicta, sed propter alias causas, quas recensui, et norunt legem et suarum aerumnarum causas, cognita doctrina Evangelii de futura vita recte conciliare.

Cum igitur valde offendatur humana sapientia hoc scandalo, quod iustis videt male esse, Deus hanc disputatioem, quam humana ratio explicare non potest, ipse sua voce explicat, narrat causas quae iusti adfligantur, et dicit hanc vitam restare aliud iudicinm.

Haec est huius Psalmi summa, qui totus ex hac antithesi constat. Errant qui potentiam, opes et voluptates huius vitae mortalis, anteferunt Deo, et propter illa praesentia bona negligunt confessionem verae doctrinae et alia officia Deo debita. Etsi enim nunc florent, tamen post mortem ruent in exitium aeternum, unde nullis opibus, nullis humanis praesidiis eripi possunt. At econtra pii etsi nunc sunt in magnis aerumnis, tamen in ipsa morte liberabuntur, et a Deo ornabuntur aeternis bonis, vita, sapientia, iusticia, laeticia, in illa aeterna consuetudine Ecclesiae.

Continet igitur hic Psalmus articulum de Vita aeterna et futuro Iudicio. De iustis expresse dicit: *Veruntamen Deus redemit animam meam de manu foveae, quia accipiet me.* Haec verba clare adfirmant, post mortem pios traduci ad *Deum*, nec relinqui in morte et exitio. Econtra de impiis dicitur: *Usque in aeternum non videbunt lumen*, id est, relinquentur in morte et exitio.

Cum igitur voluerit hunc praecipuum articulum doctrinae coelestis, de vita aeterna et futuro iudicio proponere, et multos furores generis humani taxare, qui oriuntur ex hac coecitate, quod homines illud futurum iudicium non intuentur, sed volunt praesenti vitae consulere, huic quaerunt praesidia, hanc muniunt, et eam anteferunt voluntati Dei, quasi doctrina de vita aeterna et futuro iudicio sit inanis fabula, ideo tam alte exorsus est, et initio praefatur, se toti generi humano de re omnium maxima concionari, ut a coecitate et a contemtu Dei, et stulta securitate, homines ad agnitionem et timorem Dei et considerationem futuri iudicii revocet.

In propositione consolationem instituit, et suam personam tanquam exemplum caeteris Ecclesiae membris proponit.

Non timebo, inquit: *non frangar animo, ita ut deficiam a Deo* in aerumnis, cum hostes mei, qui antecellunt opibus me conculcant, quasi dicat: Sic omnes pii simus confirmati, nec deficiamus a Deo, etiamsi multae magnae miseriae nobis ferendae erunt, et interea hostes florent, tenent opes et imperia, sunt muniti potentia contra adversarios, fruuntur voluptatibus. Horum bonorum illecebrae non abstrahant nos a Deo. Non inflectant se martyres ad voluntatem Diocletiani et similium, etiamsi vident se excruciari, et econtra desertores doctrinae evehi ad honores, et magnis praemiis donari. Haec est summa propositionis.

Deinde sequitur *αἰτιολογία* seu ratio, quae constat antithesi, ut dictum est, quia etiamsi nunc florent impii, tamen aliquanto post perituri sunt, et ruent in aeternum exitium, ex quo nec opibus suis nec ullis humanis viribus eripi poterunt: econtra vero pii in morte liberabuntur. In hac antithesi consumitur reliqua Psalmi narratio, quae est, ut dixi, doctrina de vita aeterna et futuro iudicio.

Saepe autem repetita est haec una sententia: Opes, potentiam et voluptates huius mortalis vitae fugacia bona esse, nec posse depellere mortem, nec profutura esse morientibus.

Inseritur autem aperta vituperatio humanae sapientiae. Maxima pars hominum iudicant magnam sapientiam esse, quaerere opes et humana

praesidia neglecto Deo, sicut quidam homo impius dixit: Se quid doceant quinque libri Mosi non scire, nec curare, sed quomodo emendi sint quinque pagi, et quanti ex eis reditus capiantur, scire et curare, eamque sapientiam longe anteferre illi inani doctrinae Mosi. At econtra Psalmus versu 13. hanc persuasionem vocat stulticiam, etsi laudetur haec persuasio ab eorum imitatoribus. Denique tota oratio Psalmi perspicua est, si non depravetur insulsis versionibus.

Argumentum ac dispositio Psalmi L.

Fortis Deus Dominus locutus est, et vocavit terram, etc.

Insignis Psalmus est, luculentam et perspicuam concionem continens, monstrantem discrimen veri cultus et ceremoniarum. Quare ad genus *διδασκαλικὸν* pertinet.

Triplex est enim hominum multitudo: Alii prorsus sunt *ἄθεοι,* qui et ceremonias et veros Dei cultus audacissime contemnunt, ut Athenis faciebat Cynesias poëta, qui festa contraria publicis celebrabat. Alii non adeo profani cum ratione moveantur, ut esse Deum statuant, tamen postea nihil nisi legem norunt, et de hac fingunt sibi imaginationes suo arbitrio, videlicet Deum colendum esse ceremoniis et operibus moralibus: sed si sint lapsus aliqui, ceremoniis compensari: et has, si sint sufficientes, mereri remissionem peccatorum: sic senserunt Ethnici, qui hac persuasione varios ritus et multa tristia opera excogitabant, videlicet victimarum humanarum mactationes, quia ceremoniis aboleri peccata fingebant. Hoc errore Pharisaei cumularunt sua sacrificia, monachi Missas, Turci suas ceremonias. Denique manet hic error in maxima parte generis humani, ceremonias praecipue Deo placere, et mereri remissionem peccatorum, et praecipuas virtutes esse longe anteferendas omnibus moralibus operibus. Ac multi plus sibi licentiae sumunt in moribus, laxant frenum libidinibus et aliis cupiditatibus, quia postea compensari delicta ceremoniis arbitrantur: ut sacrificuli varie polluti, deleri sua scelera putant ritu Missae. Sic Ethnici senserunt, sic omnibus aetatibus multi sentiunt. Hic error et in hoc Psalmo et alibi saepe a Prophetis, a Christo et Apostolis taxatur, ut Christus clamitat Matthaei septimo: Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui facit voluntatem patris mei. Item Ioan. 4.: Veri adoratores adorabunt patrem in Spiritu et veritate. Et 1. Corinth. 7.: Circumcisio nihil est, sed observatio mandatorum aliquid est. Et saepe alias haec doctrina repetita est.

Sed hae conciones praecipua certamina inter homines accendunt. Nam multi cum vident ceremonias esse nervos potentiae suae, aut aucupia quaestus, sine modo eas laudari volunt, non propter gloriam Dei, sed ad stabiliendam potentiam, et augendum quaestum.

Alii qui videntur graviores, qui iudicant ceremonias esse disciplinae nervos, ut sunt aliquo modo, vehementius etiam irascuntur iis, qui negant hos cultus mereri remissionem. Tales propugnatores ceremoniarum omnes concurrunt ad opprimendam veram reprehensionem, ut nunc Antistites, Canonici, Sacrificuli, Monachi stipati regibus ac principibus concurrunt ad defensionem venalium Missarum, et crudelissime interficiunt homines pios recte docentes de usu ceremoniarum.

Cum igitur talia certamina sequantur, audita voce divina de ceremoniis, Psalmus initio et in fine severissime obiurgat hostes veritatis, et eis poenas et exitium minatur: necesse est enim has controversias iudicari divinitus, quia homines sine luce Evangelii, non recte intelligunt legem et ceremonias. Ideo funditus deleta est Hierosolyma, quia stante politia Iudaica, semper mansisset opinio, tam pulcros ritus, divinitus ordinatos, necessarios cultus Dei esse.

Tertia pars hominum est, quae non tantum legem novit, sed etiam Evangelium didicit, et id recte intelligit: scit datam esse promissionem remissionis peccatorum Gratis dandae propter Mediatorem. Et scit mandatum Dei esse immotum, ut iuxta hanc promissionem credamus nos recipi et exaudiri: et hac fide, id est, fiducia misericordiae, invocemus Deum, et petamus et expectemus auxilium, et hanc doctrinam profiteamur, et in ipsis liberationibus grato corde praestemus eos cultus, quos ipse in verbo suo postulat, et eo ordine praestemus sicut postulat.

Primum vult ardere in corde nostro fidem, non ociosam noticiam, sed fiduciam invocantem ipsum, quae sentitur in afflictionibus. Cum hac

fide coniuncta est dilectio, et accenduntur aliae virtutes necessariae iuxta praecepta moralia, iusticia, castitas, veritas et aliae. Postremo accedant ceremoniae divinitus ordinatae suo quaeque tempore, non ut mereantur remissionem peccatorum, non quod placeant Deo sine fide, et sine operibus moralibus, sed ut sint signa promissionum vere credenti: deinde ut sint signa professionis, quae discernant Ecclesiam ab ethnicis. Imo cum non accedunt vera fides et obedientia moralis, et existimantur mereri remissionem peccatorum, nihil differt talis cultus ab ethnico.

Haec tota doctrina saepe in Prophetis, Christo et Apostolis repetita est. Ut Esaiae primo: Quo mihi multitudo victimarum vestrarum? Et Esaiae 58.: Nolite ieiunare sicut hactenus. Et Ieremiae 7.: Non praecepi eis de holocaustis. Et Micheae 6.: Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum. Et Zachariae 7.: Num ieiunium mihi ieiunatis? Hae conciones et similes ad hunc Psalmum pertinent, quae Ecclesiam de discrimine veri cultus et ceremoniarum commonefaciunt: eritque magis perspicua lectio Psalmorum, cum nostri temporis certamina de iisdem rebus considerabimus.

Totus autem Psalmus narratio est, in qua Deus initio minitatur iram et poenas hypocritis secundi generis, qui cum ignorent veros cultus, fidem et veram invocationem, interea iactitant se esse populum Dei, propter ceremonias, et has anteferunt omnibus aliis operibus, vel stabiliendae potentiae suae causa, vel propter quaestum, vel ut mereantur remissionem peccatorum.

Incoatur autem narratio grandisono descriptionis severissimi iudicii divini, ut homines discernere discant gradus peccatorum, nec extenuent moralia peccata, ut fit magna ex parte. Et ut sciamus vero Deo tribui sermonem, appellatio additur, scilicet Iehova, discernens verum Deum a commentitiis numinibus: et fit mentio loci Sion, ut veri Dei concionem esse sciamus, qui se certis testimoniis in Sion patefecit. Convocat autem universam Ecclesiam, in qua simul sunt multi iusti recte colentes Deum, et multo plures iniusti, qui titulo sunt membra Ecclesiae.

Cum igitur ait: *Congregate mihi Sanctos meos*, intelligamus universam Ecclesiam bonos et malos, quae synecdoche usitata est: ut mox eodem modo alloquitur totam Ecclesiam, cum ait: *Populus meus.*

Sequitur in eodem particula, quae propter brevitatem obscurior est, sed hae sunt simplicissimae interpretationes. Aut enim sic generaliter enarrari versus potest: Congregate mihi Sanctos meos, cum quibus feci foedus de sacrificiis, id est, quibus tradidi legem, in qua fit mentio sacrificiorum. Haec cum non recte intelligatis, iam errorem vestrum de eis taxabo.

Aut hoc modo: Congregate mihi Sanctos meos, ordinantes foedus super sacrificia, id est, putantes meum foedus tantum aut certe potissimum esse praecepta ceremoniarum, quasi dicat: hunc errorem ut emendem, iam convoco Ecclesiam. His interpretationibus, quia molliores sunt, contenti simus. Alii quaesierunt argutiores expositiones, quas omitto.

Sequitur propositio, quae continet adfirmativas et negativas sententias.

Adfirmativa haec est: *Audi popule meus, et loquar Israel, et testificabor in te, Deus, Deus tuus ego sum.* Ierem. 7. prorsus eo modo dicitur: Non praecepi de holocaustis, sed audite vocem meam. Haec adfirmativa: *Audi*, Ego sum Deus tuus, principio postulat agnitionem verae doctrinae legis et promissionum et timorem, ac fidem. Ut non probat Deus sacrificia Agamemnonis, quia prorsus ignorat verbum Dei: sic non probat sacrificia Manasse, quia facit ea prorsus neglecto verbo Dei, fingit novos cultus, nec intuetur Deum qui se patefecit certo verbo tradito.

Deinde membrum praecipuum propositionis hoc est: *Audi* inquam hanc vocem: *Deus, Deus tuus ego sum.* Hoc audias, me qui illustribus testimoniis tibi legem et promissiones tradidi, videlicet Deum esse, et me velle sic coli, audita legis voce me timeas, et auditis promissionibus vera fiducia ad me accedas, me invoces, a me petas et expectes bona propter Mediatorem promissum, et hac fide praelucente, eo ordine praestes opera, ut ego praecepi. Primum moralia, deinde ceremonias tanquam signa confessionis, ut te et alios commonefaciant, non ut mereantur remissionem peccatorum. Etiamsi pulcerrimarum virtutum opera facias, et offeras quotidie magna agmina boum, sine vera agnitione Dei, sine cogitatione verbi eius et patefactionum, et cor sit sine timore et sine fiducia petente et expectante auxilium a Deo, tamen talis cultus Deo non placebit, sicut nec Nestoris nec Menelai cultus placebant, etiamsi erant viri praestantes virtute, et sumtuose sacrificabant.

Haec igitur concio: *Deus, Deus tuus ego sum*, revocat omnium hominum mentes ad primum praeceptum et vera opera primi praecepti, et ad agnitionem promissionis quae declarat hanc particulam *Deus tuus*, id est, vere te recipiens, te curans, tibi dans non solum praesentia bona, victum et hanc politiam, sed etiam aeterna, ministerium doctrinae, iusticiam et vitam aeternam, propter Mediatorem. Ideo volo me vere timeri, irascentem peccatis, ac simul credi mihi postulo: volo me fide invocari, peti a me, et expectari defensionem praesentis vitae, et aeterna bona. Hanc totam doctrinam continet particula: Ego sum Deus tuus.

Sequitur negativa propositio: *Non arguam te propter sacrificia, non accipiam de domo tua taurum.* Haec antithesis illustrat Psalmum, ut plane quid velit intelligi possit: cumque status sit finitivus in hoc Psalmo, negativa propositio hic constituitur: Non est cultus Dei, qui mereatur remissionem peccatorum, externus ritus sacrificiorum. Haec est sententia verborum: Non accipiam taurum, etc. Deinde venustae amplificationes accedunt.

Sequitur alia adfirmativa propositio, cuius *αἰτιολογία* supra posita est, cum ait: *Ego sum Deus tuus.*

Inde sequitur haec propositio: *Sacrifica Deo laudem. Invoca me in die tribulationis*, id est, vera sacrificia sunt in corde, agnoscere verum Deum, sicut se patefecit, timere eum, credere ei, diligere, celebrare et invocare eum, et quid de eo sentiamus in invocatione declarare, videlicet vere eum exaudire gemitus nostros, et invocantibus opem ferre. Nam concionari legem de corde, non de externis tantum actionibus, testatur hoc dictum: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde.

Inseritur autem propositioni, quae nunc recitata est, dulcissima promissio, quae non est ociose praetereunda, cum ait: *Et eripiam te.* Pollicetur veram invocationem, quae fit fide, non esse irritam. Hic diligenter consideranda est antithesis. Nam et hypocritae sacrificantes invocant, sed aut securi in rebus secundis, confidunt suis sacrificiis, aut in rebus adversis manent in dubitatione: sacrificant quidem, sed apud sese cogitant, se negligi, se proiici, se non exaudiri a Deo, et fremunt adversus Deum. At fidei oratio acquiescit in Deo: et quanquam multis terroribus concutitur, tamen superata dubitatione statuit Deum non defuturum nobis esse: scit remitti peccata propter Mediatorem, et poenas mitigari. Haec statuere in praesenti periculo difficile est. Quare quid sit fides et invocatio fidei, non in ociosis speculationibus, sed in veris certaminibus discendum est. In his promissiones Dei intueamur, et eas recte intelligamus, et earum voci ita credamus, ac si novam vocem de coelo sonantem audiremus. Cumque in pavoribus nos fide sustentamus, discemus quid sit fides, et eventus testabuntur, hanc fidem non esse inanem opinionem, et invocationem non esse irritam, ut Epicurei et hypocritae iudicant. Ac ita proficiendum nobis est, ut plus lucis sit in nostris mentibus de Deo ac promissionibus, quam in Epicureis aut hypocritis esse solet. Cum hic iubeat Deus se invocari in periculis, obtemperemus, cumque addat promissionem, vult credere tales promissiones non esse inanes sonos.

Sed dices: Hae promissiones ratae sunt bene meritis. Imo ratae sunt propter Mediatorem omnibus ad eum confugientibus. Et cum omnes sint rei, necesse est hanc fidem de remissione peccatorum praelucere in omni invocatione in periculis corporum.

Haec de argumento Psalmi et praecipua propositione monuisse satis sit, ut summa dextre intelligatur. Reliqua pars a versu sedecimo est obiurgatio hypocritarum, qui opprimere veram doctrinae lucem, de fide et vera invocatione conantur, et saevitiam adversus veram Ecclesiam exercent, ut suos ritus et opiniones retineant, vel propter superstitionem, vel propter quaestum, ne potentiae nervi labefactentur, ut nunc Pontifices, Canonici et Monachi ceremonias suas magna crudelitate defendunt. Id exemplum si quis considerabit, clarius intelliget, cur hic dicatur: *Sedens contra fratrem tuum loqueris*, etc. Semper doctrina de discrimine veri et falsi cultus magna certamina excitavit, ut ostendunt Prophetarum, Christi et Apostolorum contentiones. Ideo hic in fine Psalmi crudelitas hypocritarum accusatur.

Argumentum ac dispositio
Psalmi LI.

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, etc.

Totus Psalmus precatio est, et ut caeterae precationes, ad genus deliberativum pertinet. Propositio praecipua statim initio recensetur: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*, id est, remitte mihi peccata propter immensam misericordiam tuam, quam in promissione nobis declarasti. Postea haec propositio repetitur, et vicinae adduntur: *Cor mundum crea in me Deus.* Nam et hi versiculi qui loquuntur de donis, quae adiuncta sunt reconciliationi, sunt propositiones. Miscentur autem ut fit in magno dolore tristes querelae de magnitudine peccati, et confessiones, quales Ecclesia coram Deo recitat, et deinde gratiarum actiones et discrimina cultuum, de quibus et proximus Psalmus concionatus est. Cum autem membra apte disposita sint, et egregia sint lumina verborum et sententiarum et copiosa doctrina in singulis membris, ordine recensebo ea.

Propositio est: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.

Deinde tristis querela sequitur, quae est confessio peccati, et amplificatio monstrans radicem peccatorum et mali magnitudinem: *Quoniam iniquitatem meam ego agnosco*, id est, cerno meam immunditiem et delicta, et agnosco te iuste mihi irasci, meque poenas et mortem aeternam meritum esse. Et haec ipsa confessio repetita est in sequenti versu, et tristissimis verbis amplificata: *Tibi tantum sum peccator, et malum coram te feci*, quasi dicat: Agnosco et fateor me vere esse reum et dignum ira. Iaceo prostratus coram te sentiens iram tuam iustissimam adversus peccata, meque ingenti mole peccatorum oneratum esse. Et haec plane fateor, ut tu iustificeris, id est, tribuam tibi laudem iusticiae, cum accusas et punis, quam non tribuunt hypocritae. Saul et similes clamitant se iniuste tantis calamitatibus obrui, cum sint bene meriti. Ego vero fateor me iustissime puniri. Cerno vitia cordis quae assidue circumfero, rapui alterius coniugem, struxi insidias vitae viri, praebui occasionem ingentibus scandalis in Ecclesia Dei, meumque eo gravius est delictum, quod ingentibus donis et victoriis a te ornatus fui prae caeteris Prophetis et ducibus in tuo populo. Tibi igitur iusticiam tribuo, meque volens aliquo modo poenis subiicio, sed ut eas mitiges oro. Te iustum praedico non me, nec adfero ad te fiduciam ullam meae dignitatis, sed ad misericordiam promissam confugio, propter hanc me recipi oro. Sic addit hanc antithesin: *Ut tu iustificeris*, ad discernendos hypocritas qui fremunt adversus iudicium Dei, ab iis qui vere agunt poenitentiam, et se Deo subiiciunt.

Idem dicit in membro sequenti: *Ut vincas cum iudicaris.* Haec particula videtur obscura imperitis, qui non existimant iudicari Deum. Sciant autem studiosi, recte legi et intelligi passive verbum iudicaris. Et antithesis quam hic significat Psalmus, illustrat sententiam. Saul et alii hypocritae iudicant Deum, id est, accusant eum, ac tribuunt ei iniusticiam et crudelitatem. Egone, inquit Saul, qui tantas res gessi pro Ecclesia Dei, qui praeliorum pericula, qui molem et curas gubernationis tot annis, tanta virtute sustineo, nunc reiiciar? mihine adolescens antefertur meis ornatus beneficiis? Haec videntur inaequalia et iniusta. Deinde cudelitas est me etiam hostibus trucidandum obiici.

Tales multae disputationes sunt philosophorum, cum quaerunt quare boni viri magis sint aerumnosi quam scelerati? cur Senecam et alios multos a tyranno turpissimo interfici Deus sinat. In hac quaestione iudicatur, id est, accusatur Deus ab ignaris doctrinae coelestis, et vincit, hoc est, damnatur Deus, sed vera Ecclesia agnoscit Deum esse victorem, id est, fatetur eum iuste punire peccata nostra.

Talis sit confessio piorum in hac tota vita. In veris doloribus existunt hae disputationes in animis, an iuste puniamur, sed postulat Deus sibi tribui laudem iusticiae, et vult ut aliquo modo volentes sustineamus poenas. Ideo et Daniel inquit: Tibi Domine iusticia, nobis confusio faciei nostrae. Haec pars poenitentiae necessaria est, quae quidem est aliqua agnitio inobedientiae nostrae et irae Dei. Sed ad hos dolores, et ad hanc confessionem necesse est accedere agnitionem promissae misericordiae.

Ecce in iniquitate genitus sum, et in peccato concepit me mater mea. Ut supra in genere dixit se esse reum, ita hic exaggerat malum, ac deplorat radicem. Habeo non solum delicta atro-

cia, sed massa est inquinata peccato, tunc cum in utero formatus sum. Nec accusantur hoc dicto parentes, aut opus generationis, ut multi insulse interpretati sunt, sed massa formata accusatur. In hac ipsa inquit pravae inclinationes sunt contra legem Dei, ex quibus oriuntur multi tristes et horrendi lapsus omnium hominum. Haec cum sit sententia dicti, omnes pii in Ecclesia citarunt hunc versiculum de peccato originis, de quo loqui eum nihil dubito.

Ecce veritatem diligis.

Redit ad confessionem peccati, et affirmat Deum postulare, ut hanc radicem peccati agnoscamus, quod dicitur adversus omnium temporum hypocrisin, quae fingit naturam bonam esse, et dubitationes et aversionem a Deo in hac imbecillitate, existimat nihil mali esse. Hos errores damnant Prophetae, et taxari in Ecclesia necesse est.

Asperges me hyssopo.

Postquam intertexuit querelam et amplificationem mali, redit ad illustrandam propositionem. Prius dixit: Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam, nunc eandem sententiam repetit: Asperge me hyssopo, et mundabor. Figurate autem sumta metaphora ex typo, intelligit aspersionem illo ritu significatam, Asperge me sanguine Mediatoris promissi, quem significat typus vaccae rufae combustae, ut legitur in Numeris capite undevigesimo. Hac se conspersione Mediatoris significata per illum ritum norat mundum fieri. Sciebat enim non tolli peccata sanguine vitulorum, sed alia victima promissa. Est enim haec significatio. Ut vaccam rufam comburi oportuit, ita promissum Mediatorem pro nobis mori decretum fuit. Et cineri aqua infunditur, ut conspergi alii possint: et fit conspersio immersa hyssopo in eam aquam: id est, mors Christi praedicatur per Evangelium, et minister est hyssopus per Evangelium communicans cinerem, id est, mortis Christi efficaciam nobis applicans. Hanc sententiam David intuebatur, non sensit ritu ipso tolli peccatum.

Repetita est et amplificata propositio etiam in versibus sequentibus, qui de remissione peccatorum et de effectibus, id est, de consolatione et gubernatione loquuntur. Petitio est perspicua de remissione peccatorum. *Audire me facias laeta*, id est, remissionem peccatorum, ut sequens versiculus declarat: *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.*

Sequitur petitio de effectibus: *Cor mundum crea in me Deus.* In remissione peccatorum datur Spiritus sanctus, quo fit illa renovatio de qua dicit: Cor mundum crea in me Deus. Primum autem nominatur cor mundum, id est, placens Deo, purificatum remissione peccatorum, quod etsi adhuc habet sordes, quae haerent in natura, tamen Deo placet per misericordiam, postquam fide acceperit promissionem remissionis peccatorum, sicut loquuntur Apostoli Actorum 15.: Fide purificans corda. Primum igitur petit accendi in corde fidem, qua accipitur remissio peccatorum, et placemus Deo, et recte iam de Deo sentimus, quod vere irascatur peccato, et vere recipiat credentes propter Filium. Haec est prima petitio.

Secunda: *Spiritum rectum innova intra me*, id est, prohibe dubitationes academicas et pharisaicas, ne ambigam, an respicias nos, án remittas peecata, an exaudias nos: sed firmitatem fidei in corde meo effice, ut vincam omnes dubitiones, ac statuam vere nos respici, veras esse comminationes et promissiones tuas, et vere nobis remitti peccata, vere nos exaudiri et salvari. Hanc fidem in me confirma, quia mens humana sine noticia promissionum et sine Spiritu sancto plena est harum dubitationum. Et impii doctores iubent dubitare, quod prorsus ethnicum est. Invocat Xenophon, sed ita, ut nesciat quem invocet, an et cur exaudiatur, quia ignorat promissiones. At Ecclesia invocet fide, ac vere intueatur Deum, qui se patefecit in verbo suo, et statuat se recipi et exaudiri propter Mediatorem. De hac firmitate opposita academicae et pharisaicae dubitationi hic loquitur, cum ait: Spiritum rectum, id est, firmum, innova in me.

Ne proiicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Antea nominavit spiritum rectum, id est, firmum, quod praecipue ad fidem accommodandum est: nunc nominat Spiritum sanctum, quod accommodetur ad dilectionem, et universam obedientiam in corde et voluntate.

Redde mihi laeticiam salutis tuae.

Consolatio petitur, ne magnitudine dolorum oppressi extinguamur aut deficiamus a Deo, ut

David exul non posset vivere, nisi aliquo gaudio leniretur moesticia.

Et spiritu spontaneo sustenta me.

Id est, sponte et placide obtemperante in afflictionibus, non fremente adversus te, sicut alacri animo perfert supplicium Laurentius. Alii multa hic philosophati sunt περὶ ἡγεμονικοῦ, quod sic in philosophia nominatur. Sed illas disputationes omitto. Non enim concionatur David tantum de humana ratione, sed ideo se iuvari petit Spiritu Dei, et invocari, quia humana ratio sola non efficit firmam assensionem, seu fidem, ardentem dilectionem, gaudium cordis, tolerantiam. Hae virtutes fiunt concurrentibus his causis, verbo Dei, Spiritu sancto, et adsentiente voluntate.

Docebo iniquos vias tuas.

Post amplificationem petitionum intexit argumentum, ut fit in suasoriis materiis, a referenda gratia: Si me servabis, vicissim tibi hanc gratiam referam, Praedicabo doctrinam tuam, et te autorem liberationis esse adfirmabo, ut hoc exemplo alii confirmati, doctrinam tuam amplectantur, te timeant, a te petant et expectent auxilium vera fide et te celebrent.

Haec est usitata causa, et saepe repetita in petendis liberationibus, quia ad hunc finem Deus vult referri liberationes, ut ipse agnoscatur, et doctrina propagetur, et his exemplis multi confirmati incipiant eum vere colere.

Libera me a sanguinibus Deus salutis meae.

Rursus inserit petitionem de mitiganda poena, ut alias: Domine ne in furore tuo arguas me. Ita hic orat ne extrema poena afficiatur, id est, ne interficiatur, nec abiiciatur in aeternas poenas, ut Saul, Achitophel, et similes, etc. phrasis observanda est. Nam sanguines דָּמִים significat reatum poenae homicidii, seu ipsam poenam homicidii, necem pro nece. Estque sententia, libera a sanguinibus, id est, a reatu extremae et atrocissimae poenae. Sancti subiiciunt se voluntati Dei in poenis, sed petunt mitigationem, ut Ieremias inquit: In iudicio corripe me, non in furore, ut nos usitate dicimus: Mitiga poenas, nec sinas me in tragica mala incidere. Ne fiam similis Saulis, Oedipi, Iudae.

Domine labia mea aperies.

Repetit commemorationem de referenda gratia, et simul se in docendo et in confessione adiuvari petit.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem, sed holocaustis non delectaris.

Occupatio est. Alii petunt remissionem propter sacrificia, ego vero remitti peccata per misericordiam propter Mediatorem agnosco, et scio propter alias causas instituta esse sacrificia, ut sint signa confessionis, et adiuvent propagationem doctrinae. Et tamen est quoddam nostrum sacrificium, scilicet cor perterrefactum agnitione peccati et irae Dei, et aliae aerumnae eorum qui te recte invocant.

In hoc loco egregia doctrina traditur opponenda humanis iudiciis. Ratio, cum in calamitatibus sumus, iudicat nos negligi et proiici a Deo. Sed vox divina in Ecclesia docet, afflictionum alias esse causas, videlicet ut revocemur ad poenitentiam, aut confirmemur, aut sint testimonia doctrinae. Ideoque adfirmat adflictos confugientes ad Deum vere recipi, exaudiri et iuvari, et tolerantiam ipsam gratum Deum cultum esse. Haec necessaria doctrina de cruce, comprehensa est hoc versiculo: Sacrificium Deo spiritus contritus.

Benefac Sion, etc.

In fine addit precationem communem pro tota Ecclesia, sicut semper in nostris precationibus ad petitionem de nostris rebus adiungere debemus petitionem de salute totius Ecclesiae.

Sed cur hic rursus approbat holocausta, cum supra reiecerit? Facilis est conciliatio recte institutis. Ceremoniae non sunt cultus Dei, sine vero timore et vera fide, seu ut vulgo dicunt, ex opere operato. Nec institutae sunt, ut mereantur remissionem peccatorum, sed ut sint signa confessionis, ut antea dixi, et adiuvent propagationem doctrinae. Propter has causas pii praelucente vera fide ceremonias exercent, quae pro tempore a Deo mandatae sunt. Tempore veteris Testamenti servabantur ceremoniae tunc mandatae, nunc nostrae servandae sunt.

Argumentum ac dispositio Psalmi LII.

Quid gloriaris in malicia, tu potens? Cum misericordia Dei duret tota die, etc.

Titulus indicat argumentum, quia narrat Davidem hanc consolationem scripsisse adversus delatorem, et parricidam Doëg, qui Saulis furorem incendit et adiuvit. Narravit Sauli, exceptum esse hospitio Davidem a summo sacerdote Abimelech, et postea cum caeteri nollent interficere sacerdotes, primus incoavit illud dirum parricidium sacerdotum, et piarum matronarum, virginum et puerorum in oppido Nobe, quod situm fuit in tribu Iuda inter Arimathiam et Ioppen.

Est igitur Psalmus consolatio, in qua primum narratur scelus impii hostis, et accusatur.

Deinde addita est comminatio poenarum, et opponitur consolatio sumta ex promissionibus, in quibus Deus testatur, se liberaturum esse servientes in domo Dei, id est, Ecclesiae, invocantes ipsum, servientes sive in docendo, sive in aliis vocationibus necessariis. Ac praecipue observanda est haec particula: *Ego autem sicut olea virens* seu florens *in domo Dei.* Causam significat, et locum, quare et ubi serventur homines, videlicet quia serviunt Ecclesiae Dei, cui promissiones traditae sunt, quarum summa est in hoc dicto: Portae inferorum non praevalebunt adversus eam: et in ea fiat invocatio, ibi expectetur liberatio. Quia enim Ecclesiae facta est promissio propter Filium, cui vult Deus haereditatem aeternam colligere, ideo non prorsus deleri hic coetus potest, et in eo membra servantur. Id discrimen in multis imaginibus propositum est. In diluvio tota multitudo impia mersa in aquas periit, tantum vero servantur hi, qui sunt in arcam inclusi: ita tantum servantur hi, qui vera fide inserti sunt Ecclesiae Dei. Hanc arcem, hunc portum quaeramus, ac certo statuamus exaudiri nos a Deo, et iuvari nos a Deo, et iuvari, cum in hanc arcem nos abdimus, etiamsi et arx ipsa oppugnatur, et nos in magnis aerumnis simus.

In fine Psalmi additum est epiphonema de gratitudine pro hoc beneficio, et de celebratione quam Deus postulat. Ideo enim saepe liberat invocantes, ut extent exempla promissionum, quae alios invitent ad petendum et sperandum et expectandum auxilium, ut hac vera et salutari consolatione sustententur, scilicet agnitione praesentiae Dei et expectatione divini auxilii.

Ideo in fine hic dicitur: *Bonum est gratias agere*, celebrare haec exempla coram Sanctis tuis, scilicet ut ipsi etiam fiant fortiores, perferant aerumnas in confessione, et se consolentur agnitione voluntatis, et praesentiae Dei, et sperent liberationem.

Etsi autem securi et ebrii voluptatibus, hanc consolationem, et similes derident: tamen illi, in quibus sunt initia fidei, cum sint in aerumnis, experiuntur has consolationes salutares esse, quia nec promissiones irritae sunt, nec inanis et fallax est expectatio. Ut autem plerunque consolationes referuntur ad genus suasorium: ita et hic Psalmus ad id genus referatur, quia principaliter proponit hostibus comminationem, et piis consolationem recitatione sui exempli.

Sed hic quaestio opponitur: Cum Abel, Ieremias, Baptista, Paulus et alii innumerabiles videantur relinqui a Deo in ipsa morte, et non solum tunc, sed etiam postea floreant inimici potentia et opibus, quomodo haec conveniunt ad sententiam Psalmi? Respondeo: Universaliter vera est sententia etiam in hac vita, tyrannos grassantes in Ecclesiam, dare poenam etiam in hac vita, sicut exempla ostendunt. Cain tandem interficitur etiamsi fratri interfecto aliquandiu fuit superstes. Post interfectum Ieremiam non diu tenet regnum Apryes, sed captus ab Amazi, laqueo strangulatur, et tamen aliae maiores poenae restant. Nam brevis calamitas in hac vita non est aequalis poena pro tantis sceleribus, sed est commonefactio de iudicio Dei, qua Deus ostendit se non esse oblitum delicti, ut alii metuant futurum iudicium, nec se talibus sceleribus contaminent, et ut convertantur.

Sed de Ecclesiae membris quadam dissimilitudo est. Primum de his quoque universaliter verum est, et in hac vita servari causam, et corpus Ecclesiae, etiamsi multi sunt in magnis aerumnis, et aliqui interficiuntur, quia certo consilio vult Deus Ecclesiam cruci subiectam esse, sed tamen postea cum fiet aeternum discrimen piorum et impiorum, universaliter omnes pii fruentur aeternis bonis, et impii erunt in poenis aeternis. Ea vero quae in hac vita geruntur, cum brevia et momentanea sint, ut Paulus nominat, non sunt conferenda ad aeterna, et tamen non fit casu, aut sine singulari consilio Dei, quod Ecclesia cruci

subiecta est, quia Deus sapiens et iustus vult Ecclesiam commonefieri talibus castigationibus de sua iusticia, et ira adversus peccatum, propter quam iram et Filius fit victima, id non consideraretur, si ulla fieret Ecclesiae castigatio.

Concurrunt autem multae causae, de quibus alibi dicendum est. Interim tamen et in hac vita corpus Ecclesiae servatur, ut semper aliqui sint superstites custodes Evangelii, vere invocantes Deum, iuxta illud: Non mortui laudabunt te Domine. Et illi ipsi qui interficiuntur, prius multas liberationes experiuntur, ut certo statuant, Deum in Ecclesia praesentem esse, et celebrent beneficia Dei innumerabilia cum aliis Sanctis.

Dispositio versuum.

Prima pars Psalmi narratio est sceleris, quam ab obiurgatione exorsus est: *Quid gloriaris in malicia tyranne?* Id est, quid vel confidis minitando, ut Pharao elatus fiducia suae potentiae securissimo animo contemnit populum Israël: vel quid laetaris et triumphas post perpetratum scelus, ut laetatur Herodias interfecto Baptista.

Huic autem interrogationi responsionem textus addit, quasi dicat, frustra confidis, et frustra triumphas.

Sequitur *αἰτιολογία*: *Quia misericordia Dei*, promissa Ecclesiae, defendat eam, et nos ipsos in ea servabit. Sciendum enim est quoties misericordiae mentio fit, promissiones respiciendas esse: item cogitandam esse doctrinam de fide, spe et invocatione aliquoties supra repetitam.

Tres sequentes versus narrant et exaggerant scelus, et in primis hoc observandum est, quod dolos et calumnias accusat, quia ipse nece tristius est, quod impii fingunt praetextus honestos suis odiis et furoribus, et sophistice ornant multa tetra et perniciosa mendacia. Item fingunt falsa dogmata, ut nunc faciunt praestigiatores quidam, qui abusus Missae et invocationem mortuorum restituunt.

Sequitur comminatio poenarum aeternarum et praesentium, et inseritur doctrina de exemplo, Cuius poenae exemplo, inquit, firmabuntur iusti, et celebrabunt has liberationes, et Deo gratias agent.

Sequitur *ἀντίθεσις* quae est consolatio sumta ex promissionibus: *Ego non delebor*, sed servabor in domo Dei, et ero ceu olea virens ac florens, non erunt irriti mei labores, sed in hac vita proderunt Ecclesiae, non abolebitur mea doctrina non delebitur mea posteritas: ego et nunc liberabor, et deinde in tota aeternitate una fruar consuetudine et gloria Ecclesiae Dei. Haec bona omnia quae sunt praecipua, complectitur hoc brevi dicto: *Ego ero ut olea in domo Dei.*

Sequitur *αἰτιολογία*: *Quia spero in Deum in omni aeternitate*, invoco Deum, et ab eo expecto auxilium in hac causa et confessione, ad quam me vocavit, et in qua ego ei servio.

In ultimo versu epiphonema est de gratiarum actione et celebratione divini beneficii, adfirmat se Deo gratias acturum esse pro hac liberatione, eamque celebraturum esse in coetu Sanctorum, ut hoc exemplo confirmati non frangantur in aerumnis, sed obediant Deo, et petant ac expectent liberationem iuxta Dei consilium. Ostendit enim Deus suam praesentiam in Ecclesia multis liberationibus, et testatur se exaudire gemitus et vota nostra, ut invitentur alii ad fidem, spem et invocationem, et ob has ipsas causas celebrari haec beneficia iussit, ut Psal. 9. dicitur: Exaltas me de portis mortis, ut annunciem laudes tuas in portis filiae Sion. Ita hic inquit: Bonum est coram Sanctis tuis et fieri tales liberationes, et celebrari eas, et alii confirmentur.

Hanc causam finalem semper in liberationibus cogitemus, ac postea gratitudinem declaremus, primum tota obedientia, deinde et vera asseveratione, quod Dei auxilio servati simus. Nam multi etiam cum manifesta Dei testimonia viderunt, ut Israëlitae in mari rubro, tamen postea obliviscuntur Dei, et in rebus secundis fiunt securi, et frenos laxant cupiditatibus, et fingunt se casu servatos esse. Adversus talem coecitatem erudiamus nos cogitatione exemplorum et dictorum, quae divinitus tradita sunt, ac testantur Deum autorem esse liberationum, et iubent declarari gratitudinem in celebratione beneficii et obedientiae.

Haec est summa sententiae Psalmi, qui non est obscurus iis, qui nunc in veris doloribus invocant Deum, petunt et expectant ab eo auxilium, quorum expectatio nequaquam irrita erit, sed erunt ipsi quoque oleae virentes et feraces in domo Domini.

Argumentum ac dispositio Psalmi LIII.

Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus, etc.

Hic Psalmus doctrina est, continens duas propositiones, quarum altera accusat omnes homines non agentes poenitentiam: altera promittit oppressae Ecclesiae liberationem, ac significat interea Ecclesiam ingentibus aerumnis oneratam esse: ac manifestum est duos coetus describi, alterum hostium Dei, alterum Deo placentem, oppressum ab hostibus Dei, cui promittitur liberatio.

Cum igitur describatur non solum coetus impiorum, sed etiam Ecclesia Deum invocans, cur universalis est concio, quae arguit: Non est qui faciat bonum, ne unus quidem?

Etsi autem aliqui respondent, synecdochen esse, et maximam partem generis humani argui: tamen cum hoc ita intelligant, ut in membris verae Ecclesiae negent esse peccata, non sequar hanc interpretationem, sed potius Paulum sequar, qui citans dicta huius Psalmi, etiam arguit totum genus humanum, scilicet quale est in hac pravitate ac deformitate, quae nobiscum nascitur, ut Paulus inquit: Causati sumus omnes sub peccato esse, ut omne os obstruatur, et totus mundus reus fiat Deo.

Haec concio vere universalis est, accusans peccatum in omnibus, sed postea discrimen est: Pauci aliqui convertuntur ad Deum, et agnoscunt ac deplorant suam immunditiem, et incipiunt Deo obedire, hi sunt Ecclesia Deo placens propter Filium. Ac reliqua ingens multitudo contemnit Deum, et plurimi manifestis furoribus cumulant peccata, polluuntur libidinibus, exercent saevitiam in gubernatione, conantur delere verae doctrinae lucem, et laxant frenos aliis malis cupiditatibus.

Alii etiamsi vivunt modestius, tamen retinent magna vitia in mente, quae manent, etiamsi hypocrisis prae se fert magnam speciem sapientiae et iusticiae: ut in Attico, in Xenophonte, etiamsi pulcra moderatio est morum, tamen haerent dubitationes perpetuae de providentia, et de voluntate Dei an recipiat, et an exaudiat ipsos vel alios. Ita in hoc Psalmo concio est de poenitentia universalis, et tamen est discrimen impii coetus et Ecclesiae, quia in utrisque arguuntur tristia peccata, sed fit discrimen propter dissimiles voluntates audientium concionem universalem.

Plurimi vel contemnunt Deum arguentem, vel etiam ei irascuntur, et extinguere vocem Evangelii conantur, quae non solum manifesta delicta, ut libidines et tyrannidem taxat, sed etiam cultus impios, quos defendunt tanquam sapientiam et iusticiam, sicut Iudaei et Ethnici iudicabant seditiosum esse, suos ritus veteres labefactare.

Alii vero pauci obtemperant Deo arguenti, et ad Deum convertuntur, ita fiunt duo coetus, et impia multitudo ardet odio alterius coetus, et eum delere conatur. Nemo autem has miserias perferre posset, si ignota esset voluntas Dei, et non sciremus secuturam esse liberationem. Ideo Deus tradidit promissiones, et adfirmat Messiam liberaturum esse Ecclesiam ipsum invocantem, haec consolatio et hic proponitur. Haec est summa Psalmi.

Quatuor versus ab initio narrant, et exaggerant peccata, nec tantum externa et manifesta scelera taxantur, quae etiam ratio iudicat, sed etiam interiora magna mala communia hominum, dubitatio de Deo et de providentia, esse sine timore Dei, et confidenter regi propria sapientia, et propter praesidia visibilia negligere Deum, ut multi adiungunt se potentibus, ne cogantur socii esse aerumnarum Ecclesiae. His interioribus malis multa alia peccata interiora et externa implicita sunt, odium verae doctrinae, saevitia manifesta quae exercetur in oppressione Ecclesiae, et alii multi furores qui accedunt. Haec omnia inquit argui et indicari a Deo, cum ait: *Deus de coelo respicit filios hominum.* Et est antithesis opposita primo versui, Impii negant esse Deum, imo clamat vox Dei: Deus de coelo respicit filios hominum, vere est Deus conditor generis humani, inspector et iudex. Nam respicere non significat ociosum spectatorem, sed patefacientem se voce et illustribus testimoniis, et instituentem ministerium docendi in Ecclesia, et manifestis exemplis punientem omnia atrocia delicta.

In quinto versu additur comminatio poenae: *Deus dispergit ossa castrametantis adversus Ecclesiam.* Item *Deus abominatur eos.* Ac insignia verborum pondera sunt in singulis membris. Ossa significant robur et maxime praesidia, reges et principes.

Et cum os inquit castra locasse adversus Ecclesiam, significat summos monarchas, reges et principes, magnum et assiduum bellum gerere adversus Ecclesiam, sed Deus adfirmat se eos dissipaturum esse, et addit πάθος, quod significat verum et vehemens odium: *Abominatur eos Deus.*

In postremo versu promissio est de liberatione Ecclesiae per Messiam, quae qualis sit, et quando futura sit, docent conciones in Evangeliis de venturo iudicio et regno aeterno Messiae. Ad has conciones referendus est postremus versiculus.

Argumentum ac dispositio Psalmi LIV.

Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua iudica me, etc.

Notae sunt historiae, quarum in titulo fit mentio, ac recitantur primo libro Regum capite vigesimo tertio et vigesimo sexto. Nam Ziphaei bis prodiderunt Davidem, et narrantur ibi liberationes gloriosae, in quarum altera cum amici Davidis interfecturi essent Saulem, David eum prohibet interfici, et clare adfirmat, se nunquam velle regem Israël a Deo unctum violare. In qua historia duo sunt valde insignia exempla, Liberatio qua Deus suam praesentiam manifeste declarat, cum David undique cinctus a magno hostium exercitu non posset humanis viribus servari, in tanto periculo Deus ostendit sese custodem esse Davidis.

Alterum exemplum est patientiae subditorum erga legitimos magistratus. Iudicio humanae rationis verum est, concessam esse defensionem adversus tyrannum inferentem manifestam et atrocem iniuriam. Et si in tali defensione tyrannus interficitur, defensor iudicatur iuste fecisse.

Narrat Cicero iudicium C. Marii, qui absolvit militem, qui tribunum militarem interfecerat. Et Moses interfecit virum Aegypti qui praeerat Israëlitis regio nomine, cum iniuste percuteret Israëlitam. Sic et Abisai vir sapiens et sanctus, iudicavit interficiendum esse Saulem.

Verissima est vox naturae, iustam esse defensionem contra iniuriam atrocem, et David defensione utitur, sed eam ita moderatur, ut tamen non trucidet tyrannum, quod licuisse existimo, sicut et Abisai existimabat. Sed saepe regula sequenda est, ut non solum quod tibi liceat, sed multo magis quod tutius sit conscientiae, et exemplo utilius consideremus, sicut Paulus inquit: Omnia licent, sed non omnia expediunt.

Habebat autem duas gravissimas causas David huius suae moderationis, quarum prior est, ut refutaret speciem qua gravabatur. Etsi enim nec appetebat regnum, nec excutere ex regno Saulem volebat, sed ut sciebat se a Deo vocatum esse, ita sciebat non invadendam esse administrationem, sed tunc eam accipiendam esse, cum a Deo quasi in ipsam sedem collocaretur: tamen quia erant sermones de eius vocatione, gravabatur hac specie, contumacem eum esse, ut per occasionem excuteret Dominum ex regno. Haec opinio confirmata fuisset, si David ipse aut sustulisset Dominum, aut tolli passus esset. Res igitur hanc opinionem refutavit, cum toties parcit inimico, ubi occasio eius interficiendi oblata est valde oportuna.

Vitavit et scandalum, quia caeterae gentes dixissent, falso gloriari Israëlitas divinitus sibi reges dari, cum regnum per seditionem et neces dominorum rapi viderent. Noluit etiam exempli huius autor esse, occupandi regni per domini caedem, qui etiamsi ipse iustam causam habebat, tamen exemplo abusuros posteros vidit, quorum aliqui, ut fit, qualicunque praetextu iuris mota seditione dixissent se Davidis exemplum imitari.

Propter has gravissimas causas repressit sese: nec fuisse leve certamen in Davidis animo de hac ipsa moderatione consentaneum est, quia in viris magnanimis acres et ardentes impetus sunt, sed vicit dolorem suum scandali et exempli detestatione, et fiducia auxilii divini, frenante vehementes impetus Spiritu sancto.

Discamus igitur ex hac historia et hoc Psalmo doctrinam de his duabus virtutibus, de patientia et spe auxilii divini. Sapienter toleremus iniurias, ne accendantur maiora dissidia, ut saepe cupiditas vindictae maximarum discordiarum initium fuit, et haereses sparsae sunt et pertinaciter defensae ut contraria factio premeretur.

Huius rei exempla etiam nostra aetas vidit. Multi etiam dolore moti quaerunt remedia undecunque sine ordine, et multa movent non necessaria, et hac πολυπραγμοσύνη sibi cumulant mala, contra quod vitium dicitur: In silentio et spe erit fortitudo vestra.

Deinde hic discamus exercitia fidei, spei et invocationis, id est, petamus et expectemus defensionem et auxilium a Deo, qui etiam sine causis secundis saepissime liberat, et eripit invocantes, praesertim iniuste oppressos, ut hic non humanis consiliis aut viribus servatur David. Primum cum Saul revocatur propter irruptionem Philistinorum: deinde cum venit David in tentorium sopore oppressis excubiis et rege. Haec etsi Philosophi dicerent casu accidisse, tamen nos in Ecclesia certo scimus, tales liberationes regi consilio Dei, iuxta illa dicta: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Et: Ecce duo passeres asse veneunt, et unus eorum non cadit super terram sine voluntate Patris vestri.

Talibus sententiis et exemplis nos quoque in his calamitatibus fidem confirmemus, et petere et expectare auxilium a Deo aeterno patre Domini nostri Iesu Christi conditore generis humani et Ecclesiae discamus, in talibus exercitiis et Psalmi nobis fient perspicui, et quid sint fides, spes et invocatio, melius discemus. Nunc de membris Psalmi dicam.

Pertinent ad genus suasorium precationes, et hic Psalmus precatio est. In fine et gratiarum actio additur, ut plerunque in invocatione omnes pii miscent precationem et gratiarum actionem: et scripta sunt haec exempla propter nos, ut sciamus esse aliquam Dei Ecclesiam, in qua Deus praesentiam suam multis mirandis liberationibus declaret, et velit in nobis accendi fidem, spem et invocationem. Et ut adest Davidi, et eum exaudit et protegit: ita non dubitemus eum adesse caeteris Ecclesiae membris, et exaudire, et multis modis servare innocentes. Transferamus igitur tales Psalmos ad nos, ut saepe dictum est.

Priores duo versus sunt petitio auxilii.

Tertius: exaggeratio periculi, et accusatio hostium.

Quartus: commemoratio de voluntate Dei sumta ex promissionibus et prioribus liberationibus, Deus vult nobis opem ferre.

Quintus repetit petitionem.

Reliqui duo continent usitatam gratiarum actionem de celebratione horum beneficiorum, quae fit ut alii etiam convertantur ad Deum, agnoscant non falsam ac fabulosam esse Ecclesiae doctrinam, sed vere Deo curae esse Ecclesiam, et in ea exaudiri invocationem, et servari eam divinitus, etiamsi aliquantisper duriter quassatur.

Argumentum ac dispositio Psalmi LV.

Exaudi Deus orationem meam, et ne abscondas te a deprecatione mea, etc.

Precatio est valde pathetica adversus perfidiosos amicos, qui colludunt cum hostibus, et facta cum eis conspiratione machinantur exitium piis doctoribus, et doctrinae corruptelas stabiliunt, sicut Arianis temporibus, cum Eusebius Nicomedensis subscriptione sua comprobasset sententiam Nicenae Synodi, tamen postea nactus occasionem, patefecit impietatem suam, acerrime pugnavit pro Arianis, et factiose adiunxit sibi multos Episcopos et potentes viros.

Haec sunt usitata omnibus temporibus, ut nunc quoque videmus, multos qui initio fuerunt vehementes propugnatores verae doctrinae, paulatim deinde se ad adversarios inflexisse, vel quia propter levitatem mutaverunt iudicia, vel odio certorum hominum, vel ambitione, ut multae causae esse possunt mutationis iudiciorum et voluntatum in hominibus.

Quare praecipue in hac querela accusantur illi desertores, qui cum antea fuerint amici, et eiusdem causae propugnatores, postea aut aperte transeunt ad hostes, aut fiunt praevaricatores, et arte cum eis colludunt.

Usitatum est igitur hunc Psalmum ad Iudam transferre, sed multi sunt Iudae similes in dissensionibus Ecclesiae, et multi sunt fallaces et inconstantes in communibus amiciciis, qui cum produnt amicos, plus nocent eis, quam potuissent nocere hostes. Hinc sunt illae iusticiae voces: Maledictus qui confidit in homine, ut Ieremias inquit, et in Psalmo: Nolite confidere in principibus. Item: Nusquam tuta fides. Item: *μέμνησο ἀπιστεῖν*. Et illud Sophoclis: Fides mortua est, pullulat autem perfidia. Et illud: Quos credis fidos, effuge, tutus eris. Et narratur iocus Antigoni regis, qui in precatione dixerat, se Deum orare, ut protegeretur ab eo adversus amicos. Hic cum quidam familiares interrogarent, cur non potius precaretur, se defendi adversus hostes: imo, inquit, ab his qui palam sunt hostes, cavere sibi homines sua vigilantia possunt: ab amicis, quorum pauci fideles sunt, cavere sibi nemo potest, sed Deo custode opus est.

Manifestum est autem utrunque, et plus nocere proditores, et magis dolere bonas mentes cum ab amicis deseruntur, quam cum ab hostibus oppugnantur, quia iniuria accepta ab amicis revera maior est. Ideo apud Sophoclem vir fortis et magnanimus Philoctetes inquit: Nullum maius est vulnus quam falli ab amico.

Deinde praesertim in Ecclesia late patet hoc scandalum, quia impii confirmantur, et pii imbecilles fiunt languidiores, aut horum exemplo deficiunt et ipsi. Magnae igitur et multae causae sunt, cur magis doleamus, cum in Ecclesia talia accidunt: ut multorum voluntates alieniores factae sunt a vera doctrina propter exempla Billicani, Wicelii, et similium quorundam. Sed haec sinit Deus accidere, quia plerunque confidunt homines coniunctione amicorum, et pendent ex amicis, ac multa peccant amicorum causa, amplectuntur dogmata confisi alienis iudiciis, movent bella confisi sociorum incertissimis voluntatibus. Hanc fiduciam ut eximat nobis Deus, sinit nos ab amicis deseri. Vult enim nos ipsos intuentes verbum Dei vero iudicio propter Deum amplecti sententias divinitus traditas: vult nos a seipso defensionem petere et expectare, non vult nos confidere humanis praesidiis. Sedemus in Ecclesia ut foetus in alvo matris, et divinitus custodimur, sicut apud Esaiam inquit Deus: Ego feci, ego gestabo, ego servabo. Et saepe repetitae sunt hae voces: Vana salus hominis. Item: Illi in equis et in curribus, nos autem nomen Dei nostri invocabimus. Et in Psalmo: Iacta in Deum curam tuam, et ipse sustentabit te. Quare hic Psalmus doctrina est de fide prohibens fiduciam hominum, et praecipiens, ut etiam cum ab hominibus et causis secundis deserimur, tamen a Deo non deficiamus, sed maneamus in confessione veritatis, et exitus Deo commendemus, et ab eo defensionem petamus ac expectemus, iuxta illud: Commenda Deo viam tuam, et ipse faciet.

In primo et secundo versu propositio recitatur, qua petit defensionem.

Sequentes versus plurimi in toto Psalmo continent querelam, in qua varia sunt amplificationes doloris et obiectorum, videlicet impietatis adversariorum, fraudum, insidiarum, simulationis et crudelitatis. Et insignis est exaggeratio personae perfidiosi amici, a quo desertum et proditum se esse queritur, cum quo antea coniunctio fuerit non solum aliorum communium officiorum vitae, sed etiam doctrinae et consiliorum. Manifestum autem est valde sauciari omnium bonorum hominum animos talium amicorum defectione, et in Ecclesia accedit singularis dolor propter scandalum, quod perniciosissimum est, ut supra dixi. Nec opus est longa interpretatione in his querelis, quia intelliguntur consideratis exemplis, cum similia patimur, ut dici solet: *παθήματα μαθήματα.*

Usitatum est autem in talibus querelis, et indignationibus miscere imprecationes, ut hic fit in aliquibus versibus: *Perde Domine linguas eorum, descendant in infernum viventes.*

Nec anxie quaerendum est quo ordine haec *σχετλιαστικὰ* recitentur, in quibus hoc ipsum magnitudinem doloris indicat, quod sine singulari cura ordinis erumpunt varii affectus, nec opus est de hac quaestione disputari: An liceat mala imprecari hostibus. Precatur reprimi impia consilia. Deinde in personis discrimen est, sanabiles optat converti, sed blasphemos optat deleri, sicut in Psalmo 119. Dilexit maledictionem, et veniet ei.

Mixtae sunt etiam gratiarum actiones: gratiarum actio est, in qua fatetur exauditos esse clamores suos, quod ideo narratur, ut Dei gloria celebretur, et multi in Ecclesia confirmentur, sicut saepe supra dictum est, talia exempla scripta esse, ut simili fide et spe petamus et expectemus auxilium: et propter hanc applicationem insertae sunt promissiones, ut in hoc Psalmo dulcissimus versiculus est continens generale praeceptum de fide, et promissionem perspicuam: *Iacta super Dominum onus tuum, et ipse te sustentabit, nec dabit in aeternum fluctuationem iusto.*

Hunc versiculum infigamus animis, sed ita ut ad nos quoque pertinere eum discamus, et hoc praecepto commonefacti, fide et spe curas nostras leniamus, credamus nos recipi et exaudiri a *Deo*, speremus et expectemus auxilium, quod cum faciemus, experiemur reipsa hanc fidem et spem non esse irritam.

Ut autem saepe alias monuimus, in his concionibus de fide, sciendum esse quid sit fides et quomodo iusti reputemur, ne hae consolationes excutiantur animis falsa persuasione de iusticia legis: idem hic moneo, iustos dici omnes conversos ad Deum, qui in vera poenitentia credunt se propter filium Dei gratis recipi, et haec fides praeluceat petitioni auxilii, nec deterreri te sinas co-

gitatione tuae indignitatis, sed sicut instat Cananaea, ita et nos perseveremus in fide, petitione, et spe auxilii, sicut hic dicit: *Vespere, mane, et meridie petam gemens.* Item: *Ego in te sperabo.* Haec exercitia fidei et spei in usu discenda sunt.

Argumentum ac dispositio Psalmi LVI.

Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo, tota die inpugnans tribulavit me, etc.

Sequens Psalmus accommodatur ad historiam Davidis, quae extat in primo libro Samuelis capite vigesimo nono, ubi narratur Davidem, cum fuisset exul apud Achis in Gath quatuor mensibus, postea venisse in odium principum, et iussum a rege discedere. Etsi autem brevissime in narratione illa significatum est odium principum: tamen consentaneum est multos in aula Davidi insidiatos esse, quia praesertim peregrini hominis, et exulis excellenti virtuti multi invident, ut in aula Persica multi de fide Themistoclis viri sapientis et virtute praestantis male loquebantur, quia dicebant, cavendum esse hunc Graecum quia esset varius serpens. Et omnes sciunt usitatum esse male suspicari multos de exulibus, idque magis fit ubi religionum dissimilitudo est: ardentiora enim odia sunt de re tanta.

Deinde etiamsi inter hospites impios caetera mediocria essent, tamen haec tristissima sunt, abesse a piis coetibus Ecclesiae, non audire colloquia piorum imo in aulis audire contumeliosas voces contra Deum et populum Dei, audire sarcasmos eorum, qui laetantur calamitate exulis, qui se profitetur veri Dei ministrum esse.

Cum igitur multas et tristes iniurias et contumelias tacitus ferret, hic in titulo nominavit se columbam mutam. Extenuatio esset insignis, si tantum columbam se vocaret, quia significaret personam, quae multis iniuriis afficeretur, nec se tueri posset. Nunc addit etiam, se fuisse mutam columbam, ut fuit filius *Dei* coram Herode, ubi multis modis derisus et exagitatus, omnino tacuit.

Facilius autem hic titulus intelligitur, cum ad nos ipsos eum accommodabimus.

Levatio est aliqua doloris etiam cum supplicio adficimur, tamen voce refutare tyrannos, et ipsa conscientia alacrior est tunc confessionem sonans: ut cum Laurentius in rogo iocatur de supplicio. Econtra vero crescit dolor, cum probabili aliqua causa tacere pios oportet, ut filius Dei coram Herode tacet, aut postea in cruce tacitus audit contumeliosa dicta: si filius Dei est, descendat de cruce, et ut cives Ierosolymorum audiunt blasphemias Rapsacis, aut cum David audit vociferantem Semeiam: egredere vir sanguinum.

Non obscurum est autem, piis et generosis mentibus facilius esse mortem ferre, quam tales contumelias: ita nos hoc tempore sumus columbae mutae, obiiciuntur multa convicia tam plausibilia, ut difficilis sit refutatio, quae tamen postea tempus refutabit. Quare nunc ea taciti audimus, sed non sine magno dolore. Quando autem respondendum sit, facile est iudicium: cum nota est nostra confessio, praeterire convicia possumus.

Haec de titulo dixisse satis sit. Psalmus ipse initio est precatio, deinde narratio calamitatis, postremo gratiarum actio. Hic ordo in Psalmis usitatus est, et nobis, ut similes Psalmi, proponit exemplum invocationis, fidei et spei, sicut ipse testatur se defendi et iuvari, quia invocat, confidit Deo, petit, sperat et expectat auxilium. Ita significat suo exemplo nos defendi et servari, cum et ipsi fide petimus, speramus et expectamus auxilium, sicut saepissime inquit, hanc ipsam ob causam se praedicare haec Dei beneficia, ut alii ad agnitionem Dei, timorem, fidem et spem invitentur, et expectent similes liberationes, ut Psalmus 34.: Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestrae non confundentur: Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, et ex omnibus tribulationibus eripuit eum. Et Psalmus nonus: Et sperent in te qui noverunt nomen tuum, quia non relinquis quaerentes te Domine. Suntque hae narrationes exempla promissionum, quae cum ostendunt in liberationibus huius viri promissiones veras esse, monent ut caeteri quoque eas ad se pertinere statuant, et fide eas intueantur, petant et expectent auxilium. Hanc doctrinam de applicatione exemplorum saepe repeti oportere in similibus argumentis, manifestum est.

Primus versus precatio est: *Miserere mei Deus.* Deinde narratio calamitatum sequitur, cui admiscet consolationem, ac ostendit se spe auxilii divini sustentatum esse, et hanc spem non

fuisse irritam. Hanc sententiam aliquoties repetit, ut versu nono: *Quandocunque clamo ad te, ecce cognosco quod Deus meus tu sis.* Non est, inquit, irrita invocatio, vere exaudis et iuvas invocantes te.

Haec confessio est propria Ecclesiae Dei. Nam Ethnici non adfirmant se exaudiri, sed manent in perpetua dubitatione, etiam cum invocant, tamen fatentur se dubitare, an a Deo recipiantur aut exaudiantur. Sed Ecclesia Dei affirmat se recipi et exaudiri, ut Moses inquit Deuter. quarto: Non est alia natio tam grandis, quae habeat Deum praesentem, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Et Filius Dei inquit: Petite et accipietis. Item: Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Et causam fidei et spei in hoc Psalmo recitat, scilicet verbum Dei, ut in versu decimo inquit: *Celebrabo sermonem Dei*, quasi dicat, ideo confido me recipi, ideo peto, spero et expecto auxilium, quia ipse tradidit nobis promissiones suas, iuxta illud: Ego ero Deus eorum. Item: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te. Sic et Psalmus 130. causam fidei suae et spei recitat: Sustinuit anima mea in verbo eius, speravit anima mea in Domino. Ita discamus et ipsi acquiescere in promissione.

Postrema pars est gratiarum actio: *In me sunt Deus vota tua*, id est, ego votum facio me celebraturum esse haec tua beneficia, et hos cultus tu praecipue postulas, invocationem, fidem, spem, gratiarum actionem, celebrationem, ut alii quoque ad agnitionem, fidem, spem et ad veros cultus invitentur.

Argumentum ac dispositio
Psalmi LVII.

Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

Additum est argumentum Psalmo, ne David periret cum fugeret Saulem in speluncam. Extat autem historia luculenter descripta 1. Samuelis capite 24. ubi in uno facto multa miranda exempla proponuntur. David enim in extremo periculo divinitus, mirando modo custoditur, et hic eventus testimonium est praesentiae Dei in periculis Ecclesiae. Deinde in ipso Davide insigne exemplum conspicitur tolerantiae, quam praestat in reprimenda cupiditate vindictae. Quanquam enim occasionem nactus erat interficiendi regem, a quo iniustissime vitam suam expeti sciebat: tamen se reprimit, nec vult exemplum praebere posteritati in populo Dei petendi regna per caedes priorum regum, et Deo commendat iudicium et sui defensionem. Ideo et gloriose defenditur, et hostis ipse laudem iusticiae Davidi tribuit, tametsi non desinit deinceps etiam exitium machinari.

Intueamur autem in historia Davidis et exemplum illud tolerantiae, et exemplum fidei petentis et expectantis auxilium a Deo, et sciamus haec exempla nobis proposita esse, et ea intueamur et statuamus ad nos quoque pertinere promissiones divinas, et Deum sic velle coli, ut fides, spes, invocatio, gratiarum actio in nobis excitentur, et hos cultus sciamus discrimen efficere inter veram Dei Ecclesiam, et inter Ethnicos, imo inter vere invocantes et hypocritas: dicat quisque in suis periculis et aerumnis vera fiducia, quod David hic et saepe alias inquit: *Confidit in te anima mea, et in umbra alarum tuarum spero, donec transeat calamitas.*

Experientia autem ostendit quam sit difficile has voces vera fiducia sonare, quia multi obstrepunt: Do iustas poenas meorum delictorum, ideo non est petenda liberatio, sum peccator, sum indignus, ideo non exaudior. Denique etiamsi Deus Davidi opem tulit, quid hoc ad alios pertinet? ac multo maior est eorum numerus qui deseruntur et abiiciuntur.

Haec argumenta saepe interrumpunt et languefaciunt invocationem, fidem et spem. Quare necesse est in promtu habere veras et firmas refutationes. Cogitationi de indignitate opponenda est immota et aeterna vox Evangelii, quod propter Filium gratis credentes recipi certissimum sit. Deinde occurramus et huic dubitationi, an ad nos quoque pertineant promissiones.

Hic sit infixa animis verissima doctrina, promissionem gratiae universalem esse, et mandatum Dei aeternum esse, ut assentiamur promissioni, et Filio Dei debitum honorem tribuamus: et inter praecipua peccata est, non credere promissioni, sicut scriptum est Ioannis 16.: Spiritus

sanctus arguet mundum de peccato, quod non credunt in me.

Corporales vero aerumnae aut mitigantur aut tolluntur, ut Psalmo quinquagesimo scriptum est: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et Psal. 144.: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate, Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet. Et de mitigatione inquit Ieremias 11.: Corripe me in iudicio, non in furore. Harum promissionum exempla deinde sunt liberationes Sanctorum.

Simul autem intueamur et promissiones et exempla, et vera fide statuamus nos recipi propter Filium Dei, gratis, sicut recepti sunt Aaron, David et alii. Vera etiam spe mitigationem poenarum expectemus, tuos gemitus etiam vere respicit Deus, tibi vult mitigare calamitates: nec tribuamus Deo προσωποληψίαν, sed sciamus aequalem esse omnibus vera fide invocantibus.

Haec doctrina de promissionibus, fide et spe semper luceat in mentibus, et quoties in Psalmis petimus, ut nostri misereatur Deus, intueamur promissiones, es statuamus misereri eum nostri propter Filium gratis, et misericordiam universaliter omnibus promissam esse.

Haec applicatio Psalmorum ad nos ipsos, in vera invocatione plus lucis adferet, quam prolixi commentarii.

Est autem hic Psalmus precatio et gratiarum actio. Primus versus est precatio: *Miserere mei Deus*, et additur confessio fidei, ut sciamus quomodo accedendum sit ad Deum, et quomodo impetretur auxilium, videlicet fide, quae est fiducia intuens promissionem Dei, et propter eum ad Deum accedens. Et dulcissima metaphora pingit defensionem: *Tegi me confido umbra alarum tuarum*, sicut gallinae pullos abscondunt et tegunt.

Tertius versus initium est gratiarum actionis. Narrat enim liberationem praesentem, et inter narrandum crudelitatem hostium amplificat, et in quarto versu nominatim exprimit, qui sint saevissimi et nocentissimi hostes, videlicet calumniatores, qui causam miserorum improbant, et populo persuadent, iustam et necessariam severitatem erga eos exerceri.

De his calumniatoribus loquitur cum ait: *Dentes eorum hasta sunt, et lingua eorum gladius acutus.* Nam spoliari opinione iusticiae, acerbior dolor est, quam spoliari vita, ut de Davide spargebatur opinio, iniuste eum facere qui regnum a familia regia in sese transferre conaretur, id crimen grave et speciosum fuit, et multos in populo qui bene volebant Davidi, perterrefecit, ne eum defenderent, quia refutatio difficilis erat. Sic saepe alias Ecclesia dissentiens a summis imperiis, dicitur esse seditiosa, et propter communem pacem opprimenda. Durissimum autem est moderatis hominibus sustinere hoc probrum, quod sint seditiosi, inimici civilis concordiae et pacis, et quod dilacerent Ecclesiam sine veris et magnis causis, quod sint σχισματικοὶ, faces dissidiorum et bellorum, et dissipatores generis humani.

Deinde atrocius etiam est crimen haereseos, cum hypocritae clamitant nos Deum contumelia afficere, corrumpere doctrinam, abolere necessarios cultus Dei, excogitare idola, sicut utrumque crimen Filio Dei obiiciebatur: blasphemiam obiiciebant cum dicerent: Filium Dei se facit. De seditione speciosior accusatio erat apud Pilatum: Qui se regem facit, hostis est Caesaris.

Sunt autem haec duo crimina omnium atrocissima et summa, blasphemia et seditio. Primam decalogi tabulam delet blasphemia, secundam tabulam evertit seditio. Quare necesse est omnes primum summa vigilantia curare, ut recte sentiant, nec contumelia afficiant Deum applaudentes falsis opinionibus. Deinde ne quid seditiose faciant. Cumque mens recte sentit et nihil facit seditiose, magno deinde robore fidei opus est ne deficiat a veritate, cum haec crimina obiiciuntur.

Saepe igitur vox divina nos consolatur, ut Matth. 5. dicitur: Beati eritis cum dicent adversus vos propter me, omne malum mentientes. Et Esaiae 51.: Ne timeatis probra hominum.

Reliqui versus usque ad octavum pertinent ad narrationem periculorum et liberationis.

Octavus versus est gratiarum actio: *Exurge gloria mea*, et est metonymia. Nam citharam vocat suum decus, sicut Musico ornamentum est cithara, qua canit laudes Dei. Saepe autem dictum est hos Psalmos ideo scriptos esse, ut beneficia Dei celebrentur in Ecclesia, et his exemplis liberationem invitentur alii ad veram agnitionem Dei, ad fidem et invocationem. Ideo inquit:

Confitebor in populis Domine, scilicet ut te agnoscant et ipsi, et tibi vere credant, te invocent, te timeant, tibi obediant, tuo verbo assentiantur, te celebrent propter misericordiam, agnoscant te praesentem adesse invocantibus.

In fine additur precatio, qua petit ut Deus ipse suae gloriae assertor fit, quia ad hunc finem ultimum, omnes liberationes et omnia beneficia referenda sunt, ut Deus vere agnoscatur et vere celebretur.

Duplex autem petitio in hoc versu est, ut nobis opem ferat propter suam gloriam, deinde ut ipse sit assertor suae gloriae, quia cum ex eventibus multi iudicent, et propter nostras calamitates de doctrina male sentiant, nec tamen possimus factis reprimere potentiam mundi: petendum est ut Deus ipse refutet haec iudicia impiorum, et ostendat nos sibi curae esse, et doctrinam esse veram, sicut ipse Deus fuit assertor suae gloriae tandem represso Pharaone, atque ita post afflictionem ostendit sese invocantibus, et impiorum iudicia refutat.

Argumentum ac dispositio
Psalmi LVIII.

Nunquid plane muti estis ut iusticiam loquamini, et recte iudicetis filii hominum? etc.

Generalis obiurgatio est hostium Evangelii, qui superbe, petulanter, pertinaciter et contra conscientiam defendunt errores, et conantur delere veritatem, et opprimere veram Christi Ecclesiam, ut Pharao saeviebat in Israëlitas, Saul oderat Davidem, Herodes interfecit Baptistam, Pharisaei machinati sunt exitium Christo. Denique omnes aetates aliqua habent insignia exempla. Nunc immani odio veritatis ardent principes sacerdotum et monachi et eorum satellites, et multos crudelissime trucidant. Mirum est autem, cur, cum manifesta sit veritas, non credant, sed superbe et pertinaciter defendant manifesta vitia, et delere vocem Evangelii conentur: unde est tantus in hominum animis furor?

Initia sunt a propria voluntate impiorum, qui etiamsi audierunt doctrinam de Deo, et viderunt manifesta testimonia, tamen aut volentes assumunt Epicureum contemtum Dei, ut Cain, Pilatus et similes, aut quia existimant Evangelium non congruere ad retinendam autoritatem, opes, potentiam, volentes pugnant ut suum statum (sicut vocant) tueantur, et deleant doctrinam quae adversari videtur.

Sic Iudaei cum existimarent propter Evangelium suam politiam ruituram esse, quae fuerat expressa voce Dei et manifestis testimoniis divinis constituta, nec erat alia pulcrior politia in toto genere humano acerrime adversabantur doctrinae mutanti usitatos cultus. Ideo crudeliter saeviebant in Christum et Apostolos, et hoc praetextu confirmabantur, politiam talem a Deo constitutam, nequaquam mutandam esse. Ita nunc odiis verae doctrinae praetexuerunt hanc causam, quae videtur esse speciosa. Episcopi et Canonici dicunt nullam mutationem in tam veteri politia Ecclesiae concedendam esse, nec tantum de politia ipsa dimicant, sed de sua potentia, opibus et voluptatibus. Cum autem his modis et similibus homines impii sua sponte, et volentes inceperunt Deum contemnere, ac bellum ei inferunt, accedit diabolus, qui, ut de Iuda dicitur, occupat corda eorum, et odio Dei, ut multos homines perdat, horribiliter confirmat incoatos furores, ut Neronem, Caligulam et innumerabiles impulit ad scelera, a quibus alioqui natura, non incitata a diabolo, prorsus abhorret, nec aliud maius, tristius aut atrocius malum est omnium malorum, quae hominibus accidere possunt.

Quare et in descriptionibus propheticis et in ipsis exemplis, ut in Iuda, Nerone et similibus consideranda est magnitudo huius mali, ut Deum ardentibus votis oremus, ne sinat nos fieri vasa irae, sed corda nostra propter Filium, suo Spiritu sancto regat, ut vere agnoscamus, et reverenter amplectamur eius doctrinam, et accendat in nobis lucem, et obedientiam ipsi placentem.

Voluntas etiam nostra pie quaerat doctrinam a Deo traditam, et ei assentiatur, et eam anteferat omnibus rebus humanis et privatis affectibus, nec quaerat in ipsa doctrina fucosas errorum excusationes. Nam id studium est initium aversionis a Deo, sicut in Heva curiosa disputatio de praecepto Dei, cui reverenter creaturam obedire oportuit, et paulatim amor mendaciorum, et sophistices longius abducit mentes a Deo, ut accidit valde multis nostro tempore, in quibus crevit horribile odium veritatis, cum initio sophismata quaesierint ad excusandos aliquos tetros errores, ut consuetudini, quae ipsis quacunque de causa grata est, patrocinarentur.

Est itaque hic Psalmus obiurgatio impiorum, satis atrociter amplificata per gradus scelerum, circumstantias et similitudines. Ad obiurgationem vero accedunt precatio, et comminatio, seu praedictio de poenis impiorum. Est igitur Psalmus generis suasorii, quia obiurgat hostes, et poenas eis minatur, interea et Deum precatur, ut reprimat tales hostes quorum potentiam, rabiem et genus belli describit, cum nominat leones et dentes molares. Significat enim et potentes esse, et rabiosos, et lacerare dentibus, id est, crudelissimis criminationibus miseram et oppressam Ecclesiam.

Primus versus est obiurgatio ab imo gradu exodiens, scilicet ab iniusto silentio. Peccant qui metu aut assentatione tacent, sed multo plus peccant, qui palam, petulanter et pertinaciter veritatem oppugnant. Ad hos per gradus accedit, ac initio dissimulationem et silentium iniustum taxat.

Secundus versus accusat petulantiam et pertinaciam. Cum enim cordis et manuum mentionem faciat hic versus, significat cupiditatem nocendi, et audaciam in exequendo, sicut Doëg et odio Davidis ardebat, ac nocere ei cupiebat, et cum sine timore Dei esset, audacissime conabatur eum opprimere, et hospites eius sacerdotes, et sanctas eorum coniuges crudeliter interficiebat.

Tertius, quartus et quintus versus sunt amplificationes inveteratae maliciae confirmatae tempore, et pertinaciae inflexibilis: ac similitudo aspidis inseritur, quam dicit infodere caput suum in terram, ne audiat incantationem, quam si audiret, eriperetur ei vis nocendi.

Congruit autem ad hostes Evangelii pars similitudinis, videlicet de aurium obstructione. Ut enim Pharisaei nihil moventur resuscitatione Lazari et similibus perspicuis testimoniis: ita multi alii furentes nec doctrinam ipsam, nec testimonia ulla audire volunt, sed ardentes odio manent in sententia. Haec eodem modo nunc fiunt ab Episcopis et Monachis, ut tunc a Pharisaeis fiebant, horum certaminum in mundo consideratio illustrat Psalmos.

Haec igitur intueamur, et sciamus multos Psalmos praedictiones esse talium agonum, et simul proponere consolationes.

Sextus versus precatio est inserta post obiurgationem: *Deus contere dentes illorum, molares leonum confringito.* Haec metaphora significat potentiam et saevitiam hostium et genus belli, quod videlicet laceratur Ecclesia iniustis criminationibus, quae bonis mentibus maiorem dolorem adferunt, et tamen hi quoque accedunt.

Septimus et 8. versus addunt comminationem et praedictionem poenae, in qua praedictione describuntur irriti conatus quinque similitudinibus: *Diffluent ut aqua*, *dirigent sagittas* contra *Ecclesiam*, *nec ferient eam*, quod ad summam rei attinet, non perficient hoc quod conantur. Etsi crudeliter grassantur Diocletianus, et eius collegae, et devoraturi universam Ecclesiam videntur: tamen in medio cursu saevitia eorum reprimitur, et liberatur Ecclesia. *Arescent ut cochleae*, *peribunt ut abortivum*: *auferentur ut tenerae spinae priusquam maturuerunt*, quod in textu sic dicitur: *Priusquam spinae vestrae fiunt rhamni*, id est, priusquam tenerae spinae fiunt grandes et aculeatae. Nam Rhamnus species est spinarum, ac frutex grandis, et aculeos habet multo longiores caeteris spinis, unde vulgo dicitur eius fruticis ramis coronatum esse Christum. Nunc in Italia nominant Rhamnum uvam crispam, et baccas habet, quae in Germania vocantur Kreiselbeer.

Veterum superstitio finxit prodesse rhamni virgas contra fascinationes, et incubos seu ephialtas, qui dormientibus faciunt compressiones pectoris, ideo Nicander addit epitheton rhamno, *ἀλεξίαρος ῥάμνος*, id est, rhamnus depellens diras imprecationes.

Apud Ovidium et stryges depellere dicitur, quod eo recenseo, non ut superstitionem confirmem, sed ut hac grammatica enarratione vocabulum fiat notius. Venit autem mihi in mentem haec recitanti, eas spinas, quibus Filius Dei coronatus est, vere medicamentum esse contra fascinationes, id est, arceri ephialtas, hoc est, diabolos, cogitatione dolorum Filii Dei.

Transferunt nomen rhamni, alii negligentiores ad spinam albam, quam vocant Carduum Mariae, quae spina nobis notior est, et magni usus est contra pleuritidem. Sed de appellatione monuisse satis sit. Caeterum hoc addam, apud Dioscoridem extare id nomen Hebraicum Rhamni, quod hic in Psalmo extat.

Duo postremi versus sunt praedictio liberationis piorum, quae fit integre post hanc vitam.

Sed ut semper etiam in hac vita remaneat in genere humano aliqua vera Dei Ecclesia, etiamsi multi interficiuntur, tamen coetus aliquis servatur velut exercitus, in quo in hac mortali vita multae cernuntur gloriosae liberationes, ut Israël liberatur deleto Pharaonis exercitu, Saul tollitur e medio, ac postea David ad regnum evehitur: tolluntur e medio Maximianus, Diocletianus, Lycinius, et aliquantisper regnante Constantino, Ecclesiae tranquillitatem habent, tanquam dies Halcyonios.

In his autem exemplis iusticiae Dei cum hostes tolluntur, signa proponuntur futuri iudicii: ut Pharaonis interitus nondum est praecipua et aequalis poena impietatis, sed commonefactio est de universali iudicio, et de ira Dei adversus omnes Pharaoni similes. Interea autem causae finales sunt, cur aliqui tyranni e medio tollantur, ne funditus Ecclesia deleatur, item ut pii confirmati his liberationibus, agnoscant se Deo curae esse, se exaudiri et puniri impios, ac Deo laudem iusticiae tribuant. Ideo in fine addit: *Et dicet homo, utique est fructus iusto, utique est Deus iudex in terra.*

Argumentum ac dispositio Psalmi LIX.

Eripe me de inimicis meis Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me.

Etsi aliquid disputant non semper congruere titulos cum Psalmorum argumentis, ut hic Psalmus de ultimo Iudaeorum exilio magis proprie concionatur, quam de Davidis historia: tamen mihi non displicet Psalmum etiam ad titulum accommodari. Simul enim et narratio historiae esse potest, et typus ac vaticinium de futura Messiae passione, et poena Iudaeorum, quia Abel, Isaac, Ioseph et similium afflictiones, fuerunt typi passionis Filii Dei, et hi intelligebant Deum velle Ecclesiam subiectam esse cruci: et fore aliquam similitudinem capitis et praecipuorum membrorum, videlicet Filii Dei, et summorum Patrum, Prophetarum, Apostolorum et aliorum, quorum constantia in confessione fulsit.

Accommodat autem titulus hunc Psalmum ad liberationem Davidis, quae recitatur in libris 1. Sam. 19. ubi scriptum est, milites a Saule missos esse ad domum Davidis, ut inde eum ad Saulem adducerent, sed monitum Davidem a filia Saulis, abdidisse se in latebras priusquam milites redirent: ac tota illa historia illustre exemplum continet, quod docet saepe divinitus tegi, defendi et servari homines in extremis periculis, cum desunt humana praesidia et auxilia.

Discenda est igitur haec ipsa historia sicut doctrina promissionum, et cogitatione huius exempli confirmanda est fides, et invocatio excitanda, ut in periculis confessionis, et alias petamus, et speremus defensionem et auxilium, etiam cum sumus destituti a causis secundis. Ad hunc usum in invocatione et hic Psalmus et alii compositi sunt, quorum sententia erit perspicua, cum fide et spe similiter auxilium expectabimus.

Est autem hic Psalmus, ut multi alii similes, precatio et gratiarum actio.

Inserta est autem narratio, in qua accusat iniustam crudelitatem inimicorum, et affirmat se innocentem esse.

Hic repetenda est quaestio, de qua supra in Psalmo septimo dictum est, ubi etiam praedicat David suam innocentiam, cum nemo sit sine peccato, an sit utendum hac commemoratione innocentiae, cum quidem alibi dicat ipse David: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur coram te omnis vivens.

Facilis et plana explicatio est: Duplex est iusticia, alia bonae conscientiae, alia personae. Iusticia bonae conscientiae est habere propositum recte faciendi, et scire causam quam defendimus veram, iustam et necessariam esse. Talis iusticia potest etiam in Ethnico esse, ut Papinianus nolens excusare parricidium imperatoris Bassiani, bonam conscientiam habuit, ac gloriari potuit se iniuste ab imperatore interfici. Ita et David habebat iusticiam bonae conscientiae, omnia faciebat fidelis ministri officia, nec appetebat regnum, nec offendere aut laedere regem in ulla re cupiebat, sed rex invidens gloriae ipsius, et se obscurari dolens, oderat eum, et e medio tollere conabatur.

Alia est iusticia personae, id est, approbatio non tantum causae, vel conscientiae in certis factis, sed totius personae coram Deo, quae etsi causam bonam, aut conscientiam bonam habet, tamen habet alia vitia aut peccata: ut Papinianus habet causam bonam, tamen ignorat verum Deum. Non igitur persona iusta est coram Deo.

Sic etiam David etsi causam habet iustam, tamen multos viciosos affectus alios habet: non ardet dilectione Dei quantum debet, habet viciosas flammas cupiditatum multas, ideo fatetur se non esse iustum coram Deo, propter suam munditiem, sed per misericordiam propter Mediatorem. Sic fit persona iusta. Huc pertinet dictum: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens, scilicet quod ad iusticiam personae attinet.

Certum est autem iusticiam bonae conscientiae omnibus necessariam esse, et in primis in controversiis doctrinae, et in confessione necesse est nos certissimos esse, quod doctrina quam amplectimur, vera et necessaria sit, quia Ecclesia non est turbanda falsis opinionibus, aut non necessariis rixis.

Hic oportet nos omnes hunc ordinem observare: Primum agnoscamus coram Deo fide, id est, misericordia Dei propter Mediatorem recipi personam. Postea sciamus Deo etiam placere obedientiam in bonae causae defensione iuxta vocationem, et ibi ut possis invocare Deum et petere auxilium ad defendendam causam, etiam Deo proponis iusticiam causae, quia non est petendum, ut causas iniustas Deus adiuvet, et ipse promisit se iustis causis, et praesertim suae doctrinae, opitulaturum esse, quae cum iudiciis humanae sapientiae improbetur, non potest sine auxilio divino vincere. Talis gloriatio bonae conscientiae in reconciliatis etiam Deo placet. Ideo Paulus inquit: Haec est gloriatio nostra, testimonium conscientiae nostrae.

Deinde adversus homines necessaria est commemoratio bonae conscientiae, quia est confessio in causa vera et iusta, et confirmat pios. Ideo recte utitur David commemoratione bonae conscientiae coram Deo, et adversus homines.

Primi duo versus sunt propositio, quae est precatio: *Eripe, protege et serva me.*

Tertius versus narratio est periculi, amplificata commemoratione bonae conscientiae, quae, ut diximus, in causa quam defendimus necessaria est coram Deo et hominibus. Nam a Deo petendum non est, ut adiuvet causas iniustas, et defensionem errorum et mendaciorum, sed simus certi nos tueri causam iustam, et propagare veram et necessariam doctrinam.

Haec cum in conscientia certo constituta sunt, accedamus ad Deum, et ab ipso petamus, ut iusticiae et veritati opem ferat. Ut in prima Epistola Ioannis cap. ult. dicitur: Haec est fiducia quam habemus ad Deum, quod si quid petimus secundum voluntatem eius, audit nos.

Deinde et coram hominibus necessaria est asseveratio bonae conscientiae, ut sciant homines, nos veram et necessariam doctrinam defendere. Ideo hic dicit: *Non est transgressio mea, et non est peccatum meum*, id est, huius sceleris quod mihi tribuunt hostes non sum reus, non sum seditiosus, non appeto regnum. Et Christus eiusque Apostoli dicebant: Non sumus blasphemi, non spargimus errores, sed veram doctrinam propagamus.

In quinto addit imprecationem tristissimam contra hostes: *Non miserearis contumaciter delinquentium: discurrant ut latrantes canes.*

Hic quaestio est, cum scriptum sit: Benedicite maledicentibus, an liceat maledicere inimicis, ut saepe fit in Psalmis, et totus Psalmus 109. talis imprecatio est: Perdat de terra memoriam eorum, etc.

Respondeo: Universaliter haec quatuor membra vera sunt. Primum causa quam blasphemi tuentur, severissime damnanda est.

Secundo, ipsi etiam blasphemiarum propagatores damnandi sunt, cum peccent peccatum ad mortem, hoc est, pertinaciter perseverent in scelere.

Tertio, cum sine auxilio Dei vincere veritas non possit, necesse est a Deo petere, ut ipse reprimat errores, et errorum propugnatores. Haec precari est maledicere impiis, et tamen valde pia et necessaria precatio est.

Quarto, tales maledictiones in Prophetis legantur non tantum ut humanae indignationes, sed potius ut vox Spiritus sancti, ferentis ultimam sententiam de blasphemis, et consolantis Ecclesiam, ut sciat veritatem victricem fore, et Deum repressurum et extirpaturum esse impia dogmata et blasphemos eorum propugnatores. Haec consolatio cum necessaria sit Ecclesiae, saepe repetitae sunt maledictiones, quae quidem scriptae sunt magis ad consolandos et confirmandos pios, quam ad sanandos impios, qui eas non legunt.

Postquam autem dictum est recte maledici blasphemis, iam et de altero dicto respondebo: Benedicite maledicentibus, scilicet non blasphemis, sed sanabilibus. Semper enim in corpore

quod adversatur Ecclesiae, dissimiles sunt homines, alii sunt sanabiles, alii blasphemi, sicut et Paulus Rom. 10. et 11. discernit Iudaeos sanabiles et blasphemos.

In versu septimo significat quale sit bellum, cum inquit: *In labris hostium gladios esse*, significat enim oppugnari veritatem mendaciis, calumniis, praestigiis sophismatum, prorsus ut nunc veritas oppugnatur.

In versu nono miscet precationem, cum hostium potentia grassatur: *Ego te observabo*, *ad te confugiam*, a te auxilium expectabo, quasi dicat: magni sunt agones et aliquantisper blasphemi regnant, et veritatis propagationem impediunt, sed tali tempore, inquit, non frangar desperatione, scio aliquanto post rursum emersuram esse veritatem.

In versu undecimo poenae atrocitatem describit: *Ne occidas eos*, *ne obliviscatur populus meus*. Haec verba significant Psalmum vaticinari de dispersione gentis Iudaicae facta post excidium Ierosolymae.

Duo postremi versus sunt gratiarum actio, quae recitatur ut Dei gloria celebretur, et ut multi confirmati hoc exemplo in similibus periculis petant et expectent auxilium, et discant Deum velle hac fide et spe coli.

Argumentum ac dispositio
Psalmi LX.

Deus repulisti nos et dispersisti nos*, *iratus es*, *revertere ad nos*, *etc.

Manifestum est hunc Psalmum gratiarum actionem esse, et tanquam *ἐπινίκιον*, in quo narrantur insignes victoriae: et expressa antithesi asseveratur, causam victoriae non esse solam aut praecipuam hominum consilia, multitudinem, potentiam, industriam, sed auxilium Dei. Ac titulus certas quasdam victorias nominat, in quibus David potitus est parte Syriae, et accessit ad Euphratis eam oram, quae postea nomen habuit Mesopotamiae, quia sit inter Euphratem et Tigrim.

Constat autem ex narratione in 2. lib. Regum cap. 8. et in 1. Paral. cap. 18. Davidem potitum esse Damasco, et huic vicina fuit alia pars Syriae, quam nominant Syriam Soba. Nomen vero ulterioris orae ad Euphratem, aut inter Euphratem et Tigrim, hoc loco dicitur Syria fluviorum, scilicet Euphratis et Tigridis.

Hac qualicunque indicatione locorum contenti simus, et situm Damasci et vicinarum regionum in tabulis contemplemur, ut quam procul a Libano fines regni protulerit David consideremus.

Caeterum *ἐπινίκιον* generale est, et ad insignes victorias quascunque accommodari potest. Hoc quoque in titulo consideratione dignum est, quod regnum nominat Rosam, Carmen de rosa, id est, de regno, quod ait ornamentum esse, velut monile aut torquem de collo pendentem.

Hae figurae admodum dulces sunt, sed dextre intelligantur, et recte accommodentur. Quare hoc regnum nominat rosam et monile? quia hoc regnum unicum longe superat omnia alia imperia his rebus, promissione divina tradita manifestis testimoniis, quibus se Deus patefecit. Deinde et lege divinitus tradita manifestis testimoniis, quibus etiam confirmavit Deus promissiones et comminationes, collectione verae et aeternae Ecclesiae in hoc populo, missione Prophetarum, praesentia et auxilio Dei, modestia disciplinae, studiis doctrinae de Deo, et aliis bonis rebus.

Haec bona cum sapientes et pii intuebantur, mirifica laeticia afficiebantur, et gratias Deo agebant, et haec tanta beneficia celebrabant, et optabant esse diuturna: studebant etiam ea sua obedientia, suis laboribus et exemplis tueri.

In aliis regnis ubi erat ignota vera doctrina de Deo, summa ornamenta erant leges, iudicia, mediocris disciplina, praesidia exercituum, opes. Haec etiamsi sunt bona, tamen ubi sunt sine vera agnitione Dei, tantum serviunt huic mortali vitae, quae et brevissima est, et tantum ad aeternam miseriam iter est: nec sunt ille ultimus finis, ad quem Deus et naturam hominum condidit et societatem politicam instituit, et mirandis et multis vinculis copulavit, procreatione, coniugio, officiis educationis, eruditionis, medicationis, gubernationis, defensionis, contractibus et multorum aliorum officiorum communicatione.

Haec omnia voluit esse nervos societatis propter hunc ultimum finem, ut in coetu sonaret doctrina de Deo, et alii alios docerent de Deo, et Deum una voce multi invocarent, et ei vere obtemperarent, et fierent haeredes aeternae consuetudinis cum eo.

Est igitur politia Attica, vel Massiliensis, pulcra et disciplinae custos fuit, tamen defuit ultimus finis, scilicet doctrina vera de Deo, et vera agnitio et invocatio Dei, quae iter esset ad aeternam consuetudinem Dei. Necesse est igitur anteferri politiam Israël, et iustissimum est laetari tanto Dei beneficio, et ei gratias agere. Quanquam autem et alia regna, cum in eis sonat vox Evangelii, sunt tales rosae fragrantes odore coelestis doctrinae, ut fuit Aegyptus tempore Ioseph, Babylon tempore Danielis, tamen magnum discrimen est inter politiam Israël, et caeteras omnes. Expressa voce promisit Deus se servaturum esse politiam Israël, ut sedes esset doctrinae: et in ea Prophetas excitavit, et defendit eam manifestis miraculis toto illo tempore de quo promissio tradita est. Necesse est autem postea et alibi aliquas politias esse hospitia verae doctrinae et Ecclesiae, sed nulla gens aut civitas nunc promissionem habet, quae affirmet diu ibi mansuram esse verae doctrinae et Ecclesiae sedem. Genus manet quod Deus alicubi dat hospitia verae doctrinae et Ecclesiae, alibi commodiora, alibi squalidiora, sed species definiri non potest. Fuerunt Athenae hospitium verae doctrinae et Ecclesiae Dei, cum ibi Paulus Evangelium doceret, et aliquandiu postea, nunc funditus deletae sunt, et alibi Deus sedem concedit verae doctrinae et Ecclesiae. Tantisper igitur Rosae sunt civitates et imperia, donec ibi vox Evangelii sonat, et disciplina mediocris est, ut nunc sunt multae civitates Germaniae, Noriberga, Argentina: in Pannonia Corona, et aliae quaedam: in Dania Hafnia: in Britannia Londinum, et passim aliae multae.

Hunc igitur Psalm. legentes gratias Deo agamus, quod alicubi accendit et servat verae doctrinae studia, et colligit aeternam Ecclesiam, et ardentibus votis oremus, ut has ipsas verae doctrinae et Ecclesiae sedes diu servet.

Discamus autem ex hoc Psalmo hanc necessariam doctrinam et consolationem. Primum servari Ecclesiam etiam in hac mortali vita, et concedi ei hospitia a Deo, nec regum aut gubernatorum sapientiam et diligentiam sufficere ad Ecclesiam vel politiam servandas aut defendendas. Haec doctrina saepe repetita est in Prophetis. Ut negativa expressa est his verbis Psalmo 33.: Non salvatur rex per magnos exercitus. Et in dicto Christi: Sine me nihil potestis facere, id est, consilia privata et publica sunt irrita, nisi gubernentur et iuventur divinitus. Item: Nisi Dominus custodierit civitatem etc.

Sunt et affirmativae promissiones expressae, Esaiae 46.: Ego senescentem Ecclesiam gestabo. Et Filius Dei inquit: Sum vobiscum omni tempore usque ad consummationem mundi. Item: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Commonefacit autem nos haec doctrina, ne existimemus praesidia firma esse hominum consilia vel auxilia, sed ut confugiamus ad Deum, et ab ipso petamus et expectemus gubernationem et defensionem. Deinde his promissionibus et consolationibus nos sustentemus, ne desperatione abiiciamus studia et confessionem verae doctrinae, sed cum sciamus mansuram esse Dei Ecclesiam, perferamus docendi labores, ac speremus non fore irritos.

Hac nos consolatione et Paulus confirmat inquiens: Non erit labor vester inanis in Domino. Hanc ipsam consolationem proponit hic Psal. inquiens: *In Deo faciemus virtutem*, id est, Deo iuvante vincemus: *Ipse conculcabit inimicos nostros.* Proponit et exemplum invocationis, in qua petitur auxilium: *Adiuva nos in tribulatione, quia vana salus hominis.*

Usus igitur hic est Psalmi, ut primum promissione nos sustentemus, quae affirmat Ecclesiam mansuram esse, et vitricem fore, et hac spe perferamus labores docendi. Deinde ut hoc ipso exemplo petamus et expectemus auxilium a Deo, nec pendeamus a consiliis et praesidiis humanis, sed in veris periculis fide erectae mentes nitantur Deo.

Haec de argumento et usu Psalmi satis sit monuisse, quia narratio et gratulatio est satis perspicua. Nunc ordine versus percurram.

In primo versu querela est usitata Ecclesiae, cui opponitur precatio. Semper Ecclesiam delere impii conantur, et saepe duriter eam premunt: saepe etiam Ecclesia poenas propter insignia peccata sustinet, ut cum abducta est in exilium Babylonicum. Sed inter has aerumnas, Deus tamen mirabiliter servat eam, et repressis hostibus saepe eluctatur. Has aerumnas hic deplorat, et simul petit ac celebrat liberationes.

Eadem est sententia in 2. et 3. versu.

In quarto versu tantum est narratio liberationum, et inserta causa liberationis: *Das timentibus te signum, seu vexillum, quod elevent*

propter veritatem, id est, das victoriam quae est signum et vexillum, quo agnoscitur tua praesentia, et quo signo sublato confirmatur fides in coetu piorum. Ut pii conspecta liberatione in mari rubro laetabantur, et confirmabantur hoc testimonio praesentiae Dei.

Causa igitur est liberationum prima, ut servetur Ecclesia ne funditus intereat.

Deinde huius liberationis autorem vult agnosci Deus, et sicut praecepit, se invocari et a se expectari auxilium, ut discamus nos ei curae esse, nec existimemus aut casu, aut physicis causis omnia fieri. Ita cum opem tulit, vult nos fateri se adesse Ecclesiae, et hac fide et spe confirmata, vult nos in ferendis laboribus docendi, et omnibus periculis confessionis constantiores esse.

Sunt igitur causae finales liberationis, ut dixi, ut servetur Ecclesia, ut agnoscatur Dei praesentia, et ut fides confirmetur. Sed causa impulsiva in voluntate Dei est, cur iuvet, ut testificetur de veritate: quia sicut ab initio Deus immensa misericordia edidit promissionem: ita deinde sua bonitate et potentia prohibet, ne vox a se tradita generi humano extinguatur. Videmus principum furores, et populi stulticiam et negligentiam, et videmus factas esse mutationes ethnicarum religionum crebras, ita nec doctrina Evangelii conservari posset, nisi Deus eam et conservaret, et subinde restitueret, in hanc sententiam hic inquit, liberari Ecclesiam ne veritas extinguatur.

Quintus versus repetitio est precationis.

Sextus versus gratulatio est, quae narrat victorias, et miscet promissiones divinas, quia victoriae non solum propter nos ipsos, aut propter nostra commoda expetendae sunt, sed praecipue referendae sunt ad hunc finem, ut plures agnoscant Deum, et fiant membra aeternae Ecclesiae Dei. Hae victoriae sunt vere gloriosae et salutares, quae et gubernantur promissione divina, et ad hunc finem referuntur, ut plures Deum agnoscant. Ideo inquit: *Deus loquitur in sancto suo*, id est, in sanctuario suo: hoc est, ago gratias Deo quod Ecclesiam condidit, quod edidit promissionem gratiae, et hanc inter nos sonat, et nos ad aeternam societatem vocat: ago gratias etiam pro hoc singulari beneficio, quod hanc politiam et constituit et servat, ut sit hospitium doctrinae, et nobis opem fert in bellis, ne haec politia deleatur. Hoc duce partior Sichem, id est, hoc duce vincimus et retinemus honestum statum in oppidis nostris et vicinis.

Nominat autem Sichem, quia gratior locus est, quod fuerit hospitium Abrahae venientis in Canaan. Sita fuit autem Sichem non procul ab urbe Samariae, quae multo post condita est, sed ut locus aliquo modo cogitari possit, situm contemplemur urbis notae et magnae Samariae, quae regum domicilium fuit, sed mons Garizim indicat situm. Certum enim est Sichem valde vicinam fuisse huic monti, qui fere in medio terrae Cananaeae est, in eo tractu quem tenuit tribus Ephraim. Narrat autem Gen. 12. in Sichem rursus apparuisse Deum Abrahae, et promissionem repetivisse. Postea ex cap. Gen. 33. apparet huic Sichem antea nomen fuisse Salem.

Suchot locus est ultra Iordanem ad torrentem Iaboc, ubi Iacob defensus est contra Esau, Gen. 33.

Est et Gilead mons ultra Iordanem versus Arabiam, nomen significat acervum lapidum, quia ibi Laban et Iacob congestis lapidibus, et veteri more facto monumento foedus fecerunt, Gen. 31.

Cum autem in his locis Deus manifesti ostenderit se adesse Iacob, praecipue horum locorum mentionem facit, ut lectorem de testimoniis praesentiae Dei in Ecclesia admoneat.

Meus est Manasse, et Ephraim fortitudo capitis mei, et Iuda dux meus. Loca tribuum nota et in conspectu esse discentibus oportet, et cum sine inspectione tabularum vix intelligi possint, lectorem adhortor ut tabulas semper contempletur, et ad historias conferat. Moab et Edom fuerunt vicinae regiones in Arabia Petraea post lacum Asphaltitem. Nominat autem Moab lavacrum propter loca irrigua, ibi enim flumen erat magnum Arnon et quidam alii fluvii.

Philistaea autem regio, pene in opposito tractu sita fuit ad Tyrum et Sidonem, et hi propemodum limites fuerunt regni Davidis, ad occasum loca propinqua Tyro et Sidoni, et ad ortum ultra Asphaltitem Edom et Moab.

In nono et decimo versu conclusio sequitur: Cum promissione tua et manifestis testimoniis hoc regnum condideris, spero te mihi ducem fore in loca munita.

In fine repetuntur querela et precatio, sicut subinde in novis aerumnis exercetur Ecclesia, et

assidua invocatione opus est, ut Filius Dei inquit: *Semper orate.*

Argumentum ac dispositio Psalmi CX.

Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum etc.

Saepe dictum est, discernenda esse genera Psalmorum, ut in quolibet magis intelligi possit quid ibi agatur, et singuli ad usum recte accommodari possint: et in hac consideratione sciat mens quae sit propria Ecclesiae doctrina. et prudenter discernat praecipua capita. Scimus autem duo esse praecipua capita, Legem et Evangelium de redemtore: et promissio de hoc ipso redemtore statim initio cum recepti sunt Adam et Eva, tradita est, et discrimen Ecclesiae deinceps et aliarum gentium fuit. Hanc promissionem subinde renovavit Deus, et voluit eam per Prophetas repeti et renovari. Ideo et Psalmi aliquot vaticinia, id est, enarrationes promissionis de Filio Dei, ut Psalmus 2.: Quare fremuerunt etc. Et Psalmus 44.: Eructavit. Et Psal. 71.: Deus iudicium tuum regi da etc. Et 110.: Dixit Dominus etc. Qui de solo Messia Filio Dei loquuntur, et non de Salomone aut aliis regibus, et hi Psalmi sunt narrationes de Filio Dei.

Ut autem promissio postulat fidem, ita sciamus finem esse horum Psalmorum, ut eorum testimoniis accendantur in nobis, et confirmentur agnitio Filii Dei, fiducia acquiescens in Filio Dei, vera invocatio, gratiarum actio, laeticia in Deo, et incoatio vitae aeternae, sicut et secundus Psalmus addit dulcissimum dictum de applicatione tanquam epiphonema: Beati omnes qui confidunt in eo. Possunt autem referri ad genus demonstrativum vel *διδασκαλικὸν* et ad statum finitivum, ut hic quaeritur quis sit Messias, quale sacerdotium et regnum futurum sit.

Alii Psalmi sunt legales doctrinae de providentia, de bonis operibus, de poenis impiorum. Alii sunt obiurgationes, alii sunt precationes, alii consolationes. Saepe miscentur precationes, consolationes et gratiarum actiones. Horum multi non de solo Messia loquuntur, sed sunt communis vox omnium membrorum Ecclesiae, et exempla haec proposita sunt tanquam promissiones, ut nos quoque eodem modo, eadem fide, auxilium petamus et expectemus. Haec discrimina nota sint, ut haec dulcissima carmina ad usum accommodari possint, et ut sciamus qui affectus lectionem sequi debeant, Timor Dei, fides, invocatio, tolerantia in afflictionibus, spes auxilii, gratiarum actio, gaudium in Deo. Tales autem Psalmi fere pertinent ad genus suasorium, et tamen passim admixta est doctrina. Hoc discrimine et usu considerato multum lucis accedit lectioni. Nec ludendum est variis interpretationibus, sed una simplex nativa sententia, quam efficit grammatica, adhibita iudicii dexteritate, retinenda est, quod cum fit magnam dulcedinem et eloquentiam in his carminibus esse intelligemus.

Totus Psalmus, Dixit Dominus, narratio est, videlicet vaticinium et declaratio promissionis de venturo Messia, quis sit, ubi se ostensurus sit generi humano, unde suam doctrinam in omnes gentes sparsurus sit, quale sit regnum, et quale sacerdotium. Quia hae duae res in gubernatione sunt summae, quae quidem in hoc Messia competunt uni personae, et quod mirando consilio Dei prius sit passurus, et postea victor regnaturus, et collecturus Ecclesiam, quam resuscitabit ex morte, et donabit aeterna vita et aeterna iusticia. Haec est summa narrationis, iam ut supra monui applicatio consideranda est. Haec promissio fide accipiatur, iuxta dictum in secundo Psalmo, cuius idem est argumentum, Beati omnes qui confidunt in eo, vel iuxta dictum Ioannis: Qui credit in hunc Messiam, habet vitam aeternam. Statuamus certissime mandatum Dei immotum et immutabile esse, ut propter hunc Messiam recipi nos a Deo credamus, et donari his bonis, quae in hoc Psalmo et alibi commemorantur. Hac fide ad Deum accedamus, invocemus eum, et hanc consolationem teneamus, nos propter hunc Dominum, et per eum, potentia divina servari et defendi contra diabolos, et liberari a peccato, et a morte aeterna, et donari iusticia et vita aeterna, sicut ipse inquit: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Item: Ego vitam aeternam do eis. Tales consolationes intueamur quotidie in invocatione, in nostris et communibus periculis, et sciamus vere nos servari ab hoc Domino, sicut Israelitae servantur in mari rubro, aut Ionas in ventre ceti: et hac fide accendatur invocatio, et acquiescamus in Deo,

ita sentiemus nos vere vivificari et iuvari. Haec exercitia magis illustrant conciones propheticas, quam longi commentarii. Sed tamen iunioribus argumenta et phrasin indicare utile est. Orditur autem gravissime a propositione, qua ostendit unde sit hic rex et hoc regnum.

Dixit Dominus, id est, Deus immensa sapientia decretum fecit, et id generi humano patefecit et promulgavit, et sanxit ut sit ratum et immotum, sicut mox addit: Iuravit Deus. Et sic colligit sibi aeternam Ecclesiam dicens in genere humano hanc promissionem de Filio, hac voce discernit Ecclesiam a gentibus.

Domino meo. Hic nominat regem de quo decretum sequens factum est, intelligatur autem Dominus, solus hic Messias qui est Filius Dei, aboliturus peccatum et mortem, et redditurus nobis iusticiam et vitam aeternam. Hic est Davidis Dominus, etiamsi ex eius posteritate nascetur, sed scit David eum esse Filium Dei aeternum, et iam esse custodem Ecclesiae, sicut ipse inquit: Antequam Abraham natus est, ego sum. Et Psalmo 71.: Ante solem est genitum nomen eius. Et hic ipse Messias postea natus ex virgine, est Dominus Davidis, et quia natura Deus est, et quia haec persona exaltata est supra omnes creaturas, et propter eam nos recipimur, et propter eam redduntur nobis iusticia et vita aeterna.

Sequitur decretum de regno: *Sede a dextris meis*, id est, regnato mecum divina potentia. Hic affirmat regnum Messiae non fore mundanam politiam, sed divina potentia liberaturum esse Ecclesiam a summis malis, a peccato et a morte aeterna, quod nulla creatura facere potest.

Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, id est: ut tibi subiiciam diabolos, et omnes hostes tuos, et mala a diabolo orta, peccata, mortem, et inferos. Haec omnia domari divina potentia affirmat, inquiens: *Ut ponam.*

Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Zion, id est, sceptrum regni tui conspicietur in Zion, ibi cernetur oculis hominum et audietur hic rex, et inde sceptrum, id est, Evangelium mittetur ad omnes gentes. Fit loci mentio quia Deus voluit certo sciri locum et tempus, ubi et quando Messiam missurus esset. Sed quale regnum erit, omnes ne hunc dominum reverenter excipient? Nequaquam, sed inter inimicos dominabitur, multi adversabuntur, sed tamen habebit coetum aliquem obtemperantem.

Qualis erit hic coetus? *Populus tuus spontanearum oblationum*, id est, habebis populum non coactum gladio, sed verbo collectum, et laeto corde amplectentem Evangelium et te sponte celebrantem. Discernit igitur Ecclesiam ab imperiis mundanis, et externam servitutem a cultibus cordis accensis voce Evangelii et a Spiritu sancto.

In die virtutis tuae, id est, tempore victoriae tuae, vel regni tui, id est, quia eris victor sustinens poenam pro genere humano, et superabis mortem. Ac tribuitur tibi haereditas in genere humano, ut habeas Ecclesiam, quae propter te, tua victoria, et te servante erit salva.

In splendore sancto, id est, in vestitu seu ornatu sancto, id est, hic populus offeret tibi spontaneas oblationes in vestitu sacerdotali. Pictura est summi gradus inter homines, ut summus sacerdos ornatus fuit singulari et mirando modo, ita pingit hunc populum in hoc summo ornatu, significans solam Ecclesiam esse praecipuam partem generis humani, et vere peculium Dei, et sacerdotes, sicut Esaias inquit: Vos autem sacerdotes Domini vocabimini. Principaliter autem hic ornatus significat ministerium Evangelii, confessionem, afflictionem, ac deinde omnia dona Spiritus sancti et testimonia Evangelii. Ut Paulus circumferens Evangelium, obiectus bestiis, liberatus, resuscitans mortuos, est talis sacerdos, illa aurea chlamyde ornatus. Meminerimus igitur hic significari veros cultus Dei qui sunt in sola Ecclesia, scilicet ministerium Evangelii, confessionem, afflictiones, invocationem, gratiarum actionem, et caetera dona Spiritus sancti et testimonia Evangelii.

Ex utero mane venit tibi ros generationis tuae. Redit ad personae descriptionem, Quanquam non reprehendo aliorum interpretationem, tamen quia expresse fit mentio uteri, existimo Davidem intueri promissiones priores, Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Sicut postea Esaias inquit: Ecce virgo est gravida. Itaque et hunc versiculum interpretor de nativitate ex virgine, veniet ex utero Messias, videlicet ex virgine, sed in illa ita concipietur, ut ros matutinus, id est, non nascetur ex virili semine, sed ut ros coelestis Filius Dei de coelo missus concipietur in utero virginis, Ac dulcissima imagine roris significavit illam mirandam conceptionem et copulationem divinae et humanae naturae. Praedicat igitur hoc immensum beneficium Dei,

quod ipse Filius Dei, qui est coaeterna imago patris, immenso amore nostri descendit ad nos miserrimos. Huius amoris magnitudine excitentur fides et invocatio, et confugiamus ad hunc Filium liberatorem omnipotentem, sicut ipse dicit: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Iuravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchizedech. Observa ordinem narrationis, antea dixit de regno, Messiam divina potentia regnaturum esse, dixit ubi patefacturus sit initia regni, scilicet in Zion. Nunc addit de sacerdotio: Tu es sacerdos etc. Sed orditur a iuramento, sicut supra exorsus est ab asseveratione, Dixit Dominus: ita hic repetit asseverationem addito iuramento, Iuravit Dominus, nec opus est longa interpretatione, simus Deo dicenti et promittenti credendum esse, etiamsi non adderet iuramentum, sed ut infirmitati nostrae medeatur, et magis eximat dubitationem addit iuramentum, ut certissime statuamus promissiones nobis ratas esse, vere eum velle nos miseros recipere, remittere nobis peccata, reddere iusticiam et vitam aeternam, sicut alibi repetitum est iusiurandum: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Haec iuramenta opponamus falsissimae opinioni monachorum, qui iubent de remissione peccatorum dubitare, intueamur in haec iuramenta, et sciamus nostra causa edita esse, Non somniemus aliam esse voluntatem Dei dissentientem ab hac revelata in promissionibus, et statuamus promissiones ut sonant universales esse, et luctemur, ut earum voce nos sustentemus, repugnemus dubitationi, et petamus nos iuvari Spiritu sancto, sicut ille inquit: Credo Domine, opem fer diffidentiae meae.

Tu es sacerdos. Discernit sacerdotium Messiae a sacerdotio Levitico duabus differentiis, aeternitate, et ministerio Melchizedech. Sacerdotium Leviticum erat typicum, et desiturum cum politia Moysi, postquam Messias in hac politia exhibitus esset, et sacrificium proprium obtulisset. Ideo enim tota haec politia constituta fuit, ut esset certa natio, et locus certus, ubi Messias conspiceretur et doceret, et testimonia de doctrina ederet. Ac sacerdotium Messiae perpetuum est, ut postea dicetur: prius enim exponendum est, quid sit hac differentia significatum, cum ait: Secundum ordinem Melchizedech. Opponitur enim haec particula sacerdotio Levitico, quasi dicat: Messias erit sacerdos non in ministerio Levitico, sed talis qualis fuit Melchizedech.

Primum autem considerent iuniores historiam in Moyse, ubi scribitur Melchizedech regnasse in Salem, et benedixisse Abrahae. Est autem communis sententia vetustatis, Melchizedech fuisse filium Nohae Sem, quia tunc vixit, et fuit praecipuus doctor in Ecclesia, testis et custos doctrinae patrum, quia ante diluvium vixit annos 98, et audivit multos praestantissimos viros, et deinde superstes fuit ipsi Abrahae, annis 35. Hic cum esset custos verae doctrinae, habuit Ecclesiam etiam quae eum audiebat, etsi vidit interea magnas dissipationes et calamitates post diluvium, linguae mutationes, novum imperium, et idola Babylonis, horrendas libidines et interitum Sodomorum, et alia multa quae non sunt scripta, sed cogitate quantus dolor in viro tanto fuerit audire cultus idolorum in Babylone, et alibi. Item in vicinia pene spectatorem esse flagitiosarum libidinum, habitavit enim non procul a Sodomis in Salem.

Etsi autem duo oppida fuerunt nomine Salem: alterum quod postea dictum est Hierusalem, situm eunti versus occasum, a mari mortuo; alterum situm versus Aquilonem, quod et Sichem nominatur, non procul a Bethel: tamen consentaneum est Sem habitasse in eo oppido, quod postea dictum est Hierusalem, quod distabat a Sodomis circiter sex nostra milliaria, et fuit tunc vicinus Hierosolymis Abraham, habitans in Mambre quae est Hebron, ac filium postea adduxit mactandum in montem Moria, qui est locus quo Christus crucifixus est. Haec historica meminisse utile est.

Dolores etiam huius viri Sem consideremus, qui tam multas magnas calamitates vidit, interitum totius generis humani in diluvio, postea linguae mutationes quae varias doctrinas, religiones et gubernationes pepererunt, vidit initia regni Babylonici, quod magnis caedibus constitutum est, idolorum cultum, libidines et poenas florentissimarum urbium. Haec tristia exempla intuentes cogitemus iram Dei, et flectamur ad poenitentiam, et modeste toleremus miserias nostras, et petamus mitigationem, sicut vox divina docuit: Orate ut possitis effugere venturas calamitates. Dixi quis, et ubi fuerit Melchizedech, iam dicemus de sacerdotio.

Nomen sacerdotis primum et principaliter convenit Filio Dei Domino nostro Iesu Christo, qui primus sacerdos tunc statim fuit, quando post lapsum Adae et Evae intercessit pro toto genere humano, et obtulit se ad hanc obedientiam, ut poenam in se derivaret, et deinde edidit vocem promissionis in Paradiso.

Postea alii qui vero ministerio funguntur, participatione sacerdotes sunt, quia aliquam partem sacerdotii Christi administrant, et huius sacerdotis beneficia distribuunt, ideo teneamus illustre discrimen inter summum sacerdotem et reliquum collegium.

Summus sacerdos est persona immediate a Deo ordinata ad annunciandum Evangelium, et ad offerendum proprium sacrificium, ad placandum iram Dei, et ad satisfaciendum iusticiae Dei pro nobis, et ad nos redimendos, ac ad intercedendum pro nobis, et habens promissionem, quod Deus eum exaudiat, et vere fiat propicius omnibus pro quibus hic sacerdos intercedit. Habens mandatum, ut immediate ipse per vocem Evangelii aeternam Ecclesiam colligat.

Haec definitio propria est summi sacerdotis, qui est Filius Dei redemtor noster, hunc esse ordinatum decreto divinitatis dictum est in hoc Psalmo: Iuravit Dominus, et non poenitebit eum. Et Psalmo 44.: Unxit te Deus, Deus tuus oleo laeticiae propter consortes tuos. Et Esaiae 61.: Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.

Secundo quod annunciet Evangelium nota vox est: Filius qui est in sinu patris ipse enarravit nobis. Item Esa. 61.: Ad annunciandum afflictis misit me, ut medear contritis corde.

Tertio quod offerat proprium sacrificium quo placatur ira Dei, sunt manifesta testimonia, Esaiae 53.: Quia ponet animam suam hostiam pro peccato videbit semen longaevum. Item Ioan. 17.: Ego me pro eis sanctifico, id est, offero. Item: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Item Rom. 8.: De peccato damnavit peccatum. Rom. 4.: Traditus est propter delicta nostra. Hebr. 10.: Qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.

Quarto orat pro nobis, ut Iohan. 17.: Ubi etiam solennibus verbis applicat sacrificium pro nobis, inquiens; Ego pro eis sanctifico me, et addit precationem: Oro non pro eis tantum, sed pro credituris per verbum eorum. Item: Pater volo, ut ubi ego sum, et illi mecum sint. Item: Serva eos in nomine tuo, ut unum sint in nobis. Item Rom. 8.: Sedet ad dextram Dei et interpellat pro nobis. Et Esaiae 53.: Pro transgressoribus rogat.

Quinto quod habeat promissionem, quod exaudiatur, testantur dicta. Ioan. 11.: Ego autem sciebam quod me semper exaudis. Et Hebr. 5.: Cum clamore valido et lacrimis offerens, et exauditus est propter suam obedientiam. Psal. 2.: Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam. Psal. 15.: Sanctis qui sunt in terra mirificabit omnes voluntates suas. Esa. 42.: Ecce servus meus sustentabo eum, et electus meus quo delectatur anima mea. Et Esaiae 53. Voluntas Domini in manu eius dirigetur, Promissio est asseverans perfecturum esse liberationem generis humani, ad quam mittitur, et Deo grata esse ea, quae hic Messias agit et petet fieri. Esaiae 55.: Et feriam vobiscum foedus sempiternum, me fideliter daturum esse misericordiam Davidi promissam, quod in Actis citatur hoc modo: Dabo David sancta fidelia, id est, illa bona promissa, dabo ei fideliter et veracissime. Ioannis 17.: Dedisti ei potestatem omnis carnis, ut det eis vitam aeternam. Item Matth. ultimo: Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Ioan. 16: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, faciet. Et in hoc Psalmo: Tu es sacerdos etc., ideo enim ungitur et constituitur sacerdos ut exaudiatur.

Constituta definitione summi sacerdotis iam de membris eius dicemus. Sacerdotes participatione qui sunt membra Christi, et tamen vere sacerdotes, sunt omnes accipientes unctionem a summo sacerdote Filio Dei, Evangelium et Spiritum sanctum, ordinati ad confessionem, ac pro tempore ad ministerium, non offerentes propria sacrificia propiciatoria, id est, ut aliis mereantur reconciliationem, sed sanctificati uno sacrificio summi sacerdotis, habentes mandatum et ius, ut fructum huius sacrificii sibi applicent, et fiducia summi sacerdotis invocent Deum, et offerant sacrificia laudis, et habentes promissionem quod exaudiantur, perferente summo sacerdote nostra vota et sacrificia in sancta sanctorum, id est, in arcanum consilium divinitatis. Ita dicit Petrus: Vos estis sacerdotium sanctum ad offerendas spirituales hostias acceptas Deo per Iesum Christum. Tales sunt sacerdotes Adam, Abel, Noë, Sem, Abraham, Esaias, Baptista, Maria, Elizabeth, et omnes Sancti, quorum aliqui suo tempore sunt

in ministerio, sed omnes uncti et vocati sunt ad confessionem, invocationem, et ad sanctificationem, accepto fructu sacrificii summi sacerdotis, et ad offerenda sacrificia laudis: ita non obscurum discrimen est inter sacerdotem et ministrum.

Iam de partibus definitionis testimonia consideres, quae dulcissimas consolationes proponunt. De unctione dicitur 2. Cor. 1.: Deus qui confirmat nos vobiscum in Christo, et unxit nos, et obsignat dans arrhabonem Spiritum in cordibus nostris. Hic simul docet unctionem esse donationem Spiritus sancti.

Secundo ordinati ad confessionem, et pro tempore ad ministerium, et ad sacrificia laudis. 1. Pet. 2.: Ut annuncietis virtutes eius, qui liberavit vos ex tenebris. Oseae 14.: Reddemus vitulos labiorum.

Tertio, quod omnes uno sacrificio summi sacerdotis sanctificentur, expresse dictum est, uno sacrificio consummavit Sanctos.

Quarto, quod promissionem habeamus affirmantem nos exaudiri propter hunc summum sacerdotem, manifeste testatur vox Christi, Ioan. 16.: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. His consolationibus nos confirmemus, sciamus nos vere membra esse huius summi sacerdotis, et mandatum Dei esse, ut beneficia huius summi sacerdotis accipiamus, et promissiones ipsi et nobis traditas esse, et vere nos recipi, exaudiri, sanctificari, et liberari ab ira aeterna propter hunc summum sacerdotem. Et mandatum et promissio comprehenditur in his dictis, Ioan. 6.: Haec est voluntas patris, ut omnis qui credit in hunc Filium habeat vitam aeternam. Hunc summum sacerdotem agnoscamus semper stare in Sancto sanctorum, id est, in arcano consilio divinitatis, et interpellare pro nobis, nos ipsius coetum esse, pro quo ipse fuit supplex, et iacuit coram Deo prostratus in suo agone, et placavit iram Dei poena in sese derivata, nec dubitemus ipsius lacrimas et gemitus pro nobis exauditos esse.

Sacerdos typicus est certus minister ordinatus ad docendam legem, et ad sacrificia ceremonialia, qui tamen simul habuit mandatum, ut legem et ceremonias interpretaretur, et ostenderet signa esse venturi Messiae, quod qui faciebant non tantum typici, sed etiam vere sacerdotes erant, sed quatenus legem et ceremonias proponebant, tantum erant typici sacerdotes, id est, significabant aliud melius sacrificium, quo homines sanctificarentur.

Secundum ordinem Melchizedech. Haec differentia discernit Messiae sacerdotium a Levitico, quasi dicat, Messias erit sacerdos non Leviticus, non typicus, non mactans pecudes, non ceremonias legis et condemnationem sonans, non inefficax, sicut Levitici et typici Sacerdotes, sed erit sacerdos sonans benedictionem, sicut Melchizedech benedicit Abrahae. Consideranda est igitur antithesis: Leviticus sacerdos erat typicus, praecipiens legem et ceremonias, et offerens typica sacrificia, et sonans condemnationem, non placans iram Dei, non tollens peccatum et mortem, non reddens iusticiam et vitam aeternam. At Messias offert verum sacrificium et seipsum, placat iram Dei, benedicit nobis, id est, annunciat et donat nobis remissionem peccatorum, et benedictio est efficax, restituit in nobis iusticiam et vitam aeternam, colligit, custodit et liberat Ecclesiam, ut in omni aeternitate cum ipso Deum celebret.

Ut enim intelligamus Psalmum de bonis aeternis loqui, expresse addita est particula: *Tu es sacerdos in aeternum*, quasi dicat, Ministerium Leviticum cum politia Israël deletur: sed ministerium personae Messiae durat ab initio, deprecatur pro genere humano statim post lapsum et lapsos restituit, orat pro eis, et annunciat eis promissionem de semine, et assidue custodit Ecclesiam. Postea suo tempore offert sese, interea semper pro tota Ecclesia intercedit, ut ad Hebraeos dicitur: Semper vivens ut intercedat pro eis, semper colligit Ecclesiam Evangelio et Spiritu sancto, et haec postea cum eo vivet in omni aeternitate, nam cum sit perpetuus sacerdos, necesse est eum habere coetum cuius sit sacerdos. Et adducet coetum quem collegit ad aeternum patrem, et coram eo stabit cum suo coetu, erit incoator et ἔξαρχος gratiarum actionis et laudum, et Ecclesia vocem eius sequetur, et discet ab hoc doctore sapientiam divinam.

Sunt igitur illustria discrimina proposita sacerdotii typici, et huius veri sacerdotii Messiae, cum nominat eum sacerdotem in aeternum, et secundum ordinem Melchizedech. Typicum desinit, non tollit peccatum et mortem, non offert veram victimam, non reddit iusticiam et vitam aeternam, non vivificat, non sanctificat: at Messiae sacerdotium erit aeternum, offert veram victi-

mam, tollit peccatum et mortem, reddit iusticiam et vitam aeternam, vivificat et sanctificat. Hic sacerdos semper nobiscum est, semper colligit et protegit Ecclesiam, et postea in omni aeternitate cum sua Ecclesia aeternum patrem celebrabit.

Eadem dicuntur in appellatione Melchizedech, significat enim hunc Messiam regem esse iusticiae, id est, qui vere iustus est aeterna iusticia, quam nascens accipit a patre, cum sit imago aeterni patris, vere placet aeterno patri, sicut ipse inquit: Hic est Filius meus dilectus, quo delector, et propter eum recipitur Ecclesia, et per eum deleto peccato et deleta morte redditur nobis iusticia aeterna. Ita nominatur rex iusticiae, id est, iustus et iustificans.

Secundum ordinem Melchizedech. In antithesi sacerdotii Messiae et Levitici, principaliter de persona Filii Dei, et de benedictione quae fit per eum, videlicet de eius beneficiis, de remissione peccatorum, de restitutione iusticiae et vitae aeternae dicendum est. Hanc personam et benedictionem primum oportet opponi Levitico sacerdotio: multi nec de persona nec de benedictione dixerunt, sed tantum contulerunt ritus illius temporis et nostri, dicunt Melchizedech obtulisse panem et vinum, et id sacrificium fuisse typum venturi sacrificii: hic primum iuniores de Grammatica admonendi sunt. Lectio in textu hoc narrat, cum Abraham rediisset ex praelio confecto itinere aliquot dierum, a Damasco usque ad Hierusalem plus 40 milliaribus nostris, Melchizedech redeuntem excepit et pavit ipsum et eius exercitum, in hanc sententiam inquit: Protulisse eum panem et vinum. Eodem vero tempore Melchizedech ibi benedixit Abrahae, et utraque re significata est Ecclesiae eius temporis societas, communicatio epularum et hospitii, fuit signum amiciciae, sed benedictio fuit proprium testimonium consensus de Deo. Quia enim agnoscit Abraham, hunc virum sacerdotem esse veri Dei, expetit eius concionem et precationem, et audit promissionem in qua hic sacerdos affirmat voce divina: ***Benedictus es Abraham a Deo altissimo***, id est, Deus vere tibi propicius est, tu vivum membrum es Ecclesiae Dei, te regit et protegit Deus, tu es iustus et haeres vitae aeternae. Hac voce confirmatur fides in Abraham, et simul agit gratias vero Deo de victoria, quae proderat eius loci Ecclesiae, et ibi docet et confirmat multos in exercitu.

Ita consideremus quae tunc et ubi fuerit Ecclesia, et hoc moniti exemplo, discamus Ecclesias debere consociationem quaerere, et tueri consensum doctrinae, communi invocatione, communi confessione, mutua benevolentia et officiis, et ut in precatione dicitur, debere unum esse in Deo, non quaerere occasiones dilacerationum.

Praeterea considerata hac historia et benedictione, videmus quare in Psalmo conferatur sacerdotium Messiae ad sacerdotium Melchizedech, scilicet propter benedictionem, quae est, ut supra dixi, annunciatio gratiae et aeternorum bonorum, et cum in illo hospitali congressu, multa et dicta et acta sint, ut narratio, quanquam brevis, indicat: non est absurdum, ante epulas etiam sacrificium seu libationem factam esse, ut mos fuit, sed hinc non sequuntur illa tetra deliramenta, quae inde monachi de Missa extruxerunt. Legamus summorum hominum historias non ut pueri, sed cogitemus de consilio Dei, de collectione Ecclesiae. Voluit Deus ostendere quolibet tempore, quae et ubi fuerit Ecclesia, misit illi primae aetati excellentissimos doctores, hos viros vult considerari, vult eorum audiri doctrinam, vult conspici coniunctionem etc.

Hic etiam doctrina sacrificiorum et ceremoniarum recte intelligatur, sciebant Melchizedech et Abraham, se habere remissionem peccatorum, et iustos esse, id est, placere Deo, propter venturum semen, norant venturum Dominum, qui aboleret peccatum et mortem, et restitueret iusticiam et vitam aeternam, sciebant se ab eo servari, et efficacem eum in Sanctis esse, nec sacrificia, nec ceremonias nec ulla opera nostra, mereri remissionem peccatorum, sed ceremonias a Deo traditas, habere alios usus.

Addenda est et haec admonitio: Dictum est, Messiam esse summum sacerdotem qui vocem Evangelii ex arcano sinu aeterni patris protulit, ut Ecclesiam ex genere humano colligat, incoandam in hac mortali vita, ut Ioan. 1. dicitur: Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ideo oportet in hac mortali vita retineri vocem Evangelii, ad quam propagandam hic summus sacerdos mittit ministros, qui discernendi sunt a summo sacerdote, et ut supra nominavi, sunt participatione sacerdotes, quia vocem Evangelii sonant acceptam a summo sacerdote, qui est efficax per eam, trahit audientes, ut agnoscant unicam victimam, qua placatus est Deus, et in

iis qui credunt abolet peccatum et mortem, et donat eis iusticiam et vitam aeternam, ut Psalmus inquit: Ascendit, captivam duxit captivitatem etc. Item: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Significat igitur et hic Psalmus abolito ministerio Levitico, agnitionem huius summi sacerdotis semper in Ecclesia, etiam in hac mortali vita mansuram esse, quia incoatio Ecclesiae fit in hac vita, sicut et supra dictum est: Virgam regni tui emittet Dominus ex Zion, et dominare in medio inimicorum tuorum.

Haec consolatio hoc loco cogitanda est, et in hac mortali vita semper aliquas fore reliquias Ecclesiae Dei, usque ad resurrectionem mortuorum, quae postea cum summo sacerdote in omni aeternitate vivet, et Deum celebrabit, iuxta haec dicta Matth. ult.: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. 1. Cor. 11.: Annunciate mortem Domini donec veniat. Matth. 24.: Erit sicut in diebus Noë, duo erunt in agro, unus assumetur, alter relinquetur etc. Item: Dies isti abbreviabuntur propter electos. Dan. 12.: In tempore illo surget Michaël dux magnus, qui stat pro filiis populi sui, et erit tempus tribulationis, quale non fuit ex quo gentes fuerunt, ad id tempus, et illo tempore liberabitur populus tuus, omnis qui scriptus inventus fuerit in libro. Esaiae 46.: Gestamini in utero meo, etiam in senecta et in canicie vos gestabo. Esaiae 59.: Spiritus meus qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, nunc et deinceps in aeternum.

Ad haec testimonia adiungatur et hoc dictum: Tu es sacerdos in aeternum etc. Et recitans articulum in symbolo: Credo Ecclesiam catholicam, hac te consolatione sustentato, quod adhuc sit Ecclesia Dei, quod non reiectum sit totum genus humanum a Deo, quod promissiones non sint irritae, et cogites quae et ubi sit Ecclesia Dei, et teipsum membrum esse Ecclesiae, et tibi promissiones ratas esse firmissime statuito, et confessione, invocatione et voluntate ubicunque es te verae Ecclesiae adiungito. Haec spes quoque tibi dolores leniat, teque in doctrinae propagatione confirmet, quod certum est ad posteros quoque mansuram esse Ecclesiam, et aliqua Ecclesiae et doctrinae hospitia.

Hanc consolationem inter tantas ruinas imperiorum, in tantis dissipationibus, necessariam esse, omnibus perspicuum est, et quidem ideo de postrema senecta mundi, singulares promissiones traditae sunt, quia moles periculorum et calamitatum maior erit, quam fuit antea. Ideo in Daniele dicitur: Michaël dux magnus stabit pro filiis populi sui, hunc ducem invocemus, ut nos regat et confirmet, servet Ecclesiae reliquias inter nos etiam ad posteritatem, et depellat diabolos, quorum eo nunc rabies maior est, quia sciunt brevi venturum esse iudicium, ideo in eis magis ardet cupiditas vindictae, et caeteri furores, item apud Esaiam expresse dictum est: In senecta et canicie te gestabo, sicut gravida mater foetum etc.

Postquam de sacerdotio dixit, redit ad narrationem victoriam quae proprie tribuuntur regio officio: *Dominus a dextris tuis percutit in die irae suae reges, iudicat inter gentes, cumulat cadavera, percutit in terra caput magnum.* His verbis defensio Ecclesiae in hac vita, et postea integra liberatio describuntur, et collatione praesentium periculorum et miseriarum, et servatae Ecclesiae omnibus temporibus, fit illustrior sententia: etiamsi pariter diaboli, et imperia, Turcicum, Pontificium, Regia, magnarum gentium odia, haereticorum et sectarum furores, delere Ecclesiam conantur, tamen eam proteget et servabit Messias, et tandem omnibus his hostibus repressis, et imperiis mundi deletis, prorsus liberabit eam.

Accedat autem fides ad has promissiones, qua nos ipsos inter assidua pericula, nos his consolationibus sustentemus. Sciamus hunc regem Filium Dei vere nobiscum esse, sicut nominatur Emanuel, nos vere protegi et servari ab eo et tanquam eius manu gestari, sicut Israëlitas in mari rubro servat, seu Danielem inter leones. Haec consolatio saepissime repetita est, ut Zachar. 4.: Cum rediisset ex Babylone inermis multitudo cum magnis agminibus mulierum, puellarum, infantum nec praesidiis se defendere, nec moenibus tegere possent, consolatur eos Dominus, inquiens: Non in exercitu, non in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus, id est, servabo eos, et ero murus igneus in circuitu eorum, etiamsi nec muros habent nec humana praesidia. Et tamen talis est imbecillitas hominum, ut semper circumspectent oculi, quaerant defensiones, humana praesidia, foedera, exercitus, nec velint a Deo expectare defensionem. Postea motis armis multa fiunt non pertinentia ad Ecclesiam. Discamus

autem in his quotidianis periculis exercere fidem, invocationem et spem, petamus et expectemus auxilium et defensionem a Filio Dei, et doctrinam pie sonemus, nec misceamus consilia de novis imperiis constituendis.

Dominus a dextris tuis, id est, Messias qui est ad dextram aeterni patris, sicut et supra dixit: Sede a dextris meis, id est, regnans eadem potentia cum patre, hic inquam Messias divina potentia percutiet reges defendet et liberabit Ecclesiam.

Percutiet caput magnum in terra, id est, summa imperia, diabolos, et eius organa pugnantia cum Evangelio et verbo eius.

De torrente in via bibet, usitata phrasis est, bibere calicem pro affligi, ut Matt. 20.: Potestis bibere calicem quem ego bibam, ita hic brevissime dictum est de passione.

In via, id est, in hac vita et in ministerio sacerdotii ante glorificationem.

Bibet de torrente, id est, gustabit non leves afflictiones, sed illo magno torrente opprimetur quo mergitur totum genus humanum, id est, sustinebit horrendam iram Dei, et mortem pro genere humano, sed post hoc mirandum sacrificium inenarrabili sapientia Dei ordinatum.

Ipse exaltabit caput, id est, divina potentia ipse ex morte resurget, sicut dicit Ioan. 10.: Habeo potestatem ponere animam meam, et habeo potestatem recipere eam.

Applicatio Psalmi.

Reliqua est admonitio de applicatione, quoties narratio de Messia in Psalmis proposita est, simul cogitandum est de applicatione, de qua interdum expressa dicta in ipsis Psalmis addita sunt, ut Psalmo 2.: Osculamini Filium. Beati omnes qui confidunt in eo. Et sicubi non expresse addita est, tamen regula generalis tenenda est promissionem oportere fide accipi, ut Rom. 4. dicitur, et saepissime alibi repetitae sunt conciones de fide, ut Ioannis 3.: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam etc. Quare semper lecta narratione de beneficiis mediatoris, sciamus faciendam esse applicationem, qua statuas haec ingentia beneficia vere ad te quoque pertinere, tibi quoque hunc redemtorem et salvatorem missum, et donatum esse, qui ipse sic inquit: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos.

Quid vocabulo fidei intelligendum sit alibi saepe dicitur, cum igitur hunc Psalmum legimus, exuscitetur fides, agnoscamus Filium Dei regnantem ad dextram aeterni patris nobis constitutum esse sacerdotem et regem, sacrificio ipsius placatam esse iram aeterni patris, per ipsum contra furores diaboli excerpi ex genere humano et colligi ac defendi Ecclesiam, et ei restitui iusticiam et vitam aeternam valde mirando modo, per Evangelii praedicationem, inter ingentia certamina, insidias diabolorum et furores tyrannorum, et velle eum ut fide haec beneficia tu quoque accipias. Hac erecti consolatione invocationem et gratiarum actionem adiungamus, et in Deo propter mediatorem acquiescamus, iuxta illud: Iustificati fide pacem habemus. Item: Per hunc habemus accessum in fiducia per fidem Iesu Christi. Haec in exercitiis poenitentiae et invocationis discuntur, quae quidem assidua esse debent, summa enim et extrema miseria est sine poenitentia tanquam hostem Dei et abiectum a Deo vivere. Haec saepe cogitanda sunt, ut nos ad exercitia poenitentiae, fidei et invocationis exuscitemus.

Argumentum ac dispositio
Psalmi CXI.

Gratias ago tibi Domine toto corde meo, in concilio et coetu iustorum etc.

Saepe repetenda est admonitio de discernendis generibus seu argumentis Psalmorum, ut intelligi possit quo consilio, et ad quem usum singuli scripti sint. Dixi autem alios esse vaticinia, et vocem propriam Evangelii de Messia et eius beneficiis, alios esse conciones legis, alios esse consolationes aut precationes, alios gratiarum actiones, et haec genera interdum miscentur. Prodest autem haec diligentia, et ut una simplex, et secum congruens sententia inveniri possit, et ut ipsi agnoscamus ad quem usum nostrum, singuli Psalmi transferendi sint.

Primum igitur sciendum est hunc Psalmum esse simplicem gratiarum actionem, id est, narrationem de certis beneficiis Dei, quam apparet ad usum publicum in coetu populi compositam esse. Agit igitur gratias Deo, id est, narrat et

celebrat haec beneficia, quod Ecclesiam sibi colligit, edito verbo, manifestis et illustribus testimoniis, et quidem in hoc populo cui tradidit verbum, et constituit ministerium, cultus, et certam politiam, et haec sua beneficia defendit magnis et assiduis miraculis, eductione populi ex Aegypto, et aliis multis liberationibus, quae postea secutae sunt. Haec est summa Psalmi, et in fine additum est generale epiphonema, quod opponit iudiciis profanis de collectione Ecclesiae, de verbo Dei, de ministerio, quasi dicat, Mundus deridet nos, quod affirmamus nos esse populum Dei, et nostram doctrinam et invocationem veram esse, aliarum gentium doctrinam et invocationem commentitiam esse, sed haec iudicia horribiliter errant, fallitur sapientia mundi. Verum una vera est sapientia Ecclesiae quaerentis Deum, timere Deum, et huic verbo credere quod nobis traditum est, nec irrita erit haec fides, sed vere accipiemus promissa beneficia aeterna et necessaria in hac vita.

Haec est summa Psalmi, in quo etsi gratiarum actio loquitur de illius populi Ecclesia et politia, tamen regulam teneamus, talia dicta in genere ad Ecclesiam omnibus temporibus pertinere, semper Ecclesia gratias agit Deo, quod immensa bonitate propter Filium et per Filium colligit Ecclesiam, et quidem mirando modo per Evangelium, inter ingentia certamina, et addit testimonia, resurrectionem Filii Dei, et subinde mirandas liberationes. In hac ipsa gratiarum actione confirmatur Ecclesia, et antefert profanis iudiciis verbum et testimonia Dei. Sic igitur haec legamus, ut nos quoque in ipsa commemoratione exuscitemus fidem, gratiarum actionem et invocationem, et confirmemus nos contra profana iudicia.

Enumerat autem Psalmus beneficia. Primum agit gratias Deo, quod hunc populum vocarit, et in eo sibi Ecclesiam colligit editis testimoniis per miracula.

Secundo quod instituit ceremonias, ac praecipue agnum Paschalem, et addidit huic ceremoniae praedicationem verbi, non solum de liberationibus corporalibus, sed etiam de promissione gratiae et salutis aeternae.

Tertio quod Deus dedit promissiones et legem, et haec ingentia beneficia miranda defensione conservat, hic additae sunt laudes verbi Dei, quae discernunt verbum Dei ab humana sapientia.

Quarto agit gratias de continua defensione populi adversus quoscunque hostes, ut Gedeon defendit populum contra Madianitas, Samson contra Philistim, Saul contra Amalec, David contra Philistim, Ezechias contra Assyrios. Hanc perpetuam defensionem complectitur versiculus: *Redemtionem misit populo suo.* Itaque in summa agit gratias Deo, quod Ecclesiam et politiam huius populi mirabilibus signis et verbo constituit, defendit et conservat.

Deinde additur epiphonema, non deterreamur iudiciis mundi, quia haec sapientia verbi Dei non est fabulosa, sed vera et efficax, ideo non abiiciamus verbum Dei, sed vera fide ei obtemperemus. Eodem modo et nos vere agamus Deo gratias: ac utile est habere formas verborum, et saepe recitari eas ad exuscitandam recordationem et veram cordis gratitudinem, ut:

Ago tibi gratias omnipotens aeterne vive et vere Deus, aeterne et unice Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae, et hominum et Ecclesiae tuae angelicae et humanae, et conservator una cum Filio tuo Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu tuo sancto, sapiens, bone, verax, iuste, iudex, caste, misericors, liberrime, quod revelasti te nobis, aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, et Iesum Christum Filium tuum, et Spiritum sanctum, et quod misisti ***Iesum Christum*** Filium tuum, et voluisti eum pro nobis esse victimam, colligis tibi aeternam Ecclesiam voce Evangelii inter nos, remittis nobis peccata, donas nobis Spiritum sanctum, exaudis et protegis nos, et certo das nobis vitam aeternam per Filium et propter Filium, et in hac vita das nobis hospitia et victum, et servas publicos coetus, ministerium Evangelii, et doctrinae propagationem: haec bona ut semper nobis propter Filium tribuas, toto te pectore oro.

Ago tibi gratias omnipotens Domine Iesu Christe, Fili Dei crucifixe pro nobis et resuscitate, sedens ad dextram aeterni Patris, Emanuel et redemtor noster, sapiens, bone, verax, iuste, iudex, caste, misericors, liberrime, quod copulasti tibi humanam naturam, patefecisti te nobis, passus es pro nobis, et crucifixus propter peccata nostra, resurrexisti et redemisti nos, et es perpetuus mediator et sacerdos, colligis tibi Ecclesiam voce Evangelii inter nos, remittis nobis peccata, sanctificas nos Spiritu tuo sancto, et das nobis vitam aeternam, exaudis et defendis nos contra furores diaboli, et in hac vita das nobis hospitia et victum, et servas publicos coetus, ministerium Evangelii, et doctrinae propagationem: haec bona ut semper nobis

tribuas, toto te pectore oro, et semper sis intercessor pro nobis apud patrem.

Ago tibi gratias omnipotens Domine Spiritus sancte, procedens ab aeterno patre Domini nostri Iesu Christi, et Iesu Christo, effuse in Apostolos, sapiens, bone, verax, iuste, iudex, caste, misericors, liberrime, quod accendis in nobis veram agnitionem et invocationem aeterni patris, Filii, et tui, quod facis tibi domicilium corda nostra, regis nos, iuvas nos consilio et consolatione, iuvas nos in administratione, exaudis et defendis nos contra furores diaboli, vivificas iusticia et vita aeterna, et das nobis in hac vita hospitia et victum, et servas publicos coetus, ministerium Evangelii et doctrinae propagationem: haec bona ut semper nobis propter Dominum nostrum Iesum Christum tribuas, toto te pectore oro.

In his formis similis est gratiarum actio ut in Psalmo: *Confitebor tibi*, id est: *Gratias ago tibi Domine toto corde, in concilio et coetu iustorum.* Propositio generalis est, cui postea addit enumerationem beneficiorum, ac totus Psalmus narratio est recitans beneficia, quae iam nominatim recensui. Sit autem nota omnibus communis doctrina de invocatione, cuius species sunt petitio et gratiarum actio. Hi sunt praecipui cultus Dei, iuxta illud: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me, etc. Quia summus honos est agnoscere et statuere, quod ille quem alloquimur sit Deus, videlicet omnipotens, immensae sapientiae, verax, bonus, iustus, iudex, castus, liberrimus, non ociosus, non absens, sed vere iuvans et exaudiens nos propter mediatorem, et volens nostri misereri, et nobis opem ferre. Hunc honorem vult sibi tribui vera fide et fiducia, sic vult se discerni a diabolis et ab omnibus creaturis, ideo simus ardentes in petitione et gratiarum actione, et studiose cogitemus, quantam sapientiam hi cultus complectantur.

Ac in genere gratiarum actio est tribuere alteri quod ab eo acceperis beneficium, et statuere te ordine iusticiae ei obligatum esse, ut vicissim velis ei bene esse, et praestare certa officia. Vult lucere Deus in hac virtute, videlicet gratitudine, veritatem et iusticiam, veritas agnoscit et praedicat beneficium aliunde datum esse, iusticia est ordo reddens simile pro simili: sic enim ordinata est rerum conservatio, ita veritas erga Deum praestanda est, vere agnoscamus ipsius opera esse vitam nostram, salutem et protectionem. Et addenda est iusticia, velimus ei esse obligati ut vicissim eum diligamus, et ei officia praestemus, quae requirit.

In coetu iustorum, dulcissima additio est, precationem et gratiarum actionem in congregatione fieri, et multas admonitiones continet.

Prima est, sicut Israëlitae dicebant: Deus Abraham, Deus Isaac, id est, Deus qui te patefecisti Abrahae, et ei promissionem tradidisti, ita nos in invocatione semper discernamus verum Deum patefactum in Ecclesia misso Filio ab aliis commentitiis numinibus.

Secunda admonitio, Semper in invocatione etiam de promissionibus cogitandum est, et considerandum quae sit illa vera Ecclesia, ad quam promissiones proprie pertinent, ut seiungamus nostram invocationem ab ethnica, et aliarum sectarum cultibus, et adiungamus nos ad veram Ecclesiam, et ad summum sacerdotem Filium Dei, qui dixit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Item Ioan. 15.: Si manseritis in me et verba mea in vobis, quicquid volueritis fiet vobis. Ita affirmat in vera Ecclesia invocationem exaudiri. De hostibus autem Evangelii inquit, Psalmo 16.: Non recipiam nomen eorum super labia mea, id est, non precabor pro eis.

Tertia admonitio, Non solum de tota Ecclesia omnium temporum cogitandum est in invocatione, sed in praesentia etiam quaerenda et amanda externa congregatio, et sciendum Deum semper collecturum et conservaturum esse publicos aliquos coetus, sicut dicit Dominus: Ero vobiscum usque ad consummationem seculi. Et in tali congregatione vult fieri invocationem, ut confessione nostra alii erudiantur et confirmentur, sicut dictum est: Luceat lux vestra coram hominibus. Et de congregatione peculiaris promissio tradita est: Ubi conveniunt duo aut tres in nomine meo, in medio eorum sum. Tales admonitiones multae simul comprehensae sunt, cum inquit, in coetu iustorum, videlicet ut de vero Deo patefacto in Ecclesia, de promissionibus Ecclesiae traditis, de unitate Ecclesiae cogitemus. Item, ut quaeramus et foveamus publicam congregationem.

Magna opera Domini, scrutantibus omnibus iucunda. Sequitur expositio propositionis, videlicet enumeratio beneficiorum, et quanquam comprehendi communia beneficia creationis possunt, tamen hic principaliter loquitur de vocatione huius populi, et segregatione a caeteris gentibus, de revelatione promissionum, et de promul-

gatione legis, de constituta Ecclesia in hoc populo, de politia, de miranda conservatione, de mirandis liberationibus Ecclesiae. Haec opera esse magna etiam gentes agnoscebant, sed tantum pii praedicant ea esse opera Domini, agnoscunt verum Deum autorem esse horum beneficiorum, et se ipsi subiiciunt, amplectuntur eius doctrinam, et ei obedire incipiunt, ita hic Propheta gratias agens, initio tribuit Deo hunc honorem, ut fateatur haec esse ipsius beneficia.

Postea addit caetera officia gratitudinis, iubet hunc Deum celebrare et timere, iubet retinere confessionem doctrinae, et affirmat hos cultus non esse inanes, ideo statim inquit: *Scrutantibus omnia iucunda*, quasi dicat: Etiamsi impii qui nec intelligunt nec curant doctrinam a Deo traditam deridens eam, et somniant fabulosam esse, tamen pii scrutantes, discentes et cognoscentes eam, experiuntur esse veram et efficacem, sicut et infra inquit: Intellectus bonus omnibus facientibus ea. Et congruit cum dicto: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et veniemus ad eum et mansionem apud eum faciemus.

Diligenter autem considerandum est verbum scrutandi, commendatur hic discrimen docendi, et requiritur cura discendi.

Infra inquit: *Memor est pacti sui*, id est, non sinit deleri Ecclesiam et promissiones irritas fieri. Item: *Ut det illis haereditatem gentium*, id est, terram quam Cananaei tenuerant. Item: *Rata sunt mandata eius.* Haec omnia ostendunt Psalmum loqui de constitutione ac defensione Ecclesiae ac ministerii in politia Israël, pro his summis beneficiis agit gratias, ideo et dictum illud: *Escam dedit timentibus ipsum*, intelligimus de ritu agni Paschalis, agit gratias Deo, quod eduxerit populum ex Aegypto, quod instituerit ministerium doctrinae et signa.

Dixi autem supra de accommodatione, Agnoscamus et nos revera Dei opera esse quod Ecclesia colligitur, restituitur, et servatur, et alicubi habet mediocria hospitia, et doctrinam de beneficiis Filii Dei discamus, et propagemus et pro hoc summo beneficio Deum celebremus, et gratitudinem studio obedientiae declaremus.

In fine epiphonema additum est: *Initium sapientiae timor Domini, intellectus bonus facienti illa.* Hoc dictum opponitur iudiciis profanis, quasi dicat: Rident haec Ethnici et Epicurei, sed nos scimus hanc doctrinam et sapientiam veram esse, vere agnoscimus, timemus et veneramur Deum, et ei credimus.

Et intelligunt hanc sapientiam qui eam faciunt, id est, qui ei obtemperant, qui vera fide amplectuntur promissiones, et vere expavescunt agnoscentes iudicium et comminationem. David est sapiens, non solum ut Themistocles, qui visibilibus praesidiis civitatem munit, sed etiam certo statuit Ecclesiam, et se in Ecclesia Deo curae esse, et servari etiam cum destituitur humanis praesidiis. Ac retinet David hanc fidem propter miracula et patefactiones Dei, et quia in seipso habet testimonium Dei, pavores et consolationem, iuxta illa dicta, Rom. 8.: Accepistis spiritum quo clamamus Abba pater, ipse spiritus dat testimonium spiritui nostro, quod simus Filii Dei.

Argumentum ac dispositio Psalmi CXII.

Beatus vir qui timet Dominum, qui mandatis eius delectatur valde.

Hic Psalmus consolatio est Ecclesiae et piorum adversus scandalum crucis. Quia enim multi aerumnis Ecclesiae franguntur, et deficiunt a Deo, opponitur hic consolatio continens dulcissimas promissiones praesentium et aeternorum bonorum, sicut et Paulus inquit: Pietas promissiones habet praesentis vitae et futurae.

Sed his consolationibus opponuntur eventus, cum in conspectu sint ingentes aerumnae Ecclesiae et haec dicta: Qui vult me sequi, tollat crucem suam. Et 2. Tim. 3.: Omnes qui pie vivere volent in Christo Iesu, persecutionem patientur. Ad haec respondendum est, Semper in conspectu sit discrimen promissionis gratiae et promissionis bonorum praesentium. Principaliter vocatur Ecclesia ad bona aeterna quae sunt omnibus aequaliter necessaria, sicut latro in cruce vocatur. Hanc promissionem gratiae sciamus credentibus omnibus ratam et firmam esse, sive bona corporalia adsint, sive desint. David debet agere poenitentiam, et credere remissionem peccatorum, et certo statuere se esse haeredem vitae aeternae, sive in exilio interficietur sive reducetur, ut Iob inquit: Etiamsi occidet me sperabo in eum. De hac aeterna liberatione dicitur: Sic

Deus dilexit mundum, ut Filium unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Haec promissio rata et immota est omnibus credentibus.

Aliae autem sunt promissiones bonorum praesentium. Quia enim in hac vita colligitur Ecclesia, opus est etiam bonis corporalibus, iuxta illud: Non mortui laudabunt te Domine: sed addita est promissionibus bonorum praesentium exceptio crucis et castigationis.

Quanquam autem bona corporalia non singulis eodem modo tribuuntur, et Deus vult Ecclesiam subiectam esse cruci, et multos punit: tamen promissiones bonorum corporalium non sunt irritae, semper enim universo coetui praestantur, id est, etiamsi interficitur Ionathas, tamen Ecclesia et eius posteritas servatur, et pertinent haec ad dictum: Non mortui laudabunt te Domine. Et in petitione non solum de nobis sed universo coetu cogitemus, sicut saepe petitur in Psalmis, Rogate quae ad pacem sunt Ierusalem: Nec dubium est hac fide et invocatione impetrari et tibi et universis mitigationem poenarum.

Haec admonitio in lectione huius Psalmi et similium promissionum sit in conspectu, et sciamus haec membra recte consentire, Ecclesiam subiectam esse cruci, et tamen non deesse ei bona praesentia. Quia scilicet semper in hac vita conservatur, et Deus mitigat aerumnas invocantibus, etiamsi alios aliter exercet, et vult nos fide expectare protectionem, non vult septos esse visibilibus praesidiis, sicut impii volunt habere certa praesidia in conspectu, iuxta illa dicta: Maledictus qui confidit in brachio carnis. Item: Pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Zach. 4.: Non in exercitu, non in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus. Et Zach. 2.: Ego ero murus igneus in circuitu eorum.

Beatus vir qui timet Dominum, *et mandatis eius valde delectatur*: Initio definit qualem velit esse personam, cui sequentes promissiones attribuet. Talis sit inquit: Timeat verum Deum et delectetur mandatis eius, id est, sit iustus fide, et habeat bonam conscientiam. Ad hanc summam vere et recte accommodatur hic dictum, nam timor usitate significat totum cultum, sicut dicitur: Initium sapientiae timor Domini. Et ut hic ostendat se de vero Deo et de vera doctrina loqui, nominat Deum appellatione quae erat verae Ecclesiae propria, quasi dicat, illum verum Deum timeat, qui se patefecit in Israël. Et mox inquit: *Mandatis eius valde delectatur*, id est, tota doctrina legis et promissionis de Mediatore et gratia. Hanc fide amplectatur, et iuxta eam invocet verum Deum et ei obtemperet, quasi dicat: Etiamsi Aeacus aut Numa sunt honesti viri, et timent iram Dei, tamen non agnoscunt, non invocant verum Deum, non confugiunt ad Mediatorem, sed fingunt ipsi suos cultus et sua numina sine hoc verbo, et sine hac promissione in qua verus Deus Filium Mediatorem et misericordiam patefecit.

Ac prorsus hoc dictum Psalmi intelligatur iuxta dictum: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus, id est, Custos meae doctrinae fide et bona conscientia, diligitur a patre, et est domicilium Dei. Ita hic intelligatur dictum: Qui delectatur mandatis, sicut et Psalmo: Beati immaculati qui ambulant in lege Domini, id est, qui vera fide amplectuntur doctrinam a Deo traditam, et iuxta eam invocant ipsum fiducia Mediatoris, et bona conscientia ei obtemperant. Intelligantur enim haec dicta, iuxta Evangelium, non νομικῶς, ut illud: Maledictus qui non permanet in omnibus quae sunt scripta in lege. Sciamus igitur hic in descriptione personae intelligi hominem iustum, et intueamur totam doctrinam de iustificatione, postea huic iusto attribuit promissiones. Hic iustus inquit est beatus, placet Deo, et habet bona aeterna et praesentia.

Potens in terra semen eius, *et generatio rectorum benedicetur.* Primo loco recenset felicem sobolem. Summus dolor in homine post sensum irae Dei, est sensus calamitatis sobolis, et econtra ingens Dei donum est felicitas sobolis, ut in Psalmo: Nisi Dominus aedificaverit domum etc. Ecce haereditas Domini filii, merces fructus ventris. Item alibi: Filii tui sicut plantulae olivarum. Rursus inter summas poenas numerantur calamitates sobolis, Deut. 18.: Gignes filios et abducentur in captivitatem. Item: Comedes carnem filiorum tuorum et de secundina. Itaque in hoc Psalmo inter magna bona recitatur felix posteritas, et in primis in Ecclesia dulce est habere tales posteros, qui recte Deum invocent, et adiuvent conservationem Ecclesiae, sicut Abrahae

successit Isaac. Ac meminerint iuniores versiculum:

εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λωΐα δυσσεβέων δ' οὔ.

Opes et divitiae in domo eius. Hic promittuntur hospitia et victus. Quia dicit in domo eius, significat etiam tuguriola et hospitia Ecclesiae tribui. Huc similes promissiones multae adduntur, ut Psalm. 33.: Non est inopia timentibus eum, et comprehensae sunt omnes in ista, Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Dixi autem supra de promissionibus corporalium bonorum, semper ratas esse universo coetui, quia Deus vult in hac vita conservari Ecclesiam. Tribuit igitur hospitia et victum, et tamen non tribuit eodem modo singulis, quia vult nos cruci et castigationi subiectos esse, ut supra dictum est. Et tamen interea crucem et poenas immensa misericordia invocantibus mitigat, sicut saepissime dicitur: Non accendit totam iram suam. Item: Misericordiae Domini quod non consumti sumus. Item Oseae 11.: Non faciam furorem irae meae, quia Deus ego sum, et non homo, in medio tui sanctus. Ideo inquit, se non effundere totam iram quia sit Deus. Hic intelligas dupliciter, de magnitudine irae et de misericordia, Deus non effundit totam iram, quia nimis magna est, iuxta illud: Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Secundo universaliter primum irascitur Deus non ut perdat: sed ut retrahat nos ad poenitentiam, iuxta illud: Vivo ego, nolo mortem peccatoris. Sed homo irascitur dolore vindictae etc. Has necessarias consolationes saepe cogitemus, et in ipsa consideratione miseriarum agnoscamus immensam misericordiam Dei, et ei gratias agamus quod non accendit totam iram suam. Deinde etiam clamemus, sicut Ieremias: In iudicio corripe me, non ad nihilum redigas me.

Iusticia eius manet semper. Primum obvia interpretatio haec est, iusticia eius, id est, iusta causa eius tandem vincit, etiamsi aliquantisper multa patienda sunt, ut causa Ioseph gloriose vicit, Saul obiicit Davidi crimen affectati regni, sed clamat David Psalmo 7.: Iudica me Domine secundum iusticiam meam, ubi de iusticia causae loquitur, non de iusticia personae. Et mentio causae non est confidentia, quod propterea persona sit iusta, sed est confessio necessaria propter alios, ne alii de causa errent, ut cum propter doctrinam interficiuntur martyres, necesse fuit eos exponere causam, et ostendere se non temere adversari aliter sentientibus.

Sequens versus congruit cum proxima sententia: *Exoritur in tenebris lumen rectis*, id est, in calamitate consolatio, quasi dicat: Manet causa quanquam multis et magnis hostibus, diabolis et organis diaboli adversantibus, interea tamen Deus sustentat, consolatur, et tandem liberat hunc iustum.

Iam hic sciri oportet universalem regulam. Promissio corporalium bonorum tradita est propter promissionem gratiae et propter Messiam, et semper praeluceat fides, qua statuamus nos placere Deo, et propter Filium Dei iustos esse. Deinde petamus et expectemus caetera necessaria, sed ita ut simul parati simus ad crucem, et tamen non ammittamus aeternam consolationem, sicut inquit Hiob: Etiamsi occidet me, sperabo in eum. David cum expellitur in exilium erigit se fide, et statuit se habere remissionem peccatorum propter Mediatorem. Deinde petit et expectat reductionem, et tamen paratus est ad poenam, nec amittit interea aeternam consolationem, scit Deo se debere hunc honorem et huuc cultum, credam promissioni gratiae, scit Messiam non esse contumelia afficiendum, sed potentiorem esse regno peccati et mortis, iuxta illud: Exuberat gratia supra peccatum. Hoc modo et iusticia personae manet in aeternum coram Deo, videlicet stante Filio Dei coram aeterno patre, et pro nobis interpellante.

Hanc aeternam iusticiam etiam hic complectitur Psalmus. Quia quanquam in politico regimine etiam servat Deus regulam, ut atrocia scelera puniat atrocibus poenis in hac vita, et tandem vincant, qui antea iniuste oppressi fuerunt, sicut Augustus vincit Antonium: tamen hic non loquitur de impiis, sed de talibus quorum et persona et causa placet, et qui invocant Deum, et ab ipso petunt et expectant consolationem, et de hac aeterna iusticia proprie infra dicet: *In aeternum non peribit iustus*, et: *in memoria aeterna erit iustus*, ubi de iusto coram Deo loquitur, videlicet de credente non de impio. Hunc credentem inquit ab eo custodiri, et Deum semper eius in omni aeternitate memorem esse, ipsi benefacturum esse, daturum vitam et iusticiam aeternam, etc.

Misericors miserator et iustus. Miscet praecepta consolationibus. Antea promissio posita est,

Exoritur in tenebris lumen rectis. Nunc rursus dicit, qualis sit ille timens Deum. Est enim mollissima constructio: *Exoritur in tenebris lumen rectis, misericordi, miseratori et iusto*, scilicet, talem esse hunc de quo loquitur significant, quasi dicat, hic timens, ut Ioseph, est misericors et miserator, non ulciscitur scelus fratrum, benefacit multis gentibus, et est iustus, non est tyrannus, non attingit Domini coniugem, non defraudat homines, loquitur enim de iusticia legali seu operum. Aliqui contexunt versum hoc modo: Exoritur in tenebris lumen rectis, a misericorde, miseratore et iusto Deo.

In sequenti versu repetit praeceptum: *Bonus vir miseretur et mutuo dat*, id est, est beneficus. *Et disponit sermones suos in iudicio*, id est, negocia sua iuste agit, non est sophisticus, non rapax, non defraudator, non impostor, non stellio, non sycophanta. Et miscet consolationem: *Non evertetur ad extremum*, id est, etiamsi aliquandiu affligetur, tamen tandem eluctabitur, ut alibi dicitur: Multae tribulationes iustorum, sed ex omnibus his liberabit eos Dominus. *In memoria aeterna erit iustus*, id est, Deus erit memor ipsius, exaudiet, sustentabit, iuvabit et liberabit eum, sicut exaudivit Ioseph, Davidem, Ieremiam, et alios. Hic Psalmus comprehendit et praesentes liberationes et aeternam, Deus est memor Abel etiam hac praesenti vita amissa. Docet ergo Psalmus restare aliud iudicium, nec deficiendum esse a Deo, etiamsi in hac vita non liberamur, sed certa fide et spe expectandam esse liberationem in vita aeterna, iuxta illud usitatum dictum: Etiamsi occidet me, tamen sperabo in eum. Ita sciamus comprehendi in his dictis doctrinam de vita aeterna et de fide.

Alia consolatio dulcissima: *Ab auditu malo non timebit*, id est, non expavescet, non frangetur animo, cum audit annunciari periculum aut suam aliquam calamitatem, ut cum Iob annunciatur interitus filiorum. Addit autem Psalmus causam, unde sit hoc robur animi, quia inquit: Hic iustus confidit Domino. Supra facta est expressa mentio timoris Dei, hic fit expressa mentio fidei, quae nititur veri Dei promissione. Loquitur ergo Psalmus de iusto, sicut in Evangelio traditur doctrina de poenitentia, et de fide, ac fiducia quae erigit corda, et primum accipit remissionem peccatorum, et expectat liberationem aeternam propter Filium Dei gratis, iuxta iusiurandum: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Haec fides semper praeluceat petitioni bonorum corporalium, ut supra dictum est, iuxta illud: Fide accedimus ad Deum. Deinde petit et expectat etiam mitigationem praesentium calamitatum, iuxta illa dicta: In ira misericordiae recordaris, Non faciam furorem irae meae, Non mortui laudabunt te Domine. Domine in iudicio corripe me, non in furore, ne ad nihilum redigar.

Dispersit, dedit pauperibus. Miscet rursus praecepta: Dispergit, dat pauperibus. Liberalitas significatur verbo spargendi, sed restringitur ad pauperes, nec profusio, nec ostentatio splendoris in profusione placent Deo. Et tota doctrina liberalitatis venustissime comprehensa est in dicto Salomonis: Fontes tui deriventur foras, et tu Dominus eorum maneto. Item: Non des facultatem tuam crudeli.

Iusticia eius manet in aeternum. Quocunque modo intelligat nomen iusticiae hoc loco, sive de his eleemosynis, sive de causa iusta, sive de iusticia personae, sententiae congruent. Iusticia eius manet in seculum seculi, id est, Deus est memor omni tempore et iusticiae personae, seu iusticiae fidei, et causae iustae, et eleemosynarum iusti, et tandem ostendit se curare iustos, et eorum causas et eorum eleemosynas: complectitur ergo et praesentes liberationes et aeternam. In fine addita est antithesis, quae denunciat poenas impiis praesentes et aeternas.

Argumentum ac dispositio
Psalmi CXIII.

Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.

Psalmus est confessio et gratiarum actio communis de providentia. Etsi autem ethnici quoque de providentia saepe concionantur, ut:

Aspiciunt oculis superi mortalia iustis.

Item, *ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα.*

Item, *οὐ γὰρ σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσι.*

Item Euripidis, *ἐν τῷ δικαίῳ ἐλπίδες σωτηρίας.*

Frangit et attollit vires in milite causa,
Quae nisi iusta subest, excutit arma pudor.

tamen Ecclesiae doctrina in hoc ipso loco dupliciter at ethnica differt. Ecclesia monstrat verum

Deum, qui se patefecit non solum opificio naturae, sed etiam sua voce et certis testimoniis, ut misso filio, resuscitatione mortuorum, eductione populi ex Aegypto. Secundo non tantum recitat Ecclesia legalem doctrinam de Deo, sed etiam promissionem gratiae, ut sciamus nos recipi quanquam sumus indigni, et invocare eum possimus, et petere et expectare bona. Etsi enim Ethnici norunt dicta de providentia, tamen in aerumnis fugiunt Deum, quia agnoscunt se reos et indignos esse, sed Ecclesia opponit promissionem de Mediatore, imo etiamsi es reus, tamen Deus edidit promissionem, et vult te recipere propter Mediatorem, iuxta iusivrandum: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Sciamus ergo in hoc Psalmo contineri confessionem et gratiarum actionem directam ad verum Deum, qui se in Ecclesia patefecit data promissione, sciamus item sic affirmari providentiam, ut simul commonefacti agnoscamus promissionem, sciamus vere colligi Ecclesiam, vere recipi eos qui convertuntur ad Deum fiducia Mediatoris, et eum invocant, et proprie ad Ecclesiam et ad hos invocantes pertinent hae dulcissimae consolationes: *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis, habitat et humilia respicit, in coelo et in terra*, id est, colligit sibi Ecclesiam quae durissime onerata est ingentibus aerumnis, sicut et Filius inquit: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos etc.

Argumentum ac dispositio Psalmi CXIV. et CXV.

In exitu Israëlis de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro, etc.

Prima pars est narratio eductionis ex Aegypto, et confessio quod Ecclesia illustribus testimoniis divinis collocata sit in hoc populo, et est gratiarum actio. Secunda pars est precatio, ut constitutae Ecclesiae Deus opem ferat, ne ipsius nomen contumelia afficiatur ab hostibus: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Haec petitio et saepe repetita est et quotidie repetenda est: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo. Ierem. 14.: Domine fac propter nomen tuum. Item: Tu autem in nobis es Domine, et nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos. Et Esaiae 48.: Propter nomen meum procul removebo iram meam, et laude mea frenabo te, ne pereas. Item: Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer.

Haec dicta semper nobis in conspectu sint, ut eundem finem, eandem causam invocationis, in nostra petitione intueamur, ne sinat nos labi Deus, ne sinat fieri vastationes, ne sinat extingui lucem Evangelii, ne contumelia afficiatur ipse Deus, sed plures eum recte invocent et celebrent.

Addit igitur antithesin veri Dei patefacti in Ecclesia, et commentitiorum numinum. Vero Deo tribuit, quod sit verax et misericors, quod dederit promissiones, constituerit Mediatorem, exaudiat et salvet iuxta promissionem, tribuit etiam quod agat liberrime: *Omnia quaecunque voluit fecit*, id dictum opponendum est stoicis imaginationibus, quae fingunt Deum alligatum esse causis secundis. Et repetit beneficia: *Domus Israël sperat in Domino, adiutor et protector eorum est*, affirmat Ecclesiae traditas esse promissiones, et sine ulla dubitatione ratas esse, recipi, exaudiri et salvari homines, iuxta has promissiones, ideo in fine petit conservationem huius Ecclesiae. *Non mortui laudabunt te Domine*, id est, serva et in hac vita coetus aliquos te laudantes, agnoscentes, recte invocantes, gratias agentes et vere celebrantes, quia non frustra condidisti genus humanum, sed vis talem esse aeternum coetum, cui in omni aeternitate communices tuam sapientiam et bonitatem, et qui vicissim te celebret in omni aeternitate.

Argumentum ac dispositio Psalmi CXV.

Dilexi, quod audivit Dominus vocem orationis meae.

Gratiarum actio est, quod exauditus et liberatus sit, et intexitur narratio periculi, et miscetur precatio. Alibi autem diximus gratitudinem praecipue duas virtutes complecti, veritatem et iusticiam. Veritas profitetur unde acceperis beneficium, et non arrogat sibi aliena: obligat autem iusticia ad mutua officia. Ita vult Deus in gratiarum actione extare confessionem, quod exaudierit et liberaverit, ut ipsi tribuantur vere ab ipso facta, et discant homines vere eum invocare, et sciant invocationem non esse irritam. Sic le-

gantur omnes hae gratiarum actiones et petitiones, sciamus Deum velle ut simili fide omnes eum invocemus, petamus, et expectemus auxilium, gratias agamus. Sunt enim narrationes exempli causa propositae.

Est autem hic Psalmus vox Evangelii continens et promissiones, et exemplum promissionis, et commonefaciens nos de tota doctrina promissionum de Mediatore et de gratia, et significat ut nos quoque fide propter Mediatorem petamus et expectemus liberationem, et deinde agamus gratias, toleremus crucem in confessione, et alias aerumnas Ecclesiae, et aeternam liberationem expectemus. Saepe repetita sunt eadem *πάθη*, ut fit, et invocatio similis in talibus aerumnis affert lucem Psalmo.

Initium est narratio quae est ipsa confessio quod Deus ipsum exaudiverit. Et *πάθος* additur: *Diligo*, id est, hoc est mihi gratum, dilectum, dulce, in hoc acquiesco, quod Dominus exaudit me invocantem. Significat autem solam hanc esse summam et firmam consolationem acquiescere in Deo vere credentem, quod a Deo exaudiaris, sicut saepe dicit: *In Domino confido non erubescam. Qui confidit in Domino, sicut mons Zion non commovebitur: Omnis qui credit in eum non confundetur.* Multa accidunt homini inextricabilia humanis consiliis, ut Davidi, ibi mens hac sola consolatione sustentatur, quod vera et rata sint haec dicta: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos. Item: Vivo ego, nolo mortem peccatoris etc. Item: Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit. Item: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum.

Tertius versus narrat periculi magnitudinem, videlicet angustias inferorum, qua phrasi dolores maximi significantur, sensus irae Dei et horrendi iudicii, qui describuntur in confessione Ezechiae: Sicut leo contrivit omnia ossa mea.

In versu quarto inserit verba promissionis: *Deus est misericors, et miseretur et custodit parvulos*, id est, afflictos, vere invocantes eum, et est iustus, defensor invocantium qui iniuste opprimuntur. In his verbis mente repetamus totam doctrinam promissionum de Mediatore et de gratia, et sciamus fidem oportere niti non nostra dignitate, sed sola misericordia propter Filium promissa, ideo enim nominat Dominum יְהוָה et nostrum Deum, ut ostendat verum Deum, qui se patefecit in Ecclesia editis promissionibus.

Credidi propter quod locutus sum.

Apud Hebraeos hoc membrum ad superiorem Psalmum pertinet, et est narratio congruens priori argumento, dicit de causa quare invocet, et quare affligatur, scilicet propter confessionem doctrinae, et postea promittit se deinceps Deo hos cultus praestiturum esse, invocationem, gratiarum actionem, confessionem doctrinae, patientiam in cruce: *Credidi propter quod locutus sum*, id est, quia vere credo esse Deum, et veras esse promissiones, ideo invoco, ita docet nullam esse veram invocationem sine fide, iuxta illud: Quomodo invocabunt nisi credent. Item: Quia certus sum hanc doctrinam veram esse, ideo de ea in confessione testificor, sic Paulus citat hoc dictum: *Ego autem humiliatus sum valde.* Sequitur confessionem persequutio.

Ego dixi in consternatione mea, omnis homo mendax, in his ipsis doloribus et consolationibus meis cognovi securos simpliciter mendaces esse, id est, non recte sentire de Deo, non agnoscere peccati magnitudinem, non valde timere iram, non ardere fide et dilectione erga Deum, sicut ardere debebant, postea consternati sentimus et agnoscimus hanc hypocrisin, et sancti haec mendacia deplorant. Ita dicit Ieremias cap. 31.: Castigasti me Domine, et eruditus sum sicut iuvenculus indomitus, postquam ostendisti mihi egi poenitentiam. Item: Cum iudicamur, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

Calicem salutarem accipiam, id est, gratus accipiam liberationem et eam celebrabo, *Vota mea reddam*, et in cruce confessionem invocationem, et gratitudinem declarabo, et scio nos etiam ex hac morte revicturos esse. *Preciosa coram Domino mors sanctorum eius*, non solum quia Deus vindex est, sed etiam quia certum est sanctis reddi vitam et gloriam, nec ruere eos in aeternum exitium, sicut ruunt impii. Simul autem significatum est Ecclesiam in hac vita cruci subiectam esse, ut supra Psalmo 71.: Preciosus sanguis eorum coram Domino, Haec coram tota Ecclesia profitebor et concionabor. Ita significat praecipuos cultus esse, invocationem, gratiarum actionem, propagationem doctrinae, et confessionem in cruce.

Argumentum ac dispositio Psalmi CXVI.

Laudate Dominum omnes Gentes, laudate eum omnes populi, etc.

Prophetia est quae affirmat Ecclesiam colligendam esse etiam ex gentibus, et deducit lectorem ad vetustas illas promissiones: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Item: Gentes ad eum congregabuntur. Agnoscamus igitur Filium Dei, et laeti accipiamus eius beneficium, ei obediamus et gratias agamus. De his beneficiis loquitur, cum inquit: *Confirmata est super nos misericordia eius*, vel dominatur misericordia, non ira, sed propter Filium et per eum recepti sumus, sanctificamur et salvamur. *Et veritas Domini manet in aeternum*, id est, promissio facta de Messia sine ulla dubitatione rata et immota est, et Ecclesia hoc modo salvabitur etc.

Argumentum ac dispositio Psalmi CXVII. et CXVIII.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius, etc.

Etiam vetus synagoga intellexit hunc Psalmum esse vocem Messiae et Dominus eum de sese citat, Matth. 25. Et in Ephesiis enarratur versus, Lapidem quem reprobaverunt aedificantes factus est in caput anguli, id est, hic Messias quem aedificantes, id est, doctores, principes et gubernatores delere conati sunt, factus est fundamentum Ecclesiae, id est, propter eius obedientiam Ecclesia recepta est, et ipse dominatur in Ecclesia, id est, colligit eam voce Evangelii et est in ea efficax, sanctificat illam Spiritu suo sancto, protegit et salvat eam, sicut ipse inquit: Nemo rapiet oves meas e manibus meis.

Quanquam autem aliqui disputare volent Davidem hic loqui, tamen fatendum est typo principaliter significari Messiae passiones et victorias, sic igitur interpretemur Psalmum quasi Messias ipse recitet suam passionem et victoriam. Ac initio Dominus alloquitur universam Ecclesiam, iubet omnes agere gratias Deo pro hoc immenso beneficio, quod Filium constituerit Mediatorem, et voluerit per eius obedientiam placari iram, et per victoriam destrui mortem, et sic recipi et salvari genus humanum. Hoc mirandum consilium vult in Ecclesia recitari, vult notum esse, ut multi salventur et Deum in omni aeternitate celebrent. Haec est simplex sententia quatuor versuum initio: *Confitemini Domino*, id est, agnoscite eum, celebrate eum, agite gratias propter ingentia beneficia, quod Filium constituit Mediatorem, et sic colligit aeternam Ecclesiam.

Nominatim autem alloquitur *domum Aaron*, ut significet ministros Evangelii et doctores debere incoare hanc celebrationem docendo, invocando, gratias agendo.

Sequentes versus usque ad hoc dictum: Lapidem quem reprobaverunt etc., sunt narratio passionis et victoriae, et nominatim canitur paean de abolita morte: *Non moriar sed vivam, et narrabo opera Domini.* Sequentes versiculi exponunt causam finalem, propter quam passus est Messias, scilicet, ut fieret fundamentum Ecclesiae, propter suam reverentiam exauditus est etc. Hac obedientia, hoc merito placata est ira Dei, propter hoc λύτρον credentes accipiunt remissionem peccatorum, et reputantur iusti, sicut expresse dictum est: Quem posuit propiciatorem per sanguinem, etc., et cum recipiuntur, simul santificat eos Spiritu suo sancto, sicut etiam expresse dicitur: Accepistis spiritum adoptionis filiorum.

Sunt autem inserta lumina et πάθη, ut epiphonemata sunt: *Melius est confidere in Domino, quam confidere in principibus*, etc. Praecipit ut obediamus Deo, et non faciamus contra eum fracti metu, aut doloribus, sed certo statuamus ipsum nobis adesse, et daturum aeternam salutem, sicut Psalmo 36. dicit: Expecta Dominum et custodi viam eius etc. *Omnes Gentes circumdederunt me.* Etiam in externa passione destitutus fuit Christus ab omnibus hominibus, et invaserunt eum non solum Iudaei, sed etiam Gentes, Pilatus et variarum gentium multitudo, sed multo magis diabolus.

Praeterea loquitur Christus non tantum de sua persona, sed etiam de tota Ecclesia, quam ubique omnes gentes et diaboli inde usque ab initio persequuti sunt: sed omnes impii perituri sunt et evanescent, sicut ignis spinarum cito deflagrat.

Saepe repetita est praecipua pars narrationis, in qua affirmat Christus se et passum et servatum esse: *De tribulatione invocavi, et respondit mihi*

Dominus in latitudine. In latitudine, id est, patefacto exitu. *Impulsus sum ut caderem, sed Dominus adiuvit me.* Haec dicta recitantur ut sint testimonia de passione et liberatione. Fit etiam mentio invocationis Dei, ut sciamus nos quoque liberari quaerentes auxilium invocatione Dei, et quidem exaudiri nos propter hunc ipsum Messiam, qui hic profitetur se constitutum esse, ut sit caput anguli, id est, ut habeat Ecclesiam, quam non sinat interire.

Sequatur autem liberationem confessio doctrinae et gratiarum actio, sicut hic ait: *Non moriar sed vivam, et narrabo opera Domini*, id est, reviviscit Messias, ut sit testis de Deo, quod hoc modo et ipsum servaverit, et quod per eum resuscitatum velit aeternam Ecclesiam colligere, et reddere ei iusticiam et vitam. Sic liberantur ex media morte Ieremias, Daniel, Apostoli, ut sint testes de praesentia Dei et tota doctrina.

Aperite mihi portas iusticiae etc. Compellatio est ad Ecclesiam, quasi dicat: Ego resuscitatus accedam ad vos, id est, in arcem iusticiae, in qua est iusticia, id est, vera Dei agnitio, et invocatio, et sanctificatio per vocem Evangelii et per Spiritum sanctum. *In hanc arcem*, id est, *in hunc coetum ingrediar*, id est, ibi regnabo, ibi sonabo vocem Evangelii. *Haec est porta*, id est, *arx Domini, intrabunt in eam iusti.* Totus hic versus descriptio est verae Ecclesiae, Ecclesia est porta Domini, id est, templum vel arx Dei, id est, coetus Deo placens in quo regnat Filius Dei ostendens patrem, et sunt ibi credentes Evangelio qui sunt iusti, id est, per Filium et propter Filium fide recepti, et per eum Spiritu sancto sanctificati ad vitam aeternam. Haec porta, haec arx est coetus in quo Deus in omni aeternitate se ostendet, et communicabit eis suam sapientiam et bonitatem, et erit omnia in omnibus. Alii omnes extra hanc portam seu arcem sunt damnati, et hostes Dei, sicut Ioannes inquit: Qui non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Dictum est antea de versu: *Lapidem quem reprobaverunt, hic factus est in caput anguli.* Recitantur et in hoc versu passio et liberatio, sed additur causa finalis, ut hic Filius Dei sit fundamentum ex quo extruatur Ecclesia. Considerent autem iuniores figuram: *Caput anguli seu lapidem angularem* nominat fundamentum, cui imponuntur anguli, id est diversi parietes, sicut Christo imponitur Ecclesia collecta ex Israël et ex gentibus. Intelligatur autem fundamentum non solum de doctrina, sed etiam de redemtione et de efficacia. Primum hoc modo fundamentum est, quia unam Evangelii vocem tradidit, qua universa Ecclesia inde usque ab initio ad finem consociatur, iuxta dictum: Fundamentum aliud poni non potest praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Secundo Messias est fundamentum non modo propter doctrinam, sed etiam propter redemtionem et efficaciam. Quia propter eum caetera eius membra electa sunt, propter ipsius deprecationem et passionem, et ipse est efficax in eis, remittit peccata credentibus sanctificat eos Spiritu suo sancto, exaudit eos, regit et protegit eos in variis periculis, depellit ab eis diabolos, dat eis vitam aeternam. Haec assidua beneficia impertit verae Ecclesiae. Nec cogitemus ociosum Dominum, aut ociosam molem esse, sed vere sua potentia nos gestat, et vult haec beneficia agnosci, et fide peti, vult etiam sciri hos esse summos cultus Dei in Ecclesia, agnoscere haec beneficia, fide ea petere, celebrare, et gratias agere, sicut in hoc ipso Psalmo Dominus inquit: *De tribulatione invocavi Dominum*, et sunt insertae invocationes, O Domine salva etc.

Sciant iuniores hinc sumtum esse membrum הוֹשִׁיעָנָּה salva quaeso, nam et ipse Messias petit pro se et pro tota Ecclesia liberationem et salvationem, sicut de se inquit: Pater glorifica filium ea gloria, quam habuit apud te ante constitutionem mundi. Et postea: Pater serva eos in veritate tua.

Benedictus qui venit in nomine Domini, referatur ad promissionem: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Nam hic benedictus non tantum generaliter intelligatur de eo qui sit felix, qui adiuvetur a Deo, sicut Moyses, Iosue, Gedeon, fuerunt felices, sed nominatim de illo Domino propter quem promissa est benedictio generi humano, videlicet restitutio iusticiae et vitae aeternae, sublata maledictione, id est, peccato et morte et ira Dei, et in singulis particulis est emphasis *Benedictus*, id est, primus et immediate benedictus ab aeterno patre, et benedicens caeteris, *Qui venit in nomine Domini*, id est, peculiariter missus ad hanc ipsam redemtionem et salvationem generis humani. *Benediximus vobis de domo Domini*, iam Christus et omnes Pro-

phetae et Apostoli alloquuntur Ecclesiam: benediximus vobis, annunciavimus Evangelium, annunciavimus hunc benedictum venturum esse, narravimus eius beneficia ut domus Domini aedificaretur et cresceret, ideoque haec postrema clausula de Ecclesia addita est, ut sciamus Deum velle haec sua beneficia nota esse et celebrari in genere humano, ut colligatur aeterna Ecclesia, et hanc vere Ecclesiam esse in qua sonat haec benedictio, id est, vox Evangelii.

Hic tota doctrina de Ecclesia cogitanda est, et phrasis sic intelligatur: *Benediximus vobis de domo Domini*, id est, vobis qui estis domus Domini, id est, qui estis vera Dei Ecclesia. Significat igitur non esse Ecclesiam Dei ullas gentes aut congregationes, quae pugnant cum voce Evangelii, et quod usitate dicitur, Non est salus extra Ecclesiam, id in hoc versiculo expressum est: Benediximus vobis de domo Domini. Sunt et sequentia verba vox patrum, Prophetarum et Apostolorum narrantium quid doceant, et iubentium conservari ministerium, sonamus inquiunt hanc benedictionem, videlicet: *Deus est Dominus et illuminator noster.* Haec verba Psalmi fiunt illustriora collata antithesi, quasi dicat, gentium numina sunt commentitia, tantum hic יְהוָה, qui se patefecit in Ecclesia est verus Deus omnipotens, et est *illuminator noster*, id est, consolator liberans nos a peccato et a morte, restituens iusticia et vitam aeternam exaudiens et iuvans nos. Haec omnia comprehenduntur vocabulo illuminatoris.

Postea iubent hoc ministerium conservari: *Ornate festum frondibus usque ad cornua altaris*, id est, celebrate festum, conservate publicum ministerium et doctrinae puritatem. Ita praecipiunt reverenter adiuvari publicam ministerii Evangelii conservationem, non dissipari Ecclesiam, non fieri vastitatem, sed foveri vera doctrinae studia, communem Ecclesiae consociationem omnibus officiis. Pictura frondium contextarum et alligaturum ad altare, imago est docentium et auditorum, qui sint consociati voce doctrinae, invocatione, confessione, gratiarum actione: et alligati ad unum altare, id est, ad Mediatorem et unitatem Ecclesiae.

Reliqui versus sunt repetitio gratiarum actionis. Totus igitur Psalmus principaliter narratio est passionis et victoriae Messiae, et causarum propter quas passus est et vicit, et inserta sunt πάθη, gratiarum actiones, et precationes et commemorationes de Ecclesia et ministerio Evangelii.

Argumentum ac dispositio
Psalmi CXIX.

א Aleph.

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini etc.

Huius longi carminis eaedem sunt sententiae crebro repetitae, ut in hymnis fiebat. Quia repetitio significat magnitudinem affectuum: est autem hic Psalmus principaliter doctrina, quae sit et ubi sit vera Dei Ecclesia, videlicet, quae retinet puritatem doctrinae a Deo traditae, Hanc principalem et perpetuam sententiam huius Psalmi esse sciamus, ideoque vetustas voluit eum familiarissime notum esse hominibus, ut quotidie lectores commonefierent, de retinenda puritate doctrinae. Miscentur autem gratiarum actiones, quod Deus doctrinam patefecerit, et certae Ecclesiae tradiderit. Item, Confessio, qua affirmamus non hanc doctrinam amplecti. Item, Precatio, ut doceamur ac iuvemur contra hostes doctrinae. Item, Consolationes sumtae ab effectibus, quod hac voce Deus convertat et vivificet credentes. Haec membra dulcissime miscentur, ut ostendet ipsa lectio.

Primus versus doctrina est, quo recte intellecto aditus patefit ad totum Psalmum: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, id est, illi soli sunt membra verae Ecclesiae Dei, qui amplectuntur doctrinam Dei incorruptam fide et bona conscientia.

Hic primum monendi sunt iuniores haec verba in toto Psalmo sparsa. Immaculati, ambulantes in lege Domini, custodientes mandata Domini, iustificationes, testimonia, non intelligi νομικῶς de impletione legis, de qua dicitur in Deuteronomio: Maledictus qui non permanet in omnibus his, quae scripta sunt in lege: sed hoc loco et saepe alias loquitur vox divina evangelice de professione incorruptae doctrinae, quae tamen fit fide et bona conscientia, ut Ioan. 14.: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et veniemus ad eum et mansionem apud eum faciemus. Ut enim ibi servare sermonem, nequaquam intelligitur νομικῶς de integra impletione legis, sed de custodia incor-

ruptae doctrinae in fide et bona conscientia, ita intelligantur similia verba in hoc Psalmo, Ambulantes in lege tua. Item, Custodio mandata tua. Ac dictum illud Christi prorsus congruit cum hoc toto Psalmo, et huc accommodetur tanquam planissima enarratio. Ostendit enim quae et ubi sit Ecclesia Dei, et addit promissiones omnium summas expressius quam Psalmus. Nihil potest dici maius his bonis: Pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Pater remittit peccata, diliget nos, et reputabit iustos propter Filium Dei, et efficiemur domicilium divinitatis: Filius mediator placat nobis patrem, et est umbraculum. Ita Pater et Filius spirant in cor tuum Spiritum sanctum, et postea manifestius habitabit in nobis divinitas in omni aeternitate, erit omnia in omnibus, id est, aget immediate sua luce in nobis, et conspicietur, non aget per ministerium Evangelii sicut nunc agit.

Vocabulum pro quo interpretes usi sunt nomine immaculati, Hebraeis est תמים, quod significat integrum, ut cum de pecude dicimus, pecudem nec mutilam esse nec coecam, nec claudicantem, nec scabiosam, nec febri laborantem. Igitur vetustissimo more loquendi de homine, significat integrum sine corruptela, id est, sine falsa opinione, vel cultu idolatrico, ut Genes. 12. dicitur: Ambula coram me, et esto integer, id est, custos incorruptae doctrinae in fide et bona conscientia. Haec est planissima enarratio, et postea dicitur, Deut. 18.: Integer esto coram Domino Deo tuo, id est, sine falsa opinione et cultu idolatrico, ibi enim prohibet idola et magiam. In his locis conspici potest, quomodo vetustas hoc vocabulo usa sit. Postea eodem modo Psalmus loquitur. Significat ergo immaculati custodes incorruptae doctrinae in fide et bona conscientia, id est, tales qui sunt sine falsa opinione et cultu idolatrico, et vera fide et bona conscientia verum Deum invocant.

Secundus versus est repetitio prioris sententiae, *Qui scrutantur* testimonia eius, id est, qui non discedunt a verbo Dei, *et toto corde*, id est, integro corde, non distracto ad idola, quaerunt verbum Dei, hi sunt beati, id est, sunt membra verae Ecclesiae Dei, et ad eos pertinent promissiones.

Tertius versus est antithesis, *Non operantur iniquitatem ambulantes in viis eius*, id est, discedentes a verbo, fingentes sua dogmata et suos cultus, ut Mahomet, Papa, monachi operantur iniquitatem, id est, displicentia Deo, damnata, etiamsi in speciem ritus et mores sunt pulcri.

Quartus versus αἰτιολογία est et doctrina, Deus severissime prohibet discedere a verbo Dei, iuxta illa dicta: Hunc audite. Item: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Sequuntur precatio, et consolatio, gratiarum actio, et confessio, in qua affirmat se non discessurum esse a verbo Dei. Ita hic octonarius praecipue est doctrina docens, quae et ubi sit vera Ecclesia Dei, et hos esse vera Ecclesiae membra, qui sunt custodes verbi divini incorrupti in fide et bona conscientia. Postea miscentur πάθη.

ב Beth.

In quo mundum faciet adolescentior viam suam? etc.

Primus versus est recitatio mandati de custodienda puritate doctrinae: *Sic via erit munda*, id est, Deo placens, *si custodies verbum Dei incorruptum*, id est, si retinebis doctrinam incorruptam fide et bona conscientia. Ac prorsus eadem sententia est, quae est primi versiculi: Beati immaculati.

Secundus versus precatio est, Oro ne sinas me errare a mandatis tuis.

Tertius confessio est, In corde abscondi etc.

Quartus precatio, Doce me iustificationes tuas. Reliqui omnes sunt confessio, In labiis meis, etc.

ג Gimel.

Retribue servo tuo, et vivam et custodiam sermones tuos.

Primus versus est precatio, ut in calamitate et persecutione protegatur, ut possit propagare et sonare vocem verae doctrinae, *Retribue servo tuo*, id est, vicissim ex aerumnis me erigas et consoleris. Nam retribuere hic non significat reddere mercedem aut compensare meritum, sed significat vicissitudinem ex persecutione: Transfer me ad talem statum in quo possim alios docere, non sinas extingui et deleri Ecclesiam, ideo addit: *Iustifica me.* Sicut supra inquit: Non moriar sed vivam, et narrabo opera Domini.

Secundus et tertius versus sunt precatio, ut doceat nos Deus. Et querela inserta est: *Sum peregrinus*, non habeo regnum, defensionem,

potentiam, sicut vere videmus Ecclesiam sine humanis praesidiis esse, ideo tu sis protector.

Quartus confessio est: Diligo doctrinam tuam.

Quintus precatio contra adversarios: *Increpa superbos, maledicti qui declinant a mandatis tuis.* Expressa condemnatio est corrumpentium doctrinam, quos nominat superbos, quia sunt sine timore Dei, et fiducia suae sapientiae et potentiae religiones et dogmata constituere conantur. Ut Nabuchodonosor, pontifices, Mahomet, Samosatenus, Arrius, Pelagius et alii.

Sextus et septimus versus precatio contra persecutores: Non sinas obrui Ecclesiam. Nam et principes adversantur nobis.

Octavus versus confessio est: Testimonia tua sunt mea meditatio, et sunt mei consiliarii.

ד Daleth.

Adhaesit pulveri anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.

Pene singuli versus sunt precationes, ut iuvetur et ut doceatur, et expresse citat promissionem: *Vivifica me verbo tuo.* Agnoscit hanc consolationem fieri verbo, et acquiescit in promissione, sicut infra dicit: Sustinuit anima mea in verbo eius, speravit anima mea in Domino, id est, quaero Dominum in promissione, et acquiesco in Domino propter promissionem. Nec quaerenda est alia illuminatio extra verbum, ut Rom. 15. dicitur: Ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus, ut infra: Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Sequuntur querelae de aerumnis: *Iacet in pulvere anima mea*, Vivifica me verbo tuo. Est petitio: Doce me iustificationes tuas, etc.

Dormitabit, vel *Liquefacta est anima mea*, repetitio aerumnarum, noli me confundere, id est, non sinas me confundi, non sinas labores meos esse irritos.

ה He.

Legem pone mihi Domine viam statutorum tuorum, ut custodiam ea semper.

Singuli versus sunt precationes, ut doceatur, regatur, confirmetur, defendatur. Tenenda est autem nativa verborum interpretatio, ubi nos legimus: *Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum*, commodior interpretatio est: Doce me Domine viam statutorum tuorum, id est, doctrinam tuam, fac ut recte intelligam universam doctrinam fundamenti.

Averte oculos meos ne videant vanitatem, id est, rege mentem et cor meum, ne propter res vanas, opes, potentiam, gloriam, voluptates deficiam a verbo tuo.

Statue servo tuo eloquium tuum, id est, confirma servum tuum ut firmiter et constanter retineam eloquium tuum, et ut te vere timeam, et anteferam odiis et minis potentum, quasi dicat, ut te timeam, non mundum, sicut Dominus inquit: Ne timeatis eos qui possunt occidere corpus, sed timete Deum, qui potest animam et corpus perdere.

Amputa opprobrium, id est, aufer hoc probrum, quod deleto verbo et oppressa Ecclesia sequeretur, non sinito triumphare adversarios et eos cumulare blasphemias, sicut et alibi dicitur: Ne dicant, ubi est Deus eorum?

ו Vau.

Et veniat super me misericordia tua Domine, salutare tuum secundum eloquium tuum.

Primus versus est precatio, Veniat super me etc. quae intuetur promissionem misericordiae.

Secundus confessio est.

Tertius precatio: Et ne auferas etc.

Quartus confessio: Et custodiam Legem tuam, etc.

Quintus consolatio: *Ambulabo in latitudine*, id est, habebo consolationem, laetabor, quia tua doctrina me sustento, et tu me servas propter gloriam tuam. Caeteri sunt confessio: *Loquebar de testimoniis tuis.*

ז Zain.

Memor esto verbi servi tui, in quo mihi spem dedisti.

Memor esto verbi, etc. Primus versus precatio est, in qua intuens promissionem petit se iuvari et servari. Ac ut saepe alias, ostendit hoc exemplo, quomodo fieri invocationem oporteat, et deinde quomodo fiat consolatio. In precatione intueamur promissionem et hunc verum Deum, qui se traditis promissionibus patefecit, et constituit Mediatorem ac Propiciatorem. Deinde quanquam horribiliter nos indignitas nostra deterret, tamen fides anteferat promissionem divinam et Mediatorem, et eluctetur ex dubitatione, petat

et expectet auxilium. Hoc cum fit sequitur pax in corde, ut Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus. Item: Pax Dei regnet in cordibus vestris. Et hoc modo fieri consolationem hic inquit: Cum cor tuum fide et spe acquiescit in promissione et Mediatore, et statuis audiri tuos gemitus, te protegi a Deo, et expectas auxilium propter Mediatorem. Ita hic inquit: Sic fit consolatio, eloquium tuum vivificat me.

Est ergo secundus versus dulcissima doctrina, recitans quomodo fiat consolatio, et congruit haec sententia, cum illis notissimis dictis, quae deducunt nos ad verbum, id est, ad promissiones: Prope est verbum in ore tuo. Si credideris salutus eris. Item Rom. 15.: Ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. Non intelliguntur haec sine veris exercitiis invocationis, quaerunt Anabaptistae et Enthusiastae alias illuminationes et raptus extra verbum Dei, et non volunt acquiescere fide. Homines profani tantisper acquiescunt, donec ratio ostendit certa praesidia. Nos autem saepe in quotidianis gemitibus, et in his publicis et privatis miseriis repetamus hos versiculos: Memor esto verbi tui servo tuo. Recorderis promissionem tuam, in qua affirmas te Ecclesiam, et omnes invocantes te propter Filium servaturum esse, et iubes nos petere et expectare promissa. Hac consolatione sustentamus nos, credimus nobis tibi curae esse propter Mediatorem. Hac fide et spe erecti non fugiemus communes labores et pericula in docendo, in confessione et aliis necessariis laboribus.

Tertius versus est narratio persecutionis et confessio adversus tyrannos et hypocritas.

Quartus narratio est consolationis.

Quintus indignatio, zelo vel indignatione accendor adversus peccatores.

Sextus et septimus confessio.

Octavus etiam confessio est, et phrasis consideretur. Haec facta est mihi, id est, hoc meum est, quasi dicat, hoc meum praecipuum bonum est, hoc mihi praecipue curae vel cordi est, hae sunt meae summae deliciae, custodire mandata tua, id est, retinere doctrinam incorruptam fide et bona conscientia, iuxta illud: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, etc.

ח Heth.

Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam.

Primus versus est confessio et consolatio. *Portio mea Domine*, id est, haec est mea haereditas, hoc meum praecipuum bonum, quo me sustento, conservatio doctrinae incorruptae, sicut supra dixit.

Secundus versus precatio est.

Tertius, quartus, quintus, sextus, sunt confessiones, et interspersa est mentio persecutionis.

Septimus versus est confessio nominatim de Ecclesia. Affirmat se esse membrum Ecclesiae: *Socius sum omnium timentium te, et custodientium doctrinam tuam*, id est, sum coniunctus cum vera Ecclesia, vel sum civis et membrum verae Ecclesiae, cum illa te invoco, cum illa expectabo bona Ecclesiae promissa, id est, praesens Ecclesiae auxilium et praesentem Ecclesiae conservationem. Necesse est enim singulos et quaerere veram Ecclesiam, et se ei adiungere fide, professione, invocatione et voluntatis coniunctione, sicut Psalmus 26. dicitur: Unum petii a Domino, hoc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitae. Item, Psalmo 83.: Beati qui habitant in domo tua Domine. Et Psalmo 92.: Plantati in domo Domini, in atris Dei nostri florebunt.

Octavus versus est precatio.

ט Teth.

Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine, secundum verbum tuum.

Duo priores versus sunt precationes: ***Benefac** cum servo tuo secundum verbum tuum*, ubi vides precantem intueri promissionem: *Doce me, quia mandatis tuis credo.* Petit initia fidei confirmari et illustrari, ut alibi: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

Tertius versus est doctrina de utilitate crucis: Antequam humiliarer eram ignarus, aberrabam, desipiebam, nunc tua dicta magis intelligo, et magis amo.

Eadem sententia in versu septimo dulcissime repetita est: *Bonum mihi quod humiliatus sum, ut discam statuta tua.* Hic mente repetenda est integra doctrina de cruce et de causis calamitatum, et hoc testimonium ad causam finalem refe-

ratur, quod affligimur non ut pereamus, sed ut retrahamur ad poenitentiam, iuxta illud: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Cumque sciamus quare velit Deus Ecclesiam subiectam esse cruci, obediamus ei patienter in his miseriis, et petamus mitigationem, et expectemus liberationem. Huc pertinent dicta Ieremiae: Eram indomitus sicut iuvenculus, castigasti me, et egi poenitentiam.

י Ioth.

Manus tuae fecerunt me, et psalmaverunt me, da mihi intellectum ut discam mandata tua.

Primus versus precatio est, cui praeposuit causam: *Manus tuae formaverunt me*, sicut apud Esaiam: Non sumus lutum tuum, quasi dicat, cum simus tua creatura, et tu non condideris nos ad exitium, obsecro te respicias et erigas nos.

Secundus versus, alia causa quare petat auxilium, videlicet ut alii quoque confirmentur, cum vident adesse Deum Ecclesiae suae.

Tertius versus confessio est: Adfirmo tuam doctrinam veram et non commentitiam esse, et quanquam afflixisti me, tamen non afflixisti ut perderes, sed fideli animo et clementer castigasti me, et mitigasti poenam, iuxta illud: Domine in iudicio corripe me, non in furore, ne ad nihilum redigas me.

Quartus et quintus versus rursus petunt mitigationem.

Sextus precatio contra persecutores.

Septimus est precatio pro Ecclesia: Convertantur ad me.

Octavus precatio, ut in ipsa conservetur doctrinae puritas.

כ Caph.

Concupivit salutem tuam anima mea, et in verbum tuum speravi.

Duo priores versus sunt precationes: *Anima mea desiderio auxilii tui pene expirat*, id est, valde oro ut me iuves.

Tertius versus querela de persecutione, sed Latina lectio mendosa est: *Sicut uter in pruina*, legendum est: *Quia factus sum sicut uter in fumo*, id est, arefactus sum sicut pellis, seu uter suspensus in fumo. Nec similitudo obscura est, nec res ignota, experimur enim nos assiduis doloribus arefieri et consumi.

Quartus versus precatio defensionis, ut defendatur contra persecutores.

Quintus versus: *Foderunt mihi superbi foveas*, id est, struunt insidias et sophismata, sicut nunc sophisticis argumentis et consiliis falsa dogmata et idola defenduntur.

Sextus versus antithesis est: Tua doctrina est veritas, non est sophistica, non commentitia. Caetera membra sunt querelae de precatione et de persecutione.

ל Lamed.

In aeternum Domine, verbum tuum permanet in coelo.

Tres primi versus sunt consolatio et asseveratio de perpetuitate verbi Dei et Ecclesiae. Qualis illa est asseveratio: Portae inferorum non praevalebunt adversus eam. Omnibus enim necessaria est haec communis consolatio, ut sciamus vere colligi aeternam Ecclesiam, et Evangelium non esse inanem sonitum, nec frustra nos credere, sed vere habituros esse aeterna bona, et Deum conservaturum esse Ecclesiam, etiamsi imperia mundi variis modis turbantur et ruunt. Non igitur deficiamus a Deo, quia scimus nostram fidem et spem non esse irritam.

Quartus versus applicatio est consolationis: Sustento me his tuis dictis et promissionibus, alioqui interirem, sed erigo me non deficio, quia scio et doctrinam tuam et Ecclesiam te conservaturum esse, et promissiones nobis ratas et firmas esse.

Quintus versus est confessio.

Sextus precatio: Tuus sum, salvum me fac.

Septimus querela de persecutione.

Octavus versus repetitio est consolationis et asseverationis: Caetera praetereunt, sed tua dicta manent etc.

מ Mem.

Quomodo dilexi legem tuam, tota die meditatio mea est.

Omnes versus sunt confessio, et quod inserit collationem quae videtur parum modesta, pertinet etiam ad confessionem: cum enim adversarii antecellant autoritate, sapientia, specie iusticiae, valde difficile est a talibus viris dissentire, et talium praestantium autoritate, sapientia et

iudiciis non moveri, et tamen necesse est etiam adversus tales retinere confessionem veritatis, in hanc sententiam hic dicitur: Super omnes inimicos meos prudentem me fecisti.

נ Nun.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.

Primus versus et doctrina et confessio est, quod oporteat regi nos verbo Dei, non commentitiis opinionibus pugnantibus cum verbo Dei, ut alibi saepe dicitur: Ad legem et ad testimonium. Item Num. 15.: In lege mea ambulate.

Secundus versus confessio cum iuramento: Iuro et conservabo veritatem, custodiam iudicia et iusticiam tuam, id est, doctrinam.

Tertius est querela et precatio.

Quartus precatio: *Voluntaria oris mei bene placeant tibi Domine*, id est, oblationes oris mei, invocatio, confessio, propagatio et studia doctrinae placeant tibi. Hos cultus offert Deo, et significat veros cultus esse, non mactationes pecudum, ut Oseae 14. dicitur: Omnem aufer iniquitatem et redde bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum.

Quintus versus querela est de persecutione: *Anima mea in manibus meis semper*, id est, vita in assiduis periculis est, ut Iudicum 12. et alibi. Caeteri versus sunt confessio.

ס Samech.

Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi.

Primus versus confessio est pathetica adiiciens mentionem zeli: *Iniquos odio habui*, potes legere, praestigiatores, vel calumniatores vel sophistas, impostores.

Secundus est precatio.

Tertius vox condemnans adversarios.

Quartus et quintus precatio est.

Sextus vox condemnans adversarios: Conculcas omnes etc.

Septimus: *Velut scoream deles omnes impios de terra*, etiam vox est condemnans adversarios.

Octavus est confessio, quod non contemnat iudicium Dei, sicut adversarii contemnunt: *Consternata est caro mea prae timore tui.*

ע Ain.

Feci iudicium et iusticiam, non permittas me calumniantibus me.

Primus versus precatio et confessio est: *Facio vel feci iudicium et iusticiam*, affirmat causam esse iustam, non loquitur de iusticia personae, et universaliter verum est, primum oportere statuere personam iustam esse, propter Mediatorem fide gratis, per misericordiam, iuxta illud: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens, sed iustificati fide pacem habemus, quae dicta loquuntur de iusticia personae. Simul autem oportet esse iusticiam bonae conscientiae in nobis, id est, bonum propositum. Ad id pertinet hoc quoque nequaquam velle defendere falsas opiniones.

Ac phrasis consideretur: *Facio iudicium*, id est, damno et fugio iniusta, *Facio iusticiam*, id est approbo et volo iusta, id est, a Deo praecepta, ita et de iusticia causae loquitur, Facio iudicium et iusticiam, sicut et Paulus dicit: Haec est gloriatio nostra, approbatio conscientiae nostrae. Item: Si quis gloriatur, in Domino glorietur. Item: Probet unusquisque opus suum. Caeteri versus sunt precationes. In sexto versu est *πάθος* de mora, quasi dicat, quaeso ne diutius differas auxilium, nisi statim feres opem, deletur tota Ecclesia.

פ Pe.

Mirabilia testimonia tua, ideo servavit ea anima mea.

Primus versus oppositus est humanae sapientiae, et est laudatio doctrinae Dei, id est, asseveratio, quod sit vera et efficax, etiamsi spreta est humanis iudiciis, *Mirabilia sunt testimonia tua*, id est, sunt arcana, tua doctrina est arcana, et tamen vera et efficax mirabiliter praeter opinionem rationis. Humana sapientia habet suas metas, non iudicat post mortem restare aliam vitam, sed verbum *Dei* affirmat restare aliam vitam, et fide accipiens verbum et Deo credens, sentit consolationem et vitam, et agnoscit verbum Dei verum et efficax esse, sic humana sapientia in Saul existimat, a rege facile unum exulem opprimi posse, sed David credens verbo Dei, scit se posse servari. Sic totius Ecclesiae exemplum intueamur: humana sapientia in regibus existimat se facile delere posse Ecclesiam, sed Ecclesia scit

verbo Dei decretum esse ne deleatur, ac fide perfert aerumnas et experitur protectionem. Ita doctrina et arcana est et mirifica, id est, vera et efficax. Huc accomodentur dicta, 1. Cor. 2.: Docemus sapientiam non principum mundi, sed stulticiam crucis. Addit igitur laudatationi consequens, ergo eam amplectamur.

Sequens versus est interpretatio priorum: *Tua doctrina est arcana, sed tamen intelligitur, dat intellectum parvulis*, intelligitur a credentibus, iuxta illud: Spiritus sanctus ducet vos in omnem veritatem. Item unctio docet vos. Et petendum, ut Deus augeat lucem in cordibus nostris, sicut inquit: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Et crebro repetita est haec precatio in hoc toto Psalmo.

Tertius versus est descriptio desiderii.

Quartus et quintus precationes. Observa et formam sermonis: *Non dominetur in me omnis iniquitas*, significat esse in Sanctis magnas infirmitates, sed hic orat ne dominentur, ne Spiritus sanctus et fides excutiantur, et sumta est phrasis ex Genesi: Sub te sit appetitio, et tu domineris ei. Et imitatus est Paulus hanc formam Rom. 6.: Non regnet in vobis peccatum, ubi nota sunt illa quae dicimus de peccato regnante et non regnante.

Sextus versus petitio contra adversarios: Redime me, etc.

Septimus petitio ut doceatur et consolationem experiatur.

Octavus πάθος et indignatio contra adversarios etc.

צ Sade.

Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum.

Primus versus etiam est laudatio doctrinae opposita iudiciis humanae sapientiae. Reliqui sunt autem querelae de adversariis, aut petitiones.

Quartus versus: *Ignitum eloquium tuum*, id est, probatum est verbum tuum, ut aurum igni probatur, id est, inter tentationes comperi efficaciam tuae doctrinae, scio veram non fucatam, scio efficacem esse.

Eadem est et sequentium versuum sententia, interserto desiderio vocis divinae etiam inter opprobria et contemtum multiplicem.

ק Kuph.

Clamavi ex toto corde, exaudi me Domine, statuta tua custodiam.

Primi quinque versus sunt petitio et significatio animi ardentis desiderio discendi verbi. Et diligenter et repetitiones et igeminationes precum observandae sunt, propter Stenckfeldii et Enthusiastarum furores, aspernantium vocem doctrinae auditam, lectam seu cogitatam. Si enim nulla esset eius vocis efficacia, frustra testaretur David, se dies noctesque lectione et cogitatione doctrinae consumere.

ר Res.

Vide humilitatem meam et eripe me, quia legem tuam non sum oblitus, etc.

ש Schin.

Principes persecuti sunt me sine causa, et a verbis tuis formidavit cor meum, etc.

ת Thau.

Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine, etc.

Sunt et reliqui octonarii omnes praecipue precationes, ut iuvetur, doceatur, liberetur Ecclesia. Et admixtae sunt querelae, ut in precationibus usitatum est, simul exponere calamitatem, propter quam auxilium petitur.

Argumentum ac dispositio
Psalmi CXIX.

Valde dulces sunt Psalmi, quorum titulus est Cantica graduum, sunt autem alia aliorum argumenta: alii sunt precationes, alii consolationes, alii doctrinae, ut ordine dicemus.

Etsi autem de titulo disputant, quare nominentur Cantica graduum, tamen nos contenti simus hac simplici responsione. A loco sumtum esse titulum, quia stantes in loco eminentiori sacerdotes, ante templum inde exaudiri poterant, cum praecinebant hos breves et dulcissimos Psalmos populo.

Graduum I.

Ad Dominum in tribulatione clamo, et exaudit me.

Precatio est adversus calumniatores, ac praecipue tales qui veram doctrinam astute depravant,

aut doctores calumniis opprimunt, sicut nunc multi excogitant praestigias et sophismata, ut fucosa specie stabiliant idola, et sophismata quaedam adeo speciosa sunt, ut difficilis sit refutatio. Necesse est igitur a Deo petere, ut tales praestigiatores reprimat, nec sinat deleri veritatem. Dicitur et in genere de calumniis, Non est remedium adversus sycophantae morsum, ideo petendum est auxilium Dei.

Primus versus est vox fidei, quam in omni invocatione praelucere oportet, credat invocans suos gemitus et clamores non esse irritos, sed vere se Deo curae esse, et exaudiri propter Mediatorem, et comprehendit Propheta universam doctrinam, cum nominat Deum יְהוָה, significat enim se invocare Deum patefactum in promissionibus, qui in vera Ecclesia agnoscitur et invocatur, et discernit cultum verae Ecclesiae ab omnibus aliis cultibus.

Secundus versus est expressa precatio, quae est propositio huius Psalmi, ubi precatur contra calumniatores.

Tertius amplificatio est, quae ut sit ardentior continet interrogationem et responsionem. *Quid dabit lingua sycophantica?* id est, Quid agit, quomodo nocet calumniator? Sequitur responsio in versu quarto: *Nocet ut sagittae venenatae, et sunt incendium iuniperorum*, id est, cito late grassatur fabula calumniatoris, ut iuniperi propter ligni pinguedinem celerrime incenduntur. Utitur autem duabus similitudinibus propter duplex damnum, nocent calumniae et corruptelae doctrinae, quia singulos interficiunt sicut sagittae. Deinde sunt causae dissidiorum, bellorum et vastitatis, sicut incendium iuniperorum late grassatur.

Quintus versus est πάθος a loco, videlicet usitata querela Ecclesiae, quod versetur inter acerbissimos inimicos, ut Daniel sedet inter leones. Item, quod deserta sit, sine praesidiis, sine amicis, ut David inquit: Pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. *Sum exul*, inquit, *in Mesech et in Cedar.* Nominat gentes truces, sine religione et disciplina viventes. Cedar enim haud dubie nominat Arabes a filio Ismaëlis, Gene. 15. Sunt autem Arabes dediti latrociniis. Mesech filius fuit Iaphet, Gene. 10. Filii autem Iaphet occuparunt loca minoris Asiae, et vicinum tractum in Europa et Septentrione, ut a Gomer sunt Cimmerii, a Tyras Thraces, a Riphat Riphaei, ab Ascanes Tuiscones, a Magog Scythae, a Mesech Mossinoeci, quorum fit mentio in Argonautica historia, vicini Colchis, Et fortassis inde gens et appellatio est Moschorum, nam et Stephanus inquit: *Μόσχοι ἔθνος κολχικόν.*

Mesech, id est, extendens, videlicet arcum. *Cedar* niger. *Iaphet* dilatatio. *Gomer* manipulus. *Thyras* populator. *Riphaei* gigantes. *Ascanes* custos ignis, inde dicuntur Tuiscones. *Ion* deceptor. *Gog* tectum. *Magog* ortus a Gog. *Cithim* percussores. *Macetis*, Macedo ortus a Cittim.

Sextus versus querela est sine figura recitata, quod inter inimicos ardentes odiis habitet.

Septimus versus causam odii ostendit: *Ego*, inquit, *pacem volo*, affero vocem divinam et salutarem, cui cedere debebant, sed isti non desinunt furenter adversari.

Argumentum ac dispositio
Psalmi CXXI.

Graduum II.

Levabo oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi.

Prior Psalmus erat precatio nominatim petens, reprimi corruptelas doctrinae et calumnias, sequens Psalmus est precatio pro universali protectione, et sunt additae dulcissimae promissiones, quae adfirmant invocantes Deum, certissime ei curae esse, protegi a Deo, et ab eo regi, iuxta illa dicta: Iacta curam tuam in Deum, et ipse te enutriet. Item: Ego ero murus igneus in circuitu eorum. Item: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt.

Sermo perspicuus est, praesertim recitanti in vera invocatione, in qua fidem lucere oportet, et acquiescere in his promissionibus, sed phrasis consideretur: *Levabo oculos meos ad montes*, id est, hos montes Ierosolymae, Zion et Moriah, ad hos nominatim restringitur precatio, ut significet Propheta se hunc Deum invocare, qui se ibi patefecit, qui hunc cultum vere instituit, tradidit vocem suam et vere est Deus, ac discernat suam invocationem ab omnium aliarum gentium numinibus et cultibus. Sic et nos in invocando cogitemus, quid alloquamur, ubi et quomodo se Deus patefecerit, et hunc verum Deum compelle-

mus, qui se patefecit misso Filio, et nitatur precatio Mediatore et intercessore Filio. Idem discrimen mox significatur, quia toties repetit nomen Dei יהוה, quo discernebatur verus Deus patefactus in Israël, a commentitiis numinibus et cultibus aliarum gentium.

Dominus umbra supra dextram tuam, id est, super omnia negocia tua, omnia erunt salutaria ipso regente et fortunante.

Argumentum ac dispositio
Psalmi CXXII.
Graduum II.

Laetatus sum cum dictum est mihi, in domum Domini ibimus.

Tertius Psalmus gratiarum actio est de constituta Ecclesia, et repetitio promissionis conservandae Ecclesiae, postea et precatio additur pro Ecclesia. Ut autem hic totus Psalmus intelligatur, Dolores et solicitudinem piorum intueamur, qui cum vident rerum humanarum confusiones, regnorum interitus, gentium dissipationes, furores opinionum, bella, vastationes, vident item in maxima parte generis humani extingui noticiam veri Dei, valde excruciantur, et orant servari Ecclesiam. Hi rursus eriguntur promissione conservandae Ecclesiae. Hac erecti consolatione laetantur, agunt Deo gratias, et addunt vota et gemitus. Ita in hoc Psalmo repetita promissione describuntur seu recitantur laeticia, gratiarum actio et precatio. Est autem repetita promissio ut alibi saepe, ut Ecclesia omnium temporum hanc consolationem teneat: Ecce ego maneo vobiscum usque ad consummationem seculi. Item: Portae inferorum non praevalebunt adversus eam. Item, quotidie recitas in symbolo: Credo Ecclesiam catholicam.

Primus versus propositio est, Laetor et ago gratias Deo pro hoc tanto munere, quod promissio de conservatione Ecclesiae edita est. *In domum domini ibimus, stant pedes nostri in portis tuis Ierusalem.* Adfirmat in Ierusalem templum Dei, et verum ministerium futurum et mansurum esse omnibus temporibus, donec veniet Siloh. Iam cogita quam dulcis consolatio sit piae menti scire, certo mansuram esse veram doctrinam, agnitionem et invocationem Dei, et collectionem Ecclesiae ad vitam aeternam, et quidem ut tunc sonabat promissio, loco certo.

Portae significant curiam et gubernationem, et emphasis est in verbo standi, quae significat assiduitatem et firmitatem, quasi dicat, gubernatio est assidua, vigilans, intenta, et erit perpetua. Reliqui versus omnes sunt narratio, propositionem exponens recitatione earum rerum, quae sunt in hac gubernatione.

Tertius versus loquitur de incremento et concordia omnium ordinum, et copulatio concinna est, quia praecipue crescunt illi coetus, in quibus est de rebus bonis consensus et concordia. Intelligas autem primum concordiam docentium, postea et aliorum ordinum, ducum, magistratuum, militum, populi, et hi omnes copulati sunt ad unum caput, videlicet ad verum Deum in agnitione Messiae, et in promissionibus patefactum, sicut precatur Dominus: Fac ut unum sint in nobis.

Quartus versus expresse loquitur de praecipuo opere in templo, scilicet de ministerio doctrinae et cultu, et adfirmat totam hanc Ecclesiam alligatam esse ad ministerium illius loci in Ierusalem, ubi docebant Prophetae. *Omnes tribus Israël ascendunt ad hunc unum locum, ut ibi testificatio fiat*, id est, commemoratio doctrinae fiat, et Deus recte agnoscatur et celebretur illa doctrina, quam ipse tradidit, et cui tribuit illustria testimonia.

Quintus versus affirmat huic loco promissos esse doctores, et regnum, sicut in priore de auditoribus locutus est. *Sedent sedes*, id est, manent sedes. *In iudicio*, id est, in omnibus officiis gubernationis. *Sedes domus David*, id est, Davidi facta est promissio, ibi et templum et regnum mansurum esse donec veniet Siloh. Etsi enim saepe in templo magna multitudo fuit hypocritarum, tamen Deus semen sanctum conservavit, ut Ieremiam, Danielem, Zachariam, Simeonem et similes, conservavit et politiam, etiamsi ad extremum oppressa fuit servitute.

Sextus versus praeceptum est, ut fiat precatio pro Ecclesia, et addita est promissio, Deum benefacturum esse his qui diligunt, fovent, tuentur Ecclesiam, sicut inquit Dominus: Qui dederit potum aquae frigidae uni ex minimis meorum propter doctrinam, habebit mercedem. Et ad Abraham dicit: Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi. Item: Primum

quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Et de persecutoribus Psalm 108.: Induit maledictionem sicut vestimentum.

Septimus versus et sequens continet verba precationis: *Sit pax intra muros tuos.* Diserte autem additur: *Propter fratres, et propter domum Domini Dei nostri.* Quia praecipui fines omnium actionum esse debent hi, celebratio Dei, et Ecclesiae conservatio, iuxta haec dicta: Luceat lux vestra, ut glorificetur pater vester coelestis. Item 1. Cor. 10.: Omnia ad gloriam Dei facite, et non sitis scandalo Ecclesiae. Item: Primum quaerite regnum Dei.

Saepe autem totum hunc Psalmum recitemus, ut his verbis et gratias agamus de conservatione Ecclesiae, et petamus ut conservetur. Meminerimus etiam in hoc ipso Psalmo vobiscum precari Filium Dei, qui inquit: Propter fratres meos et propter proximos meos loquar bona tibi. Et intueamur ipsius verba dicta in agone: Pater serva eos in nomine tuo, id est, in agnitione tui, in vera doctrina et invocatione, ut sint unum in nobis. Ad huius summi sacerdotis vocem adiungamus et nostros gemitus et precationes, et sciamus nequaquam irritos esse propterea, quia per hunc summum sacerdotem ad aeternum patrem perferuntur.

Psalmus CXXII.

Carmine redditus.

Summe Deus nobis patefacte in rupe Sinai,
  Nostra tibi grates pectora et ora sonant.
Quod sancis Solymis ut templi immota sit omni
  Tempore dehinc sedes, quod tua dicta sonet.
Curia stat nobis sapiente ornata senatu,
  Consilio patriam voce tuaque regens.
Pectora cunctorum dulcis concordia iungit,
  Et studio aedificant moenia nostra pari.
Isaciasque tribus cunctas huc ire necesse est,
  Cedenda est alio victima nullo loco.
Hic vox doctrinae spargatur ut unica purae,
  Quam nobis coelo tradidit ipse Deus.
Ipsius ut bonitas in toto luceat orbe,
  Notaque sint gnati Numina magna sui.
Restituit nobis vitam qui labe remota,
  Iustifica salvos et facit esse fide.
Hic fons doctrinae sit limpidus, inde fluentis,
  Non ficto Deus ut possit honore coli.
Posteritas in qua Davidis regna tenebit,
  Hic semper sedes non peritura manet.
Diligite hanc Solymen, et grato reddite corde
  Debita huic omnes, munera, vota, preces.
Qui fovet officiis hanc iustis atque tuetur,
  Protegit hunc semper dextera magna Dei.
Sit tibi pax et vera salus Ecclesia semper,
  Quae discis studio dogmata sancta pio.
Fausta meos propter fratres, propterque propinquos
  Opto tibi, et templi ne labefiat opus.

Argumentum ac dispositio Psalmi CXXIII.

Graduum IV.

Ad te laevo oculos meos qui habitas in coelis.

Precatio est Ecclesiae petentis defensionem et liberationem, non solum adversus saevitiam, quae in corpora exercetur, sed etiam adversus speciosissima iudicia mundi, quibus praegravatur Ecclesia, vel quod stulte moveat certamina non necessaria, aut etiam perniciosa, vel quod falsas opiniones defendat, et contumelia Deum adficiat. His iudiciis sapientum, et eorum qui habent speciem sanctitatis, condemnari multo tristius est, quam ulla supplicia corporum pati. De hoc dolore queritur, nos repletos esse despectione, esse in odio sapientum propter stulticiam et errores, ut ipsi iudicant: miscet autem similitudinem precationi, ut in fame servi et ancillae expectant a manu domini et dominae cibum, ita nos tristissimo tempore petamus et expectemus defensionem a Deo. Est autem mediocris domini et mediocris dominae ea bonitas, ut nolint suos fame perire, ita Deus sine ulla dubitatione ostendet testimonia contra haec iniqua iudicia, ne veritas penitus deleatur.

Argumentum ac dispositio Psalmi CXXIV.

Graduum V.

Nisi Dominus fuisset nobiscum, dicat nunc Israël.

Gratiarum actio est, quae recitatur ut fieri solet exempli causa, ut testimonium promissionis, qua Deus promittit se servaturum esse Ecclesiam, et confirmamur exemplis aliarum liberatio-

num, quae Deus vult nota esse, ut in nobis quoque accendantur fides et spes, petitio et expectatio liberationis, ne fracti desperatione deficiamus a Deo, et abiiciamus confessionem veritatis.

Dictum est autem saepe, gratitudinem continere duas virtutes, veritatem et iusticiam, ita hic extat confessio, quae est propria veritatis, adfirmans non humanis consiliis et praesidiis Ecclesiam colligi, servari, defendi, liberari, sed divinitus, sicut saepe dictum est in Osea: Salvabo vos non in arcu, non in gladio, sed in Domino Deo vestro. Item in Zacharia: Non in exercitu, non in robore, sed in Spiritu meo, dicit Dominus. Hanc fidem accendi Deus vult in Ecclesia, et hac fide peti et expectari auxilium. Item monet hic Psalmus, ut Davidis exilium fuit malum inextricabile humano consilio, sed retinet fidem, et petit et expectat a Deo liberationem, ita postea praedicat se divinitus restitutum esse, et in hoc Psalmo in fine haec regula generalis traditur: *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, id est, in agnitione et invocatione Domini, etc.

Argumentum ac dispositio Psalmi CXXV.

Graduum VI.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Zion non commovebuntur, etc.

Promissio est saepe repetita, Ecclesiam esse liberandam ex praesentibus aerumnis, nec deleri eam posse furoribus impiorum, etiamsi magnae erunt persecutiones, ut in prima concione dictum est: Ponam inimicicias inter serpentem et semen mulieris, et semen mulieris conculcabit caput serpentis. Et Psal. 33.: Multae sunt tribulationes iustorum, sed ex his omnibus liberabit eos Dominus. Et Psalm. 44.: Iacta curam tuam in Deum, et ipse te sustentabit, nec dabit in aeternum fluctuationem iusto. Ita hic confidentibus in Dominum promittitur liberatio.

Primus versus propositio est, illustrata similitudine sumta a firmitate montis.

Secundus versus repetitio est propositionis: *Dominus protegit populum suum*, sicut alibi dicitur: Ego ero murus igneus in circuitu eorum. Et rursus est addita imago, sicut Ierusalem est circumdata montibus.

Tertius αἰτιολογία est. Parcit Deus infirmitati nostrae, nec sinit tyrannos perpetuo grassari, ne prorsus deleatur Ecclesia, ne propagatio doctrinae et pia institutio prorsus deleatur. Ideo dicit: *Virga*, id est, *sceptrum impiorum*, ***non** permanebit super sorte iustorum*, id est, tyranni non perpetuo dominabuntur.

Ne extendant iusti ad iniquitatem manus suas, id est, Ne languefacti etiam Sancti deficiant, impedita propagatione doctrinae, ut si Antiochus diutius grassatus esset, multo plures defecissent, multo pluribus locis fuisset deletum et impeditum ministerium, sicut nunc fit in Turcia et aliis regnis, ubi impeditur ministerium doctrinae.

Quartus precatio est.

Quintus comminatio est.

Argumentum ac dispositio Psalmi CXXVI.

Graduum VII.

Cum convertet Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut somniantes.

Est et hic Psalmus communis consolatio. Est enim narratio adflictionum Ecclesiae, et praedictio liberationum, quae tanquam promissio intelligatur, q. d. Fuerunt, sunt et erunt persecutiones Ecclesiae, sed Deus eam liberat ita mirandis modis, ut liberati *simus velut somniantes*, id est, stupentes, attoniti, mirantes nos supra et extra consilia humana servatos esse.

Secundus et tertius versus sunt amplificationes liberationis et gaudii.

Quartus precatio est: Converte captivitatem nostram, sicut torrentem desiccas in locis Arabiae, id est, prorsus aufer has aerumnas.

Quintus et sextus sunt dulcissimae promissiones, similitudine sumta a laboribus agricolarum. Deinde a laeticia convectis frugibus: ad hanc imaginem confert labores docentium, discentium et confitentium in Ecclesia. Et congruit haec consolatio cum dicto Pauli: Non erit labor vester inanis in Domino. Hac spe sustineamus labores et aerumnas in docendo, in discendo, et in confessione Evangelii, et expectemus auxilium et protectionem a Filio Dei.

Argumentum ac dispositio
Psalmi CXXVII.
Graduum VIII.

Nisi Dominus aedificaverit domum, frustra laborant qui aedificant eam. etc.

Generalis concio est opposita coecis hominum iudiciis, quae fingunt sine Deo humana sapientia, diligentia et apparatibus posse res salutares agi in Imperiis, in Ecclesia, in Oeconomiis.

Hunc errorem saepe taxat vox divina, sicut Ioannes inquit: Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi datum sit ei a Deo. Et Dominus inquit: Sine me nihil potestis facere. Et sapientia Dei apud Salomonem inquit: Penes me est consilium et successus. Sic igitur sunt felicia consilia et labores, cum Deus nos adiuvat. Adiuvat autem laborantes iuxta vocationem, et invocantes ipsum, iuxta dictum Psalmi: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet.

Hanc sapientiam discamus ex hoc Psalmo: primum propter gloriam Dei.

Deinde ut sciamus, quomodo regendae sint actiones nostrae, videlicet, coërceamus nos intra metas vocationis, et in ea serviamus, et simul petamus auxilium a Deo, et oremus nos fieri vasa misericordiae et organa salutaria nobis et aliis. Intueamur etiam collationem, Agamus Deo gratias, quod vocati sumus ad labores Deo placentes, et ad agnitionem ipsius, nec frangamus nos inutilibus contentionibus, sicut Pericles, Demosthenes et alii innumerabiles. Et saepe repetamus haec dicta: Scio Domine, non est hominis via eius, id est, non sola hominum diligentia sine auxilio Dei potest agere salutaria. Item: Sine me nihil potestis facere. Et consolationes: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Item: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet.

Primus versus propositio est: Sine auxilio *Dei* sunt irriti conatus humani.

Secundus versus explicatio est, hypotyposi describens solicitudinem et angustias animi sine Deo magna conantis. Labores irriti sunt sine Deo mane surgere, sero cubitum ire, et in magna solicitudine panem edere.

Tertius versus antithesis et affirmativa sententia est: Deo iuvante sumus organa salutaria. *Deus dat dilectis suis somnum*, id est, quos adiuvat Deus, his dat secundos eventus, et hi non contabescunt solicitudine, ut David, Cyrus, Alexander, Scipio, inter summos et difficilimos labores tamen quiescere possunt, et repetit affirmativam propositionem: *Filii sunt haereditas Dei*, id est, felix soboles, felices scholastici, felices magistratus sunt donum Dei. *Fructus ventris est merces*, id est, felix soboles est quiddam datum a Deo.

Quartus versus similitudo est: *Sicut sagittae valida manu contortae feriunt metam, nec impediuntur*, sic hos iuvenes felices nulli conatus hostium, nulla impedimenta reprimunt vel evertunt, ut Alexander volitat per Asiam, et nullae urbes, nulli exercitus eum reprimere possunt.

Quintus versus epiphonema: Beata est civitas, cui tales gubernatores dat Deus, ergo agnoscamus sine auxilio Dei nullam gubernationem felicem esse. Hactenus doctrina recitata est, iam consideret lector quomodo ad usum transferenda sit, et qui effectus sequi debeant, videlicet, Timor Dei, ne moveamus aliquid contra mandata Dei, vel extra vocationem, quia talibus consiliis adversatur Deus. Deinde fides et invocatio, ac petitio auxilii, in iis negociis, quae mandato Dei et iuxta vocationem suscipiuntur. De quibus tenenda est regula saepe repetita: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet.

Argumentum ac dispositio
Psalmi CXXVIII.
Graduum IX.

Beatus omnis qui timet Dominum, et qui in viis eius ambulat.

Psalmus est oeconomicus docens, qualis oeconomia Deo placeat, et sit felix, videlicet, in qua servatur haec vitae regula, Milita bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam. Primum luceat in patrefamilias fides, et sit in eo timor Dei, id est, obedientia secundum omnia praecepta, et serviat in sua vocatione. Tali familiae promissiones hoc loco proponuntur, labores erunt felices, coniugium tranquillum et foecundum, et tali familiae, et posteritati eius servabitur publica Ecclesia et patria.

Iam cogita quanta magnitudo et amplitudo sit horum bonorum, de quibus hic dicitur, videlicet, conservatio privati et publici status, et Ecclesiae, in qua incoatur vita aeterna. Haec

summa bona discamus intelligere et a Deo petere.

Est ergo Psalmus et doctrina, et consolatio, docet qualis esse familia debeat, et addit promissiones, ut consoletur nos in tanta mole periculorum privatorum et publicorum. Magnum onus est per sese educatio sobolis, et in publicis miseriis, bellis et vastationibus multo plus mali accedit: Patres interficiuntur, matres et filii abducuntur in exilium. De talibus periculis consolationes hic proponuntur, erit curae Deo, ut piis familiis diu servet patriam et Ecclesiam: et quanquam ruent regna, tamen hae protegentur, sicut multae familiae in exilio Babylonico conservatae sunt. Has promissiones cum intuetur fides impetratur aerumnarum mitigatio, et leniuntur dolores.

Primus versus doctrina est, quales oporteat esse coniuges, *Timeant Deum, et ambulent in viis eius.* Hic nota sit phrasis, Timor Dei significat cultum non simulatum, et nomen יְהוָה deducit nos ad hunc verum Deum, qui se patefecit in Ecclesia dato verbo suo.

Ambulare in viis eius, intelligatur iuxta Evangelium, id est, amplecti doctrinam incorruptam, et fide agnoscere Mediatorem, et habere incoatam obedientiam, quae placet fiducia Mediatoris, sicut hanc phrasin saepe alias declaramus. Ideoque exorsus est ab hoc initio, cum postea de laboribus et operibus dicturus sit, ut sciamus oportere praelucere agnitionem Dei, timorem et fidem, seu opera primae Tabulae caeteris operibus, et includatur hic versus in caeteros omnes, huius viri timentis Deum labores erunt felices, coniugium placidum etc.

Secundus versus continet doctrinam et consolationem, docet in timore Dei et fide facere labores iuxta vocationem, et promissio additur hos labores fore salutares facienti et aliis. Iam cogita quantum bonum sit, non frangi inutili contentione, non esse vas irae, id est, instrumentum exitiosum sibi et aliis, ut multi fuerunt excellentibus ingeniis praediti, Alcibiades, Marius et alii.

Tertius versus pingit coniugium dulcissima imagine. Hic iterum includatur primus versus, Coniuges sint Ecclesia Dei, congruat coniugium cum lege Dei, et sit in eis consensus in vera doctrina et in invocatione, sit in eis timor Dei et fides, ita erit felix coniugium.

Hic communis doctrina de coniugio repetatur. Mirabili consilio Deus hoc modo condidit genus humanum, in quo colligit sibi aeternam Ecclesiam ordinata propagatione. Primum voluit esse duos, ut esset Ecclesia. Secundo voluit esse marem et foeminam, ut sit verus et ordinatus amor. Tertio voluit tantum unius maris et unius foeminae copulationem esse, et indissolubilem, ut luceat intellectus castitatis in genere humano, et sciamus Deum esse mentem puram et castam, et eum discernamus ab immundis spiritibus et hominibus, et in invocatione cogitemus qualis sit, videlicet, sapiens, bonus, verax, castus, iudex, misericors, liberrimus. Quarto στοργὴ in viro ad mulierem est imago amoris in Filio Dei ad naturam humanam assumtam, et deinde ad totam Ecclesiam. Ut ad Ephesios scriptum est: Magnum mysterium est coniugium in Christo et Ecclesia.

Haec significat Deus in hoc mirando foedere coniugii, quod sanxit certis legibus, nec vult vagari homines sicut pecudes. Nec ociose additum est in narratione de creatione Evae: *Dixit Dominus Deus: Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile ipsi.* In verbo, Dixit, magna pondera insunt, singulari deliberatione divina decretum, ordinatum, sancitum et promulgatum est, ut sit coniugium et sit certa lege ordinatum. Hic fiat amplificatio, dicit Deus, vivas in coniugio legitimo: contra vero tanta est audacia Pontificum, ut dicenti et sancienti Deo adversari audeant, et dicant ipsi expresse contrarium, Non vivas in coniugio, coniugium immundities est, et sua haec edicta crudelitate suppliciorum tueantur, ita simul et libidinibus polluti sunt et parricidiis.

Sunt et significationes in vite et olea: uxor comparatur viti, quia est debile lignum et adiungitur ad alias arbores, praecipue vero amica est oleae, ac naturalis συμπάθεια est vitis et oleae. Maritus igitur oleae confertur cui adiuncta est uxor tanquam vitis, et olea labores significat, inde et filii ramis oleae conferuntur. Possunt et aliae similitudines colligi.

Reliqui versus sunt repetitio promissionum et precationes, quae rursus etiam monent, certa Dei beneficia esse conservationem Ecclesiae et politiae.

Argumentum ac dispositio
Psalmi CXXIX.
G aduum X.

Saepe adflixerunt me a iuventute mea, dicat nunc Israël.

Narratio est recitans persecutiones et liberationes Ecclesiae, ut haec ipsa imago ostendat, quales sint aerumnae Ecclesiae omnium temporum, et quod fide et spe petenda et expectanda sit liberatio, et celebranda sit praesentia Dei, gratiarum actione, quoties eripimur, et agnoscenda voluntas Dei, qui immensa bonitate propter Filium sua potentia servat Ecclesiam omnibus temporibus, inter magnas et multiplices ruinas et confusiones imperiorum, et inter magnas persecutiones.

Argumentum ac dispositio
Psalmi CXXX.
Graduum XI.

De profundis clamavi ad te Domine.

Psalmus valde usitatus est in precationibus Ecclesiae, et ardentissima petitio est remissionis peccatorum, et simul doctrina ac consolatio, ostendens remissionem peccatorum iusticiam et vitam aeternam non dari, nisi propter Mediatorem Filium Dei *gratis*, non propter hominum merita aut dignitatem. Suntque interserta πάθη, quibus magnitudo dolorum in veris terroribus et lucta fidei in precatione describitur.

Propositio est in primo et secundo versu, et est petitio remissionis peccatorum et gratiae. Mox autem addita est in tertio versu peccati confessio et commemoratio de magnitudine irae Dei iustissimae: *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?* Observare est ostendere et exequi iram, qualis conveniret immensae iusticiae contra magnitudinem et multitudinem nostrorum peccatorum, errorum, lapsuum et nostrae immunditiae, hanc iram nemo sustinere posset, iuxta illa dicta: Deus ignis consumens est. Item: Scio quod non parcis delinquenti, et Iob. 9.: Vere scio quod non iustificetur homo coram Deo. Item: Non intres in iudicium cum servo tuo.

In quarto versu sequitur consolatio: *Quia apud te propiciatio est*, id est, remissio peccatorum. Et haec intelligatur gratuita propter Mediatorem, non propter ullam nostram dignitatem. Hanc consolationem, inquit, oppono magnitudini meorum peccatorum, quod gratia exuberat supra delictum, quod scio me recipi et placere te remittente peccata, et recipiente me propter Mediatorem, sicut alibi inquit: Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Item: Iustificati fide pacem habemus.

Addit autem: *Ideo timeberis*, id est, omnes agnoscant se indignos et immundos esse, et expavescant coram te, non sint arrogantes, non confidant sua dignitate, suis virtutibus, quia tantum recipis propter propiciatorem.

In quinto versu modus consolationis recitatur: *Expecto Dominum, expecto ad verbum eius.* Hic expresse concionatur de fide et de spe, et fit mentio verbi et Domini. Haec est vox fidei, quae intuetur promissionem et patefactionem divinam, et illum ipsum Filium Dei Mediatorem, ostensum in promissione agnoscit et adprehendit. Hac fide necesse est accipi remissionem peccatorum, et in hac ipsa consolatione simul hic ipse Filius Dei sustentat et vivificat luctantem.

In sexto versu πάθος insertum est de mora: differtur enim liberatio, ut fides exerceatur et crescat, sicut Abacuc 2. dicitur: Si moram fecerit Dominus, expecta eum, quia veniens veniet et non tardabit. Et Iudith 8.: Qui estis vos qui tentatis Dominum, non est hic sermo qui misericordiam provocet, sed potius iram, constituistis tempus miserationis Domino. Et Rom. 8. longa concio est de hac spe et expectatione, ubi inquit: Spe salvi facti sumus. Item: Spiritus pro nobis interpellat gemitib. inenarrabilibus. Hic gemitus significatur hoc loco: *Anima mea ad Dominum*, id est, intimi cordis desiderio et gemitu confugio ad Dominum, videlicet ad verum Deum patefactum in hoc populo per promissionem suam, qui me sustentat suo Filio Mediatore, et liberat me ex morte, et ex portis inferorum, et accendit hanc invocationem et laeticiam Spiritu suo sancto, ita sustentor agnitione promissionis divinae, nec frangor mora et diuturnitate adflictionum.

Duo ultimi versus sunt generalis promissio et praeceptum de fide et spe, estque necessaria doctrina, quam saepe repetimus, Oportere promissiones fide accipi, sicut Rom. 4. dicitur: Ideo ex fide gratis ut firma sit promissio. Simul autem hic notum sit discrimen promissionis gratiae

et legalis. Legales pendent ex conditione operum, ut, Date et dabitur vobis: sed promissio gratiae, id est, qua propter Filium Dei et per eum donamur remissione peccatorum, iustificamur et sanctificamur Spiritu sancto, et efficimur haeredes vitae aeternae, non pendet ex conditione nostrae dignitatis. De hac promissione Paulus loquitur: Ideo ex fide gratis ut sit firma promissio. Et haec ipsa Pauli concio est enarratio huius versiculi. In quo etiam hoc consideretur, quod promissioni adiungitur praeceptum de fide et spe: *Speret Israël in Dominum.* Et sequitur promissio: *Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud ipsum redemtio est, et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius.* Hae promissiones non tantum ad initium conversionis pertinent, sed ad exercitium fidei in tota vita. Quanquam enim verum est in conversione haec fieri, Filius Dei vivificat eos qui convertuntur, et liberat ex aeterna morte, et sanctificat eos Spiritu suo sancto, et vere in eis divinitas habitat: tamen deinceps quoque retinenda est haec consolatio, quod fide propter Filium Dei propiciatorem Deum et hominem habeas remissionem peccatorum, et Deo placeas. Hanc necessariam consolationem proponunt haec dicta in Psalmis, qui deducunt nos ad misericordiam, videlicet propter Mediatorem promissam, iuxta illa dicta: Non intres in iudicium cum servo tuo. Item: Non estis sub lege, sed sub gratia. Et sicut hic inquit: Apud Dominum copiosa est redemtio, ita Paulus ait: Gratia exuberat supra peccatum. Item: Gratia Deo, qui dat nobis victoriam per Iesum Christum et sanctificantem nos et deprecantem pro nobis.

Argumentum ac dispositio
Psalmi CXXXI.
Graduum XII.

Domine non est exaltatum cor meum, nec elati sunt oculi mei, etc.

Doctrina est contra superbiam, quae est fiducia propriae sapientiae, iusticiae vel virium movere aliquid sine verbo Dei, sine vocatione ac necessitate, incitatum quocunque modo, sive curiositate, sive stulto zelo, sive cupiditate vindictae, sive aliis causis.

Hic descriptiones teneantur. Superbia est esse sine timore Dei et fiducia suae sapientiae, iustitiae aut virium securum esse et efferri: quod malum in effectibus cernitur, quia haec fiducia sui impellit superbos ad movendas res sine mandato Dei, sine vocatione, sine necessitate, ut Antonius movet bella contra Augustum, quem superbe contemnit.

Humilitas vero est in timore Dei agnoscere propriam infirmitatem, et non habere fiduciam suae sapientiae, iusticiae aut virium: sed fiducia auxilii divini obedire vocationi, et nihil tentare sine verbo Dei et sine vocatione, nec despicere alios, nec fremere adversus Deum in poenis, non ambitione, non curiositate, non cupiditate vindictae turbare Ecclesiam aut Rempublicam. Talium lapsuum exempla omnibus temporibus in vita conspici possunt, ideo commonefactio necessaria est de remissione et de consolatione.

Primus versus et secundus sunt propositio, quae est asseveratio volentis se reprimere. *Ego,* inquit David, *non ambulo in magnis et mirabilibus supra me,* nihil volo tentare sine verbo Dei, sine necessaria vocatione, non ruam ut Saul qui regnum vult suo consilio constituere, non instituam cultus, non fingam dogmata, sicut audacissime fit a multis. Etsi autem secundus versus ab aliis aliter enarratur, tamen hanc simplicissimam sententiam sequor, iudico etiam asseverationem esse, *An non reprimo me et compesco,* id est, ardeo et ego cupiditate vindictae, et libenter tollerem Saulem, sed reprimam me propter gloriam Dei, nec tentabo humana consilia sine mandato divino, ero sicut ablactatus, videlicet amisso naturali solatio. Samosatenus, Arrius inflectunt doctrinam de Filio Dei ad concinnitatem, quae ipsis placet, et discedunt a verbo Dei. Saul uritur gloria Davidis, ideo multa iniusta tentat ad eum opprimendum. Achab et multi alii quaerunt practicas multiplices, ut muniant se contra eos quos metuunt, ut antevertant eorum consilia. Multi doctores muniunt se factionibus et conspirationibus. Haec exempla omnia comprehenduntur in hac forma, Ambulare in magnis et mirabilibus supra ipsos.

Postquam autem priores duo versus detrahunt humana praesidia, postremus versus ostendit consolationem aliunde: Speret Israël in Domino: sic Esaias utrunque complectitur: In silentio et spe fortitudo mea. Et Psalm. 108.: Illi detrahebant mihi, ego autem orabam. Etsi autem hae magnae res non intelliguntur sine expe-

rientia, tamen sciri mandata Dei et promissiones oportet. Mandatum est Psalm. 37.: Expecta Dominum et custodi vias eius, declina a malo et fac bonum. Promissio: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Item: Iacta in Deum curam tuam, et ipse te sustentabit. Item: Pax Dei regnet in cordibus vestris. Ad has sententias et hic Psalmus accommodandus est, in quo Propheta eandem doctrinam in suo exemplo, imo universae Ecclesiae exemplo proponit, et in nostris doloribus hanc doctrinam exercere discamus, nec turbemus Ecclesiam incitati ambitione, curiositate, cupiditate vindictae, et similibus motibus, simus ablactati tales, de quibus dicit Esaias: Quem docebit scientiam? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus, etc.

Argumentum ac dispositio Psalmi CXXXII.

Graduum XIII.

Memento Domine David, et universae afflictionis eius.

Hic Psalmus continet initio precationem, deinde gratiarum actionem, postea et promissiones. Precatio est, ut Deus conservet Ecclesiam et politiam, iuxta promissionem Davidi factam, cuius ideo fit mentio, quia fides in petendo intueri debet promissiones et mandata Dei. Promiserat autem Deus Davidi posteritatem, et iusserat ut per filium conderetur templum. Et David mandata dedit filio, ideo inquit: *Memento Domine David*, id est, promissionum et mandatorum quae dedisti Davidi, *Et universae afflictionis eius*, id est, totius curriculi Davidis, quod et vocaveris eum, et texeris in tota gubernatione, et dederis mandata de conditione templi, quasi dicat: Invoco propter promissiones tuas et mandata tua Davidi tradita, cui testimonium perhibuisti in toto ipsius curriculo, ac singularis emphasis est, quod totum curriculum Davidis nominat afflictiones, in quibus Deus testimonium praebuit patefactionum suarum in isto populo.

Sequentes versus sunt promissio de condendo templo, quae intelligatur iuxta historiam, cum David vellet condere, mandatum est filio, ut ille conderet, et vicissim Deus promittit conditionem et conservationem templi.

Iuniores considerent phrasin: *Si introivero in tabernaculum domus meae.* Haec conditionalis in iuramentis usitata est pro negativa, et est summa sententiae, Non quiescam donec condam templum. Petenti autem facta est promissio fore ut per filium condatur.

Sequitur gratiarum actio: *Ecce audivimus eum*, id est, laetamur esse conditum templum, conditam domum Domini. *In Ephrata*, id est, per Ephrataeum, stirpem Davidis, cuius sedes fuit in Bethlehem, quae nominatur Ephrata.

Inveniemus eum in iugis sylvae, id est, inter oliveta in Sion.

Introibimus in tabernaculum eius, id est, laetamur Ecclesiam esse concordem, convenire in certum locum, habitare ad certam sedem.

Adorabimus ad scabellum pedum eius, id est, ad propiciatorium, quod erat sedes Dei, de quo erat traditum mandatum, Deum ibi velle invocari, et Deum ibi exauditurum esse.

Repetit petitionem: *Surge Domine in requiem tuam*, id est, in arcam tuam, sedeas supra hanc, id est, ascende in hanc arcam, serves ac defendas hanc Ecclesiam. Quomodo? *Sacerdotes tui induantur iusticia*, videlicet ministerii, id est, ministerium sit iustum et salutare, sicut infra quoque inquit: Sacerdotes eius induantur iustitia, id est, sis efficax per ministerium, collige et serva Ecclesiam voce ministerii a te instituti.

Et Sancti tui exultent, id est, omnes conversi per ministerium celebrent te in omni aeternitate, sint haeredes vitae aeternae. Ita de Ecclesia precatus est, et referantur similes precationes omnes ad precationem Filii Dei in agone: Pater serva eos in nomine tuo, sanctifica eos in veritate tua, ut sint unum in nobis, sint ibi ubi ego sum. Dilectio tua qua me diligis habitet in eis. Ad hanc precationem Filii Dei nos quoque nostra vota adiungere debemus.

Versu decimo nominatim petit conservari regnum, et dari felices successus in hac politia continuo. Estque sententia verborum: *Propter David servum tuum*, id est, propter promissionem Davidi factam.

Non avertas faciem regis tui, id est, non sinas deleri formam regni tui. Faciem enim nominat ipsam regni formam, magistratus, leges, iudicia, poenas, disciplinam, defensionem et praecipue pium statum Ecclesiae.

Undecimo versu expresse facit mentionem promissionis, quia, ut supra dictum est, precatio debet intueri mandata et promissiones.

Duodecimo versu additur promissioni conditio obedientiae, quia promissiones corporales habent conditionem obedientiae. Cum enim omnes promissiones propter summam dentur, reiecta summa et spreto Mediatore Filio Dei, etiam caeterae amittuntur, sicut impii tandem penitus delentur, ut ostendunt exempla in Sodomis, Hierosolymis et universali interitu multarum urbium et gentium, interea in vera Ecclesia manet summa promissio, ideo ad hanc et promissiones corporales in genere pertinent, sicut Paulus inquit: Pietas habet promissiones praesentis et futurae vitae. Et tamen hic etiam in vera Ecclesia sciendum est, promissiones corporales habere exceptiones castigationis et crucis, ut in Psalmo 88. dicitur: Visitabo in virga iniquitatem eorum, misericordiam autem meam non auferam ab eis.

Versu decimotertio, et deinceps, coniungit promissiones de Domino et de rebus corporalibus. Adfirmat in isto populo fore Ecclesiam, iuxta haec verba: *Elegit eam in habitationem sibi*, item: *Sacerdotes eius induam salute*, id est, efficiam ut ministerium doctrinae sit verum et salutare. *Et sancti eius laetabuntur*, id est, erunt aliqui in hoc populo electi, qui accipient aeterna bona in Ecclesia.

Ibi producam cornu Davidi, id est, mittam Filium meum redemtorem, hunc volo ibi nasci et ostendere ibi suas victorias in cruce et resurrectione.

Sequitur repetitio eiusdem sententiae: *Ibi adornavi regi meo*, scilicet, Davidi. *Lucernam*, id est, Filium meum qui est lumen, id est, consolator et liberator Davidis et aliorum credentium, nam propter hunc servabo hanc politiam. Addita est promissio corporalis: *Victui eius benedicam.*

Applicatio Psalmi ad nos.

Ut autem initio dictum est, tria esse membra huius Psalmi, Precationem, Gratiarum actionem, et Promissiones: ita sciamus hanc precationem et gratiarum actionem assiduam esse in Ecclesiam oportere, et singulos nos debere gratias agere Deo pro conservatione Ecclesiae, et petere conservationem, et salutarem gubernationem, sicut hic inquit: Sacerdotes eius induantur iusticia et salute. In hac autem precatione necesse est, intueri mandata Dei et promissiones, iuxta illa dicta: Petite, et dabitur vobis. Praecipue vero meminerimus in petitione mentionem faciendam esse Filii, ut propter ipsum servet Ecclesiam, et sciamus oportere in oratione fidem esse, quae vere statuat hanc precationem placere Deo, et non esse irritam propter Summum Sacerdotem Filium Dei, qui idem petit: Pater serva eos in nomine tuo etc.

Argumentum ac dispositio Psalmi CXXXIII.

Graduum XIV.

Ecce quam bonum et quam iucundum, habitare fratres in unum.

Praeceptum est de studio concordiae, laudando enim praecipit, ut eam tucemur: et postea addit promissionem. Notum est autem totam legem praecipere de dilectione Dei et proximi, quia Deus ita condidit genus humanum, et vult nos sibi tanquam capiti adiunctos esse, et secum congruere, imo vult nos sua templa esse, nobis sese communicare, et in nobis suam sapientiam et iusticiam lucere. Simul etiam vult omnes copulatos esse in ipso, congruere omnes ad ipsum, ut sit consentiens veritas et iusticia in omnibus. Haec est summa doctrinae legis, et sic natura condita fuit. Sed diabolus discessit a Deo, et postea genus humanum avulsit, ita deinceps in hominibus non est eadem veritas de Deo, sed tristissimae tenebrae sunt, et horribilia mendacia vel Epicurea vel idolatrica, vel alia quaecunque, postea voluntas diabolorum et hominum fremunt adversus Deum, et dum unusquisque sese effert, tollere alios conatur, ita extincta dilectione ardent in genere humano discordiae, et ex discordiis postea oriuntur bella et vastationes. Manifestum est igitur hanc miseram naturam non obtemperare legi Dei, sed Filius Dei venit ut destruat opera diaboli, et restituat veritatem et dilectionem Dei, et proximi in nobis, et hoc nominatim petit effici ab aeterno patre, ut unum simus in ipso.

Ita consideretur quid praecipiat lex, et quomodo ad eam reducamur per Filium Dei, et in illa parte quae vere est Ecclesia Dei restituatur dilectio et concordia, et rursus adglutinentur ad unum caput, ad Filium Dei, et per Filium ad aeternum patrem.

Cum igitur consideramus quid sit dilectio, et quare praecepta sit, et quomodo in nobis restituatur et accendatur agnitione Filii Dei per Spiritum sanctum, excitemur etiam ut eam exerceamus. Exercetur autem studio retinendae pacis cum aliis, quae pax nominatur concordia.

Dilectio est erga omnes etiam inimicos, et est Deo obedire iuxta omnia mandata, cum quadam laeticia in ipso et unione cum eo, et est propter Deum praestare aliis omnia officia a Deo mandata etiam inimicis.

Sed studium concordiae sit erga membra eiusdem corporis, videlicet verae Ecclesiae, et est velle retinere consensum in veritate, et praestare officia dilectionis, nec distrahere coniunctionem sine necessaria causa, iuxta hoc dictum: Fac ut unum sint in nobis.

Hic etiam consideretur quam tristia mala sequantur ex discordia.

Primum ipsa dilaceratio sine causa necessaria per sese est peccatum, iuxta dictum Salomonis: Qui serit discordiam inter fratres abominatio est Deo.

Deinde mox in quacunque discordia sive politica, sive alia, sequitur turbatio invocationis.

Tertio si est dissensio de doctrina, necesse est alteram partem errare, cum igitur mendacium spargatur, Deus contumelia adficitur, et in alterutris prorsus extincta est invocatio.

Quarto ex dissensionibus oriuntur saevissima odia, factiones, bella et vastationes generis humani et poenae aeternae. Ac furores semel accensos in hominum animis horribiliter augent diaboli, qui laetantur et contumeliis Dei, seu mendaciis, seu homicidiis. Horum ingentium malorum cogitatione cohorrescamus et animos confirmemus, ut communem consociationem ament, et discant quibus modis et quibus officiis tuenda sit, nec moveant certamina non necessaria, iuxta dicta: Qui vos turbat poenam feret. Et Salomon: Qui diligit rixas, diligit peccatum.

Cogitentur etiam praecepta de dilectione et de concordia, ut laudationes, ac praecipue hi tres loci. Deus dilectio est, qui manet in dilectione, in Deo manet, et Deus in eo. Item: Pater fac ut unum sint in nobis, et hic Psalmus: Ecce quam bonum et quam iucundum, habitare fratres in unum.

Primus versus propositio est, quae cum sit laudatio concordiae, intelligamus praeceptum esse de tuenda concordia.

Secundus versus similitudo est, qua suavitas ostenditur exemplo rei fragrantissimae, quasi dicat, tam dulcis res est concordia, quam dulcis est odor balsami summi sacerdotis, quod singulari modo apparabatur.

Cur autem nominatim hic de balsamo sacerdotis dicitur? Quia significat primum concordiae vinculum esse oportere consensum de vera doctrina, sicut Dominus inquit: Sint unum in nobis. Et ubi doctrinae consensus est, ibi etiam ungit corda Filius Dei summus sacerdos Spiritu suo sancto, Ac tales copulati summo sacerdoti Christo, sunt iam adglutinati ad verum caput Deum, ita sanata dilaceratione, quam fecerat diabolus, ordo restituitur, scilicet unio ad Deum, qui rursus habitat in membris Christi, et sua luce, sapientia et iusticia et laeticia ea complet. Sed haec fiunt per summum sacerdotem, Filium Dei, per quem vox Evangelii ex sinu aeterni patris prolata est, et qui tollit peccata nostra, et lucem veritatis et dilectionem in credentibus incoat.

Haec omnia significata sunt mentione Aaron, scilicet oriri dilectionem et concordiam a summo sacerdote Christo.

Nota sit autem phrasis in repetitione *Barbam*, *Barbam Aaron*, significat enim distributionem. Vult autem eandem doctrinam ab uno capite Christo stillantem sonare omnes ministros.

Altera similitudo, Tam suavis est concordia, quam gratus est ros pullulanti segeti, et pullulantibus arborum fructibus, indigent enim rigatione, ne siccitate et aestu pereant. Haec similitudo non est obscura, quia manifestum est discordiis dissipari omnes coetus, et animos hominum vere torrefieri et sequi vastitates.

Ut autem prior similitudo haud dubie significat concordiam sacerdotum seu docentium: ita haec posterior similitudo accommodari potest ad politicam concordiam, ideo enim nominat loca quae propemodum limites fuerunt, ut significet se de hac ipsa loqui inclusa inter hos limites. Fuit enim Libanus limes versus septentrionem, Ierusalem versus meridiem, quam nominat, cum sit regia sedes, etiamsi non erat extremum oppidum, quasi dicat, toto pectore oro Deum, ut in hoc regno, et in hoc populo, cui Deus hanc sedem

attribuit, sit perpetua concordia, et omnes unum sint in Deo.

Montium picturae in talibus conspici possunt. Iudico autem Libanum ab albedine dictum esse, et pars est Hermon, quod est alba altitudo. Sic et alibi, Psal. 41. nominat haec loca Terram Iordanis et Hermonim, ac delectatur his appellationibus ut multa significet. Hoc unicum regnum in genere humano vere erat candida et pulcra altitudo, id est, arx quae erat sedes Ecclesiae, et domicilium verae sapientiae ac iusticiae, quia ibi veri Dei noticia fulgebat, ibi se Deus illustribus testimoniis patefaciebat, et mirabiliter hoc regnum adversus vicina imperia defendebat. Erat autem in hoc regno summa specula Sion, quia Ierosolyma domicilium regis erat. Complexa est autem Ierosolyma duos arduos montes, quorum alteri nomen fuit Moriah, a luce, in hoc templum conditum est: alteri Sion, id est, specula seu trophaeum, in quo fuit arx Davidis, et nomen commonefaciebat reges, locum illum velle defendere Deum. Indicant igitur hae dulcissimae appellationes Prophetam huic populo concordiam optare, tam dulcem bonis mentibus, quam terra nascentibus ros est tempestivus.

Sed cur dicit: *Rorem descendere ab Hermon in Sion, cum tamen magna sit altitudo montis Sion?* Respondeo, congruit hoc ad totius regionis situm. Libanus limes est versus Septentrionem et ortum, et per sese altus est, praesertim circa Damascum, ubi proprie tribuunt ei nomen Hermon. Recte igitur inde ex montibus arduis, et ex regione septentrionali, in loca inferiora, tum in plana, tum colles consitos oleis spargi rorem inquit, Et physicum est, quod plus est vaporum in Septentrione et locis montanis, quae sunt distincta vallibus, quam in parvis collibus. Haec chorographica illustrant Psalmum.

Postrema particula est ratio propositionis, quare concordia bona sit: *Quia ibi mandavit Deus benedictionem, et vitam in perpetuum.* Iuniores discant phrasin: Deus dicendo efficit, iuxta illud: Dixit et facta sunt, ideo benedictio significat aliquando ubertatem divinitus donatam, hic felices successus quos Deus ipse adiuvat. Ita et verbo mandandi utitur: *Deus mandat*, id est, suo decreto efficit, ut ibi sint, bonus successus et vita, id est, suavis vita et laeticia in qua invocari Deus et celebrari potest, et promtis animis conferuntur labores: ut cum in exercitu Davidis concordia est. Primum invocatio Dei est ardentior, et minus impediuntur fides et spes, et omnes milites simul libenter perferunt communes labores, et suo quisque loco suam confert operam, et libenter alii aliis opem ferunt, et adest ipse Deus, accendit animos, adiuvat laborantes et addit felices eventus.

Contra vero ubi discordia est, ingens impedimentum est invocationis, quia universaliter mala conscientia fugit Deum, et cogitans de hoste non vult ad illum Deum accedere quem invocat hostis, et contraria petunt inimici, denique multa horrenda sunt impedimenta invocationis in animis discordium, propter quae magna vigilantia omnes occasiones vitandae sunt, quae videntur accensurae esse non necessarias contentiones. Praeterea manifestum est in exercitu dissentiente milites non diu simul perferre communes labores.

Observa autem hic discrimen humanae doctrinae de concordia, et divinae. Experientia ostendit hominibus concordiam esse meliorem dissidiis, sed vox divina hoc loco addit promissionem de praesentia et auxilio Dei: haec promissio nos invitet ad studium tuendae concordiae. Dixi autem supra quare Deo placeat dilectio: Quia vult omnes rationales creaturas ad creatorem copulatas esse, ut eis suam sapientiam, iusticiam, bonitatem, vitam et laeticiam communicet, et vicissim nos ipsum agnoscamus et celebremus, ei similes efficiamur et in ipso laetemur, sicut scriptum est: Deus est dilectio. Nam cum sit sapiens et bonus, communicare suam sapientiam et bonitatem creaturae voluit, id autem est diligere.

Alia enarratio Psalmi LI.

Incoepta Argeliae XIII. Augusti a Philippo Melanthone M. D. LII.

Argumentum ac dispositio Psalmi LI.

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, etc.

Cogitemus Psalmos sapientiam, et vocem Dei esse, et Deum fontem eloquentiae, sapienter, recte et ordine loqui. Ideo in singulis Psalmis quaeratur unum aliquod principale argumentum, ut in aliis carminibus erudite scriptis, et consi-

deretur, quomodo membra cohaereant, ita magis perspicui et dulciores erunt, et res ipsa ostendet non esse temere coacervata membra. Sicut igitur in aliis eruditis scriptis, ita et hic quaerimus propositionem, seriem partium, et accommodamus Psalmos, alios ad alia genera causarum, videlicet, ut iuxta puerilia praecepta diligentius consideretis, quis sit finis, quid velit efficere scriptum, an doceat, aut petat aliquid. Sunt igitur alii Psalmi prophetici, qui ad genus *διδασκαλικὸν* pertinent, docent quis sit Messias, et quae sint eius beneficia, ut Psalmus 2.: Quare fremuerunt, etc. Psalm. 110.: Dixit Dominus, etc. 45.: Eructavit etc. 72.: Deus iudicium tuum regi da. Alii sunt doctrina legis, ut de concordia, 133.: Ecce quam bonum. Alii docent quae sit Ecclesia, et ubi sit, ut 84.: Quam dilecta tabernacula. Alii sunt consolationes, et gratiarum actiones. Alii petunt remissionem peccatorum, et alias liberationes. Possunt autem consolationes et petitiones referri ad genus suasorium, ut Psalm. 51.: Miserere etc.

Sciendum est autem misceri genera: nam doctrinae intexuntur affectus, et affectibus doctrina, et non nimis anxie faciendae sunt hae distributiones, sed principalia membra quaerenda sunt, et exempla petitionum et liberationum, nobis sunt velut communes promissiones, sicut ipse Psalmus 34.: Benedicam Dominum, applicat praesens exemplum ad caeteros: Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, Accedite ad eum, et illuminamini.

Est autem Psalmus Miserere petitio remissionis peccatorum, iustificationis, sanctificationis, et mitigationis poenarum. Hae sunt principales propositiones, quibus mixti sunt affectus, et amplificationes et argumenta.

Primus versus statim est propositio: *Miserere mei Deus*, id est, remitte mihi peccata, sis mihi reconciliatus, et iustifica me. Huic propositioni addit argumentum: *Secundum magnam misericordiam tuam*, ubi promissiones intuetur, ex quibus misericordia nota est, promissa propter Mediatorem, cuius et postea fit mentio, cum inquit: *Asperges me Domine hyssopo*, id est, sanguine Messiae. Et antithesis consideretur, secundum misericordiam tuam, non propter ulla mea opera vel merita. Misericordia autem seu promissio fide accipienda est, id est, non maneat mens in dubitatione, sed sciat promissionem tibi quoque ratam esse, et acquiescat fide in Mediatore, propter quem promissa est misericordia. Postea repetita est propositio: Amplius lava me.

Deinde sequitur querela in qua est confessio peccati, quae simul continet doctrinam, unde sit peccatum, et quantum malum sit. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper*, id est, est in conspectu meo. *Tibi tantum sum peccator, et malum coram te feci.* Fateor me esse peccatorem, et dignum esse poena, et quidem tantum sum peccator, non affero merita, aut meam iusticiam, sed te esse iustum affirmo cum accusas me, et affirmo te vincere cum iudicaris ab hypocritis, qui horribili fremitu accusant Deum iniusticiae, quod ipsi plectantur inter alios qui habent manifesta scelera. Ego vero agnosco hanc naturam mersam esse in peccatum, et dignam esse morte et poenis, etiamsi aliqui non habent manifesta scelera.

Haec confessio peccati vox est non tantum Davidis, sed totius Ecclesiae in vera contritione, congruens cum hoc dicto: Dixi, *Confitebor adversus me iniusticiam meam Domino, et tu remittis impietatem peccati mei.* Simul autem in hac confessione comprehenduntur consolatio. Tu es iustus et iustificans, et promissionem tradidisti de remissione peccatorum, ac tua promissione fretus ad te accedo. Statuo te veracem esse et servantem promissionem, fateor me recipi quanquam indignum, id hypocritae negant.

Haec dicta congruunt ad doctrinam saepe repetitam de gratuita reconciliatione. Roman. 3.: Iustificamur fide gratis. Psalmo 31.: Dixi, Confitebor adversum me iniusticiam meam Domino, et tu remittis impietatem peccati me. Et Hiob 13. capit.: Etiamsi occidet me, sperabo in eum, Veruntamen vias meos coram eo arguam, et ipse salvabit me, nec veniet in conspectum eius omnis hypocrita.

Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit mè mater mea. Antea in querela in genere dixerat, agnosco peccatum, et fateor me reum esse, nunc addit definitionem, quod peccatum deploret, scilicet non tantum externa delicta, sed naturae immunditiem. Amissa enim prima luce et rectitudine, nunc ita nascimur, ut tenebras afferamus, et haec misera natura aversa sit a Deo et mersa in mortem pereat, sicut res

a Deo abiecta. Haec mala nobiscum nascentia dicit se agnoscere, et recte citavit hoc dictum de peccato originis. Consideranda est autem verborum emphasis.

Duo vocabula ponit huius mali. Primum nominat iniquitatem, quod significat curvitates, videlicet *ἀταξίαν* in omnibus viribus. Deinde peccatum expresse nominat, qua appellatione magis proprie continetur reatus, id est, ordinatio ad poenam, horribilis abiectio qua Deus damnat personam, et prius dicit: In *ἀταξία* formatus sum, id est, cum formaretur foetus, illa massa erat immunda, et sine luce divina. Postea significantius dicit: In peccatis calefecit me mater mea, id est, cum fovit me mater in utero, mea natura aestuavit talib. malis, qualia affert natura seminis, id est, qualia sunt in parentibus. Haec quanquam brevis descriptio, tamen copiosam doctrinam de peccato originis continet, quod ait esse *ἀταξίαν*, et quidem ream et damnatam a Deo, et illam *ἀταξίαν* esse varios et vagabundos aestus et impetus in natura hominis contra Deum, sicut Paulus inquit: Sensus carnis inimicicia est adversus Deum. Hac descriptione nihil tristius dici potest.

Ecce enim diligis veritatem in interioribus. Confessionis asseveratio est, et tanquam epiphonema, hoc postulas ut fateamur non simulate, nos esse peccatores, et dignos poena, in qua tribuatur Deo laus iusticiae, sicut Daniel inquit: Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei. Ideo hanc confessionem edo, et simul oro, ut sapientiam me doceas, quae est occulta humanae rationi. Nam ratio secura non metuit iudicium Dei, et haec mala non cernit, sicut Epicurei, Academici, et alii multi existimant sapientiam esse ludere fingendis opinionib. de Deo, nec norunt quomodo Deus velit agnosci, et quomodo agnoscatur, qualis debeat esse natura, sed in vera conversione haec securitas corrigitur, sicut inquit Hieremias, cap. 31.: Castigasti me et eruditus sum sicut iuvenculus indomitus, postquam convertisti me egi poenitentiam. Petit ergo corrigi suam securitatem monstrato peccato, et postea se erigi per misericordiam.

Redit igitur ad propositionem de remissione peccatorum, et addit mentionem Mediatoris, et promissionis, quae significabantur per aspersionem sanguinis intincta hyssopo, ubi figurate dictum necesse est interpretari: nominat enim signum pro signato.

Expia me Domine hyssopo, videlicet sanguine Mediatoris, qui significabatur per victimae sanguinem. Phrasin etiam observent iuniores, interpretes usi sunt verbo Asperges, sed in textu est: Fac me peccatorem hyssopo, ut si diceret Latine: Fac me piaculum vel expia me, quod recte interpretamur munda me, tolle reatum peccati, et ita tolle, sanguine scilicet Filii. Hebraicis illa verba sunt *μεσὰ*, in bonam et malam partem usurpata iuxta circumstantias. Aliud est simpliciter dici peccatum, et quiddam reum, aliud est fieri peccatum conspersum sanguine Filii, tunc enim fatemur nos reos esse, sed reatum derivari in Filium, et a nobis auferri. Conspersio vero per hyssopum significat ministerium Evangelii, per quod applicantur beneficia Filii Dei credentibus, et ipse Filius Dei est efficax, sicut mox in sequenti versu de ministerio loquitur.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam, et exultabunt ossa, etc. Hic de ministerio et modo loquitur, quo beneficium Mediatoris accipimus, videlicet per vocem Evangelii, quae annunciat gaudium. Simul autem cum hac voce ipse Filius Dei dicit verbum in corde tuo, remittuntur tibi peccata, quo verbo te vivificat. Sic enim congruunt actiones Filii et Spiritus sancti in homine, Filius dicit verbum quo ostendit voluntatem patris, et hac noticia lucente dat Spiritum sanctum, qui accendit laeticiam, et efficit ut cor laetetur in Deo, ita dicitur Filius *λόγος*, quia est verbum etiam nobis in mentibus ostendens patrem, sicut Petrus inquit: Renati per verbum vivum Dei. Et Athanasius haec dicta saepe repetit: Pater per verbum Spiritu operatur. Item: Non extra verbum Spiritus est. Item lib. 3. de sancto Spiritu pag. 54. quandocunque dicitur Spiritus in alio esse, intelligitur in eo esse verbum dans Spiritum, ac loquitur de Filio, ut Augustinus inquit quarto de Trinitate: Quotidie mittitur Filius in corda credentium, sed aliter mittitur, ut sit homo, aliter ut sit cum homine. Fit autem hoc, cum est efficax in nobis per verbum vocale, quod oportet fide accipi juxta dictum: Evangelium est potentia ad salutem omni credenti.

Averte faciem tuam a peccatis meis. Repetit precationem de remissione peccatorum. Averte faciem, videlicet indignantem, ut saepe loquitur

scriptura de ira, et de iudicio, ut Psalmo 49.: Ignis in conspectu eius exardescet. Repetita est autem eadem precatio sine figura: *Omnes iniquitates meas dele.*

Hactenus Propheta descripsit, quid primum fiat in conversione hominis, et quomodo persona accipiat remissionem peccatorum, et fiat reconciliata Deo in illo arcano iudicio, et recitavit doctrinam de iustificatione, de qua Paulus loquitur, inquiens: Iustificati fide pacem habemus apud Deum et accessum. Semper autem simul cum remissione peccatorum et imputatione iusticiae, ipse Filius Dei dicens verbum consolationis in nobis, effundit in corda Spiritum sanctum, et facit nos haeredes vitae aeternae, ideo Psalmus deinceps concionatur de regeneratione per Spiritum sanctum, de mitigatione poenarum, de confessione, seu praedicatione, et de cruce.

Cor mundum in me crea Deus, et spiritum firmum innova in visceribus meis. Mundum nominat, ut Apostoli dicunt, purificatum fide, placens iam propter Mediatorem Deum et hominem. Item: Sanguis Christi purificat nos ab omnibus peccatis. Ut autem sic placeat homo, fide accipiendum est verbum, et vincenda dubitatio, quod fit confirmato corde per Spiritum sanctum, quem nominat hic Spiritum firmum, id est, non dubitantem, non dubitationibus vacillantem, trepidantem, languefactum et fugientem Deum, sicut Paulus inquit de Abraham: Non dubitavit diffidentia, sed corroboratus est fide, dans gloriam Deo, et certus etc.

Ne proiicias me a facie tua, etc. Repetitio est utriusque petitionis in priore membro, petit remissionem peccatorum, quia orat ut Deus irasci desinat. Nam abiicere a conspectu, est non velle clementer aspicere, ac insuper abiiectum terroribus consumere, ut saepe dicitur, Psalm. 30.: Ego autem dixi in excessu meo proiectus sum a facie oculorum tuorum, id est, iratus non aspicis me clementer, insuper etiam me terroribus consumis.

Deinde petit donationem Spiritus sancti: *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Antea nominavit Spiritum firmum, id est, confirmantem cor in fide, et vincentem dubitationes, hic nominat sanctum, id est, sanctificantem cor, quod ad universam obedientiam pertinet, regentem cor, iuxta omnia praecepta, sicut vocabulum sancta, generaliter significat attributa usibus Dei, Levitici 20.: Sancti estote, quia ego sum sanctus, id est, talis qualem me describo in lege mea. Notum est autem Spiritum sanctum esse agitatorem, et ideo effundi in corda credentium, ut accendat in eis novos motus congruentes Deo, sicut saepe dicitur: Accepistis Spiritum adoptionis filiorum clamantem, Abba Pater.

Redde mihi laeticiam salutaris tui, et spiritu spontaneo confirma me. Petit proprie consolationem in quibuscunque doloribus, et in cruce sequente conversionem. Nomen laeticiae perspicuum est, et liberatio ex inferis et morte, est talis vita, quae sentit laeticiam in Deo. Hanc nominat laeticiam salutarem, quae excitatur Deo liberante et iuvante. Nominat autem Spiritum spontaneum, ideo quia Spiritus sanctus flectit cor, ut volens obediat Deo in cruce, et addit robur, ut sustinere magnitudinem miseriarum et cruciatuum possit, ut Laurentius volens obtemperat, et perfert supplicium. David paratus est ad obedientiam, cum eiicitur ex regno. Saul irascitur Deo cum victorias et regnum videt tansferri ad alium. Talibus exemplis intelligi potest, quid petat, cum nominat Spiritum spontaneum, id est, volentem obedire, et corroboratum, ut aliquo modo possimus perferre cruciatum.

Docebo iniquos vias tuas. Usitatum est in petitione addere mentionem gratitudinis, et est simile argumento ab utili, sed in Ecclesia hi principales fines sunt omnium liberationum, ut Deus ostendat testimonia de se, et sua doctrina, et ut nos grati celebremus Deum, et velocius propagemus doctrinam confessione et docendo, et plures ad Deum convertantur. Hos proprios fines hic addit petitioni, quia sequi eos necesse est, ut saepe alias in Psalmis dicitur. Psal. 117.: Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. Psal. 115.: Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.

Libera me de sanguinibus, et exultabit lingua mea. Repetitio est petitionis et gratitudinis. Petit autem hic praecipue mitigationem poenarum, nam metaphora in vocabulo sanguinis significat poenam capitalem. Petit ergo liberari a poena capitali, ut mitigentur poenae, ne ruat ex aliis peccatis in alia, et tandem oppressus mole peccatorum et poenarum ruat in aeternam desperationem, et poenas aeternas, sicut Saul, Pharao etc. Ita alibi petit mitigationem: Domine ne in furore tuo arguas me. Et Hieremias: In iu-

dicio corripe me non in furore, ne ad nihilum redigas me. Et Habacuc: In ira misericordiae tuae recorderis. Item: Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?

Et exultabit lingua mea iusticiam tuam, id est, celebrabo te, quod tu sis iustus et iustificans. Fatebor te iudicem esse, et punire peccata. Testabor etiam nos per misericordiam a te recipi, et iustificari, et te iustificante nos iustos esse, non propter legem aut nostram dignitatem.

Domine labia mea aperies. Repetit mentionem gratitudinis, de qua dixit, se propagaturum esse doctrinam: Docebo iniquos vias tuas, etc. Nam hic debet esse principalis finis omnium liberationum, ut erepti superstites sint testes de praesentia Dei, et sciant se servatos esse, ut sint reliqui doctores Ecclesiae, et doctrina propagata Deus invocetur et celebretur, iuxta dixtum: Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. Sed ut hoc fiat, et fiat feliciter, opus est auxilio Dei, sicut inquit Dominus: Ego sum vitis, vos palmites. Ideo petit auxilium, et orat, ut Deus vocem docentes regat, et sit efficax per eam. Quia vero etiam alia sunt signa confessionis, scilicet sacrificia, mox de his loquitur. Et primum removet falsas persuasiones de sacrificiis, et discernit sacrificia ceremonialia et sacrificia spiritus.

Quoniam si voluisses sacrificium darem utique, etc. Quomodo conveniant haec cum lex praeceperit sacrificia, tamen Propheta hic dicit contrarium, videlicet Deum non velle sacrificia, nec delectari holocausto, rursus mox ipse addit: Imponent super altare tuum vitulos. Haec pugnare inter se videntur.

Respondeo. Usitata et saepe repetita est haec doctrina, cuius haec est prima propositio: Deus non vult haec sacrificia cum opinione, quod sint cultus ex opere operato, aut quod mereantur remissionem peccatorum. Usitatum est autem homines delabi in hanc opinionem, et hac superstitione cumulare sacrificia, ut postea in profanatione Missarum accidit. Hanc impietatem taxant passim Prophetae, ut Psal. 49.: Nunquid manducabo carnes vitulorum. Et Esaiae 66.: Qui mactat pecus, quasi qui cani cerebrum effodit. Et Hieremiae 7.: Non praecepi eis de holocaustis, sed hoc praecepi, audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus.

Addit autem Propheta, sicut Ieremias, quae sacrificia et quomodo placeant: Audite me. Sequitur ergo secunda propositio, placent sacrificia a Deo praecepta, et facta cum vera conversione ad Deum, et fide, quia externi cultus nihil sunt sine interiore cultu. Imo Salomon inquit, cap. 15. Proverbiorum: Victimae impiorum abominatio sunt coram Deo, sed vota iustorum placent Deo. Sunt autem cultus primi praecepti conversio ad Deum, et fides agnoscens Mediatorem, qua habemus accessum ad Deum, et credimus nos recipi et exaudiri. Hi cultus in corde praecedere debent externum opus: ita etiam externa sacrificia a Deo instituta suo ordine et tempore placent.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Idem hic dicit David de conversione, et veris cultibus in corde, sicut in Zacharia dicitur: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Sacrificium Deo, id est, placet Deo cor vere dolens in conversione seu potentia, agnoscens iram Dei, et simul confugiens ad Mediatorem, sicut ipse inquit de doloribus et consolatione: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. De talibus doloribus saepissime loquuntur Prophetae, ut Esaiae 66.: Ad quem respiciam, nisi ad contritum spiritum. Item: Deus habitans in contrito et humili spiritu, ut vivificet cor contritorum. Has dulcissimas consolationes tenere necesse est, et sciendum est, esse vocem Evangelii propriam. Non ratio et lex dicunt, homines miseros et oppressos doloribus reiectos esse a Deo. Vox Evangelii affirmat hos esse templa Dei, et afflictiones eorum, qui ad Deum conversi sunt esse sacrificia, id est, excellentissima opera, quibus Deus honore afficitur et Deo placentia, hos iubet invocare Deum, et certo expectare auxilium et tandem liberationem, sicut dicitur: Multae sunt tribulationes, sed ex omnibus his liberabit eos Dominus.

Hos veros cultus inquit David placere Deo, dolores in conversione, fidem, invocationem, spem etc. Hi sunt cultus quos nominat Paulus λογικὴν λατρείαν, id est, in qua mens cogitat Deum, et in corde sentit eius praesentiam, terrores, et laeticiam in Deo. Opponit enim hanc particulam operibus externis quae sunt ἄλογα, quando mens plena dubitationum, et fugit Deum, ut fit in sacrificiis Ethnicorum, aut Saulis.

Postremo addit generalem precationem pro conservatione Ecclesiae, sicut semper ad privatas petitiones haec generalis addenda est.

Primo, petit remissionem peccatorum.

Secundo, intexit querelam de magnitudine et origine peccati.

Postea facit mentionem Mediatoris: *Asperges me Domine hyssopo.*

Quarto, petit se sanctificari, et gubernari Spiritu sancto.

Quinto, offert suam gratitudinem in docendo.

Sexto, petit mitigationem poenarum, ut docere possit.

Septimo, petit auxilium: *Domine labia mea aperies.*

Octavo, discernit sacrificia et cultus, etc.

Nono, precatur pro tota Ecclesia.

Ac nominatim petit conservationem ministerii, et ut multi ad Deum convertantur, et vera sacrificia praestent: *Benefac Domine Sion clementer, ut aedificentur muri Hierusalem*, id est, ut conservetur et augeatur Ecclesia, habeat ministerium docendi, honestas congregationes et hospitia, et offerat tibi sacrificia iusticiae, id est, veram iusticiam, colat te vera conversione, fide, timore, spe, patientia, et aliis virtutibus a Deo mandatis. Ita prius postulat interiores cultus, de quibus saepe dicitur, ut 1. Pet. 2.: Offerte hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum. Deinde placent et ceremoniae a Deo institutae, cum fiunt ut ministerium publicum in congregatione conservetur, ita hic inquit: *Tunc imponent super altare tuum vitulos*, id est, hoc peto, ut publicam congregationem protegas et conserves, in qua vox doctrinae incorruptae sonet, et multi ad te convertantur, et fiant haeredes vitae aeternae, et ostendant confessionem et invocationem in publica congregatione.

Alia enarratio

Psalmi XXXI.

Beati quorum remissae sunt, etc.

Psalmus 31. est generis didascalici, est enim doctrina de iustificatione seu de reconciliatione.

Primus versus continet universalem doctrinam.

Secundo additur exemplum: narrat Propheta suam luctam et consolationem, et in suo exemplo complectitur promissionem remissionis peccatorum, et repetit doctrinam quomodo homines sancti, iusti fiant coram Deo.

Tertio sequuntur promissiones de sanctificatione et gubernatione, Intellectum tibi dabo.

Quarto, doctrina de causis horribilium calamitatum in toto genere humano, quibus reprimuntur et delentur impii. Interea tamen Sancti etsi aliquantisper simul affliguntur, tandem tamen eripiuntur. Finis πάθος est, iubet laetari Sanctos, et Deo gratias agere.

Initium Psalmi est propositio continens doctrinam de iustificatione, sicut saepe a praecipuo aliquo loco ordimur. Est autem sententia, homines fiunt beati, id est, iusti coram Deo non propter propria opera, virtutes et qualitates, sed accipiendo fide remissionem peccatorum, qua teguntur, et non imputantur peccata, cum quidem et fatentur se reos esse, et sic accedunt ad Deum, ut credant se recipi gratis per misericordiam propter Mediatorem, non propter propriam dignitatem aut merita.

Verba Psalmi perspicua sunt, et sine ambiguitate hanc sententiam gignunt, quam recitamus, et Paulus citat hoc dictum in hac nativa sententia. Teneamus ergo hanc doctrinam perpetuo consensu in Prophetis et Apostolis traditam, semper in conversione et invocatione, sic ad Deum accedendum esse, ut in veris doloribus credamus vere nos recipi propter Mediatorem, et nos esse iustus, id est, acceptos Deo gratis per misericordiam propter Mediatorem, sicut Rom. 5. dicitur: Iustificati fide pacem habemus, et accessum ad Deum, et haec fides nititur obedientia Christi, sicut Iohannes inquit: Sanguis eius purificat nos ab omnibus peccatis.

Cum igitur hic in Psalmo fit mentio remissionis peccatorum, sciamus includi doctrinam de Mediatore et de fide, quia hic Psalmus, et similes, nati sunt ex prima promissione, et sunt coniungendae tales conciones, ut Psalmo 2. dicitur: Osculamini Filium, Beati omnes qui confidunt in eum. Et cum hoc modo erigimur fide, vivificat nos Filius Dei, et dat nobis de Spiritu suo, ut Ioannes inquit, ut postea dicetur.

Intellectum tibi dabo, etc. Haec ita in conversione fieri non dubium est. Et in quotidiana invocatione hanc doctrinam et consolationem assidue repeti necesse est: Iam verba expendantur.

Primum nominat remissionem peccatorum. Haec forma loquendi communissima est in scripturis, et remissio culpae significat Deum iam non irasci converso, nec abiicere eum in aeternas poenas, sed esse ei propicium, et facere eum haeredem vitae aeternae, quod in Ioanne his verbis dicitur: Pater meus diliget eum, etc.

Tegere peccata, est Filium Dei esse umbraculum inter Deum et inter nos, ne effundantur in nos ira Dei intolerabilis creaturae, cum propter praeterita delicta, tum propter praesentem immunditiem quae in nobis est, ac illo umbraculo tollitur ira, ne absumamur a culpa et a poenis aeternis, mitigatur etiam poena temporalis, ut possit esse superstes Ecclesia, iuxta illa dicta: Misericordiae Domini quod non consumti sumus. Item: In ira misericordiae recordaris.

Beatus cui Dominus, *etc.* Repetitio est prioris partis, est enim usitata phrasis, etiam alibi usurpata, non imputare peccatum, ut Semei dicit ad David, 2. Samuel. 19.: Non imputes mihi Domine peccatum, id est, non cogites, non decernas me puniendum esse; nam verbum in textu quod vertunt imputare, significat cogitare seu ratiocinari, seu ratiocinando aliquid de aliquo decernere. Nam igitur quaeramus hic peregrinas sententias, sed ipsa phrasi contenti simus, non imputare peccatum, hoc modo est peccatum praesens, vel praeteritum, non ita obiicere ut persona maneat rea, sed est remittere personae reatum et poenam aeternam. Sentit ergo David, semper in hac vita reliquum esse peccatum in hominibus, quod possit obiici, propter quod homo esset reus poenae aeternae, si non remitteretur reatus, sed ita homines esse iustos, id est, acceptos Deo, quia non imputantur peccata credentibus.

Et in Spiritu eius non est dolus, id est, non est hypocrisis, sed in vero dolore seu contritione talis confessio, qua peccatum agnoscitur, et tribuimus Deo laudem iusticiae, quod ipse sit iustus et iustificans, recipiens nos propter Mediatorem per misericordiam. Quanquam sumus indigni, sicut alibi inquit: Tibi tantum sum peccator et malum coram te feci, ut tu iustificeris in sermonibus tuis. Et postea in hoc Psalmo: *Confitebor adversus me iniusticiam meam Domino*, *et tu remittis impietatem peccati mei.* Haec consolatió toto pectore tenenda est, in qua suo exemplo docet, sic accedendum esse ad Deum afferentes non fiduciam nostrae iusticiae, aut nostra merita, sed confessionem peccati, ut sciamus vere recipi nos *gratis* per Mediatorem, non propter nostram iusticiam, seu dignitatem, sicut et Daniel orat: Non in iusticia nostra, sed in misericordia tua exaudi nos propter Dominum.

Quoniam tacui. Sequitur narratio sui exempli, ait se diu in magna consternatione et magnis doloribus fuisse, sentientem iram Dei, et luctantem cum desperatione, quia non potuerit apprehendere hanc consolationem, quod Deo gratis etiam peccatorem velit recipere propter Mediatorem. *Tacui*, id est, consternatus eram, et oppressus dolore, non audebam accedere ad Deum intuens magnitudinem et turpitudinem meorum peccatorum, et nondum apprehendens hanc consolationem, quod *Deus* etiam peccatores *gratis* propter Mediatorem recipiat. Reliqua membra in his duobus versibus sunt descriptio magnitudinis dolorum in illa lucta, seu in contritione, de qua Ezechias dicit: Sicut leo contrivit omnia ossa mea.

Peccatum meum notum tibi faciam. Hic velut eluctans, et emergens aliquo modo ex doloribus, edit confessionem peccati, ut suo exemplo doceat, ita accedendum esse ad Deum, afferentes non merita, aut iusticiam nostram, sed agnitionem peccati, et talibus vere remitti peccatum, credentibus scilicet in Mediatorem iuxta promissionem. Ideo inquit: *Dico*, *confiteor adversum me iniusticiam meam Domino*, *et tu remittis pravitatem peccati mei.* Hoc exemplum tanquam testimonium teneri oportet, quod Deus vere recipiat peccatores, *gratis*, propter Mediatorem, ut Paulus inquit: Certus sermo est, venit Filius Dei salvos facere omnes credentes in nomine eius.

Propter hoc orabit omnis Sanctus. Postquam ad doctrinam addidit exemplum de seipso, quod etiam est doctrina communis, ac ostendit vere remitti peccata, et sic recipi homines, et placere Deo, non propter merita, sed remissione peccatorum. Iam rursus applicat doctrinam ad caeteros: *Omnis Sanctus orabit ad te*, propter hoc, id est, quia sic recipis hominem remissione peccatorum, ideo confugient ad te Sancti, quia omnes agnoscunt peccatum haerens in sua natura, et non possent ad te accedere, nisi hanc doctrinam nossent, recipi se, et placere propter Mediatorem et habere remissionem peccatorum. Ita hic versus est repetitio promissionis in primo versu

raditae: *Beati quorum remissae sunt iniquiates.*

Nota est autem doctrina, quod etiam in Sanctis in hac vita sit reliquum peccatum, sicut Rom. 7. copiose scriptum est. In eius doctrinae testimoniis citatur et hic versus: Propter hoc orabit ad te omnis Sanctus. Nominat Sanctos, et dicit tamen eos petere remissionem peccatorum, sicut quotidie petimus: Dimitte nobis debita nostra. Simul autem hic versus dulcis consolatio est, quia et iubet petere remissionem Sanctos, et cum iubet petere, significat eam dari. Non igitur deterreat nos infirmitas nostra, quo minus petamus reconciliationem, et fide statuamus nos recipi et exaudiri.

In tempore oportuno. Usitata phrasis est, in tempore oportuno, videlicet nobis, cum nos ipsi sentimus dolores et iudicium Dei.

Cum erit inundatio aquarum multarum, non obruent eum aquae. De effectu huius fidei et precationis iam concionatur, ut David erectus hac consolatione non obruitur aquis, id est, non mergitur in desperationem, et aeternam mortem, sicut Saul; ac prorsus idem dicitur: Iustificati fide pacem habemus erga Deum; vel ut Iohannes inquit: Qui Filium habet, habet vitam aeternam.

Octavus versus repetit petitionem liberationis: *Tu es protectio mea,* id est, Quia tu remittis peccata, simul etiam servas me, ne opprimar aeterna morte, et simul est confessio, qua tribuit Deo hanc laudem, quod ipse vivificet. Peto et certa spe expecto consolationem et vitam aeternam, nec possem emergere, nisi te vivificante, et tu iurasti te non velle mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat.

Nonus versus: *Intellectum tibi dabo, etc.* Est promissio sanctificationis et gubernationis, sicut semper diximus, in iustificatione primum accipitur remissio peccatorum, et persona recipitur propter Mediatorem *gratis fide*, ac in illa ipsa consolatione, cum in doloribus et pavoribus eriguntur corda voce Evangelii et fide, Filius Dei vivificat nos, et dat nobis de Spiritu suo, ut in Ioanne dicitur: Qui laetificat et gubernat corda, et dulcissime hic dictum est: *Consilium tibi dabunt oculi mei*, id est, meis oculis, mea sapientia tibi adero ego, ipse gubernabo te luce verbi mei, et confirmabo te Spiritu sancto, dabo motus salutares tibi et aliis, ut David regitur consilio, ne interficiat Saulem, ne regnum ante tempus rapiat, et confirmatur Spiritu sancto, ut dolorem patientia vincat. Sic alibi petit de sanctificatione: Cor mundum crea in me Deus, etc. Et Paulus inquit: Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, Spiritum carnem mortificantem, etc.

Decimus versus: *Non sitis sicut equus et mulus, etc.* Iam discernit non conversos a conversis, et accusat horrendam securitatem in omnibus non conversis, sicut alibi Prophetae dicunt: Erubescere nesciebant. Item: Cervix vestra arcana est, etc. Et sicut in cruce pendens impius latro, ridet in sua calamitate, et ridet Christum. Addit autem doctrinam de causa: Quare tantae poenae vagentur per totum genus humanum, videlicet, Quia Deus his poenis ostendit, se irasci peccato, et punire impios, sed simul commonefacere, ut homines convertantur ad ipsum.

Hic doctrina integra consideranda est, de venturo iudicio, de causis calamitatum in hac vita, de discrimine doctrinae philosophicae et divinae, de communibus calamitatibus et propriis Ecclesiae. Item de differentiis, quod aliae afflictiones sint *τιμωρίαι*, aliae *δοκιμασίαι*, aliae *μαρτύρια,* Christi passio est *λύτρον.*

Discernit autem Ecclesiam et impios, proponit consolationem et comminationem, affirmat impiis certo venturas esse poenas, quarum in hac vita initium est mors, et saepe antecedunt aliae magnae poenae, ut in Pharaone, et Saul et aliis. Quia Deus et hanc regulam servat, ut atrocia delicta comitentur atroces poenae in hac vita.

Primum, quia vult intelligi se iustum esse, discernere recte facta et delicta, et irasci dilictis.

Secundo, vult agnosci et timeri iudicium, et frenari multos metu.

Tertio, vult multos ad poenitentiam revocari.

Quarto, vult praesentia supplicia commonefactiones esse de poenis aeternis.

Quinto, vult tolli delinquentes propter utilitatem ne plus noceant.

Sed etiamsi aliqui in hac vita leviter puniuntur, ut Tiberius, tamen certum est omnes, qui non convertuntur, futuros esse in poenis aeternis, iuxta comminationes, Matth. 25.: Ite maledicti in ignem aeternum.

De utroque genere poenarum dicit Psalmus: Multa flagella peccatoris etc. Sed de Ecclesia ad-

dit consolationem: *Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Etiamsi Sancti etiam moriuntur, et plerunque antea in hac vita propter multas causas duriter affliguntur, ut David, Ioannes Baptista: tamen tandem liberabuntur, ut ibi quoque Matth. 25. dicit: Venite benedicti patris mei. Praeterea et in hac vita mirabiliter tota Ecclesia servatur contra furores diaboli, et mitigantur poenae et calamitates, ut sit superstes aliquis coetus docentium et discentium, quia Deus in hac vita vult colligi Ecclesiam, iuxta dictum: Non mortui laudabunt te Domine.

Huc pertinent dicta de custodia Ecclesiae, Psalmo 33.: Circumvallat angelus Domini timentes eum. Ioël 2.: Bonus Dominus et misericors, et poenitet eum poenae. Oseae 11.: Non faciam furorem irae meae. Et Esaiae 28.: Erudiet eum Deus suus in iudicio ut doceat eum, id est, ut revocet eum ad poenitentiam, etc. His et similibus dictis commonefacti petamus et speremus mitigationem publicarum et privatarum calamitatum, et sciamus sine ulla dubitatione conversos ad Deum fore haeredes vitae aeternae.

Ultimus versus est epiphonema, quod est consolatio iustorum, et praeceptum de invocatione, et de gratiarum actione: *Laetamini in Domino, et exultate iusti, etc.* Sed hic statim conscientia sibiipsi obiicit hoc argumentum. Iubet laetari iustos, Ego non sum talis, imo ego habeo errores et peccata. Hic oportet notam esse communem doctrinam Evangelii, quod nominat iustos conversos ad Deum, qui iam placent propter Mediatorem fide, etiamsi haerent in eis magnae infirmitates, hi tamen non perseverant in delictis contra conscientiam. Talibus est mandatum, ut fide accedant ad Deum, statuant se placere et exaudiri, ut ad Hebraeos dicitur: Accedamus ad thronum *gratiae* cum fiducia. Item: Petite in fide, nihil haesitantes. Et de spe inquit Petrus: Sine simulatione sperate gratiam quae vobis exhibetur. Item: Sacrificate sacrificium iusticiae et sperate in Domino, etc. Et nominatim hic dicitur: Laetamini in Domino, quasi dicat, non in praesidiis humanis, et haec ipsa verba de laeticia, seu de consolatione, sunt praecepta, de fide, spe, invocatione, et gratiarum actione, quia causae laeticiae, invocationis et gratiarum actionis sunt fides et spes, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus.

Alia enarratio Psalmi XXXIV.

Benedicam Domino omni tempore meo etc.

Hic Psalmus est praecipue gratiarum actio, quod ex periculo quodcunque illud fuit liberatus est. Titulus facit mentionem historiae quae extat 1. Sam. 25., ubi narratur Davidem venisse ad Achis, et cum agnitus esset subita simulatione furoris evasisse, sed quaecunque historia fuit, multa enim tristia accidunt, ut hic ipse Psalmus inquit, scripta est haec gratiarum actio non propter ipsum tantum, sed propter totam Ecclesiam.

Ut autem haec scripta intelligantur, et recte ad usum accommodentur, initio fontes cogitandi sunt. Omnes conciones sunt aut doctrina legis, aut articulorum fidei, seu Evangelii, seu consolationes, quae continent promissiones Dei de futuris et praesentibus bonis, aut sunt condemnationes impiorum. Hic et intuenda est tota doctrina de invocatione, de fide, de exercitiis fidei, in expectatione praesentium liberationum et vitae aeternae. Item, de discrimine promissionum temporalium et aeternarum. His initio consideratis, sciamus hunc Psalmum consolationem esse, quia gratiarum actio scripta est ad alios consolandos, ut fide petant, et expectent similes liberationes. Proponit et exemplum suae liberationis, et promissiones, in quibus eadem sententia saepe repetita est. Sciamus autem et promissiones et exempla ad nos quoque pertinere, sicut haec dicta ad singulos pertinent: Venite ad me omnes. Item: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Ita sciamus sicut servati sunt Abraham, Ioseph, David, Israëlitae in mari rubro, in fornace Babylonica, sic nos quoque tegimur et servamur a Deo, nam in tanta infirmitate generis humani, et in tantis odiis diabolorum, et hominum furoribus non possent Ecclesiae manere, nec possent familiae, scholae, politiae esse, nisi Filius Dei, qui naturam humanam ideo assumsit, ne funditus genus humanum periret, umbraculum esset, et nobiscum esset, sicut fuit ipse conspectus in fornace Babylonica. Adest igitur, exaudit et iuvat, nec negligi nos putemus, quia non omnes eventus respondent nostris imaginationibus. Utrunque enim vult Deus. et esse Ecclesiam sub cruce, ut peccatum agnoscatur, et ut fiat invocatio, et Ecclesiam servari, ac praesentiam suam in Ecclesia conspici. Ideoque vult libe-

rationes celebrari, sicut inquit: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me, etc. Et Num. 14.: Magnificetur fortitudo Domini, ut sciant Aegyptii quod tu in hoc populo sis.

Benedicam Domino. Universaliter gratitudo est virtus composita ex duabus praecipuis virtutibus, scilicet ex veritate et iusticia. Veritas profitetur unde acceperis beneficium, iusticia obligat ad mutua officia, et universaliter ingratus est mendax et iniustus. Mendax est, quia autorem beneficii non agnoscit, nec celebrat, aut in sese etiam aliena facta transfert, ut cum inquit Nabuchodonosor: Mea virtute hoc pulcerrimum imperium partum est. Deinde iniustus est, quia non reddit mutua officia, ut Alexander non obtemperat Deo, facit sese Deum, interficit amicos. His turpissimis vitiis consideratis, magis intelligi potest, quare postulet Deus gratitudinem. Primum vult nos non esse mendaces, vult agnosci et celebrari autorem beneficii, ut discamus ipsi quis sit Deus, et qualis sit. Deinde ideo quoque, ut alii doceantur, et invitentur ad agnitionem Dei, ad fidem, invocationem et spem, et erigantur consolatione, adiuventur, et salvi fiant. Ideo inquit in hoc Psalmo: Audient miseri et gaudebunt. Et Psal. 21.: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiae laudabo te. Et exhibet Deus beneficia, ut extent testimonia de ipso, ut confirmet nos et alios. Ut 1. Reg. 17.: Sciat omnis terra quod sit Dominus Deus Israël. Est igitur initium Psalmi propositio gratiarum actionis: Benedicam Domino, id est, celebrabo eum, et profitebor id quod res est me ab ipso servatum esse.

In Domino gloriabitur anima mea, id est, non gloriabor mea sapientia aut mea virtute, sicut Nabuchodonosor inquit: Mea virtute hoc imperium partum est. Et sicut inquit Sennacherib: Quinam sunt dii, qui liberent vos, sed gloriabor in Deo, id est, tribuam ipsi gloriam, affirmo me ab ipso servatum esse, sicut Daniel inquit: Deus meus misit angelum, qui clausit ora leonum.

Sequitur applicatio de fructu celebrationis: *Audient miseri et gaudebunt*, id est, etiam exempli causa celebro beneficium Dei, ut alii invitentur ad agnitionem Dei, fidem et invocationem, et erigantur consolatione, et salvi fiant.

Magnificate Dominum simul. Alloquitur Ecclesiam, ut sit testis huius confessionis, et celebret ipsa quoque hoc beneficium, et alii.

Narratio beneficii: *Inquisivi Dominum, et exaudivit me.* Mox inseritur generalis promissio et accommodatio ad alios, qui respiciunt ad eum, et accurrunt, seu confluunt, horum facies non confundetur, quasi dicat, cum dubitant homines an exaudiantur, ego hanc dubitationem planissime reprehendo, et affirmo vere exaudiri invocantes eum, et repetitur exempli commemoratio. *Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum.* Hoc carmen ad te quoque accommodes. Te quoque exaudiet Dominus clamantem.

Circumvallat angelus Domini timentes eum et eripiet eos. Hebraeis est verbum חנה quod significat castra locat, quod Graecus recte vertit παρεμβαλεῖ, quod est castra iungit, et παρεμβολὴ copiarum supplementum, sed latinus interpres graecam phrasin non intellexit. Sumta est autem forma sermonis ex Genesi cap. 32., ubi conspectis angelis Iacob inquit: Castra Dei sunt. Item ex historia Mosi, Exod. 33.: Si non praecedes nos, non educas nos de loco isto. Item: Nisi ambulaveris nobiscum etc. Angelum vero intelligo ipsum Filium Dei, custodem Ecclesiae suae, sicut Iacob inquit, Gene. 48.: Deus patrum meorum Abrahae et Isaac, et angelus qui eripuit me ex omnibus malis, benedicat pueris istis.

Rursus autem intexta est promissio de praesentia et auxilio Dei, quae et alibi saepe repetita est, ut Esa. 46.: Ego gestabo vos, etiam in senecta ego salvabo vos. Matth. ultimo: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Iohan. 14.: Veniemus ad eum etc. Matth. 10.: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Et totus Psal. 91.: Qui habitat in adiutorio altissimi etc. Item: Cum ipso sum in tribulatione. Psal. 54.: Iacta curam tuam in Deum, et ipse te sustentabit.

Gustate et videte. Doctrina est de applicatione promissionum, quasi dicat, antea proposui exemplum meae liberationis, et adiungo promissiones, quas affirmo ad vos quoque pertinere, sed oportet vos converti ad Deum, et fide amplecti promissionem, expresse igitur ponitur applicatio huius beneficii: Bonus Dominus, Beatus qui confidit in eo, etc.

Sequuntur consolationes de conversione, et de fructibus conversionis, et simul repetuntur promissiones. *Timete Dominum omnes Sancti eius*, id est, perseverate in vera contritione, in

timore et fide. Nam timor generaliter saepe totum cultum significat, ut: *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius.*

Decimus versus, *Leones esuriunt*, illustris metaphora est, quod leones nominat divites, potentes, tyrannos: et affirmat hos quoque ex summo fastigio deiici, redigi ad inopiam, destitui praesidiis, et ruere in aeternum exitium, ut perierunt Pharao, Saul, Apries, Polycrates, Nero etc. Interea custodit Deus imbecillem Ecclesiam.

Venite filii audite me, timorem Domini docebo vos. Quia nominavit timorem Dei, addit doctrinam de exercitiis veri timoris et conversionis. Primum de lingua praecipit, ubi intelligatur utrumque genus, loquamur veritatem in doctrina de Deo, et in iudiciis, et pactis erga homines.

Declina a malo. Loquitur de iusticia universali: Fac bonum, complectitur enim omnia mandata Dei, sicut Dominus inquit: Si vis ingredi in vitam, servabis mandata. Et Paulus: Milita bonam militiam habens fidem et bonam conscientiam. Item: Nolite errare, scortatores et adulteri, homicidae, non possidebunt regnum Dei. Item Iohan. 3.: Qui facit peccatum ex diabolo est. In quatuor sequentibus versibus repetuntur promissiones et comminationes.

Multae sunt tribulationes iustorum. Hic respondet omnium obiectioni: cum tantae sint aerumnae Ecclesiae, cur dicis eam tegi castris et oculis Dei, respondet. Verum est esse magnas et multas aerumnas Ecclesiae, causae alibi recitantur, sed tamen post hanc vitam erit universalis liberatio, vita, iusticia, et laeticia aeterna. Erit in hac vita mitigatio, et corpus Ecclesiae servabitur etiam ruentibus imperiis.

Mors peccatorum pessima. Concionatur de universali poena impiorum, hic clare dicitur: Mors impiis mala, ergo etiamsi florent in hac vita, tamen tunc peribunt cum moriuntur, ita ut non sit finis poenarum, sed sensus irae et iudicii Dei in omnem aeternitatem. Traditum est igitur, et hoc loco de vita et iudicio post hanc vitam, docet etiam hic locus oportere in hac vita ante mortem fieri conversionem ad Deum, sicut dicitur: Beati qui in Domino moriuntur. Item: Sis fidelis usque ad mortem. Item: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Phrasis observanda est, qui oderunt iustum, erunt rei, nam verbum Hebraeum hoc loco non significat actionem, ut Latinus vertit, delinquent: sed significat erunt rei, et malum poenae significatur, videlicet deletio, ut saepe alias.

Ultimus versus repetit promissionem et applicationem de fide, non erunt rei, omnes qui confidunt in eo.

Enarratio Psalmi Dixit Dominus, et aliquot sequentium,

scripta anno M.D.XLII. et sequenti, ac publice proposita

a

Casparo Crucigero Doctore.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti D. Casparo Bornero Doctori Theologiae in academia Lipsica, amico suo veteri et praeceptori carissimo: Caspar Cruciger Theologiae Doctor S. D.

Saepe mihi de hominum vita cogitanti, et omnium aetatum historiam, acerrimasque summorum virorum contentiones, quarum multae inanes, multae exitiales ipsis et suis civitatibus fuerunt, intuenti, venit in mentem Senecae dictum, cuius haec sunt verba: Magna vitae pars elabitur hominibus male agendo, maxima nihil agendo, Tota aliud agendo. Quo dicto vere quidem maxima pars generis humani vituperatur, sed tamen nisi multorum labor Deo gratus, et ipsis ac aliis in omnem aeternitatem salutaris esset, frustra conditum esset genus humanum, imo prorsus temere ferretur, ut illa Democriti corpuscula, et quibus hunc mundum fabricat, quae, ut Lucretius inquit: Miris

Multa modis volitant aeterno percita motu.

Quanquam igitur haec mortalis vita calamitosa et misera est, et horrendi ac perniciosi sunt multorum furores, tamen Deus ex hac misera massa generis humani aeternam filio haereditatem, et Ecclesiam colligit, cuius militia non est inutilis. Nec si Alcibiadi male agendo, Margitae Homerico nihil agendo, Pericli, Demostheni, Catoni Uticensi et similibus aliud agendo, id est, stulta πολυπραγμοσύνῃ non necessarias res movendo, vita inutiliter elapsa est, propterea Moisi, Samuelis labores, Iosuae, Davidis praelia, Eliae, Elisaei, Esaiae, Ieremiae, Danielis πολιτεύματα, fuerunt inanes contentiones. Imo ad hos labores, quales in Ecclesia, David, Esaias, Baptista, Paulus sustinuerunt, condita est hominum natura. Haec militia Deo grata est, nec tantum seruit huic interiturae vitae, ut Augusti gubernatio, sed aeternam Deo Ecclesiam colligit.

De his laboribus inquit Paulus: Non erit inanis labor vester in Domino. Et Psalmus primus: Et folium eius non defluet, etc. Discernamus igitur hominum studia, omittamus ambitionum et aliarum iniustarum cupiditatum certamina, et primum omnium agnoscamus nos in Ecclesiam a Deo vocari. Ibi modeste faciamus operas mandatas, nec geometricam proportionem conturbemus.

Tali in loco qui sunt, Deo gratias agant pro tanto beneficio, quod ad munus salutare in vita vocati sunt, ardeant studio bene merendi de Ecclesia, faciant necessaria, et petant ut Deus adiuvet labores et gubernet exitus, qui prospici omnes humano consilio certe non possunt. Tale curriculum nec inutile est, nec infelix.

Saepe igitur de te pro nostra amicicia cogitans, tibi et patriae meae gratulor, cum te tot iam annos praeclare de Ecclesia mereri video, docuisti optima fide et me et alios, neque hanc militiam Senex deseris. Custos es disciplinae, gubernas oeconomiam scholae necessariam. Hae operae cum ad aeternam Ecclesiam colligendam et tuendam prosint, longe antecellunt Periclis aut Fabii gubernationi, et praemiis ornabuntur, non in Olympiis aut Pythiis, sed in illa dulcissima consuetudine Dei, inter Patres, Prophetas, Apostolos, quorum sumus discipuli, ubi de mirandis consiliis Dei philosophabimur, cur Ecclesiam tantis aerumnis in hac vita subiecerit.

In ea Academia cum alii multi tibi gratitudinem suam, ubi nulla erunt fucata officia, ostendent, tum ego tibi gratias agam, quod mihi prima Philosophiae elementa tradidisti, circulorum coelestium et stellarum picturas primum monstrasti, et insitum animo amorem pulcerrimarum artium primus quasi face admota, illis tuis monstrationibus exuscitasti atque accendisti, denique quod mihi hortator fuisti discendae doctrinae de Deo. Haec tua beneficia cum maximi faciam, volui mei iudicii et meae voluntatis significationem aliquam extare. Ideo cum hos libellos ederem, hanc ad te Epistolam praefixi.

De ipsis autem commentariis tibi et his nostris Academiis iudicium permitto, quos quidem eo edidi, primum, quia aliquibus lecturis profuturos esse spero, praesertim cum in Ecclesia semper prosit extare testimonia eorum, qui bona fide doctrinam traditam a notis et probatis Doctoribus acceperunt. Deinde quia hae et similes lucubrationes refutant calumnias quae a multis contra harum regionum Ecclesias finguntur. Intelligent enim eruditi et dextre iudicantes, retineri a nobis germanam et incorruptam doctrinam Catholicae Ecclesiae Dei, et deduci pias mentes ad veram Dei invocationem, et virtutum exercitia, quae Deus postulat.

Nec opes, nec imperia, nec potentiam quaero, nec velim politiae ecclesiasticae ordinem turbari, sed discerni veram invocationem a superstitione necesse est. Si quis autem negat fuisse errores in Monachorum doctrina, aut arte eos excusat, ac pingit, ut nunc multi faciunt, is in re manifesta impudenter ludit. Non sum natura pugnax et *φιλόνικος* et modum aliquem esse disputationum cum in omni vita, tum vero maxime in Ecclesia oportere iudico. Sed tamen doctrinam necessariam sine Sophistica extare in Ecclesia illustratam opto. Praedicit ipse filius Dei, in extrema mundi senecta regnorum confusiones et ruinas tristiores fore, quam fuerunt antea.

Et cum bella disciplinae nervos laxant, et impediunt intentionem animorum in discendis iis artibus quae literis continentur, Ecclesiae fiunt squalidiores, estque usitatum nunc quoque quod Euripides dixit: *κακωθείσης χώρας νοσεῖ τὰ τῶν θεῶν.* Ac multi conspectu publicarum et privatarum calamitatum adeo moventur, ut vel de providentia, vel de doctrina Ecclesiae ambigere incipiant, ac a Deo deficiant, Econtra bonae mentes discant ex doctrina coelesti, quae sint verae causae miseriarum communium, et remedia salutaria quaerant, excerpant doctrinam necessariam ex iis disputationibus, quae tot iam annis agitatae sunt, in quibus multa recte et pie patefacta esse, negari non potest, nec deficiant a Deo, nec desperent mansuram esse Ecclesiam in consuetudine huius vitae ubi sonat vox Evangelii, nec invocationem Dei omittant, nec arbitrentur humanis imaginationibus Ecclesiam Dei unquam gubernatam esse.

Etiamsi aliquid loci est humanae diligentiae et moderationi, tamen aliae multae causae in hominum vita magnas vicissitudines efficiunt. Sicut Plato vere inquit: *θεὸς μὲν πάντα, καὶ μετὰ θεοῦ τύχη καὶ καιρὸς τ᾽ ἀνθρώπινα διακυβερνῶσι ξύμπαντα, ἡμερώτερον μὲν τρίτον συγχωρῆσαι τούτοις δεῖν ἕπεσθαι τέχνην.*

In aliis autem tempestatibus faciamus, quod nautae prudentes faciunt, et ut illa ipsa Platonis sententia monet, nobis ipsis, et quantum possumus, Reipub. mitigemus temporum difficultates, non solum moderatione et consiliis honestis, sed etiam pia precatione. Quare coniungamus vota cum filio Dei intercedente pro Ecclesia nunc quoque in illo arcano aeterni Patris consilio, et precemur ut Deus Ecclesiam sibi in his regionibus servet et colligat, et gubernatores ad salutaria consilia flectat. Bene vale. Mense Augusto, Anno 1546.

Praefatio in Psalmum CX.

Duplex est genus docendi in Ecclesia. Interpretatio scripturae et methodus. Utroque autem opus est, quia methodus debet sumi ex scriptura. Est enim collectio et explicatio dogmatum, seu summa doctrinae, redacta in ordinem accommodatum ad docendum. Sed interpretatio scripturae, aliis locis, alias partes doctrinae tradit. Itaque magna cura adhibenda est in interpretatione, ut videatur, quorum dogmatum fontes tradantur in singulis scripturae partibus, Ut qui initium Evangelii Ioannis interpretatur, cogitet ibi fontes contineri articuli de divinitate filii Dei. In interpretatione Epistolae ad Romanae sunt fontes de iustificatione, de discrimine legis et Evangelii. Ita et Psalmi utiliter legentur,

si cogitabimus ad quam doctrinae partem singuli pertineant.

Primum igitur distinguenda sunt genera Psalmorum. Sunt autem tria genera. Alii sunt prophetici seu didascalici, seu proprie evangelici, praecipue ad hoc compositi, ut doctrinam de Christo tradant, qualis sit futurus Messias, quod sit passurus, quale sit futurum ipsius regnum ac beneficium, quales sunt, Psalmus secundus. Item Psalm. Eructavit, et Psalmus Dixit Dominus, et aliquot similes. Aut tradunt doctrinam de remissione peccatorum, de sacrificiis, ut Psalmus 31. Beati quorum remissae sunt iniquitates. Item Psalmus Miserere.

Alii sunt generis suasorii, videlicet consolationes, precationes et gratiarum actiones. Et quanquam miscentur genera, tamen facile iudicari potest, quae sit praecipua Psalmi materia. Est autem maximus numerus Psalmorum huius generis, videlicet consolationum, gratiarum actionum, et precationum. Miscentur autem et his articuli dogmatum, qui concionantur de liberatione piorum, et de gratuita remissione, de exercitiis fidei in cruce. Item, de irritis hominum conatibus sine auxilio *Dei*, de poenis impiorum etc. Ad hoc genus pertinet Psalmus Noli aemulari. Item Psalmus quartus, et alii multi.

Tertium genus est simpliciter *νομικὸν*, continens praecepta de bonis operibus, ut Psalmus 112.: Beatus vir qui timet Dominum. Item praeceptum de concordia: Ecce quam bonum etc. Etsi autem ingentes utilitates continent singula genera, tamen primum genus hoc nomine superat, quod proponit doctrinam Evangelii de Christo, et multis gravissimis testimoniis confirmat pias mentes. Item, refutat Iudaeos, qui somniant regnum Christi mundanum.

Sciendum est illud, In omnibus Psalmis, ubi fit mentio misericordiae, intelligendum esse de gratuita misericordia, quasi diceret Propheta: Aliae gentes non norunt certo misericordiam Dei, sed tantum habent aliquam legis noticiam, non statuunt certo, quod Deus velit exaudire, nos certo novimus gratuitam misericordiam, propter promissiones, scimus certo, quod Deus velit exaudire, et hac fide invocamus, et scimus Deum velle hac fide coli. Sicut ait: Invoca me in die tribulationis. Ita maxima pars Psalmorum includit doctrinam de fide. Et hoc cogitanti fient Psalmi multi dulciores. Imo hac discrimen est inter gentes et pios, gentes enim non norunt gratuitam misericordiam, ideo non statuunt se exaudiri a Deo.

Psalmus CX.

I. ***Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.***

II. ***Sceptrum regni tui emittet Dominus ex Zion, ut domineris inter inimicos tuos.***

III. ***Populus tuus sponte offeret tibi in die victoriae tuae, cum ornatu sancto. Ex utero oritur tibi ros generationis tuae.***

IV. ***Iuravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech.***

V. ***Dominus a dextris tuis conteret in die irae suae reges.***

VI. ***Iudicabit inter gentes, cumulabit cadavera, conteret capita in terris multis.***

VII. ***De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.***

Hic Psalmus est ex primo genere, et proprie est evangelicus, docet ordinem, quis sit Christus, quod videlicet sit Deus et Homo, item ubi regnaturus sit, et quale sit futurum regnum. Item, quod sit futurus sacerdos, et habiturus sacerdotium perpetuum. Complectitur autem beneficia Christi, loquens de regno et sacerdotio, quo in loco accedit particula insignis, quae uberrimam doctrinam continet, quod Christus sit aeternus sacerdos. Item, quod sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, discernit igitur sacerdotium Christi a Levitico. Deinde concionatur de poenis impiorum, postremo addit vaticinium de passione Christi. Haec est summa huius Psalmi.

Cum autem necessaria sit doctrina de beneficiis Christi, maxime opus est intelligere regnum et sacerdotium Christi, nam haec duo complectuntur summam beneficiorum illorum. Ad sacerdotium pertinet, quod Christus factus est pro nobis victima, quod est Mediator, placans Deum, quod sustulit peccatum, quod interpellat pro nobis, et est pontifex propter quem exaudimur, et qui nostras preces perfert ad patrem. Item, quod dedit novum verbum, et hoc verbo vivificat vita

aeterna. Nec vero ullus locus piis conscientiis est gratior, quam consideratio sacerdotii Christi. Ad regnum pertinet, quod vicit regnum diaboli, quod peccatum et mortem abolet, dato Spiritu sancto, et dat novam et aeternam lucem, iusticiam et vitam, quod depellit diaboli potentiam, quod conservat Ecclesiam adversus tyrannos in hac vita. Estque defensor huius infirmissimae naturae humanae, adversus diabolum et saevitiam mundi, sicut alibi describitur regnum Christi, cum dicitur: Omnia subiecisti sub pedibus eius. Denique rex est, quia liberat a peccato et a morte aeterna, et dat vitam aeternam.

Sed doctrina de sacerdotio et regno non potest intelligi, nisi nos ad usum conscientiae nostrae accommodemus, Credamus nobis esse donatam hanc victimam, nobis esse pontificem, nos vere propter hunc pontificem exaudiri, nobis per ipsius verbum promitti gratiam et salutem. Item nos vere iuvari et defendi per hunc regem. Ita intelligemus hanc doctrinam, et quidem sciamus necessariam et immutabile mandatum esse, ut haec credamus, ut applicemus nobis haec beneficia per verbum, ut verbo erigamus fidem. Haec Christianos intelligere oportet, ut teneant, quid sit fides, et quomodo per verbum exuscitetur, et sine hoc exercitio non potest intelligi doctrina de beneficiis Christi. Sed haec copiosius in enarratione Psalmi dicentur. Nunc ista praefatus sum, ut summam Psalmi brevissime complecterer.

Nolo hic prolixe refutare Iudaeos, qui hunc Psalmum negant loqui de Messia, facile enim refutari possunt per haec duo, quod loquitur de rege regnaturo divina potentia. Item de aeterno sacerdote. Constat autem caeteros reges et principes nec aequari Deo, nec perpetuum regnum tenere. Cum igitur haec dicta manifeste pertineant ad Christum, erunt et caetera ad eundem accommodanda, ut cohaereat Psalmus. Haec breviter attigi, ut admoniti studiosi facilius possent refutare ineptas Iudaeorum enarrationes. Quanquam constat eruditos Iudaeos hunc Psalmum de Christo interpretatos esse. Sed nobis ipsius Christi testimonium sufficiat, qui eum de seipso interpretatur. Et apparet tunc quidem Iudaeos communiter hoc sensisse, Psalmum hunc ad Messiam petinere.

I. *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis.*

Totus Psalmus est quaedam continua narratio, continens descriptionem regni Christi, sed aptissime et gravissime orditur narrationem ab autore huius regni. *Dixit Dominus.* Duo enim complectitur verbum *Dixit*, videlicet quod ordinaverit hunc regem Deus, et ediderit testimonium per verbum, ut sciamus hoc regnum Deo placere, efficax et perpetuum fore. Cumque proponit testimonium, postulat ut credamus, et fide hoc regnum amplectamur, et statuamus vere nos bona illa consequi, quae in hoc regno promittuntur. Haec initio in his duobus verbis observanda sunt, Dixit, Dominus.

Additur autem, *Domino meo.* De hac particula Christus ipse movit disputationem: Cum Messias sit filius David, cur vocat eum Dominum? Non igitur ociosa est haec appellatio, et de re quaestio est: An vere Messias sit Dominus Davidis. Nam autor generis et rex pari potestate, non est inferior posteris, imo iure naturae maior est. Haec non poterant explicare Iudaei, qui imaginabantur Christum tantum habiturum humanam naturam, propagatam a Davide, et tantum habiturum regnum mundanum. Haec si ita essent, Christus non esset Dominus Davidis.

Itaque haec appellatio primum segregat regnum Messiae a regno Davidis. Quasi sic dicat: Concionabor de promisso rege, sed is habebit aliud regnum, quam hoc nostrum mundanum et periturum regnum. Agnosco igitur eum esse Dominum, qui impertiet nobis, non hanc corporalem defensionem, et liberationem a vicinis hostibus, iusticiam et pacem civilem, sed alias res aeternas, scilicet liberationem ab illis malis, quibus oppressa est tota natura humana, a quibus ego et leges et regna mundi neminem liberare possunt, scilicet a peccato, ab ira Dei, a morte, a diabolo. His malis pariter subiecti sunt ipsi reges mundi, sicut caeteri homines. Alius igitur rex veniet, qui ab his malis nos liberabit, et res aeternas, iusticiam et pacem aeternam adferet. Ita principio discernit appellatio Domini duo regna, et testatur David se loqui de alio rege, non de mundano. Hoc primum in hac particula considerari debet.

Porro hic utrumque observent studiosi. Quod Christus vocatur Dominus a rege, piis re-

gibus iucunda est consolatio, quod sciunt suum ministerium etiam servire et placere huic Domino, cum dirigunt ad gloriam Christi. Rursus admonet etiam reges mundi, ut agnoscant hunc esse Dominum, obtemperent ei, non persequantur Evangelium, sicut et paulo post tyrannis minatur poenas.

Secundo, etsi appellatio Domini discernit regna, tamen Christus disputans cum Pharisaeis, significavit etiam naturas discerni, cum inquit: Si David vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Taxat enim eorum ignorantiam et impietatem, qui putabant Messiam tantum habiturum esse humanam naturam, et significat se Dominum Davidis esse, quia sit natura Deus, etiamsi assumserit humanam naturam ex semine David, propter quam dicitur in scripturis filius David, ut Matth. 1. Necesse est autem sciri, quod Christus sit natura Deus, sicut ipse hoc inculcat, Iohan. 5. Item 8. Item. 10. Ut enim invocemus hunc Messiam, necesse est in eo vere et substantialiter esse divinam potentiam.

Porro sicut non intelligebant Pharisaei, quale esset futurum regnum Christi, et qualia beneficia daturus esset, scilicet novam et aeternam vitam, ita nesciebant invocatione et fide apprehendendum esse Messiam: hos errores omnes taxat Christus, et testatur appellatione Domini discerni et regna et naturas. Sed haec satis sit breviter attigisse.

Sede a dextris meis.

Haec est promissio de regno, quasi dicat, haec est meae concionis summa, quod Deus sit daturus Domino meo regnum, in quo pari potentia cum Deo regnaturus est. Nam sedere ad dextram Dei, est regnare pari potentia cum Deo, haec est Pauli interpretatio ad Ephes. 1. ubi inquit: Collocavit eum ad dexteram suam in coelestibus, super omnem principatum, et omnia subiecit sub pedes eius. Totus enim ille locus apud Paulum ex hoc Psalmo decerptus est. Et ad Heb. 1. ferens omnia verbo potentiae suae, per se facta purgatione peccatorum nostrorum, sedet ad dextram maiestatis in sublimi, tanto praestantior angelis etc. Haec testimonia clare ostendunt, hac figura sermonis significari potentiam super omnes creaturas. Sicut et Christus ipse inquit Ioannis tertio: Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu eius, qui credit in Filium, habet vitam aeternam. Item Matth. ultimo: Mihi data est omnis potestas in coelo et in terra.

Explicata figura sermonis, cogitemus, quale regnum describat, et ad quid prosit intelligere, quod Christus regnet divina potentia. Primum enim haec ipsa descriptio. Sedet ad dextram Dei, significat beneficia huius regni. Quia enim Christus tenet regnum Deo placens et aeternum, significat eum dare beneficia spiritualia et aeterna. Omnes qui adhaerebunt huic regi, placebunt Deo, et consequentur aeterna beneficia, ac talia, quae non possunt humana potentia parari. Haec igitur sunt illa beneficia, remissio peccatorum, iustificatio, donatio Spiritus sancti, et vitae aeternae promissio, quod Deus propter Christum exaudiat, liberatio a tyrannide diaboli, a peccato et a morte. Haec beneficia breviter significantur, quia tale regnum describitur, in quo adhaerentes regi placebunt Deo, et habebunt aeterna bona.

Prodest autem intelligi hoc regnum, ut sciamus quae beneficia petenda et expectanda sint a Christo, ne somniemus tantum esse mundanum regnum, sicut Iudaei somniabant. Secundo, prodest intelligi, quod Christus divina potentia regnet, et quia beneficia illa non possunt nisi divina potentia praestari, et nobis necesse est tenere, quod ille Messias quem invocamus, possit et velit exaudire, et quod sit fide apprehendendus et expectandum ab eo auxilium, etiamsi non cernitur oculis corporalibus, etiamsi aliquandiu nos sinit affligi, et omni genere aerumnarum opprimi.

Ergo cum haec verba audis, *Sedet ad dextram Dei*, cogita primum, quae beneficia in hoc regno promissa sint: deinde cogita, ea tantum divina potentia praestari: tertio cogita, Christum invocandum esse, et fide petenda et expectanda esse illa beneficia. Haec omnia latissime discrepabant ab imaginationibus Iudaicis, qui putabant regnum corporale fore, quod armis et humanis modis defenderetur, et Christum praesentem dimicaturum esse cum gentibus. Adversus has carnales cogitationes opponenda est sententia: Sedet ad dextram Dei.

Donec ponam inimicos scabellum pedum tuorum.

Initium narrationis supra, continet summam quod videlicet Christus regnaturus sit divina potentia. Haec est summa Psalmi et principalis pro-

positio, quam his verbis tradidit: Sede a dextris meis. Nunc attexit effectus et circumstantias regni, ac primum pollicetur victoriam huic regi, et quidem divinam. Ego, inquit Deus, subiiciam tibi inimicos tuos. Est autem Hebraica phrasis in particula Donec, quae non significat hoc regnum aliquando desiturum esse: Sede, donec subiecero, sed est causalis: Sede a dextris meis, id est, habeto regnum divina potentia, ut ego subiiciam tibi inimicos. Ac postea Psalmus aliquoties repetit sententiam de inimicis, quod Ecclesia futura sit in afflictionibus. Sed hic Dominus cui tradit Deus regnum, vincet omnes hostes, et superabit afflictiones. Sic igitur accipiendae sunt hae sententiae, ut meminerimus nobis proponi consolationes in aerumnis Ecclesiae, Et in hac consolatione hoc spectandum est, quod *Deus* testatur sese subiecturum esse inimicos. ergo Christus erit efficax divina potentia. Item vere curat nos Deus in illo regno, siquidem affirmat, se hostes oppressurum esse.

Sed qui sunt illi hostes? Totum regnum diaboli, id est, diabolus qui est autor peccati et mortis, et per peccatum et mortem abstraxit a Deo genus humanum, et armat impios homines adversus Christum, ut persequantur verbum Dei. Hos hostes vincit Christus, abolebit peccatum et mortem, et destruet potentiam diaboli, et omnium qui persequuntur verbum Dei: illis vero qui adhaerebunt Christo, nec peccatum, nec mors, nec diabolus nocere poterit, nec ulla erit tanta saevitia mundi, quae possit delere Christi regnum. Quaecunque afflictiones impetum adversus nos faciunt, erigamus nos hac voce Dei: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, id est, sciamus Ecclesiam et omni genere adflictionum exercendam esse, et tamen victricem fore, quia Christus sedet ad dextram patris, et Deus subiiciet omnes inimicos.

Paulus 1. Corinth. 15. discernit regnum Christi certantis cum hostibus, ab altero statu, in quo Ecclesia glorificata et accepta haereditate iam cum Christo regnabit. Sed illud discrimen non constituit finem regno Christi, sed finem illi certamini in hoc regno. Ideo inquit: Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Et quidem adiecit sententiam, in qua describit hostes: Novissime inimica destruetur mors.

II. *Sceptrum regni tui emittet Dominus ex Sion.*

Hic de loco incipit vaticinari, ubi hoc regnum sit incoandum, ut conscientiae certo teneant, ubi ille rex quaerendus sit, ubi agnosci possit. Est ergo summa, Initium huius regni fore in Sion. Utrumque complecti necesse est, personam ipsam, et verbum quo regnum propagatur. Ipse Christus affuturus est in Sion, ipse dominabitur ibi, ut hic dicitur, Et erit sacerdos, id est, praedicabit quoddam novum verbum, et habebit suum quoddam sacrificium, et vincet ibi hostes suos. Est igitur sententia: Sceptrum emittet, id est, incoabit regnum, videlicet, quia et persona ipsa Christi ibi aderit, et verbum novum ibi sparget, sicut Esaiae 2. dicitur: Ex Sion exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem. Et de officio huius regis Esaiae 61.: Ad annunciandum afflictis misit me, ut medear contritis corde, et praedicem captivis indulgentiam. Talia extant apud Prophetas multa et illustria testimonia de regno Christi, quod in Sion sit incoandum, et quale sit futurum, scilicet, quod verbo administrabitur, non gladio, non vi corporali. Et quidem quod non lex, sed aliud novum verbum annuncians salutem, propagandum sit.

Dominare inter inimicos tuos.

Antea de loco dixit, ubi incoandum sit regnum, nunc addit aliam circumstantiam, quale sit regnum futurum. Et sunt observandae emphases verborum. Ait dominaturum esse, et quidem inter inimicos. Primum igitur pollicetur ei victoriam, sicut aliquoties supra dictum est, et eandem sententiam infra repetet. Haec consolatio quantam vim habeat, non potest nisi in veris certaminibus intelligi. Pii luctantur cum peccato et cum morte: hic si erigant animos hac sententia, Christum victorem esse peccati, et postulare ut confidamus propter ipsum nobis ignosci, hac fiducia consequuntur veram consolationem, iusticiam et pacem, sic invocatione Christi defendimur adversus insidias diaboli. Praeterea tota Ecclesia in mundo ita conculcatur, ita negligitur verbum Dei, ut videatur futurum ut statim extinguantur Evangelium et Ecclesia, sed quia scimus Christum esse victorem, et perpetuo regnaturum, statuamus non posse opprimi Evangelium, et mansuram esse Ecclesiam, etiamsi

immani saevitia mundus eam delere conetur. Ita fiet magis perspicuus versiculus, si accommodetur ad usum, in certaminibus interioribus et exterioribus.

Est et in altera particula emphasis, videlicet, Inter inimicos, significat enim habiturum esse Messiam acerrimos hostes, diabolum et membra diaboli, omnes impios, qui persecuturi sunt et ipsum Christum, et Evangelium et omnes pios credentes in Christum: hi hostes describuntur statim in prima promissione. Gen. 3.: Ipsum semen conculcabit caput serpentis, et serpens mordebit calcaneum ipsius, id est, Christus abolebit regnum diaboli, peccatum et mortem, sed econtra diabolus in suo regno, etsi non vincet, lacerabit tamen Christum et pios.

Peculiariter autem vaticinatur hic Propheta de Iudaeis defecturis et oppugnaturis Christum et Evangelium: testatur enim initium regni inter inimicos futurum esse. Significat igitur principes et praecipuam populi Iudaici partem hostes Christi fore, sicut et aliae prophetiae testantur. Apud Esaiam dicitur: Et nos non reputavimus eum. Et apud Danielem scriptum est, Christus occidetur. Item, populus esse desinet. Ad hanc sententiam accommodari et hic versus debet, contra carnales opiniones Iudaeorum, qui fingunt Messiam corporale regnum habiturum esse, et adiunctis Iudaeis domiturum caeteras gentes. Sed Prophetae docent futurum, ut ipse populus adversetur et belligeretur cum Christo, imo ut Christus occidatur, hinc manifeste sequitur, regnum Christi non esse corporale. Nam qui occiditur, non habet victorias civiles. Hoc breviter monere volui, ut consideretur quo sit applicandus versiculus.

III. *Populus tuus sponte offeret tibi in die victoriae tuae.*

Si Israël non erit adiunctus Messiae, quid igitur, nullum ne populum hic rex habiturus est, ad quem eius beneficia pertineant? Huic quaestioni ut occurrat, affirmat non defuturum esse populum, et quidem addit de cultu. Sicut igitur articulus fidei in symbolo iubet credere, quod sit Ecclesia Christi, ita hic affirmat esse aliquem populum Christi. Magna autem consolatio proposita est in articulo de Ecclesio, Cum scimus vere ratas esse promissiones, quae ad Ecclesiam pertinent, scimus certo consequi beneficia Christi, et exaudiri omnes, et fieri membra huius populi et Ecclesiae, qui cum agunt poenitentiam, credunt Evangelio et se his promissionibus consolantur. Etsi igitur scandala perturbant pios, ut quae sit Ecclesia dubitent, tamen illis scandalis opponamus hunc articulum, quod sit Ecclesia et populus Christi et sciamus promissiones omnibus vere credentibus, ratas esse. Est ergo haec prima pars versiculi, quod sit populus.

Quare addit *Sponte offeret tibi,* vel spontaneus? Primum hanc particulam opponit civili regno, quasi dicat, Messias non parabit regnum armis, sicut Alexander aut C. Caesar, sed audito verbo adiungent se ei populi volentes et non coacti. Huc iam pertinent sententiae in Prophetis, quae sic discernunt regnum Christi a regnis civilibus, ut Micheae 4.: Non discent ultra belligerari. Et Zachariae 9.: Destruetur arcus belli etc. Item hic ait, venturos sponte populos. Haec plane nova forma erit regni, videlicet ubi divina efficacia huius regis attrahet populos, et mutabit eos, et impertiet novam naturam, et divinam lucem et iusticiam, quae non humanis modis, legibus et armis, sed divino motu efficietur. Primum igitur opposita est haec particula, Spontanei, regno civili.

Secundo, ex priore antithesi sequitur altera. Nam particula, Spontanei, opponitur verbo legis, quod est ministerium mortis. Econtra vero in novo testamento dabitur aliud verbum, quod est ministerium, per quod datur Spiritus sanctus, et est efficax, ut efficiat spontaneum populum. Cum enim Messias sine violentia, sine armis et sine poenis corporalibus adiuncturus sit sibi populum, necesse est aliud quiddam existere, quo attrahantur homines, id cum non sit corporale, nec sit lex, quae armat magistratus, significat Propheta allaturum eum esse novum verbum, quo sit efficax Deus in animis hominum, ut volentes adiungant se Christo. Ita in hac particula, Spontanei, rursus significat quale regnum sit futurum, videlicet tale in quo regentur homines verbo et potentia Dei. Haec est secunda antithesis, qua particula, Spontanei, opponitur legi, et significat praedicationem novi verbi, per quod datur Spiritus sanctus.

Sed restat tertia antithesis, quae superioribus multum lucis addit. Particula, Spontanei, opponitur iusticiae legis et vetustati ac rebellioni

naturae humanae, et significat in novo testamento futuram instaurationem naturae humanae, in qua sine peccato, sine rebellione, sine morte praestabitur nova et vera obedientia. Et ut collationes superiores ostenderunt modum, quo Messias reget, scilicet non politico more seu gladio, seu lege, sed per Evangelium et Spiritum sanctum. Ita haec tertia antithesis admodum significanter proponit effectum, qualis ipse populus sit futurus. Et hac una voce praeclare complectitur illa ingentia beneficia, quae affert Christus, scilicet instaurationem naturae hominum, qua sublato peccato et abolita morte vivent homines in quadam nova et perpetua luce, agnitione Dei et perfecta obedientia. Haec novitas incoatur in hac vita, sed post hanc vitam perficietur.

Praecipue autem hic consideranda est causa, quare iusticia legis non sit spontanea, et quid sit, non esse spontaneum. Paulus inquit: Sensus carnis inimicicia est adversus Deum. Nec leve malum tam atrocibus verbis describit, significat enim in natura hominis horribilem rebellionem, dubitationem aut indignationem esse adversus Deum. Ideo quanquam praestatur externa obedientia utcunque, tamen non dicitur spontanea obedientia, cum illa rebellio, dubitatio et indignatio haereant in natura hominis. Et haec peccata multo maiora sunt, quam ut eorum magnitudo intelligi a ratione possit. Cum igitur hic Propheta vaticinatur, futuros populos spontaneos, non obscure concionatur de instauratione naturae. Erit autem post resurrectionem integra obedientia et perfecte spontanea, sed in hac vita tantum est incoata haec spontanea obedientia.

Dicemus igitur, quomodo in hac vita opponantur Spontanei cultus seu spontaneae oblationes, iusticiae legis. Nam hoc quoque complectitur Psalmus, et vult discernere novi testamenti cultus a cultibus Leviticis, et significare abrogationem legis, quasi dicat, Erit Ecclesia, etiamsi hic populus et hi cultus Levitici desinent, qui sunt umbrae, non sunt veri cultus. Habebit autem Ecclesia Messiae alios cultus praestantiores, videlicet spontaneos, id est, veros motus cordis, sicut ait Christus, Iohan. 4.: In spiritu et veritate oportet adorare. Tales cultus non exhibet iusticia legis, quia sine Evangelio et agnitione gratiae corda dubitant de Deo, fugiunt et oderunt iudicium Dei, non possunt vere invocare, imo fremunt adversus Deum, et accusant eum, praesertim in afflictionibus, nec possunt flectere animos ad patientiam, et in suis consiliis et actionibus praecipue expetunt carnalia, non anteferunt Deum, quaerunt opes, gloriam et voluptates, confidunt rebus praesentibus, cum in omnibus negociis deberet mens intueri Deum, et omnia dirigere ad ornandam gloriam Dei.

Cum igitur maneat tanta immundities in hominibus, etiamsi audiant legem, et praestent externos cultus et externa opera, sine Evangelio et noticia Christi, satis apparet, talem obedientiam non esse spontaneam et veram. Econtra vero, postquam per Evangelium agnoscunt corda misericordiam, propter Christum donatam, et fide eriguntur, ibi vere incipiunt invocare Deum, et concipiunt novos motus, noticiam Dei, timorem, dilectionem, confitentur et ornant gloriam Dei, et incipiunt obedire in afflictionibus. Hi cultus sunt spontanei et spirituales, quia sunt veri motus cordis, non externae umbrae. Praedicit igitur hic locus, quales sint futuri cultus in novo testamento. Quare meminerimus hos a nobis praestandos esse, videlicet timorem, fidem, invocationem, dilectionem, patientiam, castitatem, et similes fructus spiritus. Hos enim vocat spontaneas oblationes. Ex his omnibus intelligi utcunque potest, quare dixerit, Populi tui sponte offerent tibi. Quanquam enim collegimus plures antithesis, tamen omnes cohaerent, et alia ex alia oritur. Nam spontaneum significat haud dubie veros interiores cultus instauratae naturae, hinc reliqua sequuntur.

In ornatu sancto.

Phrasis est Ebraica, in ornatu sancto, pro vestitu pontificio. Alludit enim ad sacerdotes sacrificantes in vestitu sacro. Ait ergo, credentes Christo sacrificaturos esse spontaneas oblationes tanquam in pontificia veste. Sicut et Esaias inquit capite 61.: Vos autem sacerdotes Domini vocabimini. Et paulo post de ornatu loquitur: Et quasi sponsum vestiet sacerdotum more. Quanquam autem ornatus pontificius generaliter significat omnia dona Spiritus sancti, tamen praecipue significat ministerium Evangelii et confessionem, hic est principalis et summus cultus, quem comitantur deinde caeterae virtutes, patientia in afflictionibus et alia bona opera, quibus glorificatur Deus. Docet igitur Psalmus, quales oblationes requirat Deus, videlicet sacerdotales, hoc est,

praedicationem Evangelii, confessionem, patientiam in cruce et caeteras virtutes, quibus glorificatur Deus, sicut Petrus inquit, Nos vocatos esse, ut virtutem Dei annunciemus.

Ita ordinem docet hic versns, quod sit Ecclesia Christi, non armis constituta, sed verbo et efficacia Dei. Deinde quod Ecclesia illa sit exhibitura novos cultus spirituales, non Leviticos, non iusticiam legis. Et quidem cultus ille erit quoddam sacerdotium, praedicatio et confessio Evangelii, ut Deus innotescat, ut gloria Christi celebretur. Ita apte pingit hic versiculus totam Ecclesiam, et docet qualis esse debeat, quales cultus praestare debeamus. Haec de sancto ornatu, id est, de ministerio Evangelii.

Ex utero oritur tibi ros generationis tuae.

Redit nunc ad regis personam, et loquitur de eius nativitate. Etsi autem hunc versiculum alii aliter interpretantur, tamen videtur maxime concinna interpretatio de nativitate Christi ex Maria virgine. Hanc nativitatem comparat rori misso divinitus, et coniungit rorem et uterum. quasi dicat, veniet ille rex et vere nascetur ex utero, erit vere homo natus ex posteris David, sed tamen ut ros divinitus missus, sine virili semine, et habebit veram carnem ex Maria virgine sumtam, sed sine ullo peccato, sine ulla immunditia.

Veteres transtulerunt hunc versiculum ad aeternam generationem Filii Dei, et urgebant particulam, mane prodiit, quasi sit significatum, ante omnes creaturas natum esse Filium. Sed me movent appellationes Uteri et Roris, ut videatur hic versiculus magis convenire ad generationem ex virgine Maria, praesertim cum Propheta concionetur de Christo veniente in mundum et incoante hoc regnum visibiliter. Et uteri appellatio magis quadrat ad generationem visibilem, ac similitudo de rore cadente aptius significat nascentem Christum sine contagio et sine virili semine, ac venientem in mundum virtute coelesti, sicut Lucae primo capite scriptum est: Virtus altissimi obumbrabit tibi.

Extat et alia interpretatio pia et apta, quam probo, et alios amplecti facile patior, videlicet, quae non de regis persona, sed de populo loquitur. Nascetur tibi populus, sed tanquam Ros, hoc est, Populus Dei non generatione carnali propagabitur ex semine Abrahae, sed omnes gentes vocabuntur ac nascetur populus Dei per Evangelium et Spiritum sanctum, ut Ioannis 1. dicitur. Ait ergo ros generis tui, id est, multitudo nata divinitus sparso verbo, et misso Spiritu sancto, sicut ros spargitur de coelo. Nam Ecclesia Christi est coetus omnium qui vere credunt Evangelio, qui vere agnoscunt Christum, et sanctificantur per Spiritum sanctum, etiamsi in civili vita in imperiis habeat dissimiles politias, etiamsi habeat humanos ritus diversos, sicut Paulus inquit: In Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet, nec praeputium, sed fides quae est per dilectionem efficax.

IV. ***Iuravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech.***

Hactenus vaticinatus est de rege Christo, quod sit rex regnaturus divina potentia, quod visibile exordium regni futurum sit in Zion. Item, qualis sit futurus populus, item futurum, ut vere et tamen mirabili modo nascatur. Nunc incipit concionari de sacerdotio Christi, Nec ullus est locus in Prophetis, qui ita clare appellet Christum sacerdotem, et describat modum sacerdotii, ac discernat a Levitico sacerdotio.

Orditur autem a iuramento, quod non est obiter aspiciendum. Etsi enim Dei promissa sine iureiurando rata et firma sunt, tamen addit iusiurandum, ut infirmitati ac dubitationi nostrae opponamus non solum promissionem, sed etiam aeternum iuramentum Dei, et non sinamus nobis excuti fidem ullis scandalis. Fides enim oppugnatur innumerabilibus modis. Primum enim conscientia peccati reclamat in nobis, iudicamus nobis, cum simus indigni, non contingere tantum beneficium, ut Deus nos recipiat in gratiam, ut curet nos, ut exaudiat nos, ut det vitam aeternam. Deinde interim tum credimus subiicimur afflictionibus, quare non vitam, sed mortem et summas aerumnas videmur consequi.

Adversus haec scandala opponenda est haec vox: Iuravit Dominus, Et vis huius iuramenti non potest intelligi, nisi in vera lucta. Tertullianus cum de remissione peccatorum loquitur, urget iusiurandum: *Vivo ego, nolo mortem peccatoris.* Ita et hoc iuramentum si proponemus nobis in vero pavore, tum demum sentiemus quantam vim

habeat. Nec opus est longa enarratione, usu hic versiculus in consolanda conscientia et invocatione fit illustrior et dulcior. Quoties incipimus orare, cogitemus de pontifice Christo, veniat nobis in mentem huius iuramenti, et credamus vere nobis donari gratis remissionem peccatorum, nosque exaudiri propter hunc pontificem, iuxta promissionem.

Porro, hoc iuramentum saepe in scripturis repetitum est. Psalm. 131.: Iuravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum. Et Lucae 1.: Iusiurandum quod iuravit Dominus ad Abraham. Ideoque Esaias ait capite 60.: Feriam vobiscum pactum sempiternum misericordias David fideles, id est, promissionem gratiae factam Davidi ratam et firmam, et praestabitur sine ulla dubitatione. Sed haec mentio iuramenti et tam crebra repetitio ita demum erit grata, cum eam nobis inculcabimus ad fidem erigendam et confirmandam, et statuemus nos vere hac fide gratis reconciliari et iustos reputari. Hoc modo exaggerat et iuramentum Epistola ad Hebraeos capite sexto: Abundantius Deus volens ostendere haeredibus immobile consilium suum, interposuit iusiurandum, ut propter duo immutabilia teneremus firmam consolationem, confugientes ad obtinendam propositam spem, quam habemus tanquam ancoram animae firmam et inconcussam. Haec de iureiurando. Nunc dicendum est de sacerdotio.

Tu es Sacerdos in aeternum.

Non solum ait Messiam futurum esse regem, qui pari potentia regnet cum patre, qui sit victor peccati et mortis, et sit defensurus suos adversus saevitiam diaboli et mundi. Verum etiam tribuit ei appellationem et officia sacerdotis seu pontificis, videlicet, quod placet nobis patrem et interpellet pro nobis. Et complectitur praecipuum beneficium Christi, videlicet remissionem peccatorum, et summam consolationem adversus terrores legis, accusantis peccatum, et contra conscientiam indignitatis nostrae. Testatur etiam quod regnum Christi non sit administratio corporalis aut politica, quia Christus ita est rex, ut simul sit sacerdos, placans nobis patrem, afferens et impartiens nobis bona spiritualia, remissionem peccatorum, consolationem et liberationem adversus terrores peccati et iudicii Dei.

Sed ut beneficia pontificis Christi clarius conspici possint. Primum in genere dicam, de ratione sacerdotii seu de officio sacerdotis, haec tradit ipsa definitio sacerdotis.

Sacerdos est persona a Deo constituta, habens mandatum docendi, non humanam doctrinam, sed verbum divinitus revelatum et quidem Evangelium. Item, habens mandatum et promissiones, ut suo vel alieno sacrificio placet Deum, oret pro se et aliis, et offerat sacrificia, quae Deus instituit, ut innotescat et agnoscatur. Vere igitur tria sunt sacerdotis officia. Primum, proponere aliis verbum Dei divinitus acceptum, et quidem Evangelium. Secundum est, placare Deum aliquo sacrificio suo vel alieno. Tertium est, orare pro se et aliis, et offerre sacrificia divinitus instituta, ut Deus innotescat et glorificetur. De his tribus officiis passim concionatur scriptura. Et cum ad erudiendos, tum ad consolandos nos prodest haec officia in conspectu habere. Ideo ea quispiam disticho complexus est hoc modo:

ἱρεὺς τὴν διδαχὴν εὐαγγελίοιο φυλάσσων,
ἱλάσκει θυσίῃ, ταῖς τε ἀραῖσι θεόν.

De primo officio, videlicet de doctrina loquitur Malachias capite secundo: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et populus requirit legem ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Ideo enim dicitur Angelus Dei, quia perfert ad homines verbum Dei, non rationi notum, sed divinitus traditum, ut Deus vere agnoscatur, colatur et glorificetur. Et ad Angeli munus pertinet, ut a Deo mittatur, ita sacerdos non humano consilio, sed Dei vocatur, et traditur ei verbum coeleste, sicut scriptum est: Nemo sibi ipsi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Nec satis est proponi legem, nam hanc ratio utcunque novit, sed addat sacerdos Evangelium, seu promissiones de Christo, quae non sunt notae rationi, sed tantum divinitus revelatae. Quia enim testatur Deum velle exaudire, ignoscere, salvare, necesse est eum concionari de gratuita remissione peccatorum, et caeteris beneficiis promissis propter Christum. Frustra sacerdos ipse invocaret, nisi teneret promissionem, quae testabatur Deum exauditurum esse.

Erant igitur patres Abraham, Isaac, Iacob et reliqui, sacerdotes, quia de hac promissione concionabantur. Sed qui omissa promissione docebant tantum legem, nihilo magis erant sacer-

dotes, quam Hesiodus aut alii ethnici sacerdotes. Ideo quando in populo Israël conticescebat doctrina de Evangelio et promissionibus, Deus excitabat Prophetas, ut rursus illustrarent promissiones, et de veris cultibus, de fide, et de venturo Christo docerent populum. Quare et hoc tempore adversarii nostri, qui habent titulos Pontificum et Sacerdotum, nequaquam sunt sacerdotes, quia anteferunt humanas traditiones Evangelio, et conantur delere veram doctrinam de beneficiis Christi, et de fide, ac defendunt impios cultus. Interea utcunque aliquam legis particulam docent, sicut Hesiodus, aut Theognis, et addunt humanas traditiones. Longe autem aliud est sacerdotis officium.

De secundo officio, videlicet de placatione et sacrificio loquitur Epistola ad Ebraeos inquiens: Omnis pontifex constituitur, ut sacrificia offerat pro peccatis. Necesse est igitur pontificem seu sacerdotem habere aliquod sacrificium et victimam aliquam, sicut et Levitici 10. scriptum est: Data est vobis Hostia, ut portetis peccata multitudinis. Manifesta sunt exempla Levitica de hoc officio, quae etsi fuerunt umbrae, ut postea dicam, tamen testantur sacerdotes habere victimas et sacrificia.

De tertio officio, videlicet de oratione, Plena est lex exemplis, ut Levitici 10.: Rogetis pro ea in conspectu Domini.

Haec tria officia principaliter conveniunt Christo. Primum enim ipse adfert verbum ignotum rationi, videlicet expressam promissionem de gratuita remissione peccatorum et de vita aeterna, sicut scriptum est: Deum nemo vidit unquam, Filius qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis, id est, hanc voluntatem Dei, quae in Evangelio revelatur de gratuita remissione et salvatione, nulla ratio humana per sese deprehendit, sed tantum revelata est per Filium Dei in promissionibus, quae data sunt patribus, et in Evangelio, quod postea sparsum est in mundum.

Et ita patres qui Deo placuerunt, fiebant sacerdotes seu pontifices, quia has promissiones a filio Dei accipiebant, et earum custodes et interpretes erant, non tantum quia leges tradebant, aut erant *μυσταγωγοὶ* ceremoniarum.

Secundum officium est maxime proprium uni Christo, scilicet, pro aliis sacrificare, ac suo proprio sacrificio nobis placare iram Dei. Nam huic personae, videlicet Christo tradita est promissio, quod pater eum exaudiat, et eius sacrificium recipiat pro credentibus. Non est alia ulla hostia pro peccatis nostris, nisi haec una, videlicet mors Christi. Nec alio modo consequimur remissionem peccatorum, nisi cum fide statuimus illa hostia scilicet morte Christi, placatum esse Deum.

Ac magnopere prodest piis hanc partem sacerdotii Christi bene intelligere. Hic enim firma et vera consolatio proposita est. Hoc loco explicatio fit perspicua doctrinae de fide, et de remissione peccatorum, quae quidem collatione fiet illustrior. Quaeri enim potest quid profuerint sacrificia patrum ab initio mundi, et Levitica, siquidem nullo sacrificio, nisi Christi, placata est ira Dei. Ad hoc respondendum est: Nec patres fuerunt mediatores seu placatores, nec sacrificia eorum merebantur remissionem peccatorum, nec fuerunt satisfactiones, sed fuerunt tantum typi venturi Christi, et mortis eius. Sed vulgus Iudaeorum longe aliam persuasionem habebat de sacrificiis suis, imaginabantur enim se illis operibus mereri remissionem peccatorum, et hac opinione cumulabant sacrificia et cultus. Hunc errorem damnat Epistola ad Hebraeos cum inquit: Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata.

Nec levia certamina Prophetis hac de re cum populo fueruut. Taxant enim acerrimis concionibus errorem populi, ut Ieremias capite septimo; Non sum locutus cum patribus vestris de holocaustis. Et Psal. 49.: Nunquid manducabo carnes Taurorum, et sanguinem hircorum bibam? Et Psal. 29.: Holocaustum et hostiam pro peccato non postulasti. Hae conciones ingentes motus excitabant. Quanquam enim Prophetae non legem Dei, non ipsas ceremonias divinitus institutas improbabant, sed falsam persuasionem hominum reprehendebant, tamen fremebant pontifices et sacerdotes extenuari cultus, vociferabantur legem Dei aboleri. His calumniis concitata multitudine fiebat impetus in Prophetas, sicut hoc tempore exercetur summa crudelitas adversus nostros, cum docent Missam non mereri remissionem peccatorum.

Sed Prophetae nolebant obrui veram doctrinam de fide, docebant non esse fidendum operibus, sacrificia illa non mereri remissionem peccatorum, sed donari eam gratis propter promissum

Christum, et fide accipi, ac Deum velle ea fide coli et invocari, velle exaudire certo non propter sacrificia, sed propter unum Mediatorem quem promiserat, et velle ut fiduciam huius mediatoris adferamus ad invocationem, et statuamus nos vere respici, nobis ignosci, nos exaudiri, et salvari. Sic docebant agendam esse poenitentiam, ut haec fides accederet. Atque ita illucescit animis vera noticia Dei, et incoatur nova ac spiritualis obedientia, cum in pavoribus haec fides concipitur.

Sic et Esaias docebat non esse abolitum peccatum per sacrificia Levitica, cum de Christo doceret: Ponet animam suam hostiam pro peccato. Ergo Leviticae hostiae non abolebant, siquidem longe alia hostia opus erat, scilicet morte promissi salvatoris. Haec collatio ostendit, quale sit sacrificium Christi, et quomodo nobis contingat huius sacrificii fructus. Statuendum est enim, tantum esse hoc unicum sacrificium, quod mereatur aliis remissionem peccatorum. Ideoque fides concipienda est, quod haec hostia sola placaverit iram Dei, et fuerit satisfactio pro nobis, quodque propter hoc Christi sacrificium, non propter ulla nostra opera, aut sacrificia, Deus nobis certo sit propicius, certo velit exaudire, et salvare. In hanc hostiam intueatur fides, in petenda remissione peccatorum, in veris pavoribus, in omni invocatione, ac meminerit nobis hoc modo donari Christi sacrificium, nosque fieri sacerdotes alieno sacrificio, scilicet Christi. Sed quo modo nobis impertiat honorem sacerdotii, postea rursus dicam.

Convenit et tertium officium principaliter Christo, scilicet orare pro aliis, et impetrare remissionem peccatorum, donationem Spiritus sancti, vitae aeternae, et alia bona spiritualia et corporalia. Nam huic Christo data est promissio, qua pater testatur se ipsum exauditurum esse, hic est pontifex, qui unus accedit ad patrem, sine mediatore alio, unus hic pontifex ingreditur in arcanum illud Sanctum sanctorum. Et exercet hoc officium Ioannis decimo septimo cum ait: Rogo non pro eis tantum, sed pro omnibus, qui credituri sunt per verbum eorum. Quibus votis singuli nos optare vellemus, ut sciremus pro nobis intercedere Filium Dei? At hic audis vocem huius pontificis. Ipse precatur pro omnibus credituris. Hac voce sustentes te, et scias has preces nequaquam irritas esse, quod qui faciet, intelliget hic uberrimam consolationem propositam esse. Nec vero tantum orat pro nobis hic pontifex, sed etiam testatur se esse talem intercessorem, propter quem Deus nos exauditurus sit, et nostras preces perfert ad patrem, sicut docent promissiones: Quidquid petieritis *Patrem* in nomine meo, dabit vobis, Quasi dicat, petendum esse non propter dignitatem nostram, sed propter ipsum pontificem. Atque eo nobis propicius est pater, eo exaudit invocantes, quia hic pontifex assidue pro nobis interpellat. Cur igitur non irascimur diffidentiae nostrae, cur non invocamus Deum, cur opprimimur dubitatione ac desperatione, cur deseri aut negligi nos a Deo suspicamur, cur praeeuntem hunc pontificem non sequimur? Quin potius audimus concionem illam in Epistola ad Ebraeos: Habentes talem pontificem, accedamus cum fiducia etc. Atque ita nobis impertit honorem sacerdotii, quia nos iubet precari, et testatur se perferre nostras preces ad patrem, easque exaudiri propter ipsum. Sed postea rursus dicam, quomodo nobis impertiat honorem sacerdotii.

Hactenus dicendum fuit, quo modo Christus sit sacerdos. Nec vero alius honos maior cogitari potest, aut gradus Deo propior, quam esse talem sacerdotem, hoc est, proferentem arcanum verbum Dei, placantem iram Dei, intercedentem atque orantem pro aliis. Hoc ingenti honore, cuius magnitudinem angustia humani pectoris non satis cogitare potest, fungitur inter homines Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, Et fungentem hoc honore agnoverunt patres, Abraham, Moises, Aaron, David, Esaias et deinde Apostoli et omnes pii in Ecclesia.

Itaque cum tanto honore Deus hunc unum inter nos fungi voluerit, cogitemus quam horribiliter Deus puniturus sit impios, qui hunc pontificem omnibus blasphemiis et contumeliis onerarunt, qui statim post mundi exordium, nova sacrificia et idola excogitaverunt, et promissionem coelestem deleverunt, qui postea in Ecclesia oppresso Evangelio doctrinam de fide et veris cultibus contaminarunt, et novos cultus, nova et impia sacrificia in Ecclesiam invexerunt, et novos mediatores, videlicet Sanctos invocaverunt. Quid dubitamus Deum horribiliter irasci omnibus, qui his blasphemiis pontificem nobis propositum deformaverunt, et qui eas defendunt et approbant. Sed de his postea concionabitur Psalmus. Nunc pertexenda est descriptio sacerdotii, quae hoc loco

ponitur, sequuntur enim insignes particulae, quae discernunt sacerdotium Christi, a sacerdotio Levitico, et ostendunt qualia bona exhibeat hic sacerdos, videlicet novam ac aeternam iusticiam et vitam.

Sacerdos in aeternum.

Haec est nova descriptio, et nihil congruens cum Levitico sacerdote. Vocat enim hunc Christum sacerdotem aeternum: Initio autem constituendum est, quandocunque fit mentio Christi, quod sit aeternus Rex, sicut Psalmo 71. et alibi, intelligi hanc perpetuitatem de ipsa persona Christi, non de propagatione successorum, sed significatur ipsam personam Christi esse perpetuam, sicut hic inquit: *Tu es sacerdos in aeternum*, de persona loquitur, non de successione. Hoc postquam constitutum est, multa sumuntur ex talibus locis, de aeterno rege aut sacerdote. Primum enim hi loci sunt testimonia, de natura divina in Christo, quod sit aeternus Dei Filius, sicut Micheas inquit cap. 5.: Egressus eius ab initio, a diebus aeternis, vel ante dies mundi. Eadem enim sententia est, testatur eadem particula, quod Christus vivit aeterna vita, sicut Esaias inquit: Pater futuri seculi, seu pater aeternae vitae. Ergo necesse fuit Christum resurgere et ipsum tenere regnum et fungi sacerdotio, haec primum de persona considerantur.

Sed Propheta non tantum de persona loquitur, verum etiam de ipso modo sacerdotii et de beneficiis, quae complectitur. Haud dubie discernit a Levitico. Cum enim Christus sit aeternus sacerdos, necesse est etiam illi coetui in quo fungitur sacerdotio, dari vitam aeternam. Frustra enim diceretur Sacerdos postea, extincto toto coetu. Quare haec particula non obscure concionatur de tollendo peccato, de abolenda morte, de instauranda natura humana, de spirituali et aeterna vita. Leviticum sacerdotium erat paedagogia instituta ad significandum futurum sacerdotium. Et hostiae Leviticae testabantur generi humano impositam esse mortem propter peccatum, non abolebant peccatum aut mortem, nullam adferebant naturae nostrae mutationem, non adferebant vitam aeternam: sed hic in sacerdotio Christi, exerit se divina potentia, donatur remissio peccatorum, deinde natura humana purificatur, et aboletur mors, et illucescit in nobis nova agnitio Dei, et donamur perpetua vita et iusticia. Sic igitur pontifex noster est perpetuus, ut et coetum perpetuum habeat, in quo fungitur sacerdotio, et Deus habeat perpetuos cultores. Hostiae Leviticae erant destinatae morti, ut nos de peccato et de causa mortis admonerent, sed ut sint perpetua sacrificia, ut sit perpetua glorificatio Dei, aliud sacerdotium incoat Christus, in quo in vita aeterna erit perpetua Dei agnitio, celebratio, gratiarum actio.

Hinc intelligi potest, quam sit illustris differentia hic posita, discernens Leviticum sacerdotium, a Christi sacerdotio, quod abolet peccatum ac mortem, et adfert novam et perpetuam vitam, agnitionem Dei et obedientiam. Intuetur ergo Propheta, cum vocat aeternum sacerdotem, non tantum dona in hac vita, sed perpetuam illam gloriam instauratae naturae, quam non possumus verbis describere.

Et tamen illa ingentia dona in hac vita incoantur. Et complectitur Psalmus ministerium Evangelii, et ea dona, quae Christus in hac vita impertit, quae quidem sunt incoatio vitae aeternae. Sicut inquit Christus: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te Deum verum, et quem misisti Iesum Christum. Quia enim Christus nobis fit pontifex, et eius sacerdotium in nobis est efficax, necesse est perferri ad nos aliquod verbum, ut supra dictum est, et constitui aliquod ministerium. Ideo in hac vita primum ipse suum sacrificium pro nobis palam obtulit, dedit Evangelium, arguit peccata, donat remissionem peccatorum credentibus et agentibus poenitentiam, impertit Spiritum sanctum: Sedet ad dextram patris, ut sit Mediator et interpellator pro nobis, exaudit, gubernat, sanctificat, adiuvat invocantes, et resuscitabit eos ad vitam aeternam. Interea nos verbo et spiritu Christi renascentes, incipimus Deum agnoscere, timere, invocare, vera fide confitemur et praedicamus eius voluntatem, et propter confessionem perferimus acerrima odia diaboli et mundi. Reddimus igitur Deo et in hac vita cultus, non mactationes pecudum, sed confessionem, invocationem obedientiam, perpetuam gratiarum actionem.

Et quoniam Christi sacerdotium perpetuum est, etiam hoc ministerium in hac vita durare et conservari necesse est. Sicut inquit Christus, Non praevalituras portas inferorum adversus Ecclesiam suam. Impii aut imbecilles moventur saevitia tyrannorum et scandalis omnis generis, ut existiment statim funditus interituram esse Ecle-

siam, sicut Iudaei plane extinctam putabant post mortem Christi. Multi nunc quoque desperatione quadam abiiciunt doctrinam Evangelii, quia metuunt non duraturas esse Ecclesias nostras, vel propter persecutionem, vel propter alia scandala. Sed pii erigendi sunt, et docendi, ut Christum cogitent esse aeternum sacerdotem, et conservaturum esse ministerium Evangelii sui. Hunc versiculum nobis proponamus. Tu es sacerdos in aeternum, ut nos admoneat pontificem Christum non defuturum esse suae Ecclesiae, etiamsi undique a diabolo, a fanaticis spiritibus, a tyrannicis pontificibus et aliis oppugnatur.

Breviter hic etiam monendus est lector, quoties fit mentio perpetui regni aut sacerdotii in scripturis, significari, quod Christi regnum non sit futurum mundana dominatio, qualem Iudaei somniant, sed sit futura aeterna iusticia et vita, quae tamen in hac vita per Evangelium incoanda est. Monet item de cultibus, Non esse cultus Dei, res perituras, mactationes pecudum, aut discrimina ciborum, sed cultus spirituales, Agnitionem Dei, timorem, fidem, confessionem, et gratiarum actionem, sicut Paulus inquit: Regnum Dei non est esca, nec potus, sed iusticia, pax et gaudium in Spiritu sancto.

Secundum ordinem Melchisedech.

Non est usitata haec descriptio sacerdotii, secundum ordinem seu ritum seu morem Melchisedech. Nam Leviticum sacerdotium institutum est verbo Dei, et notum est ex descriptionibus multis in lege traditis. Ideo hic textus magnam parit admirationem omnibus quid sibi velit haec inusitata descriptio. Ac satis apparet Prophetam spiritualibus oculis, et multo altius introspexisse locum in Genesi de Melchisedech, quam alios lectores. Primum autem hoc statuamus, hanc particulam opponi sacerdotio Levitico, quasi dicat, Christum fore aeternum sacerdotem, non secundum ordinem Levi, sed secundum ordinem Melchisedech, hanc collationem necesse est declarari. Tametsi sacerdotes Levitici praedicabant etiam promissiones de Christo, tamen id non erat ipsorum proprium officium, sed erat propheticum. Interea Leviticum sacerdotium proprie erat mandatum docendae legis, non erat mandatum remittendi peccata, nec usquam lex tradit mandatum apertum de remissione peccatorum, nec docet de gratuita remissione, sed requirit nostram obedientiam, arguit peccata et proponit maledictiones, deinde addit quasdam aeternas ceremonias ad paedagogiam institutas, ut significent aliquid de peccato humani generis, de morte, de ventura hostia. Haec est summa Levitici ministerii. Econtra vero ut ostendamus, quid sit sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, primum considerandus est locus in Genesi.

Capite 14. ait textus, Melchisedech fuisse sacerdotem Dei altissimi, et is benedicit Abraham redeunti ex praelio, post profligatos quatuor reges. Principio igitur sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, testatur sacerdotium Christi liberum esse a ceremoniis Leviticis, quia Melchisedech sacerdos fuit, antequam institutae essent ceremoniae Leviticae. Quare cum illae ignotae fuerint huic Melchisedech, etiam nihil pertinebunt ad Christum. Et hoc argumento constat Iudaeos saniores valde moveri, cum disputant requiri ceremonias suas.

Secundo, Quale autem sit sacerdotium, remoto Levitico, postea dicam. Necesse est enim alios spirituales cultus poni, videlicet veram agnitionem Dei illuscentem cordibus hominum, verum timorem, fidem, invocationem, confessionem et obedientiam. Sed prius de persona dicam. Hieronymus ad Evagrium recte reprehendit Origenem, qui scripsit Melchisedech fuisse Angelum, et hanc sententiam ait secutum esse Didymum et quosdam alios. Deinde addit sententiam Ebraeorum, qui scripserunt Melchisedech fuisse Sem filium Nohae. Constat enim ex sacris literis Sem vixisse annos sexcentos, cumque esset sanctissimus mos primis patribus, qui accepto verbo divinitus facti erant pontifices et doctores humani generis, quasi per manus tradere verbum, et ministerium suum, hoc est, sacerdotium suis liberis, ut coelestis doctrina propagaretur et conservaretur ad posteros, non dubium est, Sem a patre constitutum esse pontificem et doctorem illius novi mundi. Ut enim semper aliqua fuit Ecclesia seu coetus piorum, etiamsi fuit exiguus, ita semper fuit aliquod verum sacerdotium, ac ministerium coelestium promissionum. Nunc vitia sacerdotum faciunt, ut de illo summo gradu et fastigio inter homines non satis honorifice cogitemus. Conferimus enim primos illos sacerdotes ad hoc vulgus sacrificulorum, qui ut nihil aliud dicam, dissimilimi sunt illis summis viris. Verum longe alia imago sacerdotis in animo concipienda erat.

Primi illi parentes, qui divinitus acceptis promissionibus et mandato docendi, gubernabant coetum piorum, hoc est, optimam partem generis humani, vocabantur sacerdotes. Nec alius superior honos aut Deo propior cogitabatur. Cumque illi summi et heroici viri longe antecellerent reliquis hominibus sapientia, spiritualibus donis, et omni genere virtutum, et haberent vaticinia de posteritate, de secuturis imperiis, de religione, deque omnibus mutationibus generis humani, versabantur inter homines vere ut Angeli, ac coelestes nuncii, sicut et Malachias inquit, sacerdotem esse Angelum Dei. Tales fuerunt Sacerdotes Adam, Enoch, Nohae, Sem: et postea Abraham, Isaac, Iacob. Ut enim voluit Deus alicubi conservari suas promissiones et veram doctrinam coelestem, ita semper aliquod fuit ministerium seu sacerdotium. Nec vero ante Abrahae vocationem usquam fuit alius, nisi Sem, qui illis temporibus vivebat, et a Noë verbum Dei acceperat, et ut aetate, sic haud dubie caeteris dotibus omnes homines tunc antecedebat. Hic viderat mundi dissimilem formam ante diluvium, audierat non modo patrem Noë de propagatione verbi divini, de superiorum patrum doctrina et exemplis, deque caeteris magnis rebus concionantem, sed etiam alios quosdam patres, qui cum Adam vixerant et primordia mundi, ac miracula prima, quibus Deus se patefecit, norant. Quare non dubito hunc virum antecellentem omnes alios homines, aetate, sapientia, virtute, consilio, fuisse eum cui tribuitur haec honorifica et vere regia appellatio Melchisedech, id est, Rex iusticiae, videlicet quia et ipse praestabat noticia Dei et pietate omnibus, et docebat Ecclesiam de iusticia, de cultu Dei, de mandatis et promissionibus divinis. Epiphanius narrat olim fuisse peculiarem sectam, quae sceleste corrupit hunc versiculum, negans Melchisedech fuisse hominem. Et hunc errorem prolixe refutat, deinde recitat publicam opinionem fuisse in gente Samaritarum, quod Melchisedech fuerit Sem filius Noë. Quod vero Epiphanius hoc etiam revellere conatur, ex supputatione temporum, qua colligit inter Sem et Abraham iam octogenarium amplius 1100 annos, cum tamen Sem tantum sexcentos vixisse scribatur, quare non potuisse eum pervenire ad tempus Abrahae iam senis egressi ex Mesopotamia. In eo manifestum est, deceptum esse Epiphanium, quod usitatae Graecae versionis, quam vocant septuaginta interpretum Chronographiam secutus est, quae a vero Ebraico textu multum discrepat, iuxta quam a Sem usque ad octogesimum annum Abrahae tantum intersunt anni 470, sicut et Iosephi supputatio cum Ebraica congruit, ita ut ex eadem colligatur, hunc senem vixisse post mortem Abrahae annos 35, et attigisse annum quinquagesimum patriarchae Iacob. Nihil ergo impedit temporis ratio, quo minus hic Melchisedech sacerdos fuerit Sem, qui cum aetate et autoritate omnes autecelleret, praecipuus pater et gubernator Ecclesiae illius temporis habitus est.

Iosephus Salem ait esse eam urbem, quae postea Hierusalem nuncupata est. Hieronymus dicit aliud fuisse oppidum in Samaria, seu in Ephraim, videlicet Sichem, quae tunc vocabatur Salem, ut testatur locus in Genesi capite 33. quae a Hierosolymis distabat fortasse 12 nostris miliaribus. Et Hieronymo assentior.

Tertio, Nunc dicendum est quale sit hoc sacerdotium, quod opponitur Levitico, et qui sint cultus in hoc nostro sacerdotio. Praecipua differentia est in hoc sacerdotio, quod Melchisedech est sacerdos expresse benedicens, et promittens Abrahae auxilium Dei. Nam lex arguit peccata et proponit maledictiones.

Econtra vero, quia promissiones ob hanc ipsam causam traditae sunt, ut certam consolationem haberemus, ipsae promissiones gratis annunciant remissionem peccatorum, et gratiam Dei. Ideo benedictio Melchisedech sine lege facta, vere annunciat Abrahae remissionem peccatorum, et ille hanc fide accipiens non efficiebat incertam: sed statuebat ratam esse sine conditione propriae dignitatis. Sicut igitur Melchisedech annunciat gratuitam et ratam benedictionem: ita Christus affert gratis remissionem peccatorum.

Haec est principalis convenientia sacerdotii Melchisedech ad sacerdotium Christi, sicut et haec principalis differentia est, et maxime perspicua legis et Evangelii, quod lex non promittit gratis remissionem peccatorum, imo accusat et damnat omnes: Evangelium vero promittit gratis remissionem peccatorum propter Christum. Et haec concio Melchisedech declarat effectus benedictionis, videlicet, cum addit de auxilio, quod Deus protegat Abraham, et adiuvet in praelio. Non enim ociose intelligi debet remissio peccatorum, sed cum Deus remittit peccata, recipit nos in gra-

tiam, sanctificat, gubernat et adiuvat Spiritu sancto, et nos vicissim vere agnoscimus Deum irasci peccato, et vere ignoscere credentibus, et invocamus ipsum, et obedire ei incipimus. Ita incoatur in credentibus nova et aeterna vita, et Deus praesto adest invocantibus, et defendit ac adiuvat eos in periculis, etsi exerceri eos sinit, sicut Christus inquit: Non relinquam vos orphanos. Et Psalmus: Nunquam vidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem.

Est igitur benedictio illa Melchisedech, non imago aut umbra Evangelii, sed est ipsa administratio Evangelii continens promissionem, quae testatur Deum esse propicium Abrahae et auxiliatorem. Talis benedictio est revera annunciatio remissionis peccatorum et gratiae qualis praedicatur in Evangelio. Et hoc est verum sacerdotium, concionari de hac voluntate Dei remittentis peccata, et de auxilio Dei.

Haec concio longe differt a lege. Cum igitur inquit: *Secundum ordinem Melchisedech*, describit sacerdotium novi Testamenti dissimile Levitico. Leviticum tradit legem, arguit peccata, proponit maledictiones, nequaquam offert gratis remissionem peccatorum. Deinde requirit externos cultus, varias et corporales ceremonias ad politiam istius populi utiles. Sed econtra sacerdotium novi Testamenti affert benedictionem, hoc est, remissionem peccatorum gratis propter Christum, et auxilium Dei, in tollendo peccato, et toto regno peccati, ut adiuvemur, et abolito peccato, tandem nos renovati novam et aeternam lucem, et vitam consequamur.

Haec sunt beneficia Evangelii, seu sacerdotii Evangelii, quae omnia complectitur benedictio, qualis in hoc loco proponitur, quam magis intelligemus, si applicabimus ad nos singuli hoc modo, videlicet, ut sciamus ipsum Christum esse hunc pontificem, benedicentem nobis, et promittentem auxilium Dei, defendentem nos, et sanctificantem, et resuscitantem a mortuis. Admoneat igitur nos exemplum huius loci de Melchisedech, ut prorsus nos ipsos sic benedici a Christo statuamus. Hoc si crederemus, illa vero ingens esset consolatio, sicut haud dubie Abraham concepit mirificam consolationem, et laeticiam hac concione pontificis Melchisedech.

Deinde sciamus verbum ipsum Evangelii per omnes ministros, annunciare hanc benedictionem, perinde ac si Christus eam annunciaret, et Christus est per hanc praedicationem efficax. Ita omnes audientes absolutionem, aut vocem Evangelii, cogitent se tali loco stare sicut Abraham, et audire verum pontificem benedicentem. Sed ideo rari sic afficiuntur, sicut afficiebatur Abraham, quia non intelligunt sic ad se pertinere illam vocem, sicut Abraham statuebat ad se pertinere benedictionem Melchisedech. Ideo non addunt veram fidem, sed sine ullo affectu audiunt. Dixi de principali interpretatione, quare dictum sit: Secundum ordinem Melchisedech, videlicet ad discernendum Evangelium, quod annunciat benedictionem a lege, quae proponit maledictionem.

Olim tantum faciebant collationem externorum rituum. Sicut Melchisedech obtulit vinum et panem, ita nunc in coena *Domini* panis est communicatio corporis Domini, et vinum sanguinis. Haec fuit collatio sumta ab externo ritu. Nos autem antea contulimus, non externos ritus, sed principales partes sacerdotii, id est, quale verbum, et quae beneficia sint utriusque sacerdotii. Haec principalis collatio primum est tenenda, et de hac loquitur Propheta. Haec est utilis conscientiis, et illustrat Evangelium. De collatione rituum nihil opus est dici, et tamen si quis hanc quoque adiicere vult, satis concinna est allegoria. Exercitui fesso opus erat cibo et potu, ideo occurrit vicinus princeps et pontifex, et adfert illis cibum et potum, ad reficienda corpora. Haec est in historia vera et simplex sententia.

Si quis autem de oblatione pugnat, non reclamo. Existimo et ego sumsisse Melchisedechum, veteri more, partem panis et vini, et libasse, id est, oblatione facta egisse gratias Deo pro victoria, pro ipso cibo, et pro omnibus beneficiis. Hic mos fuit usitatus patribus. Sed non est affingendum, quod haec gratiarum actio fuerit sacrificium applicandum pro aliis, ut mereretur eis remissionem peccatorum, et quidem ex opere operato. Verum gratiarum actio erat opus fidei, non pro aliis valens: sed placebat in isto, tanquam in reconciliato propter fidem, sicut ipsius propria confessio. Quemadmodum notum est discrimen inter sacrificium propiciatorium, et *εὐχαριστικόν*. Si hoc modo conferatur ad coenam Domini nihil est incommodi. Certe in coena Domini fit sanctissima libatio, hoc est, gustato corpore et sanguine Domini, agimus gratias pro tanta

victoria, qua *Christus* vicit peccatum et mortem, et nobis communicat suam victoriam, ac testatur nos quoque liberatos esse a peccato, et a morte aeterna. Et haec gratiarum actio facienti prodest, non meretur aliis remissionem peccatorum: sed est in vere credentibus viva et ardens consolatio conscientiae.

Talis gratiarum actio vocari potest Sacrificium, non applicandum pro aliis, ut mereatur eis remissionem peccatorum, aut alia: sed quia est opus placens in reconciliato, sicut obedientia in adflictionibus, aut confessio, sicut scriptura saepe loquitur de sacrificio laudis. Haec adieci propter usitatam allegoriam, qua ad coenam Domini confertur hoc convivium Melchisedech.

Epistola ad Hebraeos etiam exaggerat appellationem (Rex iusticiae et pacis), et ego arbitror hanc appellationem habere gravem causam, et continere significationem aliquam. Magna etiam dignitas, magna reverentia fuit ministerii prophetici tunc, sicut esse debet. Ideo cum Sem esset praecipuus Propheta et Doctor sanctorum eius temporis, appellatus est Rex iusticiae, id est, rex iustus, et aliis iusticiam praedicans.

Haec appellatio tribuenda est proprie regi et sacerdoti Christo, non tribuitur Levitico sacerdoti. Nam Leviticus pontifex proponit legem, peccata, mortem et externam politiam. Sed Christus donat et praedicat iusticiam, qua coram Deo iusti reputamur, et est autor novae et aeternae iusticiae et pacis. Praedicarunt autem hanc iusticiam et patres, quibus promissiones traditae sunt. Hi agnoscebant venturum Dominum, et sciebant se illa dona ab ipso accipere, sicut ait Iohannes: Ex plenitudine eius omnes accepimus. Ideoque fungentes ministerio Christi, aliquo modo erant eius typi. Quare cum Sem appellatus est Rex iusticiae, significatum est venturum esse regem, qui vere restituat iusticiam et vitam perpetuam.

Cum igitur in hoc Psalmo David inquit, Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, etiam in nomine est descriptio, quale sit sacerdotium Christi, et quod sit dissimile Levitico, videlicet, quia Christi sacerdotium adfert illud novum, et aeternum regnum promissum patribus. Tale regnum non erat politia Mosaica aut Levitica. Haec de appellatione satis sit breviter dixisse.

Postremo autem in fine huius loci admonendus est lector, ut principalem collationem consideret, de qua supra diximus, quod videlicet sacerdotium Melchisedechi erat sacerdotium benedicens, et non consistens in externis ritibus Leviticis. Ita est conveniens imago sacerdotii Christi.

Tradita est igitur in hoc versu insignis descriptio sacerdotii Christi, quae multiplicem doctrinam et consolationem continet. Primum ostendit principale officium Christi, videlicet quod sit sacerdos, et quod fuerit passurus. Secundo describit quale sit futurum sacerdotium, scilicet, in quo sit unus pontifex aeternus, et daturus sit res aeternas, videlicet, iusticiam et vitam aeternam. Tertio discernit sacerdotium Christi a Levitico. Quarto testatur quod sit sacerdotium benedicens, et praedicans remissionem peccatorum, donans iusticiam etc.

Haec breviter collegi, ut in summa repetantur ea quae dicta sunt. Illud autem addendum est, ut in nostris tentationibus hanc doctrinam ad usum, et ad consolationem conscientiarum transferamus.

Nulla enim est dulcior consolatio, quam sacerdotium Christi considerare. Cum enim sit sacerdos, est placator, victima, precium redemtionis nostrae, et assiduus interpellator pro nobis. Et cum sit aeternus sacerdos, haud dubie invocantes liberabit a morte.

Postremo cum sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, benedicet et donabit novam iusticiam et pacem. Hunc versiculum si proponemus nobis in veris doloribus et certaminibus, sentiemus eum uberrimas consolationes continere, sicut Epistola ad Ebraeos hortatur nos: Habentes talem pontificem accedamus cum fiducia etc.

Hactenus de hoc versiculo et de sacerdotio Christi. Nunc adiiciam pauca de sacerdotio singulorum Christianorum.

Differunt ministerium externum et sacerdotium. Nam sacerdotium est ius singulorum credentium, ad invocandum et sacrificandum, ut postea dicam. Sed ministerium est executio muneris docendi, ubi postulat vocatio. Hoc ministerium publicum tantum ad illos pertinet, qui sunt rite vocati. Sed dicam de sacerdotio. Principaliter Christus est pontifex seu sacerdos, Hic enim manet aeternus sacerdos, qui immediate ac-

cipit verbum a patre, sicut Iohannes inquit: Filius qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Item, ipse habet solus ius sacrificandi pro aliis, ipse est pontifex sine Mediatore invocans, Omnes alii invocant Deum per hunc Mediatorem.

His modis differt Christi sacerdotium a nostro. Sic enim nobis impertit honorem sacerdotii. Primum si ipsum agnoscimus esse pontificem talem, ut dictum est. Deinde nos sibi sic adiungit, ut nobis quoque tribuat Evangelium, et mandatum confitendi, ac docendi pro vocatione. Secundo dat etiam ius invocandi, sed ita, ut ipso Mediatore utamur, ut certum sit nos exaudiri, sicut inquit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

Tertio tribuit etiam ius sacrificandi, id est, recipit obedientiam nostram in adflictionibus, in confessione, et aliis bonis operibus, tanquam sacrificia, et ornat eam honore huius tituli, testatur esse sacrificia, id est, opera quibus Dei gloria fit illustrior, et quae placent Deo, sicut de sacrificiis loquitur Petrus, cum ait: Sacerdotium sanctum, offerentes hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum. Hic clare tribuit omnibus Christianis hostias.

Sed hae duae differentiae sciendae sunt inter Christi sacrificia, et nostra. Christi sacrificium pro aliis fit, nostra non fiunt pro aliis, sed sunt cultus debiti, quos requirit Deus a singulis. Item nostro sacrificia non placent propter seipsa, sed propter pontificem Christum, sicut hic diserte ait Petrus: Hostias acceptas per Iesum Christum. Ut igitur nostra bona opera fiant sacrificia, requiritur ut fiant in fide, hoc est, ut fiant propter Deum, ad declarandam obedientiam erga Deum, et ad confessionem, et invitandos alios: deinde ut credamus ea placere propter pontificem Christum. Hae duae circumstantiae ex bonis operibus efficiunt sacrificia.

Hic etiam solet disputari de Missa, hoc est, de coena Domini, an sit sacrificium. Etsi autem hanc quaestionem supra attigi: tamen breviter aliquid addam.

Adversarii hanc causam nunc pingunt multo subtilius quam olim. Ideo diligenter quaerendi sunt fontes huius disputationis. Olim docebant Missam esse tale sacrificium, quod pro aliis factum, mereretur vivis et mortuis remissionem peccatorum, poenae et culpae, ex opere operato, sine bono motu utentis, aut illius, a quo fit.

Hic error facile potest refutari, quia manifeste pugnat cum doctrina fidei. Remissio peccatorum contingit propria cuiusque fide: ergo non contingit ex opere operato, sine bono motu utentis. Consequentia est manifesta, quia fides est proprius cuiusque motus agnoscens misericordiam propter Christum promissam. Est igitur res contraria operi operato, et ei quod fit sine bono motu cuiusquam. Ita simpliciter est idolatria tale opus aliis applicare promissione peccatorum, et delet doctrinam de fide. Quare illa applicatio Missae tanquam idolatria abominanda est. Nec opus est longa disputatione in hac causa, quia illa ratio de doctrina fidei clarissime refutat applicationem Missae.

Quanquam autem nunc subtilius pingunt errorem suum adversarii, tamen res eodem redit. Hoc volunt obtinere, quod Missa sit opus faciendum et applicandum pro aliis: tantum addunt hanc correctionem, quod non valeat ex opere operato, sine bono motu utentis, et eius pro quo fit. Contra hanc applicationem etiam tenenda sunt firma argumenta.

Primum ad Hebraeos capite decimo scriptum est: Una oblatione consummavit sanctificatos. Igitur sola Christi mors est illud sacrificium, quod pro aliis applicandum est, et pro omnibus satis est, nec est ille honos transferendus in opus sacerdotis.

Secunda ratio. Idolatria est fidem niti applicatione operis sacerdotis. Iam si Missa esset opus applicandum pro aliis, sive ex opere operato, sive aliter, fidem oporteret niti illa applicatione: ergo talis applicatio nullo modo concedenda est.

Tertia ratio. Coena Domini valet tanquam Sacramentum: ergo impossibile est eam applicari pro aliis, sicut impossibile est baptismum applicare pro aliis, sed prodest utenti. Antecedens est manifestum, quia substantia Sacramenti est, esse ceremoniam, in qua exhibentur nobis promissiones. Talis est coena Domini. Item, hic Christus exhibet nobis corpus et sanguinem, ut propriam fidem confirmemus, et applicat ipse nobis sua beneficia: ergo non est opus tale, quod nos possimus pro aliis applicare.

Quarta ratio. Idolatria est in Ecclesia, instituere cultum applicandum pro aliis, sine ma-

nifesto verbo: Applicatio Missae nullum habet mandatum, sed tantum singuli iubentur pro se uti, ad confirmandam propriam fidem. Ergo applicatio est idolatria, Minor est manifesta ex institutione, quia institutio non iubet pro aliis fieri. Imo est utenti applicatio novi Testamenti, sicut ait textus: Hic est calix novi Testamenti. Nam Christus testatur, quod per hunc calicem applicet, et exhibeat promissa in novo Testamento. igitur non est applicatio pro aliis, nisi pro utente. Ex his manifeste apparet, quod Missa non sit opus applicandum pro aliis, sive ex opere operato, sive aliter. Quare nequaquam est sacrificium, sicut adversarii contendunt, qui ideo defendunt esse sacrificium, quia sit opus applicandum pro aliis.

Refutatis his erroribus, postea facile est intelligere quis sit verus usus coenae *Domini*, et quatenus sit eucharisticum sacrificium cuiusque utentis. Unus est principalis usus et finis ceremoniae, etsi enim possunt accedere deinde plures fines non pugnantes cum fine principali, unum tamen principalem esse necesse est.

Quare Coenae Domini principalis usus est, uti tanquam Sacramento, hoc est, sentire, quod sit testimonium, quo Christus testatur se nobis exhibere, et applicare beneficia novi Testamenti, et hoc testimonio admoniti credere debemus, vere nobis donari illa beneficia propter Christum.

Non igitur prodest opus ipsum sine fide, nec prodest pro aliis, sed sicut verbo Dei, ita hoc Sacramento suam quisque fidem exuscitet. Ideo ait Christus: Hoc facite in mei commemorationem. Principalis enim recordatio Christi est, agnoscere eius beneficia, et ea fide accipere.

Postea accedunt et alii fines. Idem opus coenae Domini fit gratiarum actio et confessio. Cum enim credimus nobis remitti peccata, pro hoc immenso et ineffabili beneficio gratias agere debemus, et confiteri fidem nostram, et nostro exemplo alios invitare et confirmare. Constat autem gratiarum actionem et confessionem esse cultus Dei, quos saepe praecipit Scriptura. Est et ipsa fides cultus praecipuus, quo tribuimus Deo honorem summum, quod sit Deus, quod vere exaudiat, quod praestet promissa, ut Rom. 4. scriptum est: Dans gloriam Deo. Ita fit usus coenae Domini sacrificium, id est, opus quo redditur honos Deo, cum accedunt illa fides, gratiarum actio, et confessio: concurrunt enim multi fines unius operis, sed non pugnantes inter se.

Exposui quomodo fiat sacrificium. Sed illud hic certe tenendum est, nequaquam hoc opus esse sacrificium, nisi praecedat principalis finis, et accedat fides, et vera gratiarum actio. Quia novum Testamentum nulla habet sacrificia valentia ex opere operato. Christus enim inquit: Adorabunt patrem in spiritu et veritate, id est, veris motibus cordis. Et novum Testamentum est donatio aeternae iusticiae et vitae. Quare habet perpetua Spiritus sacrificia, agnitionem Dei et glorificationem.

Ex his perspicuum est, non differre usum coenae *Domini* in Ministro Ecclesiae et populo, Et pariter Ministrum et populum uti tanquam Sacramento, Utrisque pariter testatur exhiberi et applicari beneficia novi Testamenti. Pariter etiam Ministro et populo fit sacrificium, cum addunt fidem, gratiarum actionem, et confessionem. Sed Minister eo differt a populo, quia ipse porrigit, sicut Baptisans differt a Baptisato, sed tamen una cum pluribus vesci Minister potest.

Verum adversarii nostri discernunt a manducatione oblationem, et proprie putant oblationem esse sacrificium. Haec opinio supra refutata est et facile refutari potest, si quis consideret, quid velint esse illam oblationem, videlicet, cultum necessarium in Ecclesia, et quidem pro vivis ac mortuis. Dictum est autem supra, quod sit idolatricum, instituere novum cultum, sine mandato Dei. Et multo maior impietas est, fingere quod opus illud mereatur remissionem peccatorum vivis et mortuis. Haec et gloriam Christi obruunt, et pugnant cum fide, ut supra ostensum est. Retinendus est igitur simplex usus coenae Domini in Scriptura traditus pariter pro universa Ecclesia. Et detestanda est impietas, quod novus cultus institutus, applicandus est pro aliis, etc.

Haec de Missa breviter adieci, cum supra de sacerdotio dictum esset, ut vulgaris error tollatur illorum, qui putant sacerdotum proprium esse illam oblationem. Haec opinio abusus ingentes et multiplicem idolatriam peperit.

Commoratus sum in hoc loco de sacerdotio: utilissimum enim est piis recte intelligere, quid sit sacerdotium, et quas habeat praerogativas. Magna enim consolatio est intelligere, quod simus

sacerdotes, id est, quod habeamus ius invocandi Deum propter pontificem Christum, qui pro nobis intercedit. Item, quod nostra bona opera, et adflictiones nostrae sint vera sacrificia, et veri cultus, qui Deo placent. Nam haec sunt correlativa, Sacerdos et Sacrificium. Quae autem efficacior consolatio piis proponi potest in adflictione, quam si sciant Deum requirere hanc obedientiam, et ita ornare, ut iudicet se honore affici hoc cultu, et velit invocari, et affuturus sit nobis in his agonibus? Haec omnia significat nomen Sacrificium. Quare cum in omni vita, tum vero in adflictionibus habeamus in conspectu hanc doctrinam de sacerdotio et sacrificio. Necesse est populum Dei habere aliquod sacrificium, quare non defugiamus, quin Deo praestemus hoc nostrum sacrificium, videlicet adflictiones nobis impositas, et in his exerceamus fidem et invocationem, sicut scriptum est: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me etc.

Etsi autem haec doctrina de sacerdotio et sacrificio, non satis pro magnitudine amplificari et ornari potest: tamen quia praecipuos locos utcunque exposui, pergam ad reliquos versus enumerandos. Illud unum tantum adiiciam, quod de versiculo hoc inquit D. Doctor Martinus: Nullum sibi in tota Scriptura versiculum unum videri dulciorem, aut qui breviter tantam doctrinae copiam complexus sit, ut hic versus: Iuravit Dominus, et non poenitebit eum, Tu es sacerdos in aeternum.

V. *Dominus a dextris tuis, conteret in die irae suae reges.*

Hactenus docuit, quale sit regnum Christi, ubi sint auspicia futura, qualis cultus esse debeat, quae sit persona Christi, quale sit sacerdotium. Quos locos eligere poterat magis necessarios in docendo, et utiliores conscientiis? Nunc addit comminationem de poenis impiorum, sicut semper in Prophetis de Christo utrunque traditur, quod sit salvaturus credentes, et perditurus impios. Id traditur, ut iustum iudicium Dei conspiciatur, et ut aliqui vocentur ad poenitentiam. Item ut pii sciant tyrannorum saevitiam non fore perpetuam, sicut Psalm. 2. concionatur: Conteres eos virga ferrea, etc. Orditur autem hanc comminationem a descriptione potentiae.

Dominus a dextris tuis, id est, Deus adest hic, cui nulla quamvis magna potentia par esse potest. Quare etsi diabolus omnibus modis atque artibus oppugnabit Christum et Ecclesiam, incitabit tyrannos, ut omne genus crudelitatis exerceant, deformabit scandalis, dilacerabit Ecclesiam infinitis discordiis et haeresibus, tamen Dei potentia defendet Christum et Ecclesiam, et delebit hostes, sicut inquit Christus: Portae inferorum non praevalebunt adversus eam. Itaque hic versiculus proponit comminationem impiis et persecutoribus. Rursus etiam consolatur pios, ut sciant se defendi et servari contra diaboli et mundi potentiam. Hac consolatione piis maxime opus est in tanta infirmitate Ecclesiae. Qualis enim species, quae potentia est Ecclesiae, quae est exiguus coetus, imbecillis, et oppressus omnibus calamitatibus? Huic se opponit diabolus, deinde universa mundi potentia. Tantis viribus resistere, vincere insidias diaboli, retinere confessionem inter tot errores, et tanta pericula et supplicia, non est humanae potentiae. Ideo Ecclesia sustentat se hac consolatione, Dominus a dextris tuis, ut sciant se divinitus tegi et adiuvari. Huc pertinent promissiones passim traditae in scripturis. Zachariae 4.: Ego ero, inquit Dominus, murus igneus in circuitu eorum. Item Psal. 10.: Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.

Est autem emphasis in particula postrema, quod nominatim ait Reges puniendos esse, id confirmat pios contra scandalum, quod flos mundi, et praecipue sapientia et potentia praediti, adversaturi sint Evangelio. Monet ergo pios, ne hoc scandalo fracti deficiant ab Evangelio. Item consolatur eos, ut sciant Ecclesiam victricem fore tantae sapientiae et potentiae.

VI. *Iudicabit inter Gentes, cumulabit cadavera, conteret caput in terra multorum.*

Versus sonat de poena impiorum, sed tamen non sola poena intelligenda est, sed etiam caetera regni officia. Et quanquam regnum est spirituale, tamen poenae intelligantur non de sola praedicatione, sed veris poenis impiorum. Estque sententia: Christus regnabit etiam inter gentes, vocabit et salvabit multos ex gentibus, sed impios et rebelles perdet poenis corporalibus et aeternis, etiamsi aliquandiu sinet eos grassari, et exercere crudelitatem adversus Ecclesiam. Et poenae infligentur tyrannis et impiis, non ita, quasi Ecclesia sit regnum movens seditiones, aut gerens

arma contra mundi regna: sed Christus in coelo sua vi grassantes tyrannos reprimet, et evertet et perdet, sicut repressit et extinxit Neronem, Iulianum etc.

Haec est simplex sententia horum versiculorum, quae colligenda est ex caeteris locis huius Psalmi et aliarum scripturarum, quae testantur regnum *Christi* non fore politicum regnum, sed aliud quoddam. Quare repudiandae sunt Iudaeorum interpretationes, qui, quia audiunt mentionem poenarum fieri, postea intelligunt totum regnum Messiae tantum fore politiam mundanum. Et ut definitionem planam et perspicuam adiiciamus, sciendum est, hoc esse regnum Christi, quod Christus pro nobis passus resurrexit, et vicit potentiam diaboli, peccati et mortis, sedet ad dexteram patris, et iustificat, et donat Spiritum sanctum, et vitam aeternam credentibus in ipsum per Evangelium, quod dedit et vult praedicari inter omnes gentes. Ibi etiam exaudit invocantes, et dat pleraque dona, et impios puniet aeterna morte, interdum etiam praesentibus poenis, ne Ecclesiam penitus deleant. Intelliges igitur hoc loco: Iudicabit inter gentes, id est, regnabit etiam inter gentes, vocabit et salvabit multos ex gentibus, rebelles vero puniet et perdet. Ita complectimur totum regnum etc.

Cumulabit cadavera etc.

Quod autem ait: Cumulabit cadavera, est descriptio magnitudinis poenarum, quae significat excidia ingentis potentiae mundi, quae se opponet Evangelio: quasi dicat, belligerabuntur toto orbe terrarum reges, et summi principes et omnes praestantes sapientia et opibus conspirabunt adversus Evangelium, Synagoga, Romani principes, deinde Mahometicum regnum et pontifices cum suis regibus. Adversus tantas vires defendetur Ecclesia, et omnes illi hostes, omnia haec imperia horribilibus cladibus et ruinis delebuntur. Eo pertinet, quod diserte inquit, percutiet caput in terris multis. Significat enim summam mundi sapientiam et potentiam adversaturam esse Evangelio, et tamen poenas daturam et ruituram esse.

Aliqui peculiariter interpretantur de Romana monarchia: verum ego non de illa tantum hunc versum intelligo, sed primum de Synagoga, deinde de omnibus regnis, quae cum Evangelio usque ad mundi finem belligerabuntur. Nam Propheta loquitur de omnibus temporibus. Ergo postremis temporibus intelligatur de illis regnis, quae adversabuntur Christo, de Mahometico regno et Antichristo, id est, de dominatione pontificum, qui Ecclesiam tyrannide oppresserunt, et idolatriam defendunt. Item de regibus hanc tyrannidem adiuvantibus. Haec regna etiamsi crudeliter adfligent Ecclesiam, tamen Christus conservabit eam usque ad finem, et paulatim regna quassata evertet, donec omnes tandem impios delebit, et coniiciet in poenas aeternas.

VII. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.*

Brevitas parit obscuritatem, quare hic versus dissimiles habet interpretationes. Iudaei inepte fingunt victorem Messiam tantam caedem facturum esse, ut torrentes sanguine manaturi sint, unde bibat exercitus: sed textus nihil de sanguine hic dicit, nec sanguis solet esse potus victoribus. Ideo hanc interpretationem reiiciamus. Habent Iudaei hic et aliam fabulam multo absurdiorem de Nilo, quam etiam omitto.

Quae est igitur sententia huius dicti: *De torrente in via bibet?* Omnino usitata est figura apud Hebraeos, bibere pro adfligi, ut apud Ieremiam capite 49.: Non eris innocens, sed bibens bibes. Et in Evangelio: Calicem bibetis. Item: Si est possibile, calix a me auferatur. Estque passim obvia haec figura, ut nihil dubium sit, adflictiones significari hac metaphora.

Est ergo sententia: In via, id est, priusquam glorificabitur, in transitu, donec in hac vita ante glorificationem et resurrectionem versabitur, bibet de torrente, id est, hauriet et sustinebit communes, et horribiles adflictiones humani generis. Non dicit, ut alibi, bibet calicem, sed bibet de torrente, ut omnes adflictiones intelligas, sicut ipse clamitat: *Deus, Deus meus, quare dereliquisti me?* Harum adflictionum magnitudo non potest intelligi a securis et ociosis, nec possunt verbis explicari. Satis sit igitur moneri pium lectorem, quod omnis generis adflictiones, et quidem horribiles comprehendat Propheta, cum nominat torrentem. Natura humana subiecta est morti, irae Dei, et omnibus calamitatibus propter peccatum. Has poenas pro nobis sustinere Christum oportebat, cum fieret

victima pro genere humano. Et quanta sit magnitudo harum poenarum, ostendunt descriptiones apud Esaiam capite 23.: Vidimus eum infirmum, et adflictum etc. Item Paulus ait, Christum factum esse maledictum et peccatum, id est, hostiam pro peccato. Haec significant humiliationem et poenam extremam. Non modo enim ingentes cruciatus corporis sensit, sed etiam luctatus est cum ineffabilibus terroribus et ira Dei. Et in historia evangelica dicitur: Et factus in agonia, prolixius orabat, et factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. Describat igitur Propheta passionem, et omnes afflictiones Christi, cum ait: De torrente in via bibet.

Estque hic versus additus, ne superior descriptio de regno corporali, Iudaico more, intelligeretur: sed significaretur Christum passurum et moriturum esse, et non habiturum mundanum imperium, sed futurum in summis calamitatibus et aerumnis, ut fiat hostia seu victima. Nam victimarum mactatio a principio mundi significaverat, redemtorem promissum etiam futurum victimam et moriturum. Quia Deus voluit non aliter aboleri peccatum et mortem, nisi morte Filii sui. Ideo etiam Ecclesia, ut repraesentet imaginem Filii Dei, subiecta est semper omnibus summis calamitatibus generis humani, ut et Christi exemplum referat, et ut agnoscamus peccatum, cum ita in nobis mortificatur. Itaque in hoc versu primum Christi adflictiones consideremus. Deinde meminerimus totam Ecclesiam a principio mundi usque ad finem subiectam esse similibus calamitatibus, et sciamus hanc esse voluntatem Dei, nec propterea nos a Deo abiectos esse, etiamsi horribilibus et ingentibus aerumnis exercemur et premimur.

Deinde additur altera sententia de glorificatione. Propterea exaltabit caput, hoc est, hoc modo glorificabitur, postquam fuerit humiliatus et factus victima, sicut Dominus ait Lucae ultimo: Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Item Actorum tertio et septimo: Christum oportuit pati, et resurgere a mortuis. Et Hebrae. 5. luculenta concio est, quod oportuerit passionem praecedere, cum ait textus: Christus non semetipsum glorificavit, sed qui locutus est ad eum etc.

Deinde addit de precibus, offerens cum clamore valido, et lacrimis, exauditus est, propter suam reverentiam, id est, quia Christus obedivit patri, exauditus et glorificatus est. Et Esaiae 53.: Quia ponet animam suam pro peccato, videbit semen longaevum. Denique passim obvia sunt testimonia in scripturis, quae ostendunt hanc fuisse ordinationem Dei, ut Christus primum pateretur, deinde glorificaretur. De hac ordinatione etiam hic Psalmus concionatur, cum ait Christum in via passurum, deinde glorificandum esse. Caeterum de qua glorificatione versus intelligendus sit, docet particula supra posita, de regno aeterno ad dexteram patris, hoc est, de regno, in quo Christus divina potentia liberabit credentes a peccato, a morte, et defendet eos contra diaboli et mundi saevitiam, et puniet eos aeternis poenis, qui Evangelio non obediunt. Cum igitur dicit, exaltaturum esse caput, significat eum habiturum esse illud regnum, quod supra descripsit.

Cum hoc modo versus intelligitur, quod Christus fuerit passurus, et deinde glorificandus, apte cohaerent membra, et non est ociosa particula; Propterea, quae testatur, quod glorificatio sequi debuerit passionem. Sed si Iudaicas interpretationes sequeremur, ociosa esset haec particula, Propterea, ut attentus lector facile iudicare poterit.

Enarrato versiculo admonendus est lector, quomodo passio Christi consideranda sit. Deinde dicendum etiam de Ecclesiae adflictionibus. De his duobus locis, quia alibi prolixius dicitur, hic ero brevior. Nam omnino praeterire nolui, quia utile est ubique inculcare principalem locum de passione Christi.

Primum igitur hoc sciendum est, passionem Christi non tantum ut exemplum proponi, sicut proponuntur adflictiones aliorum Sanctorum, ut imitemur eorum patientiam. Sed alia multo maior est causa: proponitur enim ut donum et hostia, seu precium pro peccatis nostris, ut credamus nobis remitti peccata, propter illam victimam, seu hostiam. Discernam igitur meditationem passionis triplicem.

Prima est Paedagogica, secunda Fidei, tertia Exemplaris. Paedagogica est recitatio, et consideratio externa doctrinae de historia passionis Christi, vel de fructu historiae, qualis est lectio, aut qualiscunque recitatio ceremonialis. Haec

etiamsi adhuc nondum est spiritualis, tamen est necessaria rudibus, discendi causa. Est etiam ideo utilis, quia Deus est per verbum efficax. Ideoque aliorum affectus spirituales exuscitat. Quare talis ceremonia, audiendae, legendae, recitandae historiae non est negligenda aut aspernanda.

Secunda meditatio est spiritualis, quae est vere perterrefieri agnitione irae Dei adversus peccatum, et rursus concipere consolationem fide, qua credimus propter mortem Christi nobis remitti peccata, et hac hostia vere placatum esse patrem. Utrumque enim proponitur in passione Christi, videlicet, ira Dei, et promissio gratiae. Etsi enim iram Dei adversus peccatum etiam lex, et communes calamitates generis humani, quae sunt horrendae et innumerabiles, ostendunt: tamen praecipue ostendit eam mors Filii Dei. Necesse est enim ingentem iram esse, quam nullius sancti mors, aut adflictiones, denique quam nulla res placare poterat, nisi sola mors Filii. Vide autem quantum distet humana securitas a iudicio Dei. Cum Deus tanti faciat peccatum, homines contra ducunt levem offensionem esse, et mirabili audacia, et contemtu ruunt adversus voluntatem Dei. Ita inquit Paulus, Christum pro nobis factum esse peccatum, et maledictum: quae sunt voces significantes Filium Dei non levem iram sustinuisse, Et iubet sic apprehendi mortem Christi, et nos perterrefieri agnitione irae Dei in morte Christi, cum ait ad Romanos sexto: Complantati sumus similitudini mortis eius, etc., id est, debemus vere expavescere et agnoscere iram Dei.

Quoties igitur cogitamus de morte Christi, exhorrescamus, et damnemus securitatem nostram, quod peccatum leviter curamus, quod Deus ita execratur et detestatur, ut nulla hostia voluerit placari, nisi morte Filii sui. Movemur minis legis, movemur cogitatione ingentium calamitatum humanarum, quae sunt signa irae Dei: sed multo magis moveri nos oportebat hoc testimonio irae, quod Deus nullam hostiam, nisi Filium recepit pro peccato.

Deinde non satis est iram agnoscere, sed necesse est addi, quod mors Christi ita sit hostia, ut fiat pater placatus, et propter hoc sacrificium remittat, et deleat peccatum in carne nostra, et donet iusticiam et vitam aeternam, quod haec certo consequamur, non propter aliqua merita nostra, sed fide gratis. De hac parte loquitur Paulus, cum ait ad Romanos quarto: Traditus est propter delicta nostra, Et ad Romanos octavo: Pro peccato damnavit peccatum in carne. Et secunda ad Corinth. quinto: Eum qui non noverat peccatum, fecit peccatum pro nobis, ut nos fieremus iusticia Dei per ipsum. Haec sententia clare docet, quomodo uti beneficio Christi debeamus. Ita enim donata est nobis passio Christi, ut statuendum sit nos propter ipsum consequi remissionem peccatorum, et reputari iustos, non propter nostram propriam dignitatem. Non enim propria dignitas nostra adversus iram et iudicium Dei, sed Christi sacrificium opponi debet. Id est umbraculum illud, quo tegimur, et quo pater certo placatur.

Haec est igitur vere spiritualis meditatio passionis Christi, cum hoc modo in pavoribus vere nos erigimus fide, idque fieri debet in omni invocatione, in omnibus negociis, et periculis, et tentationibus. Sic David in acie se consolabatur in mediis periculis praeliorum, sic Paulus in omnibus negociis hac consolatione se sustentat, sic mater in partu, sic denique quilibet pius in omni actione invocat Deum, illi pontifici Christo se adiungens, et credens se propter ipsius sacrificium recipi, et exaudiri.

Non igitur est spiritualis meditatio, secedere in monasteria, et ociosis animis cogitare de passione Christi, et lugere Christum sicut Mulieres eum lugebant, euntes ad sepulchrum, sed in omni vita, in omnibus periculis et certaminibus intueamur Christum, et eius sacrificio et praesentia nos consolemur. Haec sunt utilia piis, et intelligi possunt. Et de hac vera et non ociosa meditatione loquitur Paulus ad Philip. 3.: Existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Domini mei Iesu Christi, ut inveniar in illo, non habens meam iusticiam, quae ex lege est, sed illam quae ex fide est Christi, quae ex Deo est iusticia in fide, ad agnoscendum illum, et virtutem resurrectionis eius, et societatem passionis illius, configuratus morti eius etc.

Tertia meditatio est Exemplaris. Haec etsi non est principalis, tamen etiam piis proponenda est, Quia continet duas consolationes utilissimas in adflictionibus, videlicet, quod Deus hanc obedientiam requirat, ut adflictiones perferamus. Secundo, quod Deus non ideo abiecerit pios, quia sinit eos affligi, nec affligat ut perdat, sed ut mor-

tificetur vetustas peccati in nobis, et crescat fides in his exercitiis.

Haec doctrina de Cruce valde necessaria est piis, et nusquam illustrius conspici potest, quam in hoc ipso exemplo Filii Dei, Nec ulla doctrina, aut ulla Philosophia unquam fuit, quae tales consolationes viderit, aut tradere potuerit. In omnibus hominibus miratur ratio, qui fiat, ut haec excellens natura hominum, cum tamen sit infirmissima, tantis calamitatibus onerata sit, quarum magnitudinem nemo satis cogitare potest, tantum abest, ut dicendo explicari possit. Deinde, quare optimis et praestantibus virtutibus praediti, incidunt in summas aerumnas? id non solum asperum, sed etiam crudele et iniustum videtur. Itaque ratio existimat partim casu haec mala accidere, partim ex materiae qualitatibus. Illud certe non statuit, aliquo Dei consilio tantum onus naturae hominis impositum esse, multo minus talem obedientiam necessariam esse, imo fremit omni impetu adversus haec tanta mala, et sentit eos qui adfliguntur, a Deo desertos, et abiectos esse.

Haec infirmitas et indignatio in humanis animis agnoscenda est, ut remedia quaeramus. Nam doctrina Evangelii docet quid sit sentiendum de afflictionibus, et monstrat testimonium et exemplum in Christo. Non enim casu accidunt, sed Deus vult praecipue Ecclesiam subiectam esse adflictionibus. Et testatur nos adfligi, ut non pereamus, sed ut exerceatur fides, ut crescat in nobis. Ideoque adflictiones vocantur in verbo Dei sacrificia et sanctissimi cultus Dei. Sicut in Psalmo dicitur, Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Et alias: Preciosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Item alibi: Preciosus sanguis eorum coram eo.

Haec doctrina de adflictionibus statim initio mundi revelata est cum Evangelio. Quia pios tenere hanc consolationem magnopere opus est, ne existiment se in tantis aerumnis negligi, aut abiectos esse a Deo. Quare haec revelatio proprie ad Evangelium pertinet. Cum igitur initio promittitur redemtor, qui liberet genus humanum a peccato, et ab omnibus calamitatibus, quae peccatum secutae sunt, diserte additur: Inimicicias ponam inter serpentem et mulieris semen, et ipsum semen mulieris conteret caput serpentis, et serpens calcaneum eius mordebit.

Haec verba videntur in speciem de re non magna concionari, sed si vere considerentur proponunt tristissimas poenas, quae post peccatum impositae sunt humano generi. Ostendunt diabolum hostem esse humani generis, qui omnem saevitiam non modo in impios, sed in illud semen exercebit, a quo ille calcabitur. Addit enim textus Evangelium de futuro semine, quod liberabit naturam humanam a peccato et a poenis. Sed tamen hoc ipsum semen mordebitur a serpente. Ergo grassabitur diabolus in universam Ecclesiam, et Christus et omnes pii erunt subiecti ingentibus calamitatibus.

Hoc docet initio mundi prima concio, et imponit novam legem naturae, non nobiscum natam, quod oporteat eam adfligi, et quod adflictiones illae in piis Deo placiturae sint, quia etiam ille liberator generis humani passurus sit. O admirandam et gravem concionem, si quis consideret aerumnas illas, et calamitates humani generis, tam breviter hic significatas esse.

Postea exempla declarant hanc concionem. Abel interficitur, Isaac ducitur ad mactationem, Prophetae interficiuntur. Denique universus populus Dei ingentibus aerumnis exercetur, sed maxime illustre exemplum est ipse Filius Dei Christus. Quare nemo se illi primae legi eximat. Sciamus omnes nos habere crudelissimum hostem diabolum, qui etsi non potest Ecclesiae membra perdere, tamen mordebit eorum calcaneos.

Itaque non miremur, non frangamur animo, cum sentiemus nos oneratos esse adeo multis et ingentibus malis: et quidem cum videmur multa indigna pati, hic intueamur in exemplum Christi, et discamus utrunque, quod haec obedientia sit necessaria, et quod Deo placeat, propter Christum. Sciamus nobis minari serpentem, sed tamen non posse eum mordere nisi calcaneum, saevit in hoc mortale corpus, sed Christus liberat nos a peccato et morte.

Haec tota doctrina de cruce procul extra conspectum rationis posita est, et nusquam traditur, nisi in doctrina de Christo. Ideo et in hoc Psalmo, cum quidem triumphos Christi describat, tamen etiam adflictiones attingit, cum ait: De torrente in via bibet. Item cum facit mentionem sacerdotii. Nam Christus talis est sacerdos, ut sit factus victima pro peccato et maledictione,

quare et mortem, et horribiles adflictiones sustinuit. Haec de meditatione passionis Christi adieci, ut in hoc Psalmo complecteremur doctrinam utramque, scilicet de passione et victoriis Christi.

In Psalmum centesimum undecimum

Argumentum.

Dixi supra diversa esse genera et argumenta Psalmorum. Alii enim proprie vaticinia et doctrinam Evangelii continent, alii doctrinam Legis, alii sunt preces, alii consolationes, alii gratiarum actiones.

Et haec genera miscentur. Haec diligentia discernendi genera prodest ad quaerendam unam et simplicem sententiam.

Primum igitur hic sciendum est, hunc Psalmum esse simplicem gratiarum actionem, quae videtur ad usum publicum in coetu populi composita, praesertim ad ceremoniam Paschatis. Ait igitur gratias pro instituto Paschate, sed complectitur in genere praecipua beneficia, scilicet, quod Deus, Ecclesiam et politiam huius populi, mirabilibus signis, verbo et ceremoniis constituerit: et quod constitutam Ecclesiam et politiam defenderit.

Haec est summa Psalmi, et in fine additum est generale epiphonema, quod opponit iudiciis prophanis de his operibus et de verbo, quasi dicat: Mundus quidem haec, quae praedicamus, contemnit, et nos delirare existimat, quod prae caeteris gentibus gloriamur nos habere verbum Dei, et nostrum regnum a Deo constitutum esse, et ab eo defendi. Sed haec iudicia longe errant, fallitur sapientia mundi. Verum una sola est vera sapientia: timere Deum, et huic verbo credere, quod nobis traditum est. Quod si faciemus: haud dubie Deus nos defendet et servabit. Proinde hoc epiphonema est reprehensio humanae sapientiae et prophani iudicii, et adhortatio ad timorem Dei, et ad fidem.

Estque utilis et generalis applicatio Psalmi, quae monet generaliter quaecunque opera Dei et verbum Dei anteferre universae humanae sapientiae, et omnibus iudiciis mundi. Et testatur hanc sapientiam verbi Dei non futuram inutilem, sed parituram ingentia bona.

Sic igitur transferamus Psalmum ad nos. Agamus et nos gratias pro dato verbo Dei, et pro vocatione Ecclesiae et conservatione, ac praecipue pro instituto Paschate nostro, ut postea dicemus. Et confirmemus nos adhortatione illa, ut sciamus hanc sapientiam verbi Dei efficacem esse, et salutarem, nec deterreamur iudiciis mundi, qui persequitur aut contemnit verbum Dei.

Enumerat autem Psalmus beneficia propemodum hoc ordine.

Primum agit gratias, quod Deus vocaverit hunc populum, editis testimoniis per miracula et per verbum.

Secundo, quod instituerit ceremonias, ac praecipue Agnum Paschalem, et quod addiderit huic ceremoniae praedicationem verbi, scilicet, non solum de liberatione populi, sed etiam de caeteris promissionibus.

Tertio, quod Deus dederit Verbum et Legem, et haec beneficia mirabilibus signis conservet. Et in hoc loco sunt egregiae laudes verbi Dei, quae discernunt verbum Dei ab humana sapientia et traditionibus.

Quarto agit gratias de continua defensione populi, adversus quoscunque hostes, ut: Gedeon defendit populum adversus Madianitas: Samson contra Philistiim: Saul contra Amalech: David contra Philistiim: Ezechias contra Assyrios etc. Hanc perpetuam defensionem complectitur versiculo: Redemtionem misit populo suo. Itaque in summa agit gratias Deo, quod Ecclesiam et politiam huius populi mirabilibus signis et verbo constituerit, defenderit et conservet.

Deinde additur epiphonema: Non deterreamur iudiciis mundi, quia haec sapientia verbi Dei non est falsa, inanis: sed vera et efficax. Ideo Deum timeamus, et non abiiciamus eius verbum et promissionem.

Hoc est argumentum Psalmi simplicissime recitatum. Facilis est autem accommodatio ad nos, ut nos quoque gratias agamus pro dato Evangelio, pro datis Sacramentis, pro vocatione Ecclesiae, pro illis admirandis operibus Christi, pro liberatione a peccato et a morte per mortem Christi, pro sanctificatione, et assidua gubernatione Sanctorum per Spiritum sanctum. Haec arcana et admiranda opera Dei assidue intueri et celebrare debemus, ut aliquo modo eorum magnitudinem agnoscamus, et accendamur ad fidem et

gratiarum actionem. Haec de argumento et accommodatione ad nos, breviter praefari volui.

Nunc Psalmum ipsum audiamus.

Psalmus CXI.

I. *Gratias agam tibi Domine ex toto corde, in consilio et coetu iustorum.*

II. *Magna sunt opera Domini, scrutanda propter omnia desiderabilia sua.*

III. *Gloriosum et magnificum est opus eius, et iusticia eius durat in perpetuum.*

IV. *Memoriam fecit mirabilium suorum, clemens et misericors Dominus.*

V. *Escam dedit timentibus se, Memor est in aeternum pacti sui.*

VI. *Virtutem operum suorum annunciat populo suo, ut det illis haereditatem Gentium.*

VII. *Opera manuum eius veritas et iudicium, firma sunt omnia mandata eius.*

VIII. *Rata sunt in seculum seculi, fiunt et sunt vera et recta.*

IX. *Redemtionem misit populo suo, mandavit aeternum esse pactum suum. Sanctum et metuendum nomen eius.*

X. *Initium sapientiae timor Domini, intellectus bonus facienti illa, laus eius durat in perpetuum.*

Primus versus est propositio principalis, ago gratias Deo. Et quia Psalmus est ad usum publicum factus, additur: In concilio et coetu iustorum, id est, in Ecclesia. Primum autem docet nos de veris, propriis et praecipuis cultibus Sanctorum, scilicet, de invocatione et gratiarum actione. Quare monet Psalmus, ut in his cultibus fidem exerceamus. Sic enim vere tribuitur Deo honos, quod non sit ociosus, quod sit propicius, quod vere respiciat nos, et velit nos exaudire et iuvare, propter promissam misericordiam. De his cultibus concionatur et Psalm. 49.: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me. Et quia de eis saepe alias dictum est, et infra subinde dicendum erit, nunc ero brevior. Tantum monendus fuit lector, quod Psalmus hortetur et nos ad haec praecipua opera, Invocationem et gratiarum actionem.

Secundo, Illud est dulcissimum, quod ait se in concilio et coetu iustorum, id est, in Ecclesia has laudes decantare. Quam ob causam hoc additur? causae tres sunt.

Prima. In omni oratione debemus intueri promissiones Ecclesiae factas et hac fide invocare, quod propter illas promissiones exaudiamur. Ideo saepe facit mentionem Ecclesiae, ut significet se niti promissionibus, quae datae sunt Ecclesiae, quasi dicat: In Ecclesia invocabo Deum, id est, inter eos invocabo, quibus tradidit promissiones, et harum fiducia invoco.

Deinde discernit haec particula pios ab omnibus sectis, et impiorum cultuum et traditionum inventoribus, et nos monet ne discedamus a vera Ecclesia, neve exaudiri putemus impios, qui extra Ecclesiam invocant. Sicut Psalmo decimoquinto inquuit: Non recipiam nomen eorum super labia mea. Haec comminatio hortetur ad nos verae Ecclesiae unitatem et concordiam tuendam et retinendam, et deterreat nos, ne coniungamus nos cum impiis, qui traditiones aut dogmata serunt contra verbum Dei. Nam invocatio in tali coetu est blasphemia, sicut Psalmus inquit: Fiat oratio eius peccatum. Tales sunt cultus et omnes invocationes omnium, qui persequuntur Evangelium. Quoties igitur Psalmi iubent in Ecclesia invocari, agi gratias: monent ne adiungamus nos impiis sectis, et persequentibus verbum Dei, sed tueamur unitatem verae Ecclesiae et hanc exaudiri sciamus, reliquas esse maledictas.

Tertia causa est, quare oratio debeat in Ecclesia fieri, ut scilicet simul sit confessio, et hac nostra confessione alios confirmemus, aut invitemus ad credendum et invocandum, sicut inquit Christus: Luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificent patrem vestrum, qui in coelis est. Est enim hic cultus necessarius, confiteri ut exemplum nostrum aliis prosit. Et Paulus secunda Corinth. primo, iubet multos pro se orare, et multos agere gratias, et ut magis credant Deo placere nostras preces, et crescat in eis fides, et ut Deus magis glorificetur. Simul igitur complexus est Psalmus in hac sententia, doctrinam de gravissimis locis: De promissione, ut invocantes intueamur promissionem Ecclesiae factam, deinde de intuenda unitate Ecclesiae, Tertio de publica confessione, ut

nostro exemplo alios invitemus. Haec est summa huius loci.

Sed addo etiam grammaticam admonitionem, Ebraice dicit in Arcano rectorum. Haec figura significat idem, quod in consilio, hoc est, conventu iustorum. Sicut alias arcanum pro consilio accipitur, Et Ecclesiae praecipue convenit haec figura, quia in Ecclesia est arcana doctrina, ignota, et spreta mundo. Item, quia gloria istius coetus, videlicet, quod sit populus Dei, nondum conspicitur.

II. *Magna sunt opera Domini, scrutanda propter omnia desiderabilia sua.*

Sequitur secundus versus, qui iam est propositionis expositio. Incipit enim recitare beneficia, pro quibus agit gratias, videlicet, *opera Domini*, quibus hunc populum mirabiliter vocavit, constituit et defendit. Non enim loquitur in genere de creatione: sed de eductione populi ex Aegypto, de donatione verbi et legis, de victoriis, quae testatae sunt hanc gentem esse populum Dei.

Nec tantum ait haec opera esse magna. Id enim etiam fatebantur impii: sed addit, ea esse *Domini* opera, id est, fatetur liberationem illam vere factam esse divinitus. Haec est vera gratiarum actio, corde credere et statuere, quod non casu simus adiuti aut servati, quod non nostra virtute simus incolumes: sed quod vere Deo curae simus, quod vere Deus nos adiuvet et servet, sicut Christus inquit: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Et Ieremias Threnorum 3. vituperat impios, qui negant a Deo proficisci bona et mala.

Hoc igitur discamus, vere credendum et statuendum esse, quod Ecclesia, et eius membra divinitus adiuventur et defendantur. Haec gratiarum actio requiritur.

Scrutanda propter omnia desiderabilia sua.

Id est, Deus multiplicem doctrinam in his admirandis operibus proposuit.

Primum se hoc testimonio revelavit mundo, ac coarguit impietatem Epicureorum, qui negant esse Deum, et aliorum qui negant Deo curae esse homines.

Secundo his poenis ostendit se irasci impietati, et poenas irrogaturum esse.

Tertio consolatur et confirmat pios, ut vere statuant Ecclesiam Deo curae esse, et a Deo defendi et servari, etiamsi sinit eam exerceri variis adflictionibus. Erat oppressus populus Israël crudelissima servitute. Itaque etsi multi perierunt: tamen Ecclesia servatur, et tandem gloriosis victoriis ornatur. Haec exempla proposita sunt, ut admoneant pios, ut sciant se non perituros esse, etiamsi versantur in extremis periculis et adflictionibus.

Quarto, haec ipsa exempla docent quod oporteat Ecclesiam esse subiectam adflictionibus, ut peccatum in nobis mortificetur, ut agnoscamus infirmitatem nostram, securitatem carnalem, diffidentiam, dubitationem, ut repugnantes his vitiis invocemus Deum. Item ut gloria Dei fiat conspectior, cum liberat ex tantis aerumnis.

Primum igitur haec generalis doctrina lucet in illa eductione ex Aegypto, quod Deus vere irascatur impiis, et sit servaturus Ecclesiam etiamsi eam duriter exercet. Haec doctrina longe superat captum rationis. Nam ratio dubitat an Deus curet humana, deinde certe illud non audet affirmare, quod in afflictione non simus reiecti a Deo, quod sit speranda liberatio. Item, quod populum Dei oporteat subiectum esse afflictionibus. Haec sapientia coelestis longe posita est extra conspectum rationis. Ideo inquit Psalmus consideranda esse opera illa propter multiplicem utilitatem. Docent enim nos de arcanis rebus et ignotis rationi, scilicet de voluntate Dei erga impios, erga pios, erga adflictos.

Iam si singula facta percurrantur, multo locupletior doctrina invenietur. Dathan et Abiron sacrificant sine mandato Dei. Hic locus monet nos de vocatione, ne irrumpamus ad ministeria sine vocatione, ne cultus sine mandato Dei instituamus. Apparet et infirmitas humana et diffidentia, cum populus stomachatur se eductum esse ex Aegypto, cum desperant de victu, cum adorant vitulum. Haec peccata non intelligit, non iudicat ratio. Sed hic poena ostendunt illa vitia interiora, vere peccata esse damnata a Deo. Denique exempla extant in illis factis utilia ad omnes partes vitae, ad agnitionem peccati, ad timorem, ad fidem, ad agnoscendam remissionem peccatorum, ad excitandam invocationem, ad discendos veros cultus Dei, ad patientiam, ad bona opera, ad officia vocationis. Lucet igitur in illis factis sapientia spiritualis, ut nusquam alibi. Hic Deus

multis modis se ostendit mundo, et patefecit voluntatem suam.

Ideo hic Psalmus ait: scrutanda esse opera *Domini*, iuxta omnia desiderabilia sua, id est, querendam esse in illis hanc admirandam sapientiam, agnitionem Dei, eruditionem et consolationem nostram. Non enim alibi sapientiam Dei ita lucet, sicut in his factis et in hoc verbo, quod populo Israël tradidit. Meminerimus ergo hoc praeceptum, ut opera Dei ita consideremus, ut exempla nos moveant, sicut saepe alias praecipitur. Ut Psalmus 78.: Attendite popule meus legem meam, Filii qui nascentur narrabunt ea filiis suis, ut ponant in Deo spem suam et non obliviscantur operum Dei.

III. *Gloriosum et magnificum est opus eius, etc.*

Repetit superiorem sententiam, quod illa ingentia facta Dei in victoriis populi Israël sint vere gloriosa, et superent omnium regum atque imperatorum res gestas et triumphos. Et hoc discrimen animadvertere utile est. Alexandri, Scipionis et similium res, sine expresso Dei verbo geruntur. Et quanquam Deus in illis exemplis etiam ostendit se punire mundum, tamen verbum expressum non accedit. Et certe verbum de misericordia non additur, videlicet, quod Deus velit remittere peccata, exaudire, servare adflictos, nec additur promissio de conservando regno incoato. Ne gerunt Alexander et Scipio suas res iussi expresso verbo Dei. Non sunt igitur ibi exempla misericordiae, item de invocatione Dei, de veris cultibus. Est igitur infinita differentia inter has victorias et defensionem huius populi Israëlitici, et aliorum regum facta.

Porro illa est vera gloria, ubi in factis innotescit et glorificatur Deus, et veri cultus exempla ostenduntur, et cum accedit expressum verbum Dei. Ergo victoriae Israëliticae vere gloriosae sunt. Sicut hanc ipsam gloriam saepe praedicat Scriptura, ut Psalm. 148.: Non fecit taliter omni nationi, et iudicia sua non manifestavit eis. Item Deuteronomii primo: Portavit de Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium etc. Et capite quarto: En populus sapiens. Nec est alia natio, quae habeat Deos appropinquantes, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quae est alia gens adeo inclyta etc. Ita multis verbis amplificat illam veram gloriam, scilicet, quod Deus vere adfuit atque innotuit in illius populi vocatione, gubernatione et defensione, per verbum et per exempla. Hic igitur discamus veram gloriam esse et superiorem omnibus regnis mundi, quod Ecclesiam gubernat expresso verbo, quod expressas promissiones habemus, quod vere velit Ecclesiam exaudire.

Iusticia eius manet in aeternum, etc.

Aptissime sequitur de duratione, quasi dicat, gloria nostri populi, scilicet, quod Deus nos vocavit, quod dedit verbum suum, quod nos defendit ingens est, ut dictum est, sed hoc nomine praestat caeteris regnis, quod est durabilis gloria, quasi dicat: Imperia ab aliis latae eversis suis rebuspublicis delentur. Sed vocatio huius populi, facta per verbum Dei, in quo patefecit Deus iusticiam suam, et per admiranda et iusta exempla, nunquam erit irrita. In hoc populo semper erit Ecclesia, verbum eis datum, et ordinatio divinitus facta: non poterunt ulla humana vi deleri.

Tradit igitur hic versus utilem doctrinam et consolationem, videlicet, quod humana consilia sine vocatione divina non habeant diuturnos successus. Sicut apparet in omnibus, qui res magnas sine iusta vocatione susceperunt, ut Absalon, Zambri et plerique alii seditiosi reges in Israël. Item Caesar, Antonius, Brutus, et alii innumerabiles. Nec ullae traditiones humanae, aut sectae excitatae contra verbum Dei, sunt durabiles. Sicut extincti sunt Idolatrici cultus, qui olim fuerunt, item postea Haereses, Manichaea, Arriana et aliae: sic interibunt Mahometi secta, et pontificum et monachorum traditiones una cum ipsis persecutoribus Evangelii. Sicut inquit Christus: Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus, eradicabitur. Sed verbum Dei est perpetuum, nec ulla vi humana opprimi potest.

Quare hic versiculus in Psalmo docet nos de re magna, scilicet, ne sine vocatione iusta aliquid suscipiamus, et ne traditiones humanas amplectamur contra verbum *Dei*, nec cogitemus ullas traditiones humanas, cum sint periturae, prodesse ad iusticiam aut vitam aeternam, aut continere opera, quae sunt effectus aeternae iusticiae. Haec cum alibi copiose declarentur, non volo hic prolixius explicare. Secundo consolatio proponitur. Etsi enim adfligitur Ecclesia, et oppugna-

tur iusticia Dei, omnibus diaboli et mundi viribus: tamen meminerimus id, quod hic dictum est, Iusticiam Dei, id est, verbum et ordinationem Dei sempiternam esse. Ideoque non abiiciamus verbum Dei, nec dubitemus quin Deus tandem nos liberaturus sit.

Est igitur utilis versiculus, habendus in conspectu, et opponendus contra traditiones humanas, et omnia consilia humana, quae contra iusticiam, id est, contra verbum et ordinationem Dei suscipiuntur. Est et periculis opponendus, ut constanter expectemus liberationem.

IV. *Memoriam fecit mirabilium suorum. Escam dedit timentibus eum.*

Pergit in specie quaedam beneficia nominare. Agit igitur gratias pro data lege, pro institutis ceremoniis, et nominatim pro instituta ceremonia Paschatis. Et graviter de usu Paschatis concionatur. Memoriam fecit mirabilium suorum, quasi dicat, Non satis est ritus servare seu Paschatis, seu alios, Non prosunt ceremoniae ex opere operato, sine verbo, sine fide, sine invocatione: sed hic Psalmus requirit, ut Esca sit memoria factorum et verbi Dei, id est, ut verbum ibi doceatur, et excitentur, timor, fides, invocatio, gratiarum actio et similes pii motus in audientibus admiranda opera Dei, poenas impiorum et liberationem populi. Sic prodest ceremonia, et fit cultus Dei.

Est ergo insigniter hic consideranda particula, cum ait: *Memoriam fecit*, ut discamus requiri non tantum ceremoniam, sed potius memoriam, id est, ut verbum praedicetur, ut mentio poenarum incutiat terrorem audientibus, et mentio beneficiorum accendat fidem, invocationem et gratiarum actionem. Haec est vera celebratio Paschatis.

Clemens et misericors Dominus.

Diligenter observandum est discrimen, de quo saepe dicitur. Gentes etsi habent aliquam legis noticiam, quod Deus sit bonus aut misericors, tamen lex est conditionalis, id est, iudicat Deum bonum et misericordem esse, his, qui sunt iusti et sine peccato, non docet de gratuita remissione peccatorum. Ideo gentes non possunt habere fidem, nec vere invocare Deum: sed in pavoribus opprimuntur dubitatione et desperatione: sicut in poëmatis extant blasphemiae dubitantium et blasphemantium.

Sed promissiones de Christo concionantur de gratuita remissione peccatorum, et de gratuita acceptatione. Hae promissiones exuscitant fidem, et confirmant mentes contra dubitationem, ut credant, et invocent, et sentiant se exaudiri, et Deo curae esse. Ad has promissiones referri debent passim dicta de misericordia Dei. Nam populus Dei intuetur promissiones et fide vera expectat misericordiam, et vere statuit se respici a Deo, et acceptum esse per misericordiam, propter promissum redemtorem: etiamsi interea agnoscit indignitatem suam.

Quare haec dicta in Psalmis de misericordia non sic intelligenda sunt, sicut etiam gentes tribuunt Deo misericordiam: sed discrimen tenendum est. Longe aliter loquuntur de bonitate et misericordia Dei Xenophon et promissio Evangelii. Gentes non norunt remissionem peccatorum, nec credunt sibi gratis ignosci, aut se exaudiri: sed pii, qui norunt promissiones Evangelii, credunt remissionem peccatorum, vere statuunt se exaudiri ac defendi. Haec doctrina singulis necessaria est, ut agnoscant naturalem dubitationem de misericordia *Dei*, et opponant promissiones Evangelii propriae imbecillitati et se fide erigant.

Escam dedit timentibus se.

Cum nominat *Escam*, significat agnum Paschatis: nam supra dictum est, quod hic Psalmus videatur fuisse gratiarum actio, quae solita est recitari in Festo Paschatis. Annumerat igitur caeteris beneficiis ordinationem de mactatione agni, et reliquis ceremoniis. Ingentia beneficia sunt, quod *Deus* vocavit et defendit hunc populum magnis miraculis, quod dedit ei Verbum et Legem, quod ordinavit certas ceremonias, quia Deus solet ceremonias addere verbo, videlicet, ut sint signa conservantia memoriam verbi Dei.

Rursus autem hic admonendus est lector, Ceremonias non prodesse ex opere operato: sed esse signa, quae nos de verbo et fide admonere debeant. Sic igitur prosunt ceremoniae, cum nobis verbum redigunt in memoriam, et fide excitatur Invocatio et Gratiarum actio: ideo prius dictum est, Memoriam fecit etc. Ut requirat cultus interiores, fidem et invocationem, et nunc addit, timentibus eum, significans illis gratam

et dulcem escam et consolationem, qui timent Deum, qui credunt, qui invocant. Haec Esca est testimonium piis in hoc populo, quod velit Deus eis esse misericors, eos exaudire et servare iuxta suas promissiones. Hac fide edentes, recte utebantur ceremonia.

Ideo sequitur in textu: *Memor est in aeternum pacti sui*, quasi dicat: Cum tradidit nobis hanc Escam, testatus est se perpetuo hunc populum defensurum esse, et daturum promissiones, quas pollicitus est. Cum igitur pii utebantur hac ceremonia, debebant cogitare, Signum esse institutum, seu datum pignus, quod testabatur huic populo Deum dedisse verbum et promissionem de defensione: Item promisisse Christum, propter quem vellet eis ignoscere, et eos exaudire. In hanc sententiam adiecit: Memor est pacti sui, quasi dicat: Haec ipsa Esca est nobis pignus, quod Deus sit nos servaturus, et vult hac fide celebrari ceremoniam, ut ipse vere invocetur et agnoscatur.

Nec vero tantum de defensione corporali loquitur, cum ait: *Memor est pacti sui*, sed etiam complectitur promissiones de bonis spiritualibus, de liberatione a peccato, et donatione novae ac perpetuae vitae promissae propter *Christum*. Propter hanc promissionem gratiae, sciebant omnia alia miracula facta esse: deinde sciebant Christum significare mactationem agni Paschalis. Simul igitur confitebantur et praedicabant has promissiones de Christo: Et pro his aeternis beneficiis agebant gratias, eaque fide petebant et expectabant.

Iam facilis est accommodatio ad nostrum Pascha in Ecclesia, videlicet ad mortem Christi, et deinde ad coenam Domini. Nam haec beneficia multo magis praedicanda sunt, quam illa corporalis liberatio. Haec sunt ingentia facta, quod Deus Ecclesiam vocat ad vitam aeternam, id est, quod dedit Evangelium, quod misit Filium suum ut fieret hostia pro humano genere, quod mirabili modo liberat nos a peccato et morte: quod naturae instauratae donat aeternam et coelestem vitam.

Primum igitur haec Esca agnoscenda est, cum vere vivificamur in pavoribus et in morte a Christo per fidem, ipse fit Esca, sicut inquit Iohan. sexto: Ego sum panis, qui de coelo descendi, Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Deinde instituta est etiam coena Domini, ut sit Esca, quae admoneat nos, ut credamus nos vere vivificari a Christo. Testatur enim se vere nos salvare, quia nos sibi adiungit, cum impertit nobis corpus et sanguinem suum.

Recte igitur et huc accommodatur versiculus: *Escam dedit timentibus se*, id est, institnit coenam, ut meminerimus ingentia beneficia Christi, et nos consolemur, fide accipientes promissiones Evangelii, statuamus vere nobis ignosci, nos exaudiri, vere nobis donari gratiam et vitam aeternam. Et quidem meminerimus ratas, certas et immutabiles esse has promissiones, sicut hic inquit: Memor est in aeternum pacti sui. Ita pia mens facile poterit accommodare ad nostrum Pascha, et recitare hunc Psalmum agentem gratias pro beneficiis Christi, et intuentem admirabilia opera, mortem et resurrectionem Christi, erigere fidem, et veram consolationem accipere.

VI. ***Virtutem operum suorum annunciat populo suo.***

Recitavit facta et ceremonias. Nunc nominatim facit mentionem Ministerii verbi, quia inquit: *Annunciat.* Item postea addit de lege: *Firma sunt mandata eius.* Nota est autem magnitudo huius beneficii, scilicet, quod dedit promissiones et legem: et instituit ministerium, dedit Prophetas ac Sacerdotes, ut explicaretur, propagaretur et conservaretur ministerium verbi. Propter hoc beneficium segregatus est hic populus a reliqnis gentibus, ut esset aliqua natio, ubi certum esset, extare verbum Dei. Et ob hanc causam omnia mirabilia facta sunt, ut essent testimonium non de lege tantum, sed multo magis de promissionibus, ut scirent pii, vere Deum tradidisse aliquod verbum de salvando genere humano, et scirent, ubi extaret illud verbum, et quodnam esset. Horum beneficiorum magnitudinem nemo exponere pro dignitate potest, sed agnoscere ea et accipere grato animo debemus.

Est igitur haec sententia versiculi: Virtutem operum suorum annunciat populo suo, id est, instituit ministerium, Prophetas dat et Sacerdos, Moses, Aaron, Iosuam, Samuelem, et alios, qui concionentur de operibus Dei, quod Deus velit agere cum genere humano, quod dederit promissiones, quod vere velit salvos facere credentes per Evangelium, quod vere remittat peccata, et exaudiat invocantes, et salvet eos, quod regat et defendat Ecclesiam, quod horribiliter puniat impios.

Haec opera omnia complectitur, cum ait: Virtutem operum suorum, id est, cum agat Deus cum Ecclesia et cum impiis, sicut et postea eodem modo intelligit opera Dei, cum inquit: *Opera eius veritas et iudicium*, id est, vere praestat illa quae in verbo suo proposuit. Servat piis et invocantibus promissiones, et punit impios, quasi dicat: Verbum eius et ministerium non est inanis fabula, sed verum et efficax est. Haud dubie praestantur piis promissa, et impii punientur. Haec opera (inquit) annunciat populo suo, id est, ministerium instituit, ut de his operibus Dei concionetur. Iam antithesis consideranda est, quantum peccatum sit obruere aut persequi hoc ministerium, et pro operibus Dei tradere ceremonias et superstitiones.

Addit autem: *Ut det populo haereditatem gentium.* Hoc ad historiam pertinet, et erudite docet, quare regnum constitutum sit, quare hic populus segregatus sit a caeteris gentibus: scilicet, ut hoc ministerium institueretur. Ut enim certum esset, ubi extaret verbum Dei, et in qua natione, in qua gente, quo loco Christus in hunc mundum proditurus, ubi praedicaturus esset: ideo haec gens delecta est, et peculiari regno, quasi septa et munita, et peculiaribus ritibus segregata est a caeteris gentibus. Ideo hic inquit, ita institutum esse ministerium, cum tradita est huic populo haereditas gentium, id est, in hoc populo regnum constitutum est, ut ibi extarent ministerium et testimonia de verbo Dei, quod inde etiam in gentes propagandum erat ex hoc populo.

VII. *Opera manuum eius veritas et iudicium.*

Generale est de regno et ministerio dictum: *Opera manuum eius*, id est, ordinatio Dei. Verbum, promissio etc. sunt veritas et iudicium, id est, non est inanis fabula, sed res vere salutares, efficaces ad servandum pios, et puniendos impios, estque sententia opposita iudiciis mundi, quae deriserunt hunc populum, gloriantem se habere verbum Dei et regnum divinitus institutum. Haec cum audiebant Ethnici, iudicabant esse vanissimam fabulam, nec plus habere veri, quam quod Romulus dicebatur Martis filius. Et casu arbitrabantur exortum esse hoc regnum, et rursus interiturum esse casu, non aliqua certa ordinatione.

Hanc impiam opinionem multa adiuvant. Aliae gentes praestabant multitudine, viribus, opibus et caeteris rebus. Multa etiam scandala, multae clades deformabant hunc populum, ut eum non putarent aliae gentes Deo curae esse, sicut saepe queruntur Prophetae, de his blasphemis iudiciis impiorum, quibus et hic versiculus opponitur, quasi dicat: Etsi impii putant nec regnum nostrum, nec verbum a Deo esse, nec verbum hoc efficax esse: tamen nos contra sciamus, hanc ordinationem esse divinam, et quidem veritatem ac iudicium esse, id est, rem veram et salutarem piis, et punientem impios. Nam veritas significat beneficium verum, ratum et firmum. Iudicium vero significat executionem iustam, qua Deus defendit pios, et punit impios.

Quanquam igitur magnis cladibus afficiebatur populus Israël: tamen pii debebant se sustentare, quod Deus eos conservaturus esset, quia hoc regnum et hoc ministerium non essent interitura, cum essent beneficia divinitus ordinata, in quibus Deus pios conservaturus esset, et de impiis poenas sumturus.

Hac consolatione semper nos sustentemus in omnibus ordinationibus Dei. Primum, de Ecclesia, quid est calamitosius Ecclesia? et tamen hic cogitemus haec opera, id est, Evangelium et vocationem Ecclesiae esse dona Dei, et quidem veritatem et iudicium, id est, res veras, duraturas, salutares piis, et exitiosas impiis. Ita cogitemus et de imperiis civilibus et hac communi societate, quae etiam habet verbum Dei. Quia enim multum in hac civili societate vitiorum est, et variae vices, quas putant non esse curae Deo: ideo impii contemnunt leges et facile violant, putant impium esse, quicquid a civilibus imperiis decernitur aut proficiscitur. Ita transferamus versiculum ad Ecclesiam et alias ordinationes Dei, et Deo gratias agamus, et ordinationes eius magnifaciamus, et non impune violari putemus.

Firma sunt mandata eius, rata in seculum.

Summum beneficium est, quod Deus verbum suum, videlicet, legem et promissiones huic populo tradidit. Hoc beneficium iam expresse nominat et amplificat, aliquoties repetita eadem sententia: Firma sunt mandata eius, rata, vera, recta, etc. Haec opponuntur iudiciis mundi. Nam mundus iudicat hoc verbum inanem fabulam

esse, inutilem, interituram. Contra haec iudicia confirmat nos Psalmus, et iubet ut sentiamus hoc verbum verum, et promissiones ratas, efficaces, salutares esse: Deum autorem esse huius verbi, vere approbare hos cultus, vere exauditurum esse, et vere exhibiturum promissa corporalia et spiritualia: Haec est summa sententiae.

Sed hic cogitandum et considerandum est, has esse voces fidei. Non enim possumus ex lege statuere, quod nostra opera placeant Deo, cum non simus sine peccato: nec possumus statuere, nos promissionum participes fore, cum simus indigni. Ideo cum Psalmus ait, Promissiones esse ratas, firmas, veras, efficaces: requirit fidem qua statuamus nobis vere ratas esse promissiones, etiamsi sumus indigni. Scilicet quia Deus est verax, et vult misereri ac ignoscere propter illam redemtionem, quam pollicitus est. Hanc fidem in Christum iucludi iam in legem et promissiones oportebat. Ita lex placebat fide: promissiones erant ratae, firmae, salutares fide, etiamsi nemo erat sine peccato.

Ergo hae Psalmi voces erant conciones de fide, et praecipiebant, ut populus crederet vere ratas esse promissiones, et cultura Deo placere, non quia populus esset sine peccato: sed quia Deus esset verax, et propter suam misericordiam vellet huic populo, quem vocaverat, benefacere. Et hae sententiae erant piis in populo evangelicae, quae consolabantur eos non modo in corporalibus adflictionibus, sed etiam in agone conscientiae luctantis cum peccato. Sciebant factam esse promissionem de Salvatore humani generis immutabilem: Sciebant se propter hunc redemtorem promissum, vocatos esse et placere Deo, et habere hac fide remissionem peccatorum.

Ergo pii haec dicta opponebant peccatis suis: Si conscientia angebatur, erat intuenda haec sententia, promissiones sunt ratae, firmae: Deus vult certo misereri, sicut promisit et iubet hoc credere, alioquin eius promissiones non essent ratae. Ita et nos transferamus hos versiculos ad nostrum usum, et in invocatione, in agone conscientiae erigamus imbecilles animos, et vere nos consolemur hac voce, promissiones Dei ratae sunt, et in hac fide invocemus. Et sicut ille in Marco ait, Credo Domine, sed adiuva diffidentiam meam: ita nos petamus in nobis augeri fidem.

IX. ***Redemtionem misit Dominus populo suo.***

Aliud beneficium recenset, quod Deus subinde liberavit populum ab hostibus, ne deleri possent. Sicut defensi sunt adversus Aegyptios, Cananaeos, Palaestinos, Syros, Aphros: pro hoc tanto tamque glorioso beneficio pii toto pectore gratias agebant, quia in hoc admirando opere videbant exhiberi testimonia manifesta praesentiae Dei.

Fit autem dulcior liberatio, cum ad eam confertur magnitudo periculorum, adflictionum et aerumnarum populi Dei, quas omnes recensere longum esset. Et historiae notae sunt, quae clarissime testantur, quod oporteat Ecclesiam Dei subiectam esse ingentibus calamitatibus. Quantilla erat multitudo populi Israël, collata ad reliquum orbem terrarum, ad potentissimas monarchias, Assyriam, Persicam, Graecam, Romanam? Hae quanquam saepe dilacerarunt hunc populum, tamen Deus mirabilibus modis defendit aut restituit suos: sicut nullo humano consilio restitutio post exilium Babylonicum facta est.

Ita hoc tempore quantilla est multitudo verae Ecclesiae collata ad imperia mundi, Turcicum, Persicum, Romanum? et conspirant potentissimi reges ad delendam veram doctrinam. Exercent crudelitatem non minorem veteribus tyrannis, moliuntur bella adversus eas nationes, quae profitentur veram doctrinam. Inter haec ingentia pericula, et inter has aerumnas Deus tamen mittit redemtionem, non sinit prorsus deleri Ecclesiam, et tandem in extremo iudicio resuscitatis mortuis simul glorificabit universam Ecclesiam, et donabit ei aeterna praemia, ac tyrannos afficiet aeternis poenis.

Id quoque significat hic versiculus. Populum Dei habiturum esse liberationem, non solum, ne in hac vita deleatur Ecclesia: sed etiam ut mortui et interfecti reviviscant et consequantur aeterna bona. Ideo in hoc versiculo additum est: *Mandavit in aeternum Testamentum suum*, id est, Deus dedit non solum legem et hanc politiam Israëliticam, mansuram usque ad adventum Christi: sed etiam promissiones de vita aeterna. Ideo pii habent redemtionem, non solum eam, quae contingit in hac vita: sed multo magis aeternam, quae contingit in postremo iudicio, quia promissiones pollicentur vitam aeternam, et hae promissiones ratae et immutabiles sunt.

Ita simul adiungit Propheta beneficiis temporalibus aeterna. Etsi enim temporalia magis incurrant in oculos: tamen si non accederent aeterna, praesens liberatio non magni momenti esset. Itaque cum Propheta loquitur de operibus Dei, de verbo, promissionibus, directa est fides in aeterna bona et in promissionem de remissione peccatorum, de abolendo peccato et morte, de renovatione naturae, de nova et aeterna vita. Haec ingentia beneficia complectitur, haec praedicat, haec vult conspici et fide accipi, pro his agit gratias.

Sanctum et terribile nomen eius. Initium sapientiae timor Domini.

Adiecit epiphonema, quod est veluti conclusio gratiarum actionis, praedicans Deum huius populi, solum verum esse Deum: ideoque vere eum timendum esse. Est igitur opposita sententia primum Idolatris: *Nomen Domini sanctum*, id est, incontaminatum, non pollutum humanis erroribus. Id est, Hic noster Deus non est conflatus humano errore, sicut Mars aut Bacchus: sed invocamus illum Deum, qui vere Deus sanctus est, et se patefecit per verbum suum.

Significat igitur *Sanctum*, pure divinum. Et opponuntur Sancto haec duo: Dii commentitii et excogitati humano errore, et cultus impii, qui polluunt Deum. Non enim tribuunt Deo vere honorem, quod misereatur, quod exaudiat: aut fingunt, quod propter talia opera ab ipsis excogitata exaudiat, sicut Manasses et alii fingebant se exaudiri propter opus tantum, scilicet, propter humanas hostias. Talibus nomen Dei non est sanctum, id est, purum et vere divinum, sed ipsi polluunt Deum suis cogitationibus.

Deinde terribile significat, Deum non esse ociosum et inanem fabulam, sed vere esse efficacem, liberantem pios et punientem impios. Opponuntur ergo utrisque hae appellationes, Idolatris et Epicureis, quia utrique polluunt Deum sua imaginatione: utrique fingunt non esse terribilem seu efficacem. Nam Epicurei fingunt ociosum esse, et Idolatrae manent in dubitatione, aut fingunt se iustos esse suis cultibus, nec timent Dei iudicium.

X. *Initium sapientiae timor Domini.*

Ratiocinatur consequens ex epiphonemate. Cum hic Deus sit sanctus, id est, pure Deus, qui pure et recte colitur hoc modo, et sit terribilis, id est, efficax: timendus igitur et colendus est hic solus. Et haec est vera et non peritura sapientia, hunc Deum agnoscere. Estque haec sententia opposita iudiciis humanis, discernens humanam sapientiam ab hac spirituali. Et hoc late patet.

Primum damnat Epicureos, qui negant Deo curae esse res humanas: negant ullum esse verbum Dei: et hanc ipsam doctrinam (quae est tradita populo Israël) fingunt esse totam fabulosam et commentitiam.

Hanc impietatem taxat hic versiculus, et affirmat contrarium: Hanc esse veram sapientiam, agnoscere et timere Deum. Deinde refutat omnia consilia hominum contra mandata Dei, quamvis astute excogitantur. Sicut Saul multis consiliis astute excogitatis molitur exitium Davidi, sed hi conatus omnes sunt irriti. Item omnes religiones omnium hominum et traditiones excogitatae contra verbum Dei, sunt vanae, displicent Deo et non sunt efficaces. Una est igitur sapientia vera, hoc verbum a Deo traditum retinere, huic verbo credere et obedire. Haec est summa sententiae.

Nam quod ait: *Initium sapientiae timor Domini*, non est pueriliter accipiendum de parte, sed initium hic est res gubernans omnes actiones erga Deum et erga homines, ut sit sententia: Timor Dei est sapientia gubernans omnia consilia et omnes actiones in vita spirituali et civili. David hac sapientia sustentat se in suis pavoribus, sciens esse mandatum Dei, ne desperet, sicut dicit Psalmo 118.: Nisi lex tua esset delectatio mea, periissem in adflictione mea. Deinde gubernabatur hac sapientia in rebus gerendis: quia propter Deum suscipiebat pericula, Deus dabat secundos exitus.

Accommodetur ergo hoc dictum ad omnem vitam, et semper sit in conspectu, ut luceat agnitio Dei in omnibus partibus vitae, verbo Dei regatur conscientia in pavoribus et invocatione. Regantur et caeterae actiones, ne quid suscipiamus adducti consiliis humanis pugnantibus cum verbo Dei: sicut idolatrae, haeretici, tyranni denique omnes discedunt a regula divinitus tradita, et multa moliuntur humanis consiliis, nec quaerunt auxilium Dei. Sicut Cicero optimo consilio, sed humano, non invocans Deum, conatur opprimere Antonium.

Ita accommodemus ad omnes casus in vita, et semper intueamur hanc regulam, ab hac voce

petamus consilium, Initium sapientiae timor Domini. Haec sapientia sola est gubernatrix, timere Deum, non recedere ab eius verbo, consulere eius verbum, invocare ipsum, et ab eo petere et expectare gubernationem. Nam timere Deum usitato more in scripturis significat servire Deo, seu colere Deum, sed tamen emphasis est in vocabulo seu verbo Timoris: monet enim in vero cultu esse verum timorem, veram poenitentiam, in qua se fides et invocatio exerunt.

Intellectus bonus omnibus facientibus ea.

Phrasis est Ebraica dissimilis nostrae consuetudini: non enim de intellectione loquitur, sed de doctrina seu verbo Dei. Fiunt autem hae sententiae ita magis illustres, si fiat collatio. Illud est intellectus, id est, doctrina bona, salutaris, utilis, efficax etc. Opponit enim Psalmus hanc sententiam impiis iudiciis Epicureorum et hypocritarum. Nam Epicurei derident verbum Dei tanquam anilem fabulam, tantum abest, ut iudicent esse salutare et efficax. Vident impios florere opibus, gloria et omnibus vitae commodis: ideo verbum Dei de poenis impiorum despiciunt securissime, tanquam inanes naenias. Item vident populum, qui confitetur verbum Dei maximis aerumnis conflictari, imo etiam habere infirmitates et scandala: Quare negant Deo magis curae esse hunc populum, quam alios: et doctrinam, quae concionatur de praesentia Dei, de remissione peccatorum, de auxilio Dei, de consolatione spirituali, de vita aeterna, tanquam stultissimas ineptias contemnunt exibilant. Huic generi hominum verbum Dei non est bonus intellectus, id est, non iudicatur esse grata doctrina et salutaris: nullam eis adfert consolationem.

Multo minus grata est haec doctrina hypocritis, quales sunt Pharisaei aut similes, qui oderunt veram doctrinam tanquam blasphemam et seditiosam: sicut nunc, quia reprehenduntur impii cultus, vociferantur adversarii, laedi gloriam Dei, tolli cultus Dei, dilacerari Ecclesiam, moveri seditiones. His, ut Paulus ait, habentibus spiritum compunctionis, id est, exacerbatis adversus veritatem, Evangelium nequaquam est bonus intellectus. Execrantur enim et oderunt id, tanquam perniciosissimam pestem: et hoc odium incenditur ac alitur scandalis crucis.

Tantum igitur est grata vox et dulcis doctrina facientibus, id est, obedientibus, sicut alias saepe inquit Scriptura: Evangelium est odor vitae, aliis ad vitam etc. Secunda Corinth. 2.: Hi habent consolationem ex verbo Dei, et expectant auxilium Dei et vitam aeternam: et hac consolatione superant omnes aerumnas, sicut Christus inquit Lucae 12.: Noli timere pusille grex. Item Iohannis 14.: Non relinquam vos orphanos. Et Rom. 8.: In his omnibus excellenter vincimus propter eum, qui dilexit nos.

Hanc concionem et similes complectitur hic Psalmus, cum ait, Verbum Dei esse doctrinam gratam et salutarem. Continet igitur praeceptum et promissionem: Iubet populum Dei constanter retinere verbum Dei: vetat eos deterreri iudiciis impiorum, scandalis, aut saevitia mundi. Addit et promissionem, cum testatur esse doctrinam non vanam, non inutilem, quasi dicat, In his adflictionibus etiam expectate consolationem et liberationem, quae vobis in hoc verbo promittitur: Haec spes non erit irrita. Nam hae coelestes promissiones sunt firmae et ratae, modo vos eas fide retinete.

Sic igitur accipiatur hic versiculus, ut intelligamus nos confirmari in veris certaminibus. In his experimur, quae sit vis harum consolationum, cum eas ad usum transferimus. Et in talibus exercitiis hae sententiae magis intelliguntur, et fiunt dulciores.

Postremo adiicit aliud epiphonema.

Laus eius manet in aeternum.

Haec conclusio continet etiam praeceptum et promissionem. Iubet enim perseverare in celebranda laude Dei, id est, in vera confessione et in vero cultu. Et quanquam mundus delere Evangelium conatur, tanquam blasphemiam Dei: tamen haec promissio testatur, non posse Evangelium opprimi. Et quidem concionatur de perpetua gloria. His praeceptis et consolationibus nos quoque erudiamus, exuscitemus et confirmemus, ut et nos vere agamus Deo gratias, et praestemus ei veros cultus.

Psalmus CXII.

I. *Beatus vir, qui timet Dominum, et mandatis eius valde delectatur.*

II. *Potens in terra erit semen eius, Generi rectorum benedicetur.*

III. *Opes et divitiae in domo eius, et iusticia eius manet in aeternum.*

IV. *Oritur in tenebris lumen rectis, a misericorde, miseratore et iusto.*

V. *Bene viro, qui miseretur et mutuo dat, et administrat negocia sua iuste.*

VI. *Quia in aeternum non commovebitur, In memoria aeterna erit iustus.*

VII. *A nuncio malo non timebit, Firmum est cor eius ad confidendum Domino.*

VIII. *Erectum est cor eius, non metuet, donec gaudebit de inimicis suis.*

IX. *Dispersit, dedit pauperibus, iusticia eius manet semper. Cornu eius exaltabitur in gloria.*

X. *Impius videbit et irascetur, dentibus suis frendet et tabescet. Desiderium impiorum peribit.*

Argumentum Psalmi CXII.

Hic Psalmus est ex eo genere, quod vocavimus νομικὸν, id est, doctrinam legis. Proponit enim praecepta de fide et bonis operibus, et addit promissiones. Nec est obscurus his, qui mediocriter in doctrina pia instituti sunt. Nam praecepta de operibus facilius intelliguntur, quam prophetiae: aut reliquorum generum conciones. Est autem admodum dulcis Psalmus. Non enim concionatur philosophico aut pharisaico more de operibus, sine fide, sed nominatim requirit fidem. Praeterea intertexit promissiones, in his proponit consolationes piis, contra scandalum crucis. Multi fracti afflictionibus deficiunt a Deo, multi propter persecutionem fugiunt aut abiiciunt Evangelium. Adversus huiusmodi tentationes muniendi sunt animi talibus promissionibus, quales hic traduntur, et est expectanda liberatio iuxta voluntatem Dei, ut postea dicam.

Sed quia Psalmus concionatur de bonis operibus, primum hic monendus est lector, de doctrina fidei, est etiam monendus quomodo placeant bona opera, cum tamen legi nemo satisfaciat. Primum ergo sciendum est, quod gratis fide propter Christum consequamur remissionem, et reputemur iusti, non propter nostra opera, aut nostras virtutes. Sine hac fide non placet obedientia. Ideo necesse est tenere hanc fidem, quae apprehendit misericordiam Dei, et credit nobis gratis ignosci, nos exaudiri, et servari propter Christum.

Cum hac fide corda iam agnoscunt Deum, sequi etiam necesse est obedientiam seu bona opera a Deo nobis mandata. Et hic sciendum est, hanc obedientiam placere, non propter propriam perfectionem, non propter dignitatem, sed propter Christum, quia sumus reconciliati, et credimus nobis condonari infirmitatem nostram. In hac fide vult nos Deus obedire. Et hic amplitudo misericordiae maxime illustris est, quod Deus hanc incoatam et contaminatam obedientiam approbat, et ornat ingentibus praemiis corporalibus et spiritualibus, et nos adiuvat dato Spiritu sancto, ut crescat in nobis haec obedientia. Utrumque enim proponi conscientiis debet, videlicet, ut Timor existat, sciamus nos habere peccata, et opera non propter propriam dignitatem placere, deinde rursus teneamus consolationem, quod requirat Deus obedientiam, et quod illa placeat in reconciliatis propter Christum.

Et nos hae causae invitent ad bene operandum.

Prima, Necessitas, quia Deus hanc postulat.

Secunda, quia fides existere non potest, ubi nulla est poenitentia.

Tertia, quia fides extinguitur, si non exerceatur, sicut scriptum est: Spiritus concupiscit adversus carnem. Nam ubi est vera agnitio misericordiae Dei, impellit, ut invocemus, et obediamus, ut gubernari nos petamus. Ubi desinit invocatio, quae in operibus se exerit, extinguitur etiam fides.

Quarto, invitent nos promissiones et comminationes, quia Deus promittit pro nostra obedientia, incrementa spiritualium donorum in hac vita, item multa corporalia beneficia: promittit et post hanc vitam praemia, sicut ait Christus, habenti dabitur. Item, date et dabitur vobis. Item Paulus, pietas habet promissiones futurae vitae et huius vitae. Sic Sareptana exercuit fidem, cum primum obtemperans voci Prophetae, daret ei,

quod reliquum habebat cibi. In hoc opere lucet eius fides: ideo crevit in ea fides, et Deus auxit eius spiritualia bona. Rursus ignavi puniuntur corporalibus poenis, sicut ait Paulus: Si nos ipsi iudicaremus, non iudicaremur a Domino. Imo irritant iram Dei, ut eripiat dona spiritualia, et puniat negligentes caecitate, erroribus et horribilibus peccatis, sicut apparet in Saul. Et scriptum est de talibus, fieri posteriora deteriora prioribus. Hae tantae causae exuscitent nos ad bene operandum, sicut et hic Psalmus docet.

Beatus qui timet Dominum.

Pronunciat illum placere Deo, et consequi bona a Deo, qui timet Dominum, id est, qui vere eum colit. Nam consuetudine sermonis in sacris literis Timor significat totum cultum, seu, ut alioqui dicimus iusticiam universalem, seu obedientiam. Et haec ideo Timor vocatur, ut sciamus veros cultus esse, non externa opera, sed interiores motus timorem et fidem, quibus motibus vere agnoscimus iram et misericordiam Dei, et ei obedimus. Eodem modo universam obedientiam significat sequens particula.

Mandatis eius valde delectatur.

Id est, qui antefert mandata Dei omnibus caeteris rebus, et habet incoatam obedientiam in omnibus praeceptis. Nam haec delectatio significat interiorem et veram obedientiam, quae non potest existere sine pace conscientiae, quam adfert fides. Quia corda sine fide aut sunt Epicurea, et prorsus negant Deum punire, et servare, aut sunt oppressa terroribus, ac dubitant an Deus velit ipsis ignoscere, negant se exaudiri, sicut Cain, Saul, Iudas et omnes impii perterrefacti cogitant. Tales non possunt Deum invocare, non possunt interiores cultus praestare, sed sunt pleni indignatione adversus Deum, odio, blasphemiis. In his erumpit abditum vitium naturae, de quo dicit Paulus: Sensus carnis inimicicia est adversus Deum.

Sed postquam corda apprehendunt misericordiam, agnitione Christi et fide, agnoscunt praesentiam et bonitatem Dei, et iam pacem habent, non fugiunt Deum, sed incipiunt invocare, confiteri et glorificare Deum, et vere diligere, et subiiciunt se ei in omnibus operibus et adflictionibus, intuentes non praesentium aerumnarum molem, sed voluntatem Dei et aeterna bona.

De tali obedientia, sequente fidem loquitur, quoties delectationem in lege nominat, sicut et Paulus ait, delector lege Dei. Nec nos assuimus sine testimonio hanc admonitionem de fide, sed Evangelium passim docet, primum oportere nos fide reconciliari, sicut et Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus, etc. et accessum ad Deum, Et Psalmus expresse hic nominat fidem: Firmum est cor eius ad confidendum Domino. Nec est amphibolia in nomine fidei. Ubique in descriptionibus piorum significat fiduciam misericordiae, qua statuunt pii Deum ipsis propicium esse, ipsos tueri et exaudire per misericordiam, propter promissionem, etiamsi nos simus indigni.

Itaque et hic Psalmus concionatur clare de misericordia, cum ait, a misericorde, miseratore et iusto. Proinde etiamsi alii in aliis negociis fidem exercent, tamen haec fiducia misericordiae semper praeit ac praelucet, sicut ideo expectat Moises liberationem ad Mare rubrum, quia statuit se habere Deum propicium propter promissionem, Ezechias petit et expectat liberationem, ne ab Assyriis deleatur Ierusalem, quia statuit se habere Deum propicium propter promissionem, sic est idem obiectum principale fidei seu fiduciae in omnibus piis.

Quare et hoc loco intelligatur fides sine amphibolia. Eritque hic primus versiculus propositio generalis complectens summam doctrinae pietatis. Beatus est, id est, placens Deo, et habiturus ingentia bona a Deo, qui timet Deum, et credit ei et incipit ei obedire iuxta verbum propositum divinitus. Non enim ociose hic nominat mandata eius, sed diserte requirit cultum seu opera divinitus mandata, et repudiat traditiones humanas.

Nec volo prolixiorem interpretationem addere in hoc versiculo, etsi cogitare debemus quam multa complectatur hic versiculus, tantum illud moneo, ut lector consideret summam quandam doctrinae pietatis breviter propositam esse. Hanc sequitur expolitio in sequentibus versibus, et quaedam opera nominatim recensentur.

Potens in terra erit semen eius.

Aliquae promissiones hic expresse loquuntur de praesentibus bonis in hac vita. Cum autem constet Ecclesiam omnibus aerumnis opprimi in hac vita, sicut etiam hic Psalmus infra docet, cur

promittit bona corporalia? Ait enim nominatim: In terra potens fore semen iusti. Item: Opes et divitiae in domo eius.

Respondeo. Etsi sunt involutae his promissionibus corporalibus etiam promissiones de vita aeterna, tamen recte intelliguntur etiam de praesenti vita nec tantum transferri debent ad vitam futuram. Recte enim valet consequentia, Deus in hac vita vult aliquam Ecclesiam et Ministerium verbi sui existere, Ergo etiam in hac vita servabit pios. Quanquam igitur sinit eos adfligi, tamen mirabili modo Ecclesiam inter tantas procellas servat, et interea tyrannos per sequentes Ecclesiam punit et delet, sicut Christus inquit: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Item: Recipiet centuplum in hac vita, sed cum tribulatione, et deinde vitam aeternam.

Proinde hae promissiones dupliciter intelligi debent, Primum de vita aeterna. Cum enim Deus promittat bona piis, nec omnes consequantur ea in hac vita, imo praecipui minime ea consequantur, ut Abel, Prophetae, Apostoli, necesse est restare aliam vitam, in qua Deus haud dubie glorificaturus est pios.

Quare primum in talibus promissionibus intelligamus, involutam esse doctrinam de aeterna vita. Et sciamus his promissionibus et expectatione futurae liberationis praecipue fidem et agnitionem Dei exercendam esse, quod non his perituris et evanescentibus rebus, in hac vita tantum, glorificaturus sit pios, sed durabilibus et aeternis bonis, ut sine peccato et sine morte ipsum agnoscamus et glorificemus.

Quantulum interesset inter pios et impios, etiam si in hac vita pii fruerentur summa tranquillate, et haberent opes maximas et imperia? Haec enim omnia tamen levia sunt, et subito evanescunt. Ideo pii semper in his promissionibus intelligant non tantum praesentia bona, sed vera et durabilia bona, et gloriam, in qua sine peccato et sine morte glorificabimus Deum.

Haec tecte significarunt hae promissiones, ut haec consequentia docet, Deus promittit bona piis, et haec non contingunt in praesenti vita, Ergo restat futura vita. Sic Abraham et alii patres, audierant promissiones, et cum differri eas viderent, intelligebant Deum fide colendum esse, et expectandam gloriosam aliquam liberationem, etiamsi in hac vita non contingeret: interea vero obedientiam in adflictionibus praestandam esse. Ac videbant in his ipsis adflictionibus Ecclesiam subiectam esse morti et aliis calamitatibus propter peccatum. Sentiebant etiam in consolationibus spiritualibus incoationem novae et aeternae vitae, sicut ait Christus: Abraham vidit diem meum, et laetatus est. Et David inquit de vita aeterna, Psalm. 15.: Caro mea requiescet in spe. Non relinques animam meam in inferno etc. Adimplebis me laeticia vultus tui. Norant igitur se liberandos esse a peccato et morte, et habituros novam lucem et vitam aeternam, et longe maiora bona, quam mundana.

Hoc modo primum admoneant nos hae promissiones, de veris et aeternis bonis, ut fides excitetur, et expectet veram liberationem. Nec tanquam Sadducaei tantum peritura et caduca bona proponi existimemus. Cogitemus etiam quare Ecclesiam oporteat subiectam esse adflictionibus, scilicet quia haeret in hac natura carnali peccatum, quod aboleri oportet.

Neque tamen existimandum est, nihil pertinere has promissiones ad praesentem vitam. Nam, ut Paulus dicit, pietas habet promissionem praesentis et futurae vitae. Ideo haec dicta etiam promittunt consolationem in praesentia. Quia enim videt mundus adfligi pios, ideo existimat eos negligi a Deo, deficit a verbo Dei, abiicit veram doctrinam, quaerit opes, et potentiam malis artibus.

Contra has mundi opiniones pii munire se debent his promissionibus, in quibus coniungere debent duas pugnantes sententias, quod Ecclesia adfligatur, et tamen servanda sit. Haec pugnantia Deus mirabiliter conciliat, sicut testatur exempla Ecclesiae omnium temporum. In Aegypto Israëlitae erant oppressi horribilibus aerumnis, et tamen servantur et liberantur corporaliter. David diu patiebatur persecutionem, et tamen servabatur. Ita sciamus Deum in hac vita pios, etiamsi adfliguntur, iuvare tamen, sicut inquit Christus: Recipiet centuplum in hac vita, sed cum tribulatione.

Sic intelligantur hae sententiae. *Potens in terra erit semen eius, generi rectorum benedicetur*, id est, etiamsi pii adfligentur, tamen non delebuntur, imo eorum posteritas glorificabitur et cumulabitur omnibus bonis: sicut posteritas David mansit in possessione regni, posteritas Saulis est deleta.

Opes et divitiae in domo eius.

Hae promissiones necessario primum complectuntur agnitionem Dei. Cum enim non sint promissiones humanae, sed divinae, necessario requirunt, primum, ut agnoscamus Deum promittentem, quod cum fit, intelligunt corda proponi non tantum corporalia bona, sed potius veram agnitionem Dei et aeterna bona, ac liberationem a peccato et a morte.

Neque tamen excludenda sunt corporalia bona, quia etiam oportet in hac vita Ecclesiam conservari, ideo etsi adfligitur, tamen non deletur, non prorsus extinguitur, sed Deus eam mirabiliter defendit, et suppeditat ei vitae praesidia.

Ita de utroque genere bonorum intelligitur Psalmus, sed ita ut adiungamus alias sententias de cruce, et sciamus quomodo hae pugnantes sententiae congruant, videlicet, quod quanquam Ecclesia sit subiecta adflictionibus, non tamen succumbat, oportet manere in hac vita, oeconomias et politias, oportet vivere parentes, ut educari et institui iuniores possint, oportet esse imperia et defensionem. Et hae res divinitus ordinatae sunt, quare a Deo servantur ac defenduntur, ut Ecclesia non subito funditur deleatur. Quare Deus iubet peti, et dat vitae praesidia.

Iusticia eius manet in aeternum.

Et hoc dictum habet duplicem interpretationem, ac utraque vera est. Prior est civilis, quam solam Iudaei retinent, quod scilicet veritas aliquandiu oppressa calumniis, tandem emergat ac triumphet, sicut Ioseph, cum falso accusatus esset, postea mirabiliter liberatus est. Porro apud omnes gentes, omnibus aetatibus accidunt talia exempla, ut quanquam Socrates iniquo iudicio condemnatus est, tamen postea eius accusatores civitate pulsi sunt. Cicero per calumniam pulsus civitate, tamen postea revocatus est.

Sed Psalmus non tantum loquitur de hoc iudicio civili, etsi id quoque est opus Dei inter homines, sed concionatur de iudicio Dei perpetuo, et vere non inani fama glorificante pios. Quid enim prodesset Naboth per calumniam interfecto, si prosus extinctus esset, quod postea veritas patefacta est.

Itaque clare in hoc dicto, est involuta doctrina de vita aeterna, Iusticia pii manet perpetuo, id est, causa iusta ita glorificatur, ut perpetuo iustus etiam fruatur illa gloria, non tantum sequatur eum inanis fama, ac umbra gloriae nihil ad eum pertinens.

Oritur in tenebris lumen rectis.

Hic versus est interpretatio superiorum, manifeste enim iam coniungit adflictiones et consolationem, et testatur iustos exerceri adflictionibus, sed addit, habere eos consolationem ac liberationem. Nam tenebrae, usitata metaphora, significant quascunque adflictiones seu calamitates, lumen significat consolationem. Estque sententia, Oritur in tenebris lumen rectis, id est, iusti habent consolationem et liberationem in adflictionibus nec deseruntur, sicut illi, qui sunt sine Deo, Quorum qualis sit perturbatio, ac desperatio, indicat historia Saul, qui in adversis rebus nihil consilii aut spei habet, ideoque propter animi confusionem magicas artes tentat. Sic omnes impii ad extremum, cum sentiunt se desertos esse a Deo, quaerunt praesidia qualiacunque possunt, contra voluntatem Dei, ut liberentur praesentibus malis.

Sed econtra pii praestant Deo obedientiam, et ab ipso expectant consolationem, et hanc consequuntur duplicem, spiritualem et corporalem. Nam corda sustentantur verbo Dei et Spiritu sancto, sicut Paulus inquit: Spiritus adiuvat infirmitatem nostram. Et Psal. 118.: Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. Haec est consolatio mea in adflictione, quia eloquium tuum vivificavit me. Accedit etiam saepe iuxta Dei consilium externa liberatio, sicut ait textus: Ero murus igneus in circuitu eorum. Et omnes sancti multas corporales liberationes experiuntur, sicut testantur exempla Abrahae, Ioseph, Moisi, David, Ezechiae et aliorum. Quia enim Deus in hac vita vult etiam Ecclesiam conservari, saepe impertit corporalem liberationem, pro suo consilio. Sicut et in hoc Psalmo corporalia beneficia promittit, et alibi inquit de liberatione utriusque generis: Multae adflictiones iustorum, sed ex omnibus liberabit eos Dominus.

Est igitur, ut dixi, superiorum versuum interpretatio in hoc versiculo adiecta: Oritur in tenebris lumen rectis, quod videlicet iusti exerceantur adflictionibus, sed liberentur. Quare in superioribus promissionibus non excludantur adfli-

ctiones, sed promissiones de consolatione ac liberatione intelligantur, ut dictum est.

A misericorde.

Haec particula est praecipua Psalmi concio, et proprie est evangelica. Hic clare docet de doctrina fidei, et de vera spirituali consolatione et iusticia: iubet, ut agnoscamus, Deum esse misericordem, miseratorem et iustum.

An non etiam Gentes ita sentiunt de Deo? Saepe alias dictum est, quoties Psalmi concionantur de misericordia, intelligendam esse gratuitam misericordiam, promissam propter hostiam Christum. Hanc agnitionem gratuitae misericordiae non habent Gentes. Sed homo secundum rationem tantum ex lege ratiocinatur, Deus est misericors iustis, ego sum iniustus, Ergo Deus non est misericors erga me.

Adversus hanc legis opinionem concionatur promissio evangelica, quod Deus gratis ignoscat nobis, et nos recipiat propter Christum: et quidem praecipit, ut huic promissioni credamus, ne Deum mendacii accusemus.

Ideo et hic Psalmus hoc loco primum requirit fidem, ut statuamus Deum vere erga nos ipsos misericordem esse, et nobis ignoscere, nos recipere in gratiam, et nos velle salvare. Haec fides est principalis cultus.

Deinde haec fides, seu agnitio Dei, est uberrima consolatio, etiamsi liberatio corporalis differtur, imo in media morte, quia haec fides est incoatio novae lucis et iusticiae in cordibus, et liberat a peccato et a morte, sicut ait Paulus: Gratia Deo, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum, sicut scriptum est: O mors, ero mors tua.

Miseratore et iusto.

Non est opus subtiliter discernere haec duo, misericors et miserator. Nam utraque vox significat, gratis ignoscentem, recipientem in gratiam, iuvantem et salvantem. Sed illud opus est in his concionibus de misericordia, admoneri lectorem, ut principaliter intelligat inclusas esse promissiones de remissione peccatorum, et reconciliatione. Item, ut diserte complectatur exclusivam, quod videlicet gratis donentur propter Christum, remissio peccatorum, et haereditas vitae aeternae. Nam haec dicta oriuntur ex promissionibus de Christo, quae sunt revelatae patribus et ipsi Davidi. Nihil enim possent affirmare conscientiae, de misericordia, si non haberent expressum testimonium ac verbum. Nec fides posset existere, nisi gratuita misericordia intelligeretur, ut dictum est.

Haec necesse est moneri lectorem, et longior explicatio petenda est ex novo Testamento, ubi locus de iustificatione prolixe tractatur, modo ut haec regula semper sit in conspectu, in his concionibus de misericordia, requiri fidem, et proponi gratuitam misericordiam, id est, remissionem peccatorum et reconciliationem promissam propter Christum.

Sed additur particula, quod *Deus sit iustus.* Hanc appellationem intelligo legaliter, quod Deus sit iustus, id est, benefaciens piis, et puniens impios. Est haec agnitio iusticiae comitatur apprehensionem misericordiae, postquam enim reconciliati agnoscimus, quomodo recipiat et iustificet indignos, postea agnoscimus eum credentibus, quos recipit, tametsi adhuc sunt infirmi, tamen praestare ingentia beneficia, imo etiam vitam aeternam: et econtra agnoscimus eum horribiliter irasci non credentibus, Epicureis et hypocritis.

Et sicut non incoatur lex, nisi post agnitionem gratiae, ita non tribuitur Deo laus iusticiae, nisi post agnitionem illius gratiae seu misericordiae. Et sola vera Ecclesia tribuit Deo laudem iusticiae. Nam cum vident impii genus humanum oppressum esse calamitatibus, nec vident causam, scilicet, peccatum. Deinde etiam vident bonis male, et malis bene esse, alii, videlicet Epicurei, cogitant haec omnia casu, sine ulla gubernatione Dei accidere, negant Deo curae esse humanas, imo prorsus immerguntur tenebris, ac negant tandem esse Deum. Alii sentientes iram Dei, ut Saul, fremunt adversus iudicium Dei, cogitent crudeliter totum genus humanum tantis aerumnis opprimi, et praesertim videtur iniustum, quod bonis indigna patienda sunt.

Tale est iudicium mundi de Deo. Quare non sine gravi causa hanc laudem Dei addidit Propheta, ut ostendat, quod sola Ecclesia sic apprehendat et agnoscat Deum, quod sit misericors, miserator et iustus. Nam credentes vident causam, quare mundus sit oneratus tantis aerumnis, scilicet, propter peccatum. Intelligunt etiam sanctos oportere adfligi, ut reliquiae peccati mortificentur.

Et utraque doctrina opus est Ecclesiae, videlicet, ut teneat Deum gratis misereri propter Christum, et iniustum esse, id est, credentibus benefacere, et impios punire. Nam cum ita agnoscimus utrumque opus Dei, vere concipiunt corda fidem et timorem. Ideoque Psalmus utrunque proponit, ut hac concione fides et timor in nobis exuscitentur. Meminerimus ergo hunc versiculum in hoc Psalmo principalem doctrinam continere, fidei et timoris, seu Evangelii et legis.

Bene viro qui miseretur et mutuo dat.

Hactenus principalis doctrina de timore et fide tradita est, sunt etiam additae promissiones, nunc addit veros cultus alios, videlicet officia, quae erga proximum praestanda sunt. Sicut et Paulus inquit: In Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet, nec praeputium, sed fides quae est per dilectionem efficax.

Ac primum, quia Psalmus nullam mentionem facit ceremoniarum, et praedicat officia dilectionis, satis significat, opera dilectionis anteferenda esse ceremoniis. Sicut igitur alibi Prophetae errorem hypocritarum taxant, qui negligebant opera dilectionis, et interea cumulabant ceremonias, et putabant se iustos esse his operibus, ita hoc loco illa falsa persuasio reprehenditur, anteferuntur enim moralia opera. Extant conciones in hanc sententiam multae Esaiae 1. Item 58.: Frange esurienti panem etc. Oseae 6.: Misericordiam volui, non sacrificium. Micheae 6.: Indicabo tibi quid sit bonum, facere iudicium et diligere misericordiam. Zachariae 7.: Iudicium verum iudicate, et misericordiam facite.

Secundo, in doctrina operum necesse est semper addi doctrinam de fide, quia lex sine Christo non prodest. Et patres sciebant non satisfieri legi, nec placere opera, nisi quia recepti essent per misericordiam, propter promissiones. Ideo in hoc Psalmo interspersae sunt sententiae de misericordia et de fide.

Sic igitur intelligatur concio: Beatus, qui vere credit sibi Deum propicium esse propter Christum, et hac fide agnoscens eius misericordiam incipit ei obedire, et propter ipsius gloriam obtemperat, et credit ei placere hanc obedientiam, non quia sit perfecta, sed quia sumus recepti per misericordiam, propter mediatorem et pontificem nobis ab ipso donatum. Haec doctrina iterum hic repetenda est, in concione de bonis operibus.

Ac prodest ad consolandas pias mentes, et adhortandas ad bene operandum, ostendere, et quod Deus requirat obedientiam, et quomodo approbet. Fitque ita maxime illustris bonitas Dei, cum audimus, tantam esse amplitudinem misericordiae, ut in credentibus hanc imperfectam et contaminatam obedientiam approbet, et ornet praemiis, perinde ac si legi satisfieret.

Haec etsi supra aliquoties dicta sunt, breviter tamen hoc in loco de operibus repetivi, ut imperiti respondere possint, si huiusmodi dicta contra doctrinam de fide detorqueantur. Non enim valet argumentum, si quis obiiciat: Beatus qui mutuo dat, Ergo propter opera salvamur. Nam antecedens debet intelligi de credente: Beatus qui credit in Christum, et hac fide agnoscens misericordiam Dei incipit obedire. Cum autem prius requiritur fides, excluditur dignitas nostra, et significatur, quod fide propter Christum gratis accipiamus remissionem peccatorum, et fiamus haeredes Dei. Et tamen necesse est, sequi incoatam obedientiam. Ideo enim reconciliamur, ut vitam novam et aeternam consequamur, quae est ipsa nova obedientia. Et propterea donatur nobis Spiritus sanctus, ut illa nova vita in nobis incoëtur.

Qui miseretur.

Spiritualis obedientia est, non tantum externa opera ac disciplinam praestare, sed habere interiores motus bonos convenientes legi Dei. Ideo Propheta primum de interiori motu concionatur, qui non est in impiis, aut longe dissimilis misericordiae piorum.

Differunt enim motus illi tripliciter. Primum fine, ut Augustus, etsi est moderatus, tamen non afficitur misericordia, ut Deo obediat, et Deum glorificet.

Secundo obiectis, quia impiorum misericordia angustior est, quam piorum, tantum erga illos exerit se quos carnali modo diligunt. Ut Saul est misericors erga suos, quibus bene vult. Interea impii sunt crudelissimi erga vere afflictos et calamitosos, quos Deus praecipue vult respici, sicut hypocritae immanem saevitiam exercuerunt erga Ecclesiam, erga Prophetas, Apostolos et omnes profitentes Evangelium.

Ea acerbitas odii iam quoque apparet in adversariis Evangelii, quorum multi etiam in speciem honesti viri, tamen ita ardent odio adversus pios, ut optent omni genere crudelitatis affici et necari omnes a quibus dissentiunt. Non potest igitur in impiis misericordia esse debita, quam Deus requirit, quia non omnia obiecta complectitur, quae debet complecti.

Ac Psalmus praecipue intuetur illud primum et summum opus dilectionis, scilicet misericordiam erga Ecclesiam. Arguit et taxat infinitam duritiem maximae partis hominum, quae nihil afficitur calamitatibus Ecclesiae. Accusat tyrannos et hypocritas, qui praetextu iusticiae, aut defendendae pacis, omne genus crudelitatis exercent, sicut et alio loco de misericordia erga Ecclesiam concionatur: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.

Cum igitur hic requirit misericordiam, intelligamus eam requiri, quae obiecta debita, iuxta mandatum Dei complectitur. Talis misericordia admodum rara est, sed tantum in his est, in quibus est vera agnitio Dei.

Tertia differentia est in modo operis. Cum misericordia piorum est coniuncta fides, scilicet, quae credit, non solum nos placere Deo, sed etiam ipsi curae esse totam vitam nostram, suppeditari nobis ab ipso necessariam defensionem et victum, et quia postulat ut nos iuvemus alios, ac promisit praemia, pii propter Deum praestant beneficia, et vicissim fide expectant auxilium Dei.

Hic modus operis non est in Augusto. Etsi enim est misericors, tamen non credit suam totam vitam curae esse Deo, nec pro clementer factis expectat vicissim auxilium Dei, sed benefacit sine respectu Dei, impulsus quodam naturali dono, vel metuens ne a civibus propter saevitiam excutiatur, sicut norat exempla tyrannorum, qui ab honestis civibus fuerant oppressi.

Econtra vero lucet in beneficiis piorum fides intuens Deum, qua propter Deum praestant beneficia, et expectant vicissim auxilium, et sentiunt suam totam vitam Deo curae esse. Sic David ignoscit civibus post seditionem, quia scit Deo placere hanc moderationem in victoria, et se defendi divinitus. Sareptana mulier quidquid habet cibi dat Prophetae, et credit fore, ut divinitus offeratur aliquid, unde se et filium sustentet.

In his exemplis cerni potest differentia etiam in modo operis. Et haec descriptio ostendit, quomodo liberalitati piorum fit coniuncta fides, de quo loco, postea iterum erit dicendum. Nam cum dicitur, his operibus fidem exercendam esse, postulatur non modo, ut fiant opera, sed ut talia opera fiant, in quibus fides luceat et exuscitetur, videlicet quod hic cultus Deo sit praestandus, quod placeat Deo propter Christum, quod Deus curet totam vitam nostram, et propter hos cultus vicissim in nostris periculis nobis opitulaturus sit.

Si haec fides esset in multis, multo essent largiores Eleemosynae. Nam diffidentia deterret ab his operibus, quia homines cogitant se negligi a Deo, et somniant Deum non curaturum esse ipsis necessarium victum, ideo rapiunt undecunque, et parto incubant, ne quid pereat.

Hactenus dixi de prima particula versus: Beatus qui miseretur. Estque diligenter observandum discrimen misericordiae piorum et impiorum, ut sciamus qualem misericordiam flagitet. Certum est enim Psalmum concionari de illa misericordia, quam Deus praecipit, quae propter Deum praestatur et in agnitione Dei et vera fide exercetur. Talis misericordia est cultus spiritualis, qui fit impellente Spiritu sancto, nec est tantum civile officium. Ita iudicandum erit et de sequentibus operibus.

Et mutuo dat.

Miretur aliquis nominatim praecipi de mutuatione, cum videatur esse tantum civile officium, et quod facile praestant etiam impii. Ad hoc respondeo sicut supra, Mutuatio praecipitur hic talis, qualem flagitat Deus, scilicet quae fiat propter Deum, et in fide, et liberaliter, sine captatione et sine foenore.

Differunt enim mutuatio piorum et impiorum, sicut et caetera huius generis officia. Pii dant mutuo, propter Deum, quia sciunt requiri hoc opus a Deo, tanquam necessarium cultum. Secundo addunt fidem, credunt Deo id opus placere, et se habere Deum propicium et defensorem, ac Deum vicissim ipsis suppeditaturum esse necessaria bona. Tertio obiecta complectuntur a Deo proposita, dant mutuo vere egentibus piis, et non exercent quaestum pactione usurarum. Propter has tres circumstantias Mutuatio fit spirituale opus et cultus Dei, sicut supra de misericordia dictum est.

Deinde continet hic locus etiam utilem doctrinam de contractibus, quod Deus approbet contractus, quia hic et praecipit et ornat promissionibus. Item quod officia contractuum recte facta, sint cultus Dei. Discamus igitur non tantum propter utilitatem corporalem contractus exercendos esse, sed addamus et hunc finem, ut per eos Deo serviamus.

Porro ut de mutuatione praecipit, ita intelligamus praecipi etiam de aliis contractibus, in quibus opus est pauperibus alieno auxilio. Et vult Psalmus contractus iuste exerceri, sine fraudibus, ut cum pauperi opus est frumento, dives vendat, et sit contentus mediocri precio. Talis emtio laudatur Proverb. 11.: Abscondenti frumentum maledicetur, et benedictio vendenti frumentum. Fitque hoc praeceptum illustrius, cum intelligimus sic requiri haec officia, ut prohibeantur contraria peccata, videlicet avaricia, rapinae, furta, fraudes, usurae.

Harum pestium maior est varietas, quam ut hic possint species enumerari. Sed tamen non est intempestivum hic de usuris dicere, praesertim cum nunc sine modo crescant. Nec dubium est, quin sit grave peccatum, petere usuras, iuxta illa praecepta saepe repetita, Psalmo 14.: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.

Illa autem est magna quaestio, qui contractus sint usurarii. Trado igitur regulam in genere, Evangelium concedit nobis uti contractibus, sicut et hic Psalmus testatur, et quidem debemus eis uti, tanquam exercitiis dilectionis, in quibus Deo serviamus.

Deinde et illud sciendum est. Iudicium de contractibus et de usuris, ut de aliis rebus politicis, petendum esse a magistratu civili, hoc est, ab ipsis legibus recte et sane intellectis, et consentientibus cum ratione. Nam in politicis rebus debemus parere iudicio civilis magistratus, si tamen non pugnet cum ratione honesta. Quare iis contractibus, quos approbant leges, uti possumus. Ac diserte dico, de approbatis. Etsi enim alicubi permittunt usuras, non tamen approbant, quia leges non possunt omnibus vitiis mederi.

Praeterea quae sint usurae proprie dictae, etiam discendum est a legibus. Prudenter enim iudicandum est, ne temere contractus aliqui legitimi damnentur. Interdum enim indocti generaliter, omnes reditus seu census improbant tanquam usurarios. Ideo autem diligenter diiudicandi sunt contractus, ut legitimis utamur maiore pietate, et vere ac serio vitemus usuras. At hoc tempore impudenter petuntur, non solum centesimae, quae etiam legibus civilibus prohibitae sunt, sed etiam ducentesimae, quarum petitionem ethnici severe puniebant. Nec leviter peccant gubernatores Rerumpublicarum, quod talia furta tolerant, imo aliqui in societatem praedae veniunt, et sunt, ut ait Propheta, socii furum.

Dicam autem de quibusdam contractibus. Saepe quaeri solet, an contractus redemtionis sit licitus. Sunt autem tres formae: Prima est cum emitur certus fundus, pro iusto et usitato precio, sed cum pacto de revendendo. Secunda forma est, cum emitur reditus in fundo certo, cum pacto de revendendo.

Hae duae formae sunt haud dubie legitimi contractus, et non sunt usurarii, quia sunt verae et legitimae ac non simulatae emtiones. Continent enim substantialia emtionum, Mercem, precium iustum, et consensum. Nam merx est in priore casu ipse fundus, in posteriore casu merx est ius illud in fundo constitutum, ut quotannis inde certi reditus solvantur. Id ius emi potest, ut si quis servitutem, actum, aut iter in alieno fundo sibi emeret.

Nec pactum de revendendo tollit naturam emtionis, quare et veteres leges approbant talem contractum, ut testatur lex, si fundum, in Codice, de pactis inter emtorem et venditorem. Debent autem Christiani, ut antea dictum est, legum iudiciis adsentiri de natura contractuum, praesertim cum doctorum bonorum et prudentum iudicia congruunt.

Debet autem accedere haec aequalitas, ut in aliis servitutibus, si periret fundus, periisset etiam iter in fundo: sic reditus periisse existimandus est, cum fundus periit. Et quamvis accedit oppignoratio aliorum bonorum, seu hypotheca, tamen non propterea viciatur emtio. Quia oppignoratio non adversatur naturae emtionis. Ac de his duabus formis contractus, quas recensui, minus ambigitur. Nam si quis dextre iudicabit, agnoscet vere esse emtiones.

De tertia forma plus est disputationum. Cum emitur reditus non in fundo certo, sed in omnibus bonis alicuius, ut si quis emat reditum ab aliqua civitate, quae promittit se, non ex fundo certo, sed ex omnibus bonis Reipublicae solutu-

ram quotannis certam pecuniam, ut saepe reditus a civitatibus emuntur. Probatur ab eruditis et haec emtio. Nam hic quoque sunt substantialia emtionis. Merx scilicet ius illud annui reditus capiendi. Item precium et consensus. Cumque ius fundatum esse in aliquo corpore debeat, in hoc casu, ius fundatum est in universis bonis, ut si in agro alicuius emta esset servitus, iter aut actus.

Est igitur et in hoc casu vera emtio, sed illud videndum est, ut vere referatur contractus ad bona ipsa, non ad personas, hoc est, ut bona possint sustinere id onus, et cum attenuata sustinere non poterunt, pro proportione de reditu partem remittas.

Quod autem hic tertius casus sit emtio, confirmat haec ratio. Maxime proprium est emtioni, emtorem non habere ius repetendi precii. In hoc casu emtor prorsus amittit ius repetendi precii. Necesse est igitur vicissim aliquod ius tanquam mercem in eum translatum esse. Nec potest hic contractus esse mutuatio, quia dans mutuo retinet ius repetendi mutui.

Hi contractus, quos iam recensui, sunt admodum usitati. Quare prodest eo, qui in Ecclesiis docent, admoneri quae formae probandae sint. Et haec exempla discrimen ostendunt inter emtiones et mutuationes. Est enim mutuatio, cum non emitur aliqua merx, sed pecunia sine merce transfertur, ut tantundem pecuniae recipiatur. Hic contractus debet esse gratuitus, redditur enim tantundem. Quare si amplius daretur, iam fuerit inaequalitas, et lucraretur dans mutuo, cum alter nihil reciperet. Tale lucrum in mutuo, quod petitur propter ipsam mutuationem supra sortem, est proprie usura. Ideoque usura exhaurit facultates alienas, quia is qui solvit usuram, nihil recipit. Non potest autem esse perpetua communicatio, ubi est inaequalitas, sed necesse est alteram partem exhauriri. Prohibet igitur Deus usuram, sicut furta aut rapinas, quia sicut haec continent inaequalitatem, et exhauriunt alienas facultates, sic usura continet inaequalitatem, et est hirudo multo perniciosior privatarum et publicarum facultatum, quam caetera furta.

Haec de usuris breviter adieci, ut studiosi admoniti uno atque altero exemplo eruditius discernere possint contractus, et sciant vere damnandas esse usuras, et prohibendam rapacitatem foeneratorum, quae hoc tempore crescit, et grassatur turpius et atrocius, quam apud Ethnicos.

Pertinet autem ad officium eorum, qui in Ecclesia docent, ut hoc peccatum reprehendant et damnent, et hortentur magistratus, ut legibus et poenis hanc rapacitatem prohibeant, quam Deus et aeternis suppliciis et interdum magnis calamitatibus in hac vita punit. Athenis et Romae saepe magnitudo foenoris et foeneratorum crudelitas, excitavit seditiones et civilia bella, quae fuerunt poenae cum aliorum vitiorum, tum etiam rapacitatis et usurarum.

Hic etiam quaeri solet, An peccent non dantes mutuo, cum tamen videatur esse officium indebitum. Respondeo, de his officiis indebitis, de mutuatione, venditione, item de eleemosynis, tenenda est regula Pauli: Ne tibi sit tribulatio et aliorum alatur ignavia, aut luxus. Non peccat recusans dare mutuo his, qui petunt extra necessitatem probabilem, sicut plerique ad luxum et profusiones petunt: sed peccat recusans dare mutuo his, qui petunt in necessitate, quae habet probabilem causam.

Idem sentiendum est de venditione et de eleemosynis, ut si quis nolit mutuo dare honesto patrifamilias vere egenti, aut sacerdoti inopi, si possit illos iuvare sine suorum iniuria et egestate: is haud dubie peccat. Haec regula traditur 1. Ioan. 2.: Qui habet facultates, et non dat egenti, quomodo manet dilectio [Dei] in eo?

Ac modum huius liberalitatis probabilem praescribit Salomon, cum ait: Fontes tui deriventur foras, et tu Dominus eorum maneto, id est, Deus non tollit proprietates et dominia, non vult dissipari haereditates seu possessiones singulorum. Quia expedit reipub. cives habere certos fundos. Sic igitur danda est eleemosyna, ne excutiaris ex fundo, hoc est, ut princeps retineat suum principatum, ut paterfamilias retineat suos agros, suas aedes. Ideo inquit: Tu Dominus eorum maneto. Sed fontes, inquit, foras deriventur, id est, de fructibus impertiendum est aliis. Ita iubet, nos retinere fontes, et tamen inde educere rivulos et egentibus impertire.

Administrat negocia sua iuste.

Usitata translatio inquit, disponit sermones suos in iudicio. Id Ebraica phrasi significat idem, quod administrat negocia sua iuste. Haec inter-

pretatio fortasse clarius reddit sententiam, loquitur enim de omnibus actionibus in vita, tametsi si quis mavult angustius intelligere de doctrina, aut sermonibus, ac retinere verba usitatae translationis, non valde repugno. Sed postquam supra de misericordia et mutuatione praecepit, nunc adiicit generale praeceptum, complectens omnes alias actiones, requirit in omnibus negociis iusticiam, ac prohibet fraudes et imposturas.

Eamus igitur ordinem per decalogum. Praecipue prohibet sophisticam et depravationem piae doctrinae. Nam id peccatum est maxime vulgare, et omnium nocentissimum. Et tamen fraudes in hoc genere difficilius deprehendi possunt. Imo illi, qui impiissime corrumpunt doctrinam, et sunt defensores impiarum opinionum et cultuum, saepe habent summam speciem sapientiae et pietatis, sicut olim Pseudoprophetae, et nunc hypocritae, pontifices et monachi, qui adversantur Evangelio. Dixi supra, hanc esse concionem de bonis operibus, observandum est igitur, quae opera requirat. Non tantum flagitat honesta officia, quae gentes intelligunt, et praestare possunt, sed etiam maiora, quae ad cultum Dei pertinent, scilicet in confessione, et in docendo veritatem ac libertatem, ne aut per sophisticam corrumpatur doctrina, aut dissimulatione obruatur veritas, sicut alii tacendo produnt veritatem, aut confirmant errores non ingenue ac perspicue refutando, alii simpliciter novas et impias opiniones spargunt. Hos omnes damnat hic Psalmus, cum ait: Beatos esse eos, qui iuste administrant sua negocia. Ergo peccant, qui non docent iuste, aut non iuste confitentur.

Plurimi hoc tempore contra conscientiam occultant veritatem et adsentiuntur impietati et saevitiae tyrannorum. Et haec dissimulatio iam sapientia quaedam esse ducitur, cumque tantum moveantur gratia hominum, praetexunt publica pericula, dicunt ex mutationibus oriri seditiones et motus. Sed has dissimulationes Deus horribilibus suppliciis puniet, sicut inquit Christus Matth. 10.: Qui negabit me coram hominibus, negabo eum coram patre coelesti, et Marc. 8.: Filius hominis confundet eum. Et Roman. 10.: Confessio fit ad salutem. Quam multi nunc intersunt pontificum, regum et principum deliberationibus? qui contra conscientiam tacentes eorum impietatem et crudelitatem confirmant, sicut adiuvabant condemnationem Naboth impii testes et iudices. Et Micheae 7. minatur Deus poenam his adulatoribus, cum ait: Princeps postulat, et iudex assentitur. Alii aperte oppugnant veritatem contra conscientiam, de quibus dicit Christus: Qui dixerit blasphemiam in Spiritum sanctum, non remittetur ei. Nec est exiguus numerus talium, praesertim hoc tempore.

Haec breviter perstrinxi, ut lector admonitus cogitet, in hoc versu Psalmi, multo plura et maiora opera requiri, quam civilia officia. Necesse est enim a prima tabula ordiri. Nunc venio ad secundam.

Non administrant negocia sua iuste princeps, qui non recte regunt, nec defendunt subditos, qui exercent iniustam saevitiam, qui onerant eos iniustis expilationibus, qui infideliter exercent iudicia.

Item alii, qui non fideliter obtemperant superioribus, non honeste regunt, nec instituunt familias, qui habent animos occupatos privatis odiis, et propter illa turbant Ecclesiam et Respublicas, qui polluunt se libidinibus, qui fraudes in contractibus struunt, qui in iudiciis sophisticam exercent.

Et horum vitiorum infinita est varietas. In aliis est manifestus furor, ut in Saule interficiente sacerdotes: alias hypocritae flagitia arte tegunt, ut cum Saul insidiatur vitae Davidis, promissa filia, si interficeret centum hostes. Et impii sapientiam esse ducunt, suas cupiditates arte explere, malas causas fucis qualibuscunque defendere, callide inflectere hominum animos, falso praetextu incendere populos, connectere et dissociare voluntates, arte tollere eos, qui videntur posse nocere. Haec et huiusmodi alia multa astute facta, nunc laudem habent, sed prohibentur in hoc versiculo, qui iubet negocia iuste administrari. Nam astutia pugnans cum iusticia, non est sapientia, scriptum est enim: Sapientiae initium timor Domini.

Quoniam in aeternum non commovebitur, in memoria aeterna erit iustus.

Ut supra intertexuit praeceptis promissiones, ita hic repetit promissiones. Et est sententia: Iustus etiamsi affligetur aliquandiu, tamen tandem liberabitur, et habebit vitam, tranquillitatem, et gloriam perpetuam. Est enim his dictis

involuta doctrina de vita aeterna, sicut supra dictum est. Nam cum manifestum sit, in hac vita iustos affligi, ac plerosque etiam interfici, necesse est tamen, promissiones Dei veras esse, quae pollicentur piis bona, et minantur impiis poenas. Quare necesse est, restare aliam vitam, in qua Deus iudicaturus est, et puniet impios, et rursus glorificabit pios.

Est autem singularis emphasis in altero membro: *In memoria aeterna erit iustus*, id est, Etsi in tantis aerumnis iusti versantur, ut Deus videatur eorum oblitus, negligere, deserere, proiicere eos, sicut de Christo dicunt: Si filius Dei es, descende de cruce, et Christus ipse clamitat: Deus meus, quare reliquisti me? tamen hic Psalmus testatur, Deum non oblivisci piorum. *Erunt in memoria aeterna*, id est, Deus semper meminit eorum, nunquam obliviscitur eorum, qui haud dubie eos tandem liberabit ex aerumnis, sicut alibi scriptum est in Psalmo: Multae afflictiones iustorum, sed ex omnibus illis liberabit eos Dominus.

Ac tum quoque, cum videtur Deus negligere, et non adiuvare suos, tamen adest, et robur impertit, ne oppressi magnitudine calamitatum, aut diaboli furore, a Deo deficiant, sicut scriptum est: Non relinquam vos orphanos. Et Roman. 8.: Spiritus adiuvat infirmitatem nostram. Et 2. Corinth. 4.: Circumferimus thesaurum hunc in vasis fictilibus, ut sit excellentia virtutis Dei, et non ex nobis, undique tribulamur, sed non opprimimur, angimur, sed non deficimus, patimur persecutionem, sed non deserimur, impellimur, sed non interficimur. Item cap. 12.: Virtus mea in infirmitate perficitur. Et deinde: Cum imbecillis sum, tunc sum potens. Et perspicua est haec doctrina in Psalmo nonagesimo de custodia piorum in ipsa tentatione: Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Et Psalmo 117.: Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me. Item: Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradit me. Esai. 40.: Ne timeas, quia ego tecum suum.

Hae sententiae et similes debent nobis esse in conspectu, ut in mediis afflictionibus et certaminibus confirment fidem nostram, et nos ad invocationem exuscitent. Meminerimus ergo, Deum non solum exitus gubernare, sed etiam adesse in ipsis periculis, nosque iuvare, sicut et sequens versiculus huius Psalmi docet.

A nuncia malo non expavescit. Firmum cor eius, confidens in Domino.

Prior pars est promissio, altera pars est praeceptum et doctrina de fide et quasi ratio *αἰτιολογία* promissionum. Ideo defendetur ac liberabitur iustus, quia confidit Domino. Est autem sententia prioris particulae. A nuncio malo non expavescet, id est, cum terribilia pericula offeruntur, non succumbet, non deficiet, non languescet, ac non modo liberationem expectabit, sed etiam in ipso agone adiuvabitur et erigetur. Sicut Moises cum staret ad mare rubrum, videretque ingentem hostium exercitum a tergo instare, nec posset effugere, hinc mari, illinc montibus septus, in tanto periculo cum populus expavisset et pene abiecisset omnem spem salutis, Moises tamen retinet fidem, et consolatur eos, nec expavescit a malo nuncio, nec formidat venientem exercitum. Itaque cum fidem retineret, Deus etiam eum confirmat, et viam patefacit per medium mare.

Etsi autem non sunt similes omnium tentationes, tamen oportet singulos paratos esse, ut fide excipiant terrores et pericula quae ipsis obiiciuntur, sicut Moises sua pericula excepit et vicit.

Sequitur *αἰτιολογία*. Ideo non expavescit iustus, quia confidit Domino. Hic expresse concionatur de fide et de spe: est autem haec doctrina prorsus ignota humanae rationi. Quia in animis omnium hominum, in hac infirmitate naturae haeret ingens dubitatio de voluntate Dei. Aut enim securi habent opiniones Epicureas, non statuunt Deo curae esse res humanas, nec invocantes a Deo respici, sicut multae in hanc sententiam dubitationes in poëmatis leguntur, qualis est apud Ovidium: Sollicitor nullos esse putare Deos. Alii vero perterrefacti, qui sentiunt se divinitus puniri, in pavoribus fremunt adversus iudicium Dei, iudicant se abiectos esse, et horribiliter irascuntur Deo, non statuunt sibi ignosci, nec expectant auxilium a Deo. Talis est caligo humanae mentis, sicut Saul iudicabat se desertum et abiectum esse a Deo, ac desperans auxilium periit.

Haec exempla intelligi possunt: econtra vero, quid sit fides, ratio sine verbo Dei et spirituali lumine non intelligit. Ideo hypocritae damnant doctrinam de fide, quia non intelligunt,

quid sit illa fides, quae in veris pavoribus invocat Deum, expectat auxilium, et erigit ac consolatur animos, de qua concionantur Prophetae et Apostoli.

Sic igitur docemus de hac fide. Non tantum requiritur noticia legis seu historiae de Christo. Et noticia legis non affert fidem, quia lex tradit promissiones conditionales, si satisfeceris legi, si eris sine peccato, Deus exaudiet te. Sic iudicant de voluntate Dei Saul et alii perterrefacti, ignorantes Evangelium: Si esses iustus, si esses sine peccato, Deus exaudiret te. Nunc cum sis obnoxius tot peccatis, frustra invocas, frustra speras auxilium. Haec vox est χειρόγραφον, ut vocat Paulus, in omnium animis, condemnans nos. Consulat enim suum quisque animum, quod si faciet, agnoscet hanc legis sententiam sibi adsidue obstrepentem.

Quomodo igitur vera fides existit in animis? Cum credimus propter Christum gratis remitti peccata, et nos placers Deo, et exaudiri, etiamsi sumus indigni. Haec gratuita promissio revelatur in Evangelio. Cum igitur intuens cor in mediatorem et pontificem Christum, credit sibi ignosci propter illum, iuxta promissionem, et invocat, petit, expectat auxilium a Deo, nec sibi hanc fiduciam excuti sinit conspectu propriae indignitatis, haec fides vincit peccatum et terrores mortis, et impetrat bona a Deo, sicut inquit Christus: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam.

Etsi autem differunt pericula cum quibus luctatur fides, alia sunt negocia Moisi, alia Gedeonis, alia Davidis, alia Pauli: tamen in omni invocatione et omni exercitio fidei, lucere primum haec fides debet, quae est fiducia misericordiae, qua statuit cor, se habere remissionem peccatorum, et placere Deo propter Christum, gratis. Hac fide erecta mens invocat Deum, petit et expectat auxilium in qualicunque tentatione. Quanquam igitur negocia et pericula sunt dissimilia, tamen fides intuens Deum et apprehendens misericordiam, iuxta promissionem, est similis in omnibus piis, in Abraham, Moise, Gedeone, Davide, Ezechia, Paulo et aliis. Talem fidem requirit et hic Psalmus, nisi enim talis fides sit in animis, vincit dubitatio, et indignatio adversus Deum, in veris agonibus ac periculis.

Discamus igitur, scripturam de simili fide concionari, quoties veram fidem praedicat et requirit. Et repudiandae sunt imaginationes profanae, quae aliud interpretantur fidem in Paulo, cum de fide iustificante concionatur, aliud in Psalmis, aliud in Genesi, credidit Abraham Deo etc. Paulus enim hoc testimonium citans, ostendit se de simili fide loqui. Nec est obscura Pauli sententia. Etsi enim hanc quoque corrumpunt adversarii, tamen quid velit, sanis et piis minime dubium est.

Ut igitur magis intelligi possit, dicta de fide in Paulo et reliquis scripturis recte consentire, explicabo integrum locum de iustificatione, praesertim cum hunc saepe in Ecclesiis repeti necesse sit.

Est igitur haec eius loci summa. Christus complexus est summam Evangelii, com iubet praedicari poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine suo. Quare necesse est fn ministerio Evangelii argui peccata hominum, sicut ait Christus: Spiritus S. arguet mundum de peccato. Et ad hanc rem ministerium Evangelii utitur voce legis, quae accusat omnes homines, et testatur reos esse irae Dei, sicut Paulus inquit Rom. 3.: Per legem cognitio peccati. Item Rom. 7.: Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret, Non concupisces. Sed non tantum argui peccata oportet, nec tantum lex docenda est, sed necesse est addi Evangelium, de Christo et de remissione peccatorum, de iustificatione, et de donatione Spiritus sancti et vitae aeternae.

Sciant igitur perterrefactae mentes, in Evangelio promitti remissionem peccatorum, iustificationem et donationem Spiritus sancti, propter Christum gratis, iis qui credunt in Christum. Hac fide sciant se consequi remissionem peccatorum, et imputationem iusticiae, et donationem Spiritus sancti, gratis propter Christum, qui pro nobis factus est victima, et propiciator, ac sua morte peccatum sustulit, sicut Rom. 8. copiose traditur.

Difficile est autem conscientiis in vero pavore tantum se hac consolatione sustentare, quod fide gratis propter Christum contingant remissio et iustificatio. Ideo quaerunt merita, et conantur operibus propriis mereri remissionem. Nam ratio humana non intelligit iusticiam fidei, sed intelligit suam iusticiam, seu operum doctrinam: ideo conatur propriis operibus mereri remissionem et instituit varios cultus, sicut ostendunt monachorum exempla. Sed Evangelium revocat nos

a nostris operibus, et mandat ut acquiescant conscientiae in Christo solo, et propter hunc solum statuant nobis remitti peccata, nos reputari iustos coram Deo, seu acceptos esse et placere, tantum propter hunc propiciatorem Christum, non propter ulla nostra opera.

Et in vero certamine conscientia non disputat, An Deus sit misericors, an remittat peccata: agnoscit enim Deum esse misericordem, et aliquos salvare, sed illud disputat, an indignis ignoscat, an nobis velit esse propicius. Ideo sunt docendi pii, promissionem esse universalem et gratuitam.

Cum igitur omnibus promittatur gratia, includat se quisque in illam universalem, ac sciat vere se beneficia Christi consequi, si credat ea sibi contingere. Nec quaerat extra verbum de voluntate Dei, sed statuat Deum veracem esse, et vere exhibere promissa. Sciat etiam gratuitam esse promissionem, ac exhiberi non propter dignitatem nostram, non propter merita nostra, opera, aut virtutes, verum apprehendi fide necesse est.

Ut igitur in veris pavoribus habeamus firmam consolationem, nec deterreamur conspectu indignitatis et magnitudine nostrorum peccatorum, tenenda est haec exclusiva, quod gratis contingant propter Christum remissio peccatorum et imputatio iusticiae, modo ut fide apprehendamus. In hanc sententiam dicitur sola fide iusti, id est, accepti sumus. Excluditur enim conditio meriti, non hoc traditur, ne adsit contritio, ne sequantur bona opera, sed hoc significatur, non propter contritionem aut opera, aut virtutes nostras dari remissionem, sed gratis propter Christum. Id confirmat Paulus clare Rom. 3.: Iustificamur gratis fide etc. Et cum hac fide eriguntur animi, concipiunt Spiritum sanctum, ut ait Paulus ad Galatas, ut promissio spiritus detur per fidem.

Haec est doctrina Pauli de iustificatione. Postea addenda est doctrina de bonis operibus, in quibus tamen lucere fides illa semper debet, quae statuit certo nobis Deum propicium esse gratis propter Christum, et nos curare et exaudire. Sed de bonis operibus seu de nova obedientia postea dicam. Prius enim dicta de fide, quae citat Paulus, adiiciam, ut appareat illa dicta congruere, et esse *σύμφωνα*.

In Genesi dicitur: Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iusticiam. Non enim hoc vult, Abraham receptum esse propter dignitatem virtutem ipsius, sed cum Abraham in illis pavoribus, qui describuntur in Genesi, agnosceret indignitatem suam, et erectus voce Dei, qui ait, Noli timere, crederet et confideret se habere Deum propicium, et custodem, ac salvatorem propter ipsius misericordiam, et illud promissum semen, quo Deus instauraturus erat naturam humanam deleto peccato. Huc etiamsi accedant postea alia plura obiecta fidei, tamen primum agnitio et fiducia misericordiae, qua accipitur remissio peccatorum, praecedere debet. Ideo expectat beneficia caetera, posteritatem et defensionem, quia credit se habere remissionem peccatorum.

Sic de fide passim concionantur sententiae in Prophetis et Apostolis. David fide praestitit patientiam et expectavit defensionem, sed eo expectavit, quia primum credebat, se per misericordiam Deo placere, propter promissum propiciatorem. Ex his exemplis caetera iudicari facile possunt, et perspicuum est, Paulum recte citare dicta de fide, nec ludere ambiguitate vocis.

Proinde et in hoc Psalmo, cum ait: A nuncio malo non timebit. Firmum cor eius confidens Deo, ad eundem modum fides intelligatur: primum de fiducia misericordiae, qua accipimus remissionem peccatorum, quae cum adest etiam expectat et petit auxilium, defensionem et liberationem a Deo.

Ideo autem doctrina de hac fide, de qua concionantur Paulus et David, obscura est, quia in hac corruptione naturae haerent in omnium animis dubitatio de voluntate Dei erga nos: omnes in his tenebris humani generis naturaliter aut dubitamus, an Deus ignoverit nobis, an exaudiat et curet nos, aut iudicamus nos prorsus abiectos esse. Nec ratio intelligit hanc dubitationem esse peccatum. Ideo adversarii nostri iubent dubitare, et negant dubitationem esse peccatum, et corrumpunt dicta Pauli de fide, contendunt fidem nihil significare, nisi noticiam historiae, qualis est etiam in impiis et in diabolo.

Hic iure deploranda est Ecclesiae calamitas, quod tantae tenebrae doctrinam ecclesiasticam obruerunt, ut quid significet vocabulum fidei, quaerendum sit. Nec est leve certamen. Nam si vocabulum fidei recte intelligerent adversarii, facile his dictis Pauli assentirentur: Iustificati fide pacem habemus. Sed quia imaginantur fide tantum significari noticiam historiae, qualem constat esse

etiam in impiis, adiiciunt illa Pauli dicta, et cum aperte Paulum damnare non ausint, depravant et corrumpunt universam eius disputationem. Alius fingit esse hyperbolen, alius synecdochen, quasi Paulus fucosis laudibus ornarit fidem, ut eo plures invitaret ad professionem Christianam: denique detrahunt Paulo eruditionem, arbitrantur ambigue, improprie et inerudite locutum esse, ut solent indocti. Hanc cum habeant opinionem de Paulo, ipsi postea affingunt ei novas sententias.

Neque ego miror, haec ausos esse olim monachos, qui erant indocti, sed quod nunc ita de Paulo iudicat Sadoletus, qui vult videri literatus, et non irreverenter sentire de tanto Apostolo, cuius doctrinam non aliter ac vocem de coelo sonantem audire debemus, illud vero magnopere miror. Toties agit triumphos et nos securissime deridet, et non solum condemnat inscitiae, sed prorsus sine sensu communi esse iudicat, quod Pauli dicta amplectimur, qui toties inculcat hanc sententiam, fide gratis iustificari homines.

Itaque breviter hic de propria, vera et germana significatione vocabuli dicendum est, ut nos contra cavillationes et sophismata hypocritarum muniamus.

Non ludit Paulus ambiguitate vocabuli, sed de re gravissima disputat, an simus iusti propter legis impletionem, an vero propter propiciatorem Christum. De hac tanta quaestione disputans, docet nos fiducia mediatoris Christi iustos reputari. Hanc fiduciam misericordiae propter Christum promissae, vocat fidem.

Neque hic excluditur noticia historiae, sed historia refertur ad finalem causam, quae et ipsa in symbolo ponitur: Credo remissionem peccatorum. Sic agnoscit fides Christum esse Filium Dei, passum et resuscitatum propter hanc causam, ut nobis vere donetur remissio peccatorum, ut efficiamur filii Dei, et haeredes vitae aeternae. Sicut de noticia Christi et Esaias loquitur, cum ait: Noticia eius iustificabit servos meos multos. Haec fides pugnat cum dubitatione ac diffidentia, erigit enim nos ut statuamus nobis ignosci, nos exaudiri a Deo.

Et quid sit haec fides, pugnans cum dubitatione et diffidentia, maxime intelligi potest in veris pavoribus conscientiae, quales sunt in iis, qui agunt poenitentiam. Id certamen si quis animo intuebitur, facile intelliget, et quid sit fides, et quod ad consolandas perterrefactas mentes, opus sit hac Paulina doctrina de fide. Nam et Pauli conciones vocant nos ad poenitentiam, et proponunt his, qui expavescunt veram consolationem, quare in eo agone fit illustrior eius doctrina. Itaque qui repudiat has consolationes, satis significat se nimis ocioso et profano animo de fide cogitare.

Procul autem removeri sophisticam a doctrina Ecclesiae convenit. Vocemus, ut dicitur, scapham, scapham, et simpliciter intelligamus vocabulum fidei, ut scriptura veteris et novi Testamenti loquitur, videlicet de fiducia misericordiae, quam quidem norant et patres propter Christum promissam esse, et hac fide iusti et salvi facti sunt non propter legem.

Quod sutem haec sit vis vocabuli, teneamus firma argumenta.

I.

Manifestum est Paulum loqui de fide, quae est assensus, quo assentimur promissioni. Ideo enim Rom. 4. confert promissionem et fidem, et ait promissionem futuram ociosam, si non accipiatur fide. Requirit igitur talem fidem, quae assentiatur promissioni gratiae. Hoc manifestum est, nec ulla cavillatione eludi potest. Sic doceat ad Galatas 3. promissioni assentiendum esse, cum ait: Ut promissio ex fide Iesu Christi detur credentibus. Porro fides assentiens promissioni, est vere fiducia misericordiae, non tantum noticia historiae. Ergo certum est apud Paulum, fidem significare fiduciam misericordiae propter Christum promissae.

II.

Rom. 4. inquit, de promissione non dubitavit diffidentia, sed confirmatus est fide. Hic constat eam fidem intelligendam esse, quae nititur promissione et repugnat dubitationi. Haec non tantum est noticia historiae, sed fiducia, quae promissionem intuetur et accipit.

III.

Constat Paulum loqui non de ociosa noticia, sed de consolatione erigente animos in pavoribus, sicut inquit Roman. 5.: Iustificati fide pacem habemus. Item: Accessum habemus fide in gratiam hanc, id est, cum deterremur conspectu indignitatis nostrae, agnoscamus promissam misericordiam propter Christum, et fiducia huius mediatoris ac-

cedamus. Sic declarat eandem sententiam ad Ebraeos: Accedamus cum fiducia ad thronum gratiae. Et Ephesios 1.: Per quem habemus fiduciam et accessum in fide.

IV.

Sic Christus inquiens mulieri, Fides tua salvam te fecit, certe non intelligit ociosam noticiam, sed fiduciam, qua mulier agnoscebat, hunc esse Dominum, et ab eo petebat ac serio expectabat auxilium. Eadem est vis vocabuli in similibus locis.

V.

In Actis ait Petrus: Fide purificans corda eorum. Opponit autem in eo loco, fidem iusticiae legis, quasi dicat, Cum legi non possent satisfacere patres, fide iustificati sunt, credentes sibi agnosci propter promissum Messiam. Significat igitur fides et in eo loco fiduciam misericordiae. Constat enim non purificari corda tali noticia, qualis est in impiis.

VI.

In dictis de oratione manifestum est fide significari fiduciam misericordiae, ut apud Iacobum: Si quis habet opus sapientia, petat in fide, non haesitans.

VII.

Eadem est significatio in veteri Testamento: Credidit Abraham Deo, id est, fiducia misericordiae promissae statuit se habere Deum propicium et defensorem, et expectavit promissam posteritatem.

Sic in concione Iosaphat 2. Paralip. 20. Credite Deo, et securi eritis, non tantum noticia historiae intelligitur, sed cum exercitus staret in procinctu, habebat opus consolatione. Quare hortatur populum, ut petant et expectent auxilium a Deo. Hanc fiduciam petentem et expectantem auxilium intelligit, cum ait, Credite, et pollicetur Deum opitulaturum esse, petentibus et expectantibus auxilium,

Eadem est vis vocabuli in hoc dicto: Iustus fide sua vivet. Iubet enim expectare Dominum si videatur contari. Et quod inquit, Fide vivet, intelligit fiduciam consolantem, scilicet, quae sustentat animum agnitione misericordiae promissae, et expectat liberationem.

Ex his exemplis hactenus recitatis, si quis ea non depravabit sophistice, satis perspicuum est, quid vocabulum fidei significet, et quod non sint corrumpenda testimonia per amphibolias, quodque Paulus proprie citaverit sententias ex veteri Testamento.

Caeterum illud tamen largior, interdum vocabulum fidei pro noticia tantum usurpari, ut cum Iacobus inquit: Daemones credunt. Et cum Paulus nominat analogiam fidei, intelligit doctrinam. Haec vera sunt, et ex circumstantiis iudicari potest, ubi de doctrina proprie loquantur textus, ubi de promissione et de misericordia opponenda pavoribus nostris.

Plana et perspicua sunt, quae tradimus, et praesertim si ad poenitentiam referantur, a piis facile intelligi possunt. Quam enim potest invenire firmam consolationem pia mens, si non volet audire hanc doctrinam de fide, qua statuendum est certo nobis remitti peccata propter propiciatorem Christum, nosque propter eum iustos reputari, respici, exaudiri et salvari.

Qualis caecitas, quam diabolicus furor est in adversariis, qui Aspidum more aures obturant, et ut hanc doctrinam aboleant, immanem crudelitatem exercent. Postea ut scripturas corrumpant, addunt alia sacrilegia, fingunt sophisticas cavillationes ad eludendam simplicem et germanam interpretationem. Ac facilius est aliquanto piis, confirmare animos contra saevitiam, quam muniri contra sophisticen. Ideo studiosi ita se praeparent, ut iudicare et refutare adversariorum cavillationes possint.

Postquam doctrina de fide, de qua diximus, tradita est, etiam docendae sunt Ecclesiae de bonis operibus, seu de nova obedientia. Cum enim in veris pavoribus, fide, hoc est fiducia Christi eriguntur mentes, et concipiunt Spiritum sanctum, agnoscunt se esse curae Deo, invocant eum et incipiunt obedire. Hanc novam et incoatam obedientiam esse necessariam manifestum est, quia ideo iustificamur, et peccatum ideo tollitur, ut vere in nobis incoëtur nova et aeterna vita, quae est nova lux, et obedientia erga Deum.

Sed tria praecipue de obedientia, seu operibus quaeri solent. Primum, quae opera requirantur. Secundo, quomodo placeant, cum maneat in nobis naturalis infirmitas, videlicet concupiscentia, quae est sua natura peccatum. Tertio, de peccatis mortalibus. Ad has quaestiones breviter respondebo.

Ad primam. Requiruntur opera, quae Deus nobis praecipit, non requiruntur cultus excogitati humana autoritate. Hoc de operibus moneri pios necesse est, ne ipsi sibi fingant cultus, sicut proclives sunt humani animi ad opera electa nostro iudicio, et *ἐθελοθρησκείας*. Imo sciant pii etiam in operibus, conscientiam regendam esse verbo Dei. Etsi enim mundus non intelligit, quantum peccatum sit, comminisci novos cultus, tamen pii sciant non leve erratum esse, sed idolatriae speciem. Semper igitur tenenda est in conspectu haec vox: Frustra colunt me mandatis hominum.

Caeterum summa bonorum operum, quae Deus nobis praecipit, continetur in decalogo dextre intellecto, sicut eum Christus et Apostoli enarrant. Inde discamus non solum externa honesta opera requiri, sed interiores bonos motus consentientes legi Dei, scilicet timorem Dei, fiduciam, invocationem, patientiam, zelum ad glorificandum et ornandum nomen Dei, diligentiam in vitandis scandalis, obedientiam erga superiores, dilectionem proximi, castitatem, veritatem. In his motibus debet crescere in nobis novitas spiritualis, sicut Paulus inquit 2. Cor. 5.: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur.

De secunda quaestione, non solum docti in libris disputant, sed multo vehementior est agon in conscientiis, cum cogitant se non placere Deo, cum adhuc haereat in nobis immundities naturalis.

Ac alii hac dubitatione impelluntur, ut prorsus fiant Epicurei. Quia enim desperant vitam posse Deo placere, desinunt invocare, et expectare quicquam a Deo, denique induunt contemtum Dei.

Alii frementes ira et indignatione adversus Deum, quam adfert desperatio, etiam pereunt. Ideo necesse est conscientias erudiri de hoc certamine, ne in hac impia diffidentia vivant, neve etiam arrogantia et fiducia propriae iusticiae intumescant.

Primum ergo sciant pii, concupiscentiam sua natura peccatum esse, quae quidem manet in sanctis, et gignit impetus adversus omnia praecepta Dei, videlicet securitatem adversus iudicium Dei, quaerere humana praesidia contra voluntatem Dei, diffidere Deo, non expectare a Deo auxilium, odia, flammas libidinum, et alia vitia. Iam cum sit peccatum in sanctis, polluitur et retardatur nova obedientia, quae tamen adhuc tantum incoata est, ac legi nequaquam satisfacit.

Primum igitur agnoscere debemus hanc novam obedientiam, non propter suam dignitatem placere Deo, nec esse precium seu meritum vitae aeternae, nec sanctos esse iustos, et acceptos ad vitam aeternam propter hanc obedientiam. Quare inquit Propheta: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Haec doctrina detrahit nobis arrogantiam et fiduciam nostrae iusticiae, et hortatur nos ad perpetuam poenitentiam, agnitionem nostrae infirmitatis, et irae Dei adversus peccatum.

Etsi autem homines extenuant hanc infirmitatem naturae, quia ratio humana non videt, quantum sit peccatum, nec videt iram Dei: tamen pii sciant Deo displicere illam carnalem securitatem et hypocrisin, ac Deum postulare, ut agnoscamus infirmitatem, et expavescamus ac timeamus iram et iudicium Dei adversus peccatum.

Ita maneat et crescat in nobis poenitentia, sicut deplorat Paulus suam infirmitatem non levi querela, cum ait: Miser ego homo, quis me liberabit a corpore huius mortis? His verbis magni affectus et veri pavores significantur, sicut et Ezechias inquit, in vera poenitentia agnoscens suam infirmitatem et iram Dei: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. Et Daniel: Non in iustificationibus nostris invocantes, sed in miserationibus tuis multis. Item: Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei. Et Psalmo 31.: Dixi confitebor adversum me iniusticiam meam Domino. Hi loci omnes concionantur proprie sanctis, ne suam infirmitatem extenuent, ne securi contemnant iudicium Dei, ne confidant propria iusticia aut sapientia.

Sed in pavoribus addenda est etiam altera doctrina de fide, ne relinquantur conscientiae in dubitatione, neve ruant in desperationem. Cum adest poenitentia, necesse est etiam consolationem tenere, videlicet, quod quanquam sit in nobis illa infirmitas, tamen vere placeat Deo persona, propter mediatorem et pontificem Christum, et condonentur nobis reliquiae peccati, ac placeat Deo incoata obedientia, propter Christum, sicut Paulus inquit Rom. 8.: Nulla nunc damnatio est his qui ambulant in Christo Iesu. Item: Non estis sub lege, sed sub gratia. Et Petrus ait: Offerte

spirituales hostias, acceptas Deo per Iesum Christum, quasi dicat, non acceptas esse propter nostram dignitatem, aut perfectionem, sed propter pontificem Christum.

Haec consolatio habenda est in conspectu, ut nos exuscitet ad agnoscendam et celebrandam amplitudinem misericordiae Dei, quod videlicet hanc novam obedientiam plenam infirmitatis, et contaminatam, tamen approbat, et ornat ingentibus praemiis corporalibus et spiritualibus, quasi legi satisfaceremus. Tali fide praedita materfamilias, cum infantes curat, lavat, facit opera bona Deo placentia et quae scriptura vocat veros cultus Dei. Sic alii in suis vocationibus.

Itaque haec amplitudo misericordiae exuscitet nos ad bene operandum. Quia enim scimus Deum non solum postulare hanc obedientiam, sed etiam propter Christum vere approbare, et praemiis ornare, non abiiciamus curam bene operandi, quasi Deus aut non requirat nostram obedientiam, aut quasi frustra certemus, sicut caro desperatione quadam aut dubitatione fit segnior, et ob eam causam fit negligentior, quia existimat se frustra sumere laborem, tanquam ingratum Deo. Adversus hanc occultam carnis dubitationem, et segniciem excitari nos oportet agnitione misericordiae, ut dixi.

Tertia quaestio est de discrimine peccati venialis ac mortalis. Cum enim dicitur, in sanctis esse ac manere peccata, in hac mortali natura, discrimen addi necesse est, propter quae peccata sancti amittant gratiam, Spiritum sanctum et fidem: econtra vero quae peccata haereant ita in sanctis, ut tamen sancti simul retineant gratiam, Spiritum sanctum et fidem. Nec leves causae sunt, cur hoc discrimen tradi oporteat. Nam imperiti absurdas opiniones fingunt de peccatis, si non admoneantur.

Scriptura clare discernit gradus peccatorum. Paulus enim Rom. 8. inquit: Si secundum carnem vixeritis, moriemini, si vero Spiritu actiones carnis mortificabitis, vivetis. Clare igitur fatetur, in sanctis esse actiones carnis viciosas, quae si mortificentur Spiritu, sancti vivent, hoc est, si affectibus viciosis repugnabunt, et coërcebunt eos ac vincent motibus spiritualibus, timore Dei, et fiducia Christi, non amittent sancti gratiam.

Econtra diserte dicit morituros esse, si vivent secundum carnem, id est, si non repugnabunt viciosis affectibus, sed laxabunt eis frenum ac obedient eis. Haec peccata cum faciunt illi qui fuerant sancti, amittunt gratiam, Spiritum sanctum et fidem, sicut David committens adulterium erat reus mortis aeternae, sicut Propheta clare testatur. Itaque tunc ante poenitentiam, non habebat Spiritum sanctum et fidem.

Hinc est nata distinctio de peccato veniali et mortali, de qua saepe loquuntur etiam veteres scriptores. Eam Nazianzenus discernit peccatum φονικὸν, ab illis quae ita haerent in sanctis, ut tamen maneant in gratia. Sed Thomas et eius generis scriptores nimium extenuaverunt peccata venialia, et tantum de actionibus loquuntur, non de horribili naturae infirmitate.

Nec Hieronymus satis explicat rem in dialogo, ubi quaerit, An sancti sint sine peccato, seu ἀναμάρτητοι. Quanquam enim affirmat sanctos semper habere peccata, tamen haec intelligit de actionibus, ut de irascendo, ut de irascendo, aut aliis subitis affectibus: nec loquitur de viciosa natura, non de illis abditis morbis, de dubitatione pugnante cum timore et fide, de coecitate, et securitate carnali, de fiducia rerum praesentium contra voluntatem Dei, deque aliis similibus vitiis.

Itaque ut supra dixi de peccatis, quae haerent in sanctis, ita hic rursus moneo, in sanctis in hac vita manere corruptionem naturae repugnantem legi Dei, et viciosos affectus. Haec sunt in impiis mortalia peccata, et iram Dei ac poenas aeternas merentur, sed piis condonantur, si tamen, ut supra dictum, non contemnunt securi iudicium Dei, nec sunt ut Paulus ait, ἀπηλγηκότες, hoc est, sine dolore et pavore, sed vere expavescunt, et non solum viciosos affectus, sed etiam ipsam naturae infirmitatem, agnoscunt esse re ipsa peccata, ac rursus in his pavoribus erigunt se, et credunt sibi haec peccata condonari propter Christum propiciatorem, et repugnant pravis motibus nec obtemperant. Sicut Ioseph repugnabat libidini, expetitus a coniuge domini sui: ita sunt delicta venialia, id est, condonata in sanctis, et manent simul Spiritus sanctus et fides.

Sed mortalia fiunt, cum viciosis affectibus obtemperant contra conscientiam. Ac dicuntur mortalia, quia propter haec amittuntur Spiritus sanctus et fides, et ruunt homines in aeternam

mortem, nisi postea rursus agant poenitentiam et convertantur.

De hoc genere inquit Paulus, ad Galatas 5.: Concupiscentiam carnis ne perficite. Manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio etc. de quibus dico, sicut et antea dixi, quod, qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt.

Ad Ephes. 5.: Fornicator, impudicus etc. non habebit haereditam in regno Christi et Dei.

Ad Colos. 3.: Mortificate membra vestra etc. Scortationem, impudiciciam, qropter quae venit ira Dei super inobedientes.

1 Ioan. 3.: Qui facit peccatum ex diabolo est.

Ad Ebrae. 12.: Pacem sectamini et sanctificationem, id est, pudiciciam, sine qua nemo videbit Dominum.

1 Timoth. 1.: Finis mandati dilectio ex corde puro, conscientia bona, et fide non ficta. Hic requirit conscientiam bonam.

Et 2. Corinth. 1.: Gloriatio nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.

Et Ebraeos 13.: Confidimus, quia bonam conscientiam habemus in omnibus recte volentes conversari. Hic apte describit, qualis sit bona conscientia, scilicet cum volumus recte facere, nec scientes ruimus contra voluntatem Dei.

Idem docet sententia, Rom. 14.: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Nam fides primum statuit personam Deo placere propter mediatorem Christum, deinde et actiones, quae testimonio Dei approbantur, quia fides nititur verbo Dei.

Quando igitur voluntas delectatur actionibus quas conscientia scit damnatas esse verbo Dei, non iam regitur mens verbo Dei, sed est excussa fides, et sequitur contemtus Dei aut indignatio adversus Deum, quae sunt haud dubie peccata, quae si maneant, adferunt aeternam mortem.

Denique impossibile est, cum mala conscientia simul existere fidem, quae est fiducia, quod Deo placeamus, quia mala conscientia pronunciat nos damnatos esse verbo Dei.

Item fides credit remitti peccata, et ab eis liberari cupit, Ergo non potest simul mens delectari peccatis.

Haec scire necesse est, et ut intelligatur natura fidei, et ne indulgeamus viciosis affectibus contra conscientiam. Et ut scriptura monet, ne desimus gratiae Dei, ne eam excutiamus, ne postea abiiciamur, ac puniamur coecitate, ac pereamus priusquam iterum convertamur, sicut Esau et Saul non sunt rursus conversi.

Ideo iubet Paulus ut cum timore et tremore salutem nostram operemur. Et Petrus ait: Facite firmam vocationem et electionem vestram, id est, ne abiicite gratiam, ne deficite, si quis autem lapsus est, hic audiat vocem Dei, quae ad poenitentiam hortatur, et expavescat metu iudicii Dei, ac redeat ad fidem. Fugienda est enim impietas Novati, qui negat lapsis posse rursus contingere remissionem.

Erectum est cor eius, non commovebitur.

Repetit utramque sententiam de fide, et de eventu, ac sicut antea de fide concionatus est, ita rursus ait: Erectum cor, scilicet fiducia misericordiae et praesentiae Dei, qua credens statuit se habere Deum propicium, se curae esse Deo, respici, exaudiri, adiuvari, non periturum esse. Tale cor, expectans a Deo auxilium, defensionem, liberationem, iuxta voluntatem Dei, non succumbet, non peribit.

Et convenit sententia cum caeteris promissionibus de fide, ut Psalmus 28.: Universi qui te expectant Domine, non confundentur. Et Psalmo 33.: Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus, Beatus qui sperat in eo. Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit. Item, 49.: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te etc. Cum his sententiis congruit et dictum Palmi hoc loco. Suntque tales sententiae diligenter inculcandae animis, ut verbo Dei consolemur nos adversus ingentes procellas, quae excutere nobis fidem et invocationem in vero dolore conantur.

Ac praecipue exercent animum hae tres dubitationes. Prima, an sit providentia, an Deus curet humana. Secunda, etiamsi curat, an nos respiciat, cum propter peccata meriti simus iram et damnationem. Tertia, si ignoscit, cur differt liberationem et auxilium, imo cur contraria eveniunt nostrae petitioni?

Hae tres dubitationes non sunt leves motus in animis: nulla cogitari tam saeva tempestas potest, quae conferri ad horum fluctuum impetus possit. Hic necesse est verbum Dei opponere, et furori diaboli conantis nos a Deo avellere, et humanae infirmitati.

Primum enim, cum ratio videt potentiam impiorum in mundo, cum videt afflictiones et exitus tragicos piorum, obstupescit et incipit quaerere, an Deus curet res humanas. Ideo plena sunt poëmata hac dubitatione, ut apud Virgilium:

An te genitor, cum fulmina torques,
Nequicquam horremus?

Ac multo magis expressit hanc admirationem dubitantis et obstupescentis animi Euripides, cum ait: Quid dices de Deo, cum videas iam huc, iam illuc ferri divina, et eventus accidere incertos ac praeter rationem.

Nec putemus leviter exerceri animos hac disputatione. Sed secunda multo est durior. David obiurgatus a Nathan vere sentit Deum curare res humanas, sed iam propter peccatum suum disputat, an Deus reiecerit ipsum, an rursus exauditurus sit eum.

Horum terrorum magnitudinem ipse saepe describit in Psalmis, ut: Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum, et Ezechias: Quasi leo contrivit omnia ossa mea. Nec pauci succumbunt in hoc certamine, oppressi conspectu peccati et irae Dei, sicut Saul, et alii innumerabiles. Alias autem magis sentitur haec tentatio, alias minus: sed tamen semper adest dubitatio in omnium animis, quae se exerit maxime in veris doloribus: ibi cum lex etiam accusat nos, confirmatur dubitatio, et deterret a fide et a vera invocatione.

Haec peccata vocat Paulus Affectus peccatorum, qui per legem erant efficaces. Nam cum lex accusat conscientiam, fugit Deum et fremit adversus Deum: non audet petere et expectare gratiam et auxilium, ideo animus aut tacita quadam, aut manifesta desperatione quaerit auxilia et praesidia contra voluntatem Dei. Ex hoc fonte oriuntur hominibus multa ingentia mala.

Tertio etiam cum aliqua consolatione se sustentat animus, et incipit sperare gratiam: tamen saepe fit, ut mora et dilatio auxilii rursus excutiat consolationem et fidei initia, et adferat desperationem et indignationem, sicut describitur haec tentatio Iob. 30.: Expectabam bona, et venerunt mihi mala: expectabam lucem et venerunt tenebrae. Hi motus in animis quanti sint, nemo potest verbis eloqui, etsi describuntur aliquo modo in Prophetis, et significantur in communibus querelis omnium excellentium hominum. Sed Christianae mentis est, horum certaminum non esse omnino rudem.

Adversus hos ingentes motus una firma et efficax consolatio est piis vere agnoscere Christum, et sustentare se promissione Dei, et Christi victoria. In hoc enim vere se Deus manifestavit, et patefecit certam, ratam et immutabilem voluntatem suam: et sicut Paulus inquit, In eo sunt propositi nobis omnes arcani thesauri sapientiae. In hunc intueri animus debet.

Ita primae tentationi occurrendum est, quia enim donavit nobis Deus Filium, testatur se vere respicere et curare nos. Quanta contumelia et blasphemia est, accusare Deum, quod non curet homines? cum tanto pignore testatus sit suam praesentiam, dato Filio, addito verbo confirmato tot miraculis etc.

Sed prima tentatio magis superatur, cum eluctamur ex secunda: hic opus est tenere doctrinam Evangelii, quod ob hanc ipsam causam Christus exhibitus et passus sit, ut pater nobis remittat peccata, et exaudiat et salvet nos: et quod hic sit summus cultus Dei, hoc credere, quodque vere haec contingant nobis non alibi Deum quaerentibus, sed sustentantibus animos ipso verbo Dei, et expectantibus auxilium a Deo. Etiamsi incurrit in oculos magnitudo peccati et irae Dei, tamen sciendum est, summam contumeliam futuram Christo, si eam victimam non anteferamus peccato nostro. Exuberat enim gratia supra peccatum, Rom. 5.: Denique vera Evangelii sententia de promissione gratuita et universali, in his fluctibus portus esse debet: et in tali tentatione haec ipsa Evangelii sententia fit nobis illustrior.

Tertiae tentationi etiam medetur agnitio Christi, cum intelligimus iam Deum velle exercere Ecclesiam afflictionibus, et ut Paulus ait, Oportere nos fieri similes imaginis Filii Dei. Intelligenda est etiam potentia diaboli, qui grassatur in Ecclesia, sciendumque quod Christus vult suam potentiam in nostris certaminibus adversus diabolum declarare, sicut inquit Ioannes, Christum in hoc apparuisse, ut destruat opera diaboli.

Quamvis igitur subiecti sumus afflictionibus, quamvis differtur liberatio: tamen non deficiamus a Deo, non afficiamus eum contumelia, non accusemus eum mendacii, sed vere statuamus nos ei curae esse, vere nobis propter *Christum* remitti peccata, vere nos exaudiri, nosque habitu-

ros esse auxilium et liberationem, iuxta ipsius consilium, etiamsi differtur liberatio: sicut Abel, Esaias, Ieremias et Apostoli adhuc expectant suam glorificationem coram mundo, et tamen in hac vita sancti multi pro gloria Dei defenduntur et liberantur, sicut Noë, Abraham, Iacob, Ioseph, Moses, David et alii innumerabiles servati et defensi sunt.

Ad haec fidei exercitia accommodandus est et hic Psalmus, cum ait, Erectum est cor eius, videlicet tali fide, ut dictum est: quod inter illos fluctus se sustentat promissione, invocat Deum, et expectat auxilium, nec deserit Deus sic invocantes, quemadmodum inquit Psalmo 49.: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te. Ideo hic addit: Non commovebitur, id est, non evertetur, non peribit.

Dispersit, dedit pauperibus, iusticia eius manet semper.

Sicut supra partim praecepta tradidit de timore Dei, fide, et veris cultibus, partim intertexuit promissiones. Ita hic repetit praeceptum pertinens ad officia dilectionis erga proximum. Ac nominatim dicit de liberalitate seu Eleemosynis, et addit promissionem de defensione et praemiis. Ac quia sine mentione ceremoniarum praedicat officia dilectionis, significat haec opera esse cultus, quos Deus requirit, et anteferenda esse ceremoniis. Et taxat falsam persuasionem hypocritarum, qui neglectis his operibus cumulant ceremonias, et putant se illis operibus iustos esse.

Sed sicut supra saepe dictum est, in doctrina operum semper addendam esse doctrina de fide. Tenendum est enim, quod lex sine Christo non prosit, nec placeant opera, nisi in his, qui fide statuunt sese receptos esse a Deo, propter Christum. Ita hic, priusquam de hoc genere operum dicatur, monendus est lector, quod haec opera debeant fieri fide, idque dupliciter intelligendum est. Primum, ut statuamus nos fide gratis propter Christum iustos esse, id est, habere nos remissionem peccatorum et fieri haeredes vitae aeternae, non propter nostram dignitatem aut benefacta.

Nam cum in operibus requiritur fides, semper hoc intelligendum est, excludi nostram dignitatem, quia fides est haec ipsa fiducia, quae nititur misericordia, et statuit se gratis accipere remissionem peccatorum propter Christum. Etsi autem remissio peccatorum et acceptatio ad vitam aeternam gratis contingunt, sine conditione nostrae dignitatis: tamen sciendum est, necessario sequi debere novam obedientiam, et quanquam illa non satisfacit legi, sed est adhuc imperfecta et immunda, tamen in his (qui habent fidem) placet Deo propter Christum mediatorem et pontificem.

Ita utrumque complecti hac fide debemus: Credendum est, quod simus iusti, hoc est, habentes remissionem peccatorum et accepti ad vitam aeternam propter Christum gratis, et quod sequens obedientia etiam placeat Deo propter Christum.

Secundo accedere debet et hoc, ut fide haec opera referamus ad gloriam Dei: sciamus Deum velle his operibus coli, et ea facienda esse propter Deum, ut ei praestemus obedientiam etc.

Item in his operibus fides debet intueri promissiones: statuendum est, quod simus curae Deo, quod velit nobis benefacere, nos iuvare, et nobis dare praemia, iuxta promissiones. Haec fides in bonis operibus lucere ac conspici debet: sic praestemus officia dilectionis, ut statuamus non solum ea Deo placere, sed etiam totam vitam nostram ei curae esse, Deum suppeditaturum nobis victum necessarium, et defensionem, sicut in vidua Sareptana lucet et exerit sese fides, cum quicquid reliquum habet cibi, dat Prophetae Eliae, defraudans sese ac filium, et credit fore, ut sibi divinitus alicunde suppeditetur, unde vivat. Itaque quamvis periclitatur de victu: tamen fide propter Deum praestat hoc officium Prophetae, et a Deo expectat victum et alia beneficia.

Haec duo in genere tenenda sunt, cum dicimus opera debere fieri in fide, et ut sciamus nos a Deo recipi propter eundem placere incoatam obedientiam, et ut fide propter Deum obtemperemus, ac intuentes in promissiones vicissim expectemus a Deo praemia, victum scilicet et defensionem.

Nunc venio ad textum: *Dispersit, dedit pauperibus.* Sicut supra in genere dixit de bonis operibus piorum: ita hic nominatim tradit praeceptum de liberalitate seu beneficentia erga pauperes, h. e. de illis gratuitis officiis, quae vocantur Eleemosynae. Estque haec una ex praecipuis

virtutibus, de qua saepe praecipit scriptura, et habet ingentia praemia: sicut postea dicetur. Sed semper hoc meminerimus, tales sententias loqui de eleemosynis piorum, qui habent fidem, de qua dixit in praecedente versu: Firmum est cor eius ad confidendum Domino. Significat ergo se in praeceptis de operibus requirere non tantum externa opera, seu simulationem beneficentiae, qualis etiam est in impiis, sed veros motus cordis consentientes legi Dei, seu spiritualem obedientiam, quae fit ex fide, videlicet, ut faciamus haec opera propter Deum, ut eum glorificemus, credentes nos respici ab eo et curae ipsi esse nos, et totam vitam nostram, et habentes hanc fidem, ex animo et liberaliter benefaciamus.

Tales eleemosynas requirit hoc loco, quae non sunt tantum externa et civilia opera, sed interiores motus et spirituales cultus, quos efficit Spiritus sanctus in his, qui habent agnitionem Dei et fidem. Plurimum enim interest inter liberalitatem seu eleemosynas piorum et impiorum, sicut et supra dixi de misericordia et mutuatione.

Primum, finis facit discrimen. Nam impii etiamsi sunt benefici et liberales: tamen non benefaciunt aliis propter Deum, seu ut Deo obediant, sed vel ostentatione quadam et aucupio gloriae popularis, aut propter alias causas. Interdum hypocritae praestant opera similia operibus piorum: sed illis putant se mereri remissionem peccatorum et iustos esse coram Deo. Tales sunt sine agnitione Dei et fide, quae intuetur misericordiam, et statuit se gratis propter Filium Dei promissum mediatorem, habere remissionem peccatorum, et recipi a Deo, non propter nostram dignitatem. Ideo horum beneficentia non placet Deo.

Secundo, discrimen est in modo operis. Quia impii facientes opera, non credunt se respici a Deo, non expectant sibi a Deo suppeditari bona, victum, defensionem etc.

Tertio, impii non complectuntur debita obiecta iuxta mandatum Dei, tantum benefaciunt iis, quos carnali affectu diligunt. Non adiuvant vere pios egentes, aut qui propter voluntatem Dei, seu confessionem verae doctrinae, patiuntur persecutionem, aut exilia etc. Imo erga tales sunt crudelissimi, et exercent barbaricam saevitiam, sicut hypocritae adversus Prophetas, Apostolos et alios profitentes doctrinam Christi, omni genere crudelitatis saeviebant.

Econtra piorum beneficentia non est tantum externa simulatio: sed verus motus cordis, quod agnoscit Deum, et propter mandatum praestat officia dilectionis, ut testetur se obedire Deo, et velle praestare veros cultus. Deinde complectitur obiecta, quae debet: Liberalis est erga quosvis egentes, et gratis benefacit omnibus, quibus potest. Postremo in his operibus exercet fidem, credit ea placere Deo propter Christum: et quia propter voluntatem Dei benefacit, credit Deo se vicissim curae esse, se habiturum a Deo victum et alia vitae praesidia.

Talis liberalitas commendatur hoc versu, tanquam verus cultus placens Deo, et habet ingentia praemia corporalia, sicut hic additur promissio: Iusticia eius manet in seculum.

Sed hic pauca addenda sunt de usu facultatum, et de ipsis eleemosynis. Est enim et hic versus testimonium doctrinae de usu rerum politicarum contra fanaticos spiritus, videlicet, quod piis et fidelibus non praecipiatur discedere a facultatibus, nec tolluntur distinctiones dominiorum, aut discrimina divitum et pauperum, sed conceditur retinere proprium, et habere divitias, sicut Abraham, Iob, et multi alii, habuerunt magnas opes.

Sed de usu facultatum praecipitur, ut qui habent opes, sint benefici, liberaliter impertiant his, qui habent opus ipsorum beneficiis. Ac prohibet utrunque, avariciam eorum, quibus nihil satis est, sed quoquo modo corradunt et accumulant opes, et partis incubant, non afficiuntur aliorum miseriis aut egestate, ut iis benefaciant. Deinde et profusiones in res non necessarias per luxum, aut quoddam vanum studium ostentandi opes, interim neglectis et defraudatis his, quibus debebatur victus et alia officia dilectionis. Sed de eleemosynis quaeri solet, quae sint necessariae eleemosynae, seu quibus sit dandum et quatenus. Breviter ergo respondeo.

Tria sunt genera praecipue necessaria. Primum, ut conferamus aliquid ad conservationem ministerii Ecclesiae. Hoc officium maxime proprium est piorum. Vult enim Deus opes, et alia corporalia bona praecipue conferri ad hoc, ut alantur, qui docent Evangelium, et ut conservetur ministerium. Ita haec liberalitas proprie est cultus Dei, cum refertur ad ipsius gloriam, ut con-

servetur et propagetur verbum et agnitio Dei. De hoc genere saepe praecipit scriptura. Christus ait, deberi victum ministris: Dignus est enim, qui laborat, mercede sua. Item Paulus inquit: Dominus ordinavit, ut qui annunciant Evangelium, vivant ex Evangelio. Item Galat. 6.: Qui instituitur, impertiat bona instituenti. Sunt et in Prophetis de hoc genere integrae conciones, ut apud Aggaeum et Malachiam. Ad hoc genus etiam pertinet, ut sublevemus difficultates et inopiam aliarum Ecclesiarum, sicut Paulus Ecclesiae Hierosolymitanae colligit eleemosynas in Achaia et Macedonia.

Atque haec debet esse praecipua cura principum et rerumpub. ut ministris Ecclesiae prospiciant de victu, et eos tueantur, et sciant hoc officium esse Deo gratissimum, quod conferunt ad conservandas Ecclesias. Ideo pii Magistratus ornantur amplissimo et augustissimo titulo Esaiae 61. cum vocat eos nutricios Ecclesiae. Sic etiam privati pro suo quisque modo, debent liberaliter conferre eleemosynas ad alendos ministros, et eos iuvare omni genere officiorum. Haec opera sciant pii esse necessaria, et graviter peccare eos, qui cum possint, non student, pro sua vocatione aliquid conferre ad conservationem ministerii.

Secundo, impertiendum est egentibus, qui nobis coniuncti sunt aliquo iure necessitudinis, ut cognati, parentes, liberi, et alii propinqui. Debet enim cuique cura esse de suis, non tantum propter commune debitum dilectionis, sed etiam propter naturalem caritatem, seu *φιλοστοργίαν*, quam Deus requirit in piis, sicut inquit Paulus: Si quis suorum maxime domesticorum curam non gerit, fidem negavit, et est infideli deterior. Quia illae naturales *στοργαὶ* etiam existunt in infidelibus. Sic etiam ad Gal. 6.: Praecipit, ut operemur bonum erga omnes maxime erga domesticos fideles.

Tertius gradus est, beneficium esse et erga alienos, qui nobiscum vivunt, aut aliqua praesenti occasione nostro auxilio opus habent, et sunt impliciti talibus difficultatibus, ut non possint sine aliena ope vivere. De hoc genere ait Iohannes: Qui habet facultates, et videns fratrem suum egere, claudit viscera sua erga illum, quomodo caritas Dei manet in eo? Sic et lex Moisi praecipit, ut singulae civitates suos egenos sustentent, Deut. 15.: Praecipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum habitat in terra etc. Significat ergo talibus deberi nostra beneficia.

Haec satis sit admonuisse, quo ordine collocandae sint eleemosynae. Caeterum de modo eleemosynarum extat regula Pauli 2. Corinth. 8. cum inquit: Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex aequalitate pro praesenti occasione, id, quod vobis superest, consulat illorum inopiae. Hic clare dicit, sic dandum esse, non ut nos ipsi postea magis egeamus, quam qui a nobis accipiunt. Deinde nominatim ait: Ex eo quod superest, id est, ut largiamur ex fructibus, non ut nos ipsos exuamus omni patrimonio. Ita utrinque vult esse aequalitatem, quae est intelligenda non arithmetica, sed geometrica proportione, scilicet, ut ratione fiat aequalitas, et pro modo suarum facultatum quisque largiatur, et pro alterius necessitate petentis, ut nec qui habent facultates, prorsus exhauriantur, nec inopes abutantur aliena liberalitate, nec petant, nisi cum est necessitas. Nam mendicitas, quae non habet probabilem causam, est furti quaedam species, et prohibetur a Paulo 1. Thessal. 4. et 2. Thessal. 3. cum praecipit, ut suis manibus quisque laboret, et suum panem manducet.

Sed meminerimus de beneficentia et eleemosynis praecipi, ut ex animo et liberaliter largiamur iis, quibus opus est nostro beneficio, nec simus tenaces, aut astricti ad largiendum, sicut quidam valde deformant haec officia, cum quidem aucupentur laudem beneficentiae, tamen in dando prae se ferunt animum ieiunum et illiberalem, ut satis appareat eos invitos dare. Quare sic largiendum est, ut absit species avariciae, et res testetur nos ex animo et liberaliter benefacere. Hilarem datorem diligit Deus, inquit Paulus. Econtra de maligne dantibus ait, qui parce seminat, parce et metet.

Ideoque hic additur descriptio verae liberalitatis in verbo Dispersit. Non vult ostentationem quandam liberalitatis, quae est et in impiis, aliquo inani aucupio gloriae, profundentem ubi non est opus. Econtra reprehendit et eos, qui per avariciam et sordes maligne erogant, quod dandum est, sicut Malach. 1.: accusantur, qui offerebant ad aram viciosas et morbidas pecudes, sed postulat, ut ex animo, et gratis propter Deum impertiamus egentibus quantum omnino possumus.

Et hoc ipso verbo Spargendi, significat se requirere fidem in his operibus, ut supra dixi. Non enim existit haec virtus verae liberalitatis, nisi in iis, qui propter voluntatem Dei libenter largiuntur, et credunt se respici a Deo ac Deum suppeditaturum esse ipsis necessarium victum, defensionem etc., etsi se defraudent, et periclitandum sit de victu. Hoc nomine Christus praefert opus viduae pauperculae, mittentis duo aera in gazophylacium, aliorum divitum eleemosynis, quod, cum ipsa egeret, etiam sese defraudans, totum victum contulisset. Et magnifice praedicat scriptura exemplum Sareptanae, quae in summa penuria, cum nihil haberet praeter pauxillum farinae, quo ad unum diem sibi ac filio vitam prorogaret, tamen id omne praebet Eliae venienti, nec retardatur diffidentia ad benefaciendum, quod sit sibi defuturus cibus vel victus: sed fide praestat hoc opus credens sibi divinitus suppeditatum iri, etiamsi nihil supersit cibi. Haec exempla imitentur pii, ut in his operibus exerceant fidem, et ita praestent largas eleemosynas, nec deterreantur a benefaciendo, etsi cum aliquo suo incommodo, et propemodum supra vires largiendum sit, sicut Paulus praedicat eleemosynas Ecclesiarum Macedoniae, quod etiam supra vires sponte contulerint.

Magna laus est in scripturis huius virtutis, et habet magnificas promissiones praemiorum in hac vita, et post hanc vitam, sicut Christus inquit Lucae 7.: Date, et dabitur vobis, mensuram confertam, uberem, abundantem dabunt in sinum vestrum. Et Proverb. 12.: Qui liberaliter benefacit, cumulabitur etc. Item 22.: Liberali oculo benedicetur, quia de suo pane dat egenti. Ideo et hic additur promissio: Iusticia eius manet in seculum etc. Pollicetur piis benefacientibus praemia, quod Deus sit ipsos defensurus ac glorificaturus.

Est enim sententia, sicut supra: etiamsi pii non accipiunt praemia ab hominibus pro benefactis, sed in mundo patiuntur calumnias, iniuriam, fraudes improborum, opprimuntur et conculcantur a tyrannis, damnantur ab hypocritis, tanquam abiecti a Deo, tamen Deus defendet eos, et tandem glorificabit ipsos, ut vincat ipsorum causa. Item suppeditabit eis etiam necessaria ad hanc vitam, augebit etiam dona spiritualia, ut multum possint prodesse Ecclesiae et reipublicae, sicut de Naaman Syro scribitur, quod propter eius pietatem Deus dederit salutem toti Syriae. Denique fruentur post hanc vitam aeterno gaudio, et perpetuo erunt gloriosi.

Plena est scriptura promissionum et exemplorum huius generis. Paulus 2. Corinth. 8. promittit non solum corporalia praemia, sed etiam incrementum donorum spiritualium, Qui suppeditat semen seminanti etc. augebit etiam proventum frugum iusticiae nostrae, ut in omnibus locupletemini, abundantes in omne opus bonum etc. Malach. 3. cum concionatur de eleemosynis conferendis ad ministerium. Inferte, inquit, omnem decimam in horreum meum, si non aperuero cataractas coeli, et effudero omnem benedictionem etc.

Praedicantur etiam in exemplis sanctorum haec officia, praecipue principum et regum eleemosynae, ut de Ezechia. 1. Paral. 21. quod praeceperit dare victum ex provinciis, et decimis, sacerdotibus, ut possent vacare legi Domini, Et additur, ex quo coeptae sunt offerri primitiae, benedixisse Dominum populo. In historiis nostrorum principum insignem laudem habet liberalitatis in pauperes Tiberius imperator secundus, qui successit Iustino. Aiunt hanc fuisse eius vocem, cum reprehenderetur quod exhauriret aerarium publicum, Nunquam defuturam pecuniam fisco regio, quandiu pauperes eleemosynas acciperent. Scribitur etiam propter singulare studium beneficentiae, patefactos ei esse ingentes thauros in terra reconditos.

Econtra his, qui negligunt haec officia, non conferunt ad conservationem ministerii, nec adiuvant egentes cum possunt, minatur scriptura atroces poenas. 1. Ioan. 3.: Qui habet facultates, et videns fratrem egere, claudit viscera sua, quomodo manet dilectio Dei in illo? Haggaeus de neglecta cura conservandi ministerrii ait: propter hoc prohibiti sunt coeli, ne darent rorem. Ezechiel 36. inter causas eversionis Sodomorum etiam haec allegatur, quia manum suam pauperi porrigebant. Haec prodest admonere homines, ut excitentur ad benefaciendum. Ac profecto si promissiones fide intueremur, multo essent largiores eleemosynae, ac minus rapacitatis, ac furtorum etc.

Peccator videbit, et irascetur: dentibus suis fremet, et tabescet, etc.

Antithesis addita est de impiis, quae et promittit piis liberationem et glorificationem, et impiis praedicit poenas. Est autem opposita scandalo, quod exercet infirmos, cum vident impiis, tyrannis et hypocritis, qui persequuntur Ecclesiam, bene esse, et eos florere in mundo, ac frui omnibus commodis etc. Cum interim pii duriter exerceantur sub cruce et afflictionibus, subiecti calamitatibus et aerumnis omnis generis, nec videntur eventus respondere tam magnificis promissionibus, quales supra posuit. Contra hoc scandalum saepe scriptura munit et armat pios, et sunt hoc argumento integri Psalmi 36.: Noli aemulari etc., et 72.: Quam bonus Israël.

Ita hic versus confirmat pios, ne ista specie scandali, incurrentis in oculos, moveantur, videlicet quod differtur liberatio, et impii aliquandiu florent et triumphant. Sed sciant Deum tandem liberaturum et glorificaturum esse pios, sicut promisit, et sumturum poenas de impiis. Sed sicut saepe dictum est, promissiones requirere fidem, nec nisi fide apprehendi posse: ita sciamus et has sententias de poenis impiorum fide tenendas esse, nec iudicandum ex praesentibus eventibus, quod pii affliguntur, nec adparet liberatio, et impii pergunt furere, imo, tanquam iam triumphatum sit de piis, etiam acerbe insultant, et illudunt ipsis, sicut Christum afficiunt acerbissimis blasphemiis in cruce, et in Psalmis describuntur tales voces, velut triumphantium, ut Psalm. 34: Euge, euge, viderunt oculi nostri etc. Sed econtra fide statuendum est, quamvis differtur liberatio piorum, et impiorum poena: tamen certo futurum esse, ut Deus puniat impios, glorificatis piis. Ita fide apprehendendae et certo tenendae sunt promissiones, antequam eventus apparet, et statuendum, quod Deus vere sit servaturus promissa, liberaturus pios, et puniturus impios, nec moveamur scandalis, etiamsi aliquandiu differtur liberatio, et saepe diversi exitus apparent, quod sancti occiduntur, nec videntur consecuti esse promissa. Sicut multi ex sanctis, ut David, Moyses, et alii, diu exercebantur afflictionibus, quidam etiam oppressi et interfecti sunt ab impiis, et tamen fide tenuerunt promissiones, fore ut Deus aliquando glorificaret ipsos, et de impiis poenas umeret. Sic ergo et nos complectamur promissiones fide. Etiamsi propter Evangelium sunt obeunda pericula omnis generis, videmus sanctos duriter exerceri atque affligi, ita ut appareat Ecclesiam propemodum oppressam esse, tamen sciamus Deum tandem liberaturum et glorificaturum esse suos, et impios daturos esse poenas.

Est igitur consolatio proposita piis in hoc versu, ut sciant Deum praestiturum esse promissa, et eventus iuxta promissionem certo secuturos esse, sed ita, ut prius fide haereamus in verbo, antequam eventus apparet, et expectemus auxilium Dei, iuxta ipsius voluntatem, neque praestituamus ipsi modum, aut tempus: sed exitum committamus ipsius consilio, ut pro sua sapientia gubernet eventus. Ac Psalmus confirmat pios etiam de praesenti liberatione in hac vita, et docet quod Deus mirabiliter sit glorificaturus pios, quantumvis furentibus impiis, ut etiam inviti et frustra repugnantes experiantur Deum respicere et adiuvare pios, et se divinitus puniri: et significanter describitur incredibilis furor et horribilis fremitus impiorum, quibus cruciantur flagrantes immani odio et iracundia adversus Ecclesiam et pios, et incredibiliter dolore uruntur et indignatione, cum vident divinitus adiuvari Ecclesiam, et suos conatus irritos esse. Haec ipsa est horribilis poena in impiis, ardere implacabili odio, et ira adversus pios, quae tandem ipsis adfert exitium, quia eo magis accenditur odium, quo minus vident sese efficere, nec tamen desinunt furere et exercere saevitiam, quoad ruant in exitium. Sicut Pharao adversus Moysen et populum: Pharisaei, pontifices et tyranni adversus Apostolos et Ecclesiam, inflammati immani odio et iracundia, cum quidem videant Deum adiuvare pios, tamen pergunt furere, quoad ipsi ruunt et pereunt. Haec consolentur pios, ut adversus furorem impiorum fide sese sustentent, ac expectent glorificationem.

Psalmus CXIII.

Laudate servi Dominum, laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, abhinc usque in perpetuum.

Ab ortu Solis usque ad occasum, laudetur nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus, et super coelos gloria eius.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat? Et humilia respicit in coelo et in terra.
Erigens de pulvere inopem, et de stercore extollens pauperem.
Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.
Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum laetantem.

Argumentum.

Supra distinxi genera Psalmorum, videlicet: alios complecti vaticinia de Christo, aut aliquam partem doctrinae Evangelii, aut esse consolationes, precationes et gratiarum actiones: alios tradere doctrinam legis, aut praecepta operum. Et quamvis interdum haec genera miscentur: tamen in singulis considerandum est, quod sit principale argumentum. Cum autem Psalmi tradant plurimos et gravissimos locos doctrinae spiritualis, gratissimi et dulcissimi sunt illi, qui proprie concionantur de misericordia et beneficiis, quae in Evangelio proponuntur. Ex eo genere est et hic Psalmus.

Est enim vaticinium de novo quodam verbo, et nova noticia spargenda et evulganda in totum orbem, qua innotescant et praedicentur misericordia et beneficia Dei, et existant veri cultus, in quibus celebretur gloria Dei, videlicet, quod vere misereatur, quod respiciat, adiuvet et salvet humiles, adflictos et abiectos. Hoc ipsum vere est vaticinari de regno Christi, de quo concionatur Evangelium, et proponit praecipuum locum qui pertinet ad consolationem conscientiarum, et adfert veram noticiam seu agnitionem Dei, parit veros cultus, timorem, fidem, invocationem et alios spirituales motus, quorum nihil potest existere ex doctrina legis.

Nam etiamsi lex habet promissiones, et docet Deum esse bonum, misericordem etc., tamen addit conditionem nostrae dignitatis, requirit perfectam obedientiam, non docet de gratuita misericordia, quod Deus recipiat, exaudiat et salvet indignos. Itaque homines etsi habent noticiam legis, tamen sine Evangelio non possunt certo statuere de voluntate Dei, non credunt sibi gratis ignosci, aut se exaudiri, non expectant certo auxilium Dei. Cum enim non satisfaciamus legi, cum habeamus peccatum, reclamat in nobis ipsa vox legis, ac chirographum inscriptum cordibus nostris accusans et damnans nos, negat nos recipi a Deo, pronunciat nos propter peccata puniri. Itaque non potest existere fides et invocatio, imo conscientiae opprimuntur dubitatione et desperatione.

Quare opus est alia doctrina, quae adferat certam et firmam noticiam misericordiae, per quam excitetur in cordibus fides, et vincantur terrores irae Dei et desperatio. Haec est doctrina Evangelii, quae revelat hanc voluntatem Dei, quod velit gratis remittere peccata, ignoscere indignis, et habentibus peccatum, propter Christum propiciatorem, si tamen fide hunc apprehendamus, et quod certo velit credentes exaudire et salvare. Hoc modo vere agnoscitur Deus, et existunt veri cultus spirituales, vera invocatio, gratiarum actio, vera et spiritualis obedientia.

De hac noticia vaticinatur hic Psalmus, videlicet, spargendum esse verbum Evangelii per totum orbem, quo vere agnoscatur Deus apud omnes gentes, et innotescat eius gloria, et praestentur veri cultus: et nominatim praedicat praecipua beneficia Dei et testimonia misericordiae, videlicet, quod sit Deus respiciens et adiuvans humiles, abiectos, oppressos etc. Hae sunt ipsae Evangelii voces, quales passim plurimae sunt in scriptura. Matth. 11.: Venite ad me omnes qui laboratis etc. Item Luc. 12.: Nolite timere pusillus grex, placuit enim patri vobis dare regnum. Esaiae 66.: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu. Psal. 34.: Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit etc. Psalm. 144.: Allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos.

Huc ergo referendus est hic Psalmus, tanquam pars doctrinae Evangelii, quae docet de regno Christi, in quo lucet et agnoscitur misericordia Dei, et habet insigne praeconium operum misericordiae, commemorat beneficia, de quibus docet Evangelium, quaeque propria sunt regni Christi, videlicet respicere humiles, abiectos, adiuvare et glorificare oppressos etc. Quare valde suavis est Psalmus, et facile dulcescet piis, cum accommodabitur ad consolandas et erigendas mentes, in certaminibus conscientiae, et ad exercitia fidei in invocatione, et in omnibus actionibus.

Laudate servi Dominum, laudate nomen Domini.

Initio cum hortatur et invitat ad laudandum nomen Dei, admonet nos de veris et praecipuis cultibus piorum, scilicet de confessione et praedicatione beneficiorum eius, de quibus alias saepe dicitur. Nam tales cultus passim requirit scriptura, qui non sunt tantum externa simulatio cultuum, quae praestatur etiam ab impiis, sed qui sunt spirituales et veri motus cordis, ut est timor, fides, invocatio, aut sunt vera et non simulata testimonia interiorum motuum, scilicet timoris et fidei, ut est confiteri, ac praedicare verbum Dei, gratias agere pro beneficiis etc.

Hos cultus requirit scriptura, et opponit eos aliis cultibus electiciis, aut in quibus tantum est quaedam simulatio operum legis. Nam hi tantum sunt veri cultus, in quibus cor agit cum Deo, et apprehendit Deum, iudicat se accipere bona a Deo, et afficit Deum honore, iudicat vere esse Deum, curare et gubernare omnia, vere irasci peccato, et rursus ignoscere et misereri implorantibus misericordiam, et exaudire invocantes et salvare. Haec fide tenere et confiteri, est vere honorem Deo tribuere, statuere quod non sit ociosus, quod sit propicius, quod respiciat et exaudiat nos. Haec est vera laus Dei, praedicare et testari ista, nostra confessione. De his cultibus praecipit Psalmus 49.: Sacrificium laudis honorificabit me, quasi dicat, alii non sunt veri cultus, qui sunt tantum externa quaedam observatio legis, aut traditionum humanarum, quae praestantur ab hypocritis: quia his non tribuitur verus honos Deo, sed illis, qui sunt veri motus cordis et cultus mentis, quae apprehendit Deum, sentit nos Deo curae esse, nos exaudiri etc.

Sed hic sciendum est illud, hos cultus non posse praestari, nisi ab his, qui norunt Evangelium, ac tenent doctrinam de fide, videlicet statuendum esse, quod Deus gratis, per misericordiam propter Christum, velit remittere peccata, exaudire et salvare credentes. Haec non intelliguntur ex doctrina legis: nam si respiciendum esset ad legem, nunquam possemus statuere, nos consequi haec beneficia, cum legi non satisfaciamus.

Quare cum Psalmus iubet nos laudare Deum, ac praedicare eius beneficia, revocat nos a lege, et a conspectu nostrae dignitatis, ad doctrinam Evangelii, de gratuita misericordia, et ad promissiones de beneficiis Christi, vult ut vere statuamus nos gratis recipi in gratiam propter Christum promissum, respici, exaudiri etc. Sicut postea clare exponit, cum addit causam, quare requirat hos cultus, et testatur se loqui de beneficiis regni Christi. Ita docet, qui sint veri cultus, et admonet nos ut fidem exerceamus in his cultibus, invocatione, confessione, gratiarum actione etc.

Sic in omnibus Psalmis, cum requiruntur tales cultus, invocatio, laus, confessio: item cum iubemur sperare, laetari, exultare etc. meminerimus ea referenda esse ad doctrinam Evangelii, et intelligamus nos admoneri de fiducia gratuitae misericordiae. Nam ut dixi, hi cultus sine fide praestari non possunt, nemo potest laetari, sperare, laudare, agere gratias, nisi iudicet se habere Deum propicium, et vere statuat se curae esse Deo, accipere bona a Deo. Id non fit, cum respicimus ad nostram dignitatem, imo sic excutitur fides, et opprimit animos dubitatio, cum cogitamus ista tantum dignis et meritis contingere: sed tum demum existunt tales motus, cum tenentes Evangelii doctrinam, fide statuimus Deum certo nobis ignoscere, non respicere propter Christum gratis.

Itaque sciamus a nobis requiri hos cultus, ut Deum honore afficiamus, et in his exerceamus fidem, statuamus has sententias proprie concionari his, qui sentiunt se esse indignos, et praecipere ut repugnemus dubitationi, et vincamus desperationem fide, et tribuamus Deo debitum honorem, videlicet, ut iudicemus eum esse veracem, sciamus velle eum a nobis laudari, ut qui vere velit nos respicere, et praestare promissa.

Haec duo consideranda sunt in his primis versibus: Primum, qui sint veri cultus, ac debiti Deo. Deinde sciendum est talibus sententiis nos admoneri de misericordia, de qua concionatur Evangelium: tenenda est regula, cum iubemur laudare Deum, gratias agere, laetari etc., quod requiratur a nobis fides, quae statuat se accipere misericordiam, et certo expectat bona promissa a Deo.

A Solis ortu usque ad occasum laudetur nomen Domini.
Excelsus super omnes gentes Dominus, etc.

Hic incipit vaticinari de Evangelio spargendo in totum orbem, in quo noticia Dei inclarescat,

et praestentur veri cultus. Non sunt autem obscuri versus, nec habent opus prolixa interpretatione. Clare concionatur de tali regno, in quo agnitio et laus Dei ubique in orbe spargatur. Quare significat Evangelii doctrinam de Christo, praedicandam esse in toto orbe. Non enim possent existere laus, et veri cultus Dei apud gentes, nisi Evangelium doceret nos de voluntate Dei, videlicet de misericordia gratuita, quod velit esse propicius, nos respicere et salvare propter Christum. Nam etsi homines habent noticiam legis, quod sit Deus, quod sit colendus, quod benefaciat iustis etc., tamen non possunt statuere, quod *gratis* remittat peccata, quod vere respiciat et exaudiat indignos, non satisfacientes legi etc. Quare non vere credunt Deo, non possunt invocare, laudare, et agere gratias: sed haerent in perpetua dubitatione, quae pugnat cum fide, et impedit invocationem et veros cultus.

Ergo cum dicit Psalmus, Deum agnosci, laudari et glorificari apud omnes gentes, satis ostendit se loqui de Evangelio spargendo in orbem terrarum, quae est nova doctrina, docens de misericordia et beneficiis, quae nobis donantur *gratis* non propter legem, sed propter Christum.

Haec est summa sententiae, quae satis perspicua est. Tantum hoc consideretur, prophetam vaticinari de Evangelio et beneficiis Christi, ut haec opponantur doctrinae et cultibus legis. Diligenter enim discernenda sunt, regnum Christi et cultus Novi Testamenti, a doctrina seu cultibus legis, seu Mosaicis, sicut saepe alias dicitur. Iudaei somniabant Christum constituturum esse quoddam externum ac mundanum regnum, in quo lex et politia Mosaica, propagaretur in totum orbem, et subiecturum esse omnes gentes huic populo, seu huic politiae Mosaicae. Ita carnaliter imaginabantur de regno Christi, nec putabant aliud fore, nisi propagationem politiae Mosaicae et cultuum legis in totum orbem.

Sed scriptura clare docet, regnum Christi non esse eiusmodi mundanam politiam, et observationem rituum et cultuum Mosaicorum: sed esse spirituale regnum, in quo spargitur novum verbum, videlicet, de nova et aeterna iusticia, de liberatione a peccato et a morte aeterna per Christum, et quod gignit in cordibus novam lucem, et veram agnitionem Dei: parit novos cultus spirituales, fidem, invocationem, confessionem etc.

Has res adfert nobis Evangelium, cum concionatur de regno Christi, non constituit aliquod externum, mundanum regnum, non subiicit nos politiae Mosaicae, nec requirit ritus aut cultus legis, imo exaequat utrosque, gentes et Iudaeos, coniungit utrunque populum, iubet utrosque agnoscere hunc Christum, et statuere, quod non propter legem, nec observationem rituum Mosaicorum, nec propter propriam dignitatem, sed propter promissum semen recipiantur in gratiam, et consequantur remissionem peccatorum, exaudiantur et salventur, et postulat novos cultus, sicut dictum est.

Ita et Evangelium tollit discrimen Iudaeorum et gentium, non requirit novam politiam aut ritus: sed subiicit omnes uni Christo, proponit eosdem cultus spirituales, etc.

Haec significantur in his versibus: *Ab ortu Solis ad occasum laudabile nomen Domini*, videlicet, novum verbum spargendum esse de Christo, per quod vere agnoscatur Deus, et praestentur veri cultus, non tantum apud Iudaeos, sed ubique in toto orbe terrarum, nec requiri observationem rituum politiae Mosaicae, sed hos spirituales cultus, laudem, confessionem, praedicationem misericordiae et beneficiorum, quae proponit Evangelium.

Idem docet, vel potius declarat sequens versus: *Excelsus super omnes gentes Dominus*, etc. Significat vere regnum Dei spargi in omnes gentes, quod non est externa politia Mosaica: sed regnum spirituale, in quo Deus per verbum regit et gubernat mentes, infundit eis novam lucem, ut ipsum agnoscant, et est efficax dato Spiritu sancto in cordibus, ut certo credant quod sit propicius, quod remittat peccata propter Christum, quod vere praestet promissa, exaudiat et salvet nos, etc. Haec testantur quod vere regnet, et sit efficax in credentibus, quia ab his glorificatur, id est, vere agnoscitur quod sit talis, qualis praedicatur in verbo, et praestantur tales cultus, qui ipsum afficiunt honore, et vere ei tribuunt gloriam, quod sit Deus, quod impertiat haec bona, de quibus concionatur Evangelium.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, etc.

Dixit Psalmus de vera noticia Dei, spargenda in totum orbem per Evangelium: nunc recen-

set beneficia, de quibus praedicat Evangelium, et quae conspiciuntur in Ecclesia, seu coetu illorum, qui norunt Evangelium. Commendat autem ea opera, quibus testatur Deus se respicere et recipere, adiuvare et salvare, humiles, abiectos, adflictos etc. Haec sunt praecipua opera Dei, quae testantur vere esse Deum, quibus illustratur gloria Dei, quod curet nos, quod adiuvet pios etc.

Sed sciendum est, ut supra dixi, hic proponi doctrinam propriam Evangelii. Nam ratio ex doctrina legis iudicans, haec non intelligit, sentit Deum tantum benefacere his, qui sunt iusti, et servant legem, negant eum respicere, exaudire et iuvare indignos, qui habent peccatum. Itaque iudicat ex praesentibus casibus, seu eventis, hos esse curae Deo, quibus sunt res secundae, qui fruuntur commodis huius vitae. Econtra eos qui adfliguntur, qui iactantur perpetuis casibus et aerumnis, non respici a Deo, sed puniri propter peccatum. Hoc est iudicium humanae rationis ex lege, quod ipsum tamen non est firmum et perpetuum. Nam cum videt saepe bonis male esse, et eos exerceri durissimis casibus, et econtra palam improbos florere, et abundare omnibus commodis, excutiuntur etiam illae sententiae, quas ex lege tenebat, et coniicitur in dubitationem, utrum Deo curae sint res humanae, utrum respiciat et exaudiat homines, et tandem delabitur eo, ut aut blasphemet, ac prorsus neget Deum curare humana, aut ruat in desperationem, cum videt suam indignitatem, iudicat se reiici propter peccata, nec exaudiri a Deo etc.

Haec est horribilis caligo et coecitas in animis hominum, qui non habent noticiam Evangelii, ac fidem. Quare has sententias, quas inculcant Psalmi prorsus non intelligunt, sed aut securi contemnunt Deum, et fiunt palam Epicurei, non credunt Deo, non petunt nec expectant ab eo bona, aut si sunt hypocritae, somniant se propter opera, et propter suam dignitatem respici a Deo, nec habent verum timorem Dei et veram fiduciam. Econtra cum incidunt in calamitates, aut terrores, iudicant se prorsus abiici a Deo, et ruunt in desperationem.

Ac sanctos quoque exercent haec certamina, et coguntur luctari praecipue adversus desperationem, ac vincenda est dubitatio fide, quae teneat hanc sententiam Evangelii, quod Deus *gratis* velit ignoscere et misereri indignis, quod certo respiciat abiectos, adflictos, perterrefactos etc., quod non abiiciat eos propter peccata, nec sinat adfligi, ut damnet aut perdat, sed ut discamus ipsi confidere ac invocare: quare diligenter aspiciendae sunt hae sententiae, quae docent de misericordia et beneficiis gratuitis. Sunt enim suavissima praeconia, et ipsissimae voces Evangelii ad consolandos perterrefactos et adflictos, et ad excitandam fidem et invocationem in omnis generis casibus et periculis. Haec satis sit admonuisse de sententia horum versuum. Non sunt enim obscuri.

Ac apte distributa est commemoratio beneficiorum et operum Dei. Primum in genere praedicat Deum respicere et adiuvare adflictos et humiles. Hoc ad universam Ecclesiam pertinet, et ad omnes pios, qui sunt membra Ecclesiae, quae in hoc mundo iacet oppressa saevitia et tyrannide impiorum, horribiliter oppugnatur a diabolo, exercetur acerbissimis calamitatibus et aerumnis.

Deinde pollicetur quod Deus etiam exteriorem vitam piorum, politiam et oeconomiam velit adiuvare et gubernare, ut usui sint Reipublicae, et per ipsos feliciter administrentur, et floreant politiae, conservetur pax et alia bona, et quod Deus sit defensurus pios, etiamsi patiuntur iniuriam et violentiam improborum. Hoc est, quod ait, de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, sicut Ioseph ex carcere, Daniel in exilio, evecti sunt ad regios honores, Moyses expositus et abiectus fit dux et liberator populi Israël, David ex infimo loco traducitur ad regnum.

Postremo etiam in privata et domestica vita promittuntur piis bona, soboles ac posteritas, victus, defensio, sicut Sarae uxori Abrahae, tametsi sterili et effoetae datur haeres et posteritas: obstetricibus benedicitur, quae servabant infantes Ebraeorum Exod. 1.: Viduis, quae exceperunt hospitio Eliam et Helisaeum, datur victus in difficultate annonae, et resuscitantur liberi. Haec dicta et exempla accommodemus etiam ad nostram vitam et nostra certamina, ut in terroribus et periculis concipiamus consolationem, et fide erigamur, statuamus nos vere respici a Deo, Deum nos adiuturum et defensurum esse. Itaque ipsum invocemus et expectemus bona ab ipso etc.

Psalmus CXIV.

In exitu Israëlis de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro.
Facta est Iuda sanctificatio eius, Israël dominatio eius.
Mare vidit et fugit, Iordanis aversus est retrorsum.
Montes exilierunt sicut arietes, et colles sicut agni ovium.
Quid erat tibi mare cur fugeres? et tu Iordanis cur aversus es retrorsum?
Montes exiliistis sicut arietes, et colles sicut agni ovium?
A facie Domini mota est terra, a facie Dei Iacob.
Qui convertit petras in rivos aquarum, et silices in fontes aquarum.

Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo des gloriam, propter misericordiam tuam, et veritatem tuam.
Quare dicent gentes: Ubi nunc est Deus eorum?
Sed Deus noster in coelo quicquid voluit fecit.
Simulacra illorum argentum et aurum, opera manuum hominum.
Os habent: sed non loquuntur, oculos habent, et non vident.
Aures habent: sed non audiunt.
Nares habent: sed non odorantur.
Manus habent: sed non palpant.
Pedes habent: sed non ambulant.
Non meditantur in gutture suo.
Similes illorum sunt, qui faciunt ea, et quicunque confidunt illis.
Israël confidit in Domino, adiutor eorum et protector eorum ipse est.
Domus Aaron confidit Domino, adiutor et protector eorum ipse est.
Qui timent Dominum, confidunt Domino, adiutor et protector eorum est.

Dominus memor est nostri, et benedicit nobis.
Benedicens benedicit domui Israël, et benedicit domui Aaron.
Benedicit timentibus Dominum pusillis et magnis.
Accumulet Dominus super vos, et super filios vestros.
Benedicti vos a Domino, qui fecit coelum et terram.
Coeli coelorum Domini sunt, et terram dedit filiis hominum.
Non mortui laudabunt te Domine, neque ulli, qui descendunt in infernum.
Sed nos benedicimus Domino, abhinc usque in perpetuum, Alleluia.

Argumentum.

Apud Ebraeos duo sunt Psalmi, quos, quia videntur apte cohaerere, interpretes coniunxerunt. Quare et nos utrumque complectemur. Est autem in summa uterque Psalmus gratiarum actio, ut caneretur, ut apparet praecipue in Paschate, ad celebrandam memoriam liberationis populi Israëlitici ex Aegypto, et datae terrae promissae.

Sed prior Psalmus est prorsus historica narratio, breviter complectens historiam eductionis et miraculorum, quae sunt edita divinitus in hoc populo, ab egressu ex Aegypto, quoad introducti sunt in terram Canaan, quibus Deus testatus est, se elegisse hunc populum, et in eo proposuit testimonia praesentiae suae, iuxta promissiones datas Patribus, quod esset ipsorum Deus, quod esset servaturus promissa, exhibiturus Christum etc., videlicet ut ipsi admoniti his exemplis, discerent timere Deum, et credere Deo, et ut per haec miracula etiam gentes excitarentur ad agnoscendum et glorificandum hunc Deum. Ideo saepe scriptura repetit et inculcat haec miracula, ut populum admoneat de timore et de fide erga Deum. Et in ipso decalogo fit mentio historiae liberationis populi: Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti etc. Voluit enim in hoc opere, ut dixi, conspici Deus, et extare testimonium suae praesentiae.

Haec est summa prioris Psalmi, qui nihil aliud est, quam brevissima repetitio admonens de historia.

Hunc apte sequitur alter Psalmus, et cum hoc cohaeret, quasi accommodatio applicans historiam ad usum: docet de vera agnitione Dei, et de veris cultibus, quod hic sit vere Deus, qui dederit verbum, et in his exemplis sese voluerit agnosci, quod non sit ociosus, sed vere praestet promissa, quod respiciat et exaudiat et liberet pios, et econtra puniat impios, ideoque eum timendum, et ipsi credendum esse, et hac fide in-

vocandum, quod vere sit exauditurus nos, et daturus promissa.

Sic Psalmus concionatur de praecipuis cultibus praeceptis a Deo, de timore, fide, invocatione etc. Et ad hunc usum docet accommodandas esse historias, et exempla operum Dei. Haec fere est summa posterioris Psalmi, quam orditur primum a precatione: *Non nobis Domine, non nobis, etc.* Petit ut Deus gubernet, respiciat, defendat ac salvet populum, et allegat causam cur petat exaudiri, videlicet promissiones et verbum, ut glorificetur nomen ipsius, ut innotescat et praedicetur, quod vere sit Deus, servans promissa, exaudiens etc. iuxta promissiones, non propter nostra merita, aut dignitatem nostram: sed propter misericordiam gratis, sicut alibi dicitur Psal. 78.: Propter gloriam nominis tui libera nos, et propicius sis peccatis nostris propter nomen tuum. Item Psal. 25.: Propter nomen tuum propiciaberis peccato meo etc.

Deinde addit illustrem antithesin de Idolis, quod aliorum religio et cultus sint idolatria, qui non sic agnoscunt Deum iuxta verbum et promissiones, hoc est, qui non vere credunt quod Deo curae sint res humanae, quod certo velit exaudire et iuvare credentes, sed haerent in dubitatione: ideo non invocant Deum, non praestant veros cultus, ac revera sunt sine Deo, quia talium Deus nec oculos, nec aures habet. Econtra testatur, quod hi vere habeant Deum, qui tenent verbum, et credentes invocant et expectant auxilium iuxta promissiones.

Sic ait in hoc populo extare veram noticiam Dei, et Deum in ipsis conspici, quod sit vere Deus, quia habeat talem populum, qui gubernetur verbo, qui praestet veros cultus, et in quo extent exempla beneficiorum et operum Dei, quia dederit verbum, et servet promissa, gubernet et conservet sacerdotium et politiam huius populi, exaudiat et adiuvet pios.

In fine repetit gratiarum actionem pro datis beneficiis, bene precatur populo et omnibus piis, ut Deus augeat et conservet haec beneficia, ut propagetur verbum ac vera noticia Dei, ut etiam floreat politia etc. Ac hic docet etiam corporalia beneficia esse Dei dona, magistratus, conservationem publici status etc. cum inquit: Terram dedit filiis hominum. Ad extremum iterum allegat hanc causam petitionis, ut Deus propter suam gloriam exaudiat invocantes, videlicet, ut innotescat eius misericordia, quod gratis respiciat et salvet nos. Alioqui enim non posset praedicari et laudari, si non exaudiret nisi nos essemus satis meriti, et afferremus nostram dignitatem. Ideo inquit: Non mortui laudabunt te Domine.

Ita apte cohaeret posterior Psalmus cum priore, quia historiam liberationis populi accommodat ad doctrinam fidei et invocationis, videlicet, quod invocatio debeat fieri hac fide, quae nititur gratuita misericordia, non nostra dignitate, et quod haec sit vera noticia Dei, quae statuit Deum non esse ociosum, aut non curantem humana: sed talem, qui vere respiciat nos, qui velit invocari, et nos exaudire ac iuvare, propter misericordiam promissam.

Breviter complexus sum utrumque Psalmum, qui etiam transferendus est ad nos. Ac posterior pars est plane generalis doctrina conveniens et apta omnibus aetatibus et temporibus. Sed prior pars, quae est historica, agens gratias pro liberatione et beneficiis exhibitis populo Israëlitico, etiam recte et utiliter accommodabitur ad Ecclesiam, quae agit gratias pro illis ingentibus beneficiis, quae nobis contingunt propter Christum, et proponuntur in Evangelio, quod per hunc liberemur a peccato, morte, et a potestate diaboli, ac recipimur a Deo, ut simus filii et haeredes vitae aeternae. Quia illa corporalis liberatio erat velut umbra et significatio, admonens de spiritualibus et aeternis beneficiis, quae sunt proposita in promissionibus Evangelii.

Sic ergo et nos utamur Psalmo, agamus gratias Deo, quod exhibuit Christum, qui liberat nos a peccato et a morte, et per ipsum impertit aeterna bona, iusticiam et vitam aeternam, dedit nobis verbum, quo ipsum agnosceremus, servat promissa, respicit, exaudit et adiuvat nos in omnibus periculis, gubernat et sanctificat nos dato Spiritu sancto, defendit adversus saevitiam mundi et diaboli, sicut illum populum mirabiliter defendit et servavit. Ita proderit nobis lectio historiae, si admoneat nos de beneficiis, quae nobis Deus promittit.

Deinde haec transferamus ad usum in vita, et ad exercitia fidei et invocationis, sicut ipse Psalmus docet: discamus agnoscere Deum, quod vere agat nobiscum, velit esse in nobis efficax, et impertire bona, et postulet a nobis praestari veros spirituales cultus, fidem et invocationem.

Sciamus etiam haec beneficia esse gratuita, et dari nobis per misericordiam, iuxta promissiones Evangelii, et Deum sic agnoscendum et colendum esse, statuamus nobis certo contingere haec bona propter Christum, nos recipi in gratiam, exaudiri et salvari, ac pro his agamus gratias, addamus etiam invocationem, precemur ut Deus gubernet, adiuvet et conservet Ecclesiam, det etiam corporalia beneficia necessaria ad conservandam Ecclesiam in mundo, tranquillitatem publici status, victum, defensionem etc.

In exitu Israëlis, etc.

Dixi principio repeti historiam illius singularis operis Dei in populo Israëlitico, quo testatus est se elegisse hunc populum, et eum ingentibus miraculis defendit et servavit, ut in eo extaret testimonium, quod hic esset vere Deus, qui hunc populum elegerat, ac dederat promissiones, ut homines admoniti his operibus excitarentur ad agnoscendum Deum, et ad timorem ac fidem, ut scirent Deum irasci impiis, et eos puniturum esse, et econtra ut crederent pios respici, exaudiri et adiuvari a Deo iuxta promissiones.

Sunt autem hi versus plani et perspicui, nec habent opus prolixiore interpretatione. Tantum recitatur historia illius operis, quae est nota ex scriptura, de profectione populi ex Aegypto in terram promissam, et de miraculis, quibus Deus hunc populum defendit et liberavit. Estque haec summa: Deus elegit hunc populum Israëliticum, et mirabiliter defendit ac servavit adversus hostes editis illustribus ac ingentibus miraculis, cum eduxit eos per mare rubrum, item transvexit per Iordanem. Haec totidem fere verbis hic dicuntur.

Sed historia propter exemplum proposita est ut admonerentur pii, quod Deus, qui elegerat populum, et mirabiliter defenderat, esset etiam defensurus ipsos, quibus dedisset verbum et promissiones. Nam exemplum non tantum unius temporis est: sed Deus voluit illud esse perpetuum, et extare omnibus temporibus, ut admoneat pios de voluntate Dei. Quare etiam nobis proponitur et admonet pios ut sciant, sicut ille populus est divinitus electus et defensus: ita Deum elegisse et defensurum esse Ecclesiam, cui dedit verbum, revelavit Evangelium de Christo, et eius beneficiis de liberatione a peccato, morte, a potentia diaboli et mundi, et in eo dedit testimonium, quod respiciat nos, quod velit nos exaudire et salvare. Hoc modo exemplum transferamus ad nos, ad confirmandam fidem, quod Deus sit servaturus ac defensurus Ecclesiam, hoc est, credentes.

Ac Psalmus etsi brevissime historiam recitat, et repetit miracula edita in hoc populo, tamen nominatim recenset haec beneficia tanquam praecipua, quod Deus dedit eis sacerdotium, et gubernarit eos verbo, ut existerent apud eos vera agnitio et veri cultus Dei. Item quod etiam constituerit politiam populi, dederit duces et gubernatores, per quos eum defendit et liberavit, ut constaret hunc populum divinitus regi.

Haec significantur in his verbis: ***Facta est Iudaea sanctificatio eius, Israël potestas eius.*** Nam sanctificatio significat Sacerdotium, in quo propositum erat verbum et promissiones datae huic populo de Christo, quibus Deus se illis patefecit, ut agnosceretur, et addidit ritus seu cultus, quibus segregavit hunc populum ab aliis gentibus, tanquam notis, quibus agnosceretur populus Dei, quia oportuit esse aliquem populum, in quo extarent promissiones, et ubi sciretur Christum nasciturum esse.

Deinde etiam politia constituta est in hoc populo divinitus, et dati principes, qui eos gubernarent iuxta verbum quo Deus voluit regi hunc populum. Ideo additur: *Israël potestas eius*, seu dominatio, politia seu regnum etc.

Haec satis sit breviter admonuisse de historia: nihil enim habet obscuritatis, tamen meminerimus exemplum accommodandum esse ad Ecclesiam. Sicut Deus illum populum elegit et defendit, cui dedit verbum etc.: ita sciamus omnibus temporibus esse in mundo aliquam Ecclesiam electam, quae gubernatur divinitus, et quidem in ea extare hanc notam, quod habet verbum divinitus revelatum, videlicet Evangelium de Christo, in quo lucet et apprehenditur vera noticia Dei, ac praestantur veri cultus, timor, fides, invocatio et caeteri motus spirituales. Hanc sciamus defendi et conservari divina potentia contra saevitiam mundi et diaboli, et hac consolatione nos sustentemus, cum videmus eam in mundo affligi, et propemodum opprimi, et exerceri pios omni genere calamitatum etc., quod Deus mirabiliter liberaturus sit pios, et conservaturus ac glo-

rificaturus Ecclesiam, sicut testantur exempla illius populi et historiae omnium temporum.

Non nobis Domine, non nobis, etc.

Hic Psalmus, ut dixi, apte cohaeret cum superiore. Est enim applicatio historiae de illo opere et miraculis, quae erant testimonia, quod Deus elegisset et vocasset hunc populum: ac habet gravissimam concionem, quae docet de misericordia, de invocatione, de fide, de discrimine verae et falsae Ecclesiae etc. Et statim initio ostendit, quare recitaverit historiam liberationis populi, videlicet ut pii discerent eam accommodare ad totam Ecclesiam omnibus temporibus, ut his operibus admonerentur ad agnoscendum et glorificandum Deum, et excitarentur ad invocandum et petendum auxilium a Deo. Ideo orditur a precatione, qua petit, ut Deus defendat ac servet Ecclesiam, sicut antea hunc populum mirabiliter defenderat ac liberaverat. Ita sumit occasionem precationis ab illis operibus, quae antea ediderat Deus in hoc populo, et invocat Deum mentione promissionum, quae datae erant huic populo, quod vellet esse ipsorum Deus, quod esset eis exhibiturus semen promissum.

Est ergo summa horum versuum: *Non nobis Domine, non nobis, etc.* Petimus ut nos adiuves et gubernes ac serves Ecclesiam, quemadmodum a principio eam defendisti et liberasti, priusquam hunc populum elegisti.

Sed addit causam petitionis, quae est praecipue consideranda. Allegat nomen et gloriam Dei. Ideo petit exaudiri, ut innotescat ipsius gloria, quod sit vere misericors et servans promissa, quod respiciat et exaudiat confidentes misericordia, iuxta promissiones. Ac ut haec causa fiat illustrior, inserit antithesin, qua excludit dignitatem seu merita humana, quia si pendet res ex nostra dignitate, et sentiendum esset, non prius nos exaudiri, quam satis meritorum afferemus, non posset teneri fides et vinceret in animis dubitatio. Nam in vero certamine et agonibus piorum, etiamsi quae virtutes et benefacta adsunt, tamen obruuntur conspecta magnitudine peccati, et piae mentes intelligunt haec non posse consistere in iudicio Dei. Ideo necesse est in vera invocatione respicere ad misericordiam gratuitam, quae ostenditur in promissionibus.

Sic ubique in precationibus Ecclesia, repudiata mentione propriae dignitatis implorat misericordiam, imo fatetur peccatum et indignitatem suam, ac petit se exaudiri gratis propter Christum Mediatorem etc. Sicut Daniel cap. 9. orat: Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei nostrae. Item: Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Et saepe in Psalmis, ut Psalmo 84.: Propter Nomen tuum Domine propicius esto peccatis nostris etc.

Ita hic orat totius Ecclesiae nomine, ut exaudiatur et defendatur, non propter suam dignitatem, aut iusticias proprias: sed propter misericordiam gratis promissam etc. Idque ideo, ut ipsi tribuatur laus et gloria, quod sit vere misericors, et servans promissa, qui respiciat ac exaudiat indignos, confidentes misericordia promissa propter Christum. Ideo enim coniungit misericordiam et veritatem, ut admoneat promissionum factarum de Christo venturo semine, qui erat futurus victima et propiciatio, propter quam consequeremur remissionem peccatorum, ac reciperemur in gratiam a Deo.

Admonet igitur hic versus, qualis sit invocatio Ecclesiae et piorum, videlicet quae nititur misericordia, et statuit se exaudiri propter Christum *gratis*, non propter propriam dignitatem, videlicet, ut sit certa, et ut fides possit teneri, quam necesse est excuti, si respiciamus ad nostram dignitatem, nec potest fieri vera invocatio, quae serio petit et expectat bona a Deo, ac necesse est tales vivere in perpetua dubitatione, ac prorsus esse sine *Deo*, quemadmodum faciunt impii, qui cum non teneant hanc doctrinam de misericordia gratuita, non possunt invocare, nec praestare veros cultus: sed aut prorsus sunt *ἄθεοι*, negant Deo curae esse res humanas, Deum non exaudire homines, aut haerent in perpetua dubitatione in omni vita, quae tandem abripit ac demergit eos in desperationem. Quare teneamus hanc doctrinam, quod in invocatione fides niti debeat gratuita misericordia, ut sit certa, et ut vincatur dubitatio. Hoc est praecipuum beneficium doctrinae Evangelii, qua vere patefit et illustratur gloria Dei, et existunt veri cultus spirituales, sicut saepe dictum est.

Deus autem noster, etc.

Superior pars Psalmi, ut dictum est, fuit historica narratio de singulari opere Dei exhibito populo Israël, videlicet de beneficiis liberationis, et instituti regni ac sacerdotii, et de miraculis, quibus Deus testatus est se peculiariter elegisse hunc populum, et se eum defensurum ac servaturum esse, propter promissiones factas Patribus, et exhibiturum esse Christum, qui liberet genus humanum a peccato et a morte, iuxta promissionem, quae ideo data erat Patribus, ut per eos propagaretur in posteros, et tandem spargeretur etiam in gentes, ut audientes hoc verbum de Christo, scirent etiam ad se pertinere promissionem, sicut clare inquit textus: In semine tuo benedicentur omnes nationes terrae. Ideo Psalmus primum percurrit historiam liberationis populi Israël, et constitutae politiae ac sacerdotii, et praedicat miracula exhibita illi populo, ad exuscitandam et confirmandam fidem piorum, quia haec opera testabantur hunc esse vere Deum, qui se huic populo revelarat dato verbo, et admonebant pios, ut crederent Deum vere exhibiturum beneficia proposita in promissionibus, Deum velle exaudire ac servare credentes promissioni et hac fide invocantes.

Postea in altera parte Psalmi historiae subiecta est prolixa concio, quae historiam huius populi accommodat ad doctrinam de fide, de invocatione et veris cultibus, et docet, quod sit discrimen veri et idolatrici cultus, verae et falsae Ecclesiae. Et haec posterior pars constat tribus fere membris.

Primum exorsus est a precatione, ut Deus defendat et servet Ecclesiam, et addit causam petitionis, ut Deus exaudiat non propter dignitatem, aut merita populi, sed propter gloriam, ut eam defendat adversus impios, qui negant hunc esse Deum, et blasphemant eius verbum, et propter verbum persequuntur pios. Adversus hos orat, ut Deus tueatur gloriam suam, et testatum faciat quod sit Deus, quod respiciat, exaudiat, adiuvet credentes eius verbo, ut videlicet tribuatur ipsi laus misericordiae et veritatis, quod exaudiat, quod servet promissa, etiamsi nos sumus indigni, nec possumus afferre merita.

Quare haec petitio primum prohibet fiduciam propriae dignitatis, testatur beneficia huic populo exhibita, non contigisse illis propter ipsorum dignitatem aut merita, imo ingentia erant peccata, propter quae Deus potuisset delere populum, quemadmodum historia testatur. Ac etsi in populo erant sancti, tamen maxima pars erat impia, nec pii erant sine peccato, ut Moyses, Aaron. Quare ne sancti quidem possunt allegare sua merita aut dignitatem propriam, sed oportet hos etiam afferre confessionem indignitatis, quemadmodum in Daniele precantur: Tibi *Domine* iusticia, nobis autem confusio faciei. Sed invocantes allegant Deo promissiones, ut propter eas exaudiat, ut tribuatur ipsi gloria misericordiae et veritatis.

Ita hic de invocatione docet, quod necesse sit pios primum adferre ad Deum confessionem suae indignitatis, deinde quod tamen nostra indignitas non debeat nos deterrere ab invocando, quia fides niti debet non nostra dignitate, nec quaerere merita, sed nitatur misericordia, quae proponitur in promissionibus. Haec cum sit gratuita, nec requirat conditionem nostrae dignitatis, conscientia tuto ea niti potest, et debet statuere se certo exaudiri. Ideo enim transfertur res a nostra dignitate in misericordiam, ut conscientia sit certa, et fides retineri possit contra dubitationem, sicut Paulus docet Rom. 4. Haec est sententia versus: Non nobis Domine, non nobis etc.

Postea attexit descriptionem, quae docet de vera agnitione Dei, de vero cultu, et ostendit quae sit vera Ecclesia, quos habeat cultus. Sed ut hoc fiat illustrius, addit luculentam antithesin de idolatricis cultibus impiorum, qui cum non regantur verbo, ideo non vere agnoscunt Deum, nec possunt praestare invocationem et veros cultus. Estque haec descriptio Psalmi digna, quae consideretur. Docet enim quae sit omnium temporum idolatria, et unde oriatur, videlicet cum homines suo iudicio instituunt cultus sine verbo.

Sed priusquam ad hanc descriptionem accedit, praefatur de vera agnitione Dei, de vero cultu, videlicet invocatione et fide, sicut dixi, qui cultus non nititur humanis imaginationibus de Deo, aut iudicio rationis: sed iudicat ex verbo seu promissionibus, et iuxta eas apprehendit Deum, iudicat hunc vere esse Deum, qui se patefecit in verbo, nec esse ociosum, sed curare res humanas, servare promissa, exaudire invocantes iuxta verbum. Hoc modo de agnitione Dei docet versi-

culus, Deus autem noster in coelo etc. Praedicat hunc esse vere Deum, qui dederit verbum, qui tot beneficiis et miraculis exhibitis illi populo, testetur suam praesentiam, quod sit conditor omnium rerum, quod curet et gubernet res humanas, quod respiciat et servet pios, puniat impios etc. Ideoque hunc esse invocandum, huic esse praestandos veros cultus, timorem, fidem, dilectionem etc.

Simulacra gentium argentum et aurum, etc.

Haec est antithesis, ut dixi, de illis, qui non agnoscunt hunc Deum, nec habent verbum Dei: sed persequuntur populum Dei, qui confitetur verbum. Hos ait esse sine Deo, et omnes illorum religiones et cultus esse idolatriam. Estque valde illustris descriptio, qua velut ob oculos pingitur caecitas et amentia illorum, qui non reguntur verbo: sed iudicant de Deo secundum suas imaginationes, et fingunt ac cumulant cultus propria autoritate, et quidem habent ingentem speciem sanctitatis, volunt perhiberi religiose colere Deum. Quare non ferunt de se pronunciari, quod non norint Deum, quod sint idolatrae.

Sed Psalmus confirmat pios, et pronunciat omnes esse idolatras, et revera sine Deo, qui non apprehendunt hunc Deum, qui dedit verbum. Et quia non reguntur verbo, non possunt statuere se curae esse Deo, se exaudiri etc. Ita plane faciunt Deum ociosum, qui nec oculos nec aures habeat, non tribuunt ei veros honores, qui Deo debentur, non vere timent, nec credunt Deo. Itaque vere sunt idolatrae. Haec breviter est sententia horum versuum, qui cum habeant insignem picturam idolatricorum cultuum, diligenter sunt considerandi. Pulcre enim docent quid sit idolatria, seu qui sunt idolatrici cultus, et unde oriatur idolatria, videlicet, cum homines volunt apprehendere Deum, et instituunt cultus sine certo verbo Dei.

Primum igitur hoc constituatur, cultus idolatricos esse omnes, quicunque sine mandato Dei instituti sunt. Non enim potest recte agnosci, aut apprehendi Deus, nisi sese revelet, et testetur voluntatem suam verbo. Et ut cultus placeant Deo, necesse est eos verbo praescribi ac definiri, quos et quales requirat. Ideo enim dat verbum, ut de eius voluntate certi simus, quomodo a nobis coli postulet. Nihil autem opus erat dari verbum, si ratio per sese Deum apprehendere posset, aut si placerent cultus, iudicio humano excogitati. Quare necesse est homines sine verbo deerrare a vero cultu Dei, et fieri idolatras. Fingunt enim Deum aliter quam est, aliter colunt quam coli vult, denique pro Deo colunt idolum. Non est enim talis Deus, qualem ipsi imaginantur. Constat autem hanc vere esse idolatriam, cum pro Deo colitur quod non est Deus, aut cum Deus alius fingitur quam est, quemadmodum docet Primum praeceptum, Non habebis Deos alienos, quod non tantum de manifesta idolomania intelligendum est, cum statuae aut saxa adorantur: sed prohibet omnes cultus humanos, quos necesse est esse idolatricos, quia contra hoc mandatum instituuntur.

Ideoque in Prophetis passim accusatur populus propter tales cultus, et vocantur idolatrae, sicut erat cultus vitulorum in Bethel, et excelsorum in lucis, Qui tametsi sacrificabant non idolis, sicut gentes: sed uni Deo, et quidem similes erant ritus illis, qui erant instituti verbo Dei, tamen vocantur idolatriae, quia contra mandatum Dei ab ipsis erant electi, imo hoc nomine gravius accusatur populus Iudaicus quam gentes, quod meretricio more fornicentur, et se turpiter prostituant diis alienis. Quia cum hic populus gloriaretur se habere noticiam Dei, habere verbum, quod eis Deus tradiderat, ut scirent quomodo vellet coli, tamen suo arbitrio novos cultus excogitabant contra mandatum Dei. Itaque gravius erat flagitium, nec poterat haec idolatria excusari ignoratione, sicut gentium, quae non habebant verbum.

Hoc primum in genere hoc loco observetur de idolatria, quod idolatria vocentur omnes cultus sine verbo Dei instituti. Deinde meminerimus hic accusari idolatriae in universum omnes homines, qui non norunt hoc verbum, quod primum illi populo in promissionibus traditum fuit, sed postea per praedicationem Evangelii sparsum est in totum orbem. Hinc enim tantum recte cognosci potest Deus, et intelligi, quomodo sit colendus. Nam ratio humana etsi habet aliquam noticiam de Deo impressam naturae, videlicet quod sit Deus conditor et conservator omnium rerum, quod sit invocandus etc., tamen per sese non potest statuere de voluntate Dei, non potest pronunciare qui cultus placeant Deo.

Deinde nec hoc statuere potest, an sit curae Deo, an vere exaudiatur etc. Et cum deest verbum, quo regi debebat illa noticia naturalis de Deo, postea facile decipitur ut deerret, ac distrahatur variis opinionibus, et cultum Deo debitum, ac divinos honores: timorem, fiduciam, invocationem, tribuat ei quod non est Deus.

Nam etsi in genere veras noticias habet ratio: tamen sine verbo non potest Deum apprehendere, et in applicandis illis noticiis fallitur et aberrat. Tanta etiam est infirmitas, ut in hominibus securis, illae ipsae noticiae naturales, saepe aut obliterentur, aut prorsus excutiantur dubitatione, cum ratio sine verbo errans, iudicat de praesentibus eventibus et casibus, videt multa evenire aliter quam oportuit, iudicat esse summam confusionem rerum humanarum. Ideo delabitur in epicureas opiniones, ut neget providentiam, statuit Deum nihil esse. Ita multi fiunt prorsus *ἄθεοι*.

Rursus in magnis periculis, cum videt se destitui omnibus praesidiis humanis, ipsa magnitudo periculi et calamitatum, revocat mentes ad illud qualecunque iudicium naturae de Deo, et adigit eo, ut quaerant aliquod numen, qua de re eleganter Poëta: Primos in orbe deos fecit timor etc. Sed quia sine verbo ratio non recte quaerit Deum, necesse est eum misere errare et fluctuare opinionibus. Nam ut cuique obiectus est aliquis metus, aut periculum, imo ut cuiusque animus aliquo affectu occupatus est, ita sibi Deum et cultum fingit.

Ex his tenebris mentis humanae et errantium opinionum sine verbo nata est illa confusio ethnicae idolomaniae omnibus temporibus, et infinita superstitio absurdissimorum cultuum, sicut Aegyptii feles, caepas, Romani pallorem, febrem etc. coluerunt. In quorum locum postea successit non minor idolomania in Ecclesia, in cultu et invocatione mortuorum. Ac horribile est tantam caliginem animis hominum offundi, ut ridiculis et manifestis superstitionibus decipiantur. Sed sic est, sine verbo fieri non potest, quin homines varie errent opinionibus. Lucerna, inquit David, pedibus meis verbum tuum. Quare oremus Deum, ut nos gubernet et regat verbo, ne deerremus. Necesse enim est, ut dixi, fieri idolatras, qui sine verbo quaerunt Deum. Non enim possunt recte apprehendere Deum: sed quemadmodum incerti feruntur caecis et fluctuantibus opinionibus, ita iuxta eas fingunt varios cultus, qui in Prophetis vocantur idola, et in hoc Psalmo simulacra gentium etc.

Dixi autem observandam esse hanc descriptionem Psalmi. Est enim insignis irrisio humanorum cultuum, Ait omnes cultus gentium, id est, eorum, qui carent verbo, esse simulacra facta ab hominibus, et quidem talia, quae nec loquantur, nec videant, nec audiant etc. Vide enim quanta sit caecitas, Homines sine verbo audent iudicare de Deo, et instituunt cultus. Hoc vere est fingere seu sculpere Deos, seu simulacra, non enim apprehendunt Deum ut est, nec consistunt in certo aliquo et unico Deo: sed, ut dixi, sicut varie errant opinionibus, ita fingunt varios cultus, alii alios etc. et postquam suum sibi quisque Deum finxit, et suos cultus exercet, tamen adhuc haeret in dubitatione, non vere statuunt se exaudiri, defendi, adiuvari in periculis. Hoc vere est fingere Deum, seu habere pro Deo, colere, invocare talem, qui habeat oculos, aures, manus: nec tamen videat, aut audiat, aut palpet, quia non possunt statuere quod respiciantur, exaudiantur, adiuventur etc.

Sic sunt omnes religiones, et cultus humani, sine verbo, videlicet nihil aliud, nisi stulta aut mendax opinio de Deo, fingunt cultus, somniant se habere Deum, cuius officium est ubique adesse, exaudire et opem ferre: id enim est oculos et aures habere etc. Nec tamen iudicant vere praesentem et efficacem esse. Revera ergo talem Deum fingunt, qui velut statua habens oculos et aures, nihil nec videat nec audiat. Id vere est esse sine Deo, facere ociosum, et nihili idolum, sicut et alibi ait Psalmus: Omnes dii gentium daemonia seu idola.

Dixi de idolatria, quae in his versibus pulcre describitur, et quae sit ac unde oriatur, et quam late pateat. Estque illustrata descriptio insigni reprehensione, quae taxat et irridet omnes cultus humanos, qui sine verbo seu mandato Dei instituuntur, quod sint irriti et sine fructu, sicut et Christus inquit: Frustra colunt me mandatis hominum etc. Quia enim non habent verbum homines, non possunt certi esse de voluntate Dei, nec possunt statuere se exaudiri a Deo. Quare revera sunt sine Deo, sicut hic ait: Similes illorum sunt, qui faciunt ea etc. Itaque omnis illorum religio et cultus prorsus sunt frustra et nihili.

Haec, ut dixi, non tantum intelligenda sunt de uno aliquo tempore, aut genere hominum, qui manifeste sunt idolatrae, aut prorsus alieni a populo Dei, sicut Ethnici etc., sed semper omnibus aetatibus mundus plenus est idolatricis cultibus, qui proprie inde existunt, quod sine verbo homines quaerunt Deum, et sibi fingunt cultus pro suo arbitrio. Unde etiam orta est omnibus temporibus crassa illa idolomania, quae alligat Deum ad certa loca, seu certas statuas, ac putat illis adesse aliquid numinis, seu praesentiae divinae. Sicut etiam in illo populo erat cultus vitulorum, Baal et similes, contra mandatum Dei instituti.

Hinc igitur facile est iudicare, de nostri temporis idolatria, quae in Ecclesiam invasit, oppresso verbo Dei, et ignoratione verorum cultuum, quam oportuit sequi, postquam obscurata est pura doctrina Evangelii, Ecclesia oppressa fuit non tantum crassissimis superstitionibus, quae a quovis facile possunt iudicari, sicut est illa idolomania adorandi ad certas statuas, item idolatrica invocatio Sanctorum. Sed accesserunt et aliae, quae sunt obscuriores, qualis est totus cultus Missarum privatarum, ubi sacramentum corporis et sanguinis *Domini* collocatum fuit ad horribilem abusum et profanationem, neglecto vero usu, qui est manducatio in fide, quae statuit, quod in hac Coena exhibeantur et contingant nobis beneficia Christi, quod vere adiungamur Christo, tanquam membra, quae fides excitata et confirmata usu sacramenti, erigit, et consolatur conscientiam.

Pro hoc vero usu invecta est multiplex idolatria, Sacramentum ipsum sine manducatione a Christo instituta, et sine fide in Missis propositum est tantum pro spectaculo adorandum. Deinde in eundem finem solitum circumgestari. Item Missa proposita est tanquam cultus, qui ex opere operato prodesset facienti aut spectanti, et applicatus pro aliis, mereretur remissionem peccatorum vivis et mortuis, etc. Denique hic totus cultus Missarum in universum est idolatricus, propter has duas causas. Primum, quia est cultus institutus in Ecclesia humana auctoritate, sine mandato Dei. Deinde quia non servatur institutio Christi, quae est ut distribuatur manducandum corpus, et bibendus sanguis eius in Ecclesia, non ut fiat opus operatum, aut ut proponatur sacramentum ad spectaculum. Non est autem dubium sacramenta, cum adhibentur ad alium usum pugnantem cum institutione Christi, non esse sacramenta, sicut nunc Turcica aut Iudaica Circumcisio non est sacramentum: sed inane spectaculum, quia non habet verbum, nec promissionem divinam. Quare palam est, in tali usu sacramenti, alieno ab institutione Christi, multis modis committi idolatriam. Haec addidi exempli causa. Nam de hac re alias dici solet. Nunc redeo ad textum.

Domus Israël speravit in Domino, etc.

Psalmus instituit, ut dixi, antithesin, qua discernit veros et falsos cultus. Dixit de idolatris, qui sunt sine Deo, et exercent cultus impios et irritos. Nunc addit alteram partem de veris cultibus, quos praestat populus Dei. Ac primum describit populum, qui est Ecclesia, seu populus Dei, videlicet is, qui habet promissiones et regitur verbo.

Nam hae appellationes: Domus Israël: Domus Aaron: significant eum populum, cui se revelavit Deus in verbo, et tradidit promissiones, sicut et illa descriptio: Qui timent Dominum, id est, qui colunt Deum iuxta verbum traditum. Tametsi appellationes, domus Israël, domus Aaron, discernunt utramque administrationem, videlicet politicam seu regni et sacerdotii, quae sic erant distincta, ut administratio sacerdotii, tantum mandata esset generi seu familiae Leviticae ab Aaron. Nec voluit Deus confundi haec discrimina ab ipso ordinata, ne videlicet caeterae familiae invaderent in administrationem sacerdotii, quae pertinebat ad familiam et posteritatem Aaronis. Sed tamen utraque administratio, tam politiae quam sacerdotii, erat divinitus instituta et tradita, ac verbo Dei gubernabatur. Quare describit talem populum, qui habet verbum, quod est testimonium hunc esse populum Dei.

Secundo, de cultu huius populi inquit: Speraverunt seu confidunt in Domino, etc. Hic addit notam, quae describit, qui sint veri cultus, quos praestat Ecclesia, seu ii, qui vere sunt populus Dei. Haec nota est, qua agnosci potest quae sit Ecclesia, videlicet, quo docetur de vera noticia Dei, ubi exercentur cultus spirituales, videlicet timere, confidere, invocare, etc. Hos opponit aliorum cultibus, qui quia sunt sine verbo, nec sunt tales ubi mens agit aliquid cum Deo,

non vere timet, nec vere confidit, aut invocat: sed tantum sunt externae observationes operum, nihil sunt nisi idolatria.

Quare hi cultus faciunt discrimen inter eos, qui vere sunt Ecclesia, seu populus Dei et alios. Nam exercitia et observationes operum possunt praestare etiam palam impii. Sed hunc cultum praestant tantum pii, videlicet ii, qui iuxta verbum iudicant de voluntate Dei, vere timent Deum, deinde confidunt misericordia promissa, credunt sibi ignosci a Deo, et se recipi propter Filium Dei. Hac fiducia invocant in periculis, et sese sustentant spe ac expectatione auxilii et liberationis. Itaque hi cultus sunt testimonium, quod sint populus Dei. Nam ipsi his cultibus testantur, quod sentiant se vere habere Deum, se curae esse Deo, exaudiri etc.

Tales cultus requirit Deus ab omnibus, vultque praestari in omnibus generibus vitae, in unaquaque administratione seu vocatione, sicut hic ait Psalmus: Domus Aaron confidit in Domino, et omnes, qui timent Dominum, confidunt in Domino. Omnis vita piorum plena est periculis et difficultatibus omnis generis. Quare in omni gubernatione, ecclesiastica et politica, in vita oeconomica uniuscuiusque opus est fide, id est, fiducia, quae in periculis invocat et expectat auxilium et liberationem a Deo. Nec sine hac Deo placere aut felix esse potest ullum opus, aut ullum genus vitae. Quare haec fides regat et gubernet omnem vitam, omnes actiones piorum. Tum demum erunt cultus Deo grati, et, sicut in scriptura vocantur, sacrificia, id est, talia opera, quibus Deus iudicat se vere coli et honore affici, quemadmodum Psalmo quarto dicitur: Sacrificate sacrificia iusticiae, et sperate in Domino.

Caeterum hoc etiam meminerimus, sicut alias saepe dictum est, omnia dicta, quae in genere docent de fiducia, spe, invocatione etc., referenda esse ad principalem promissionem Evangelii de Christo, videlicet quod intelligenda sit fides, quae primum apprehendit remissionem peccatorum, et statuit sibi ignosci, et se recipi a Deo per misericordiam gratis propter Christum. In hanc promissionem semper intueri debet animus, et in omnibus periculis, in omni invocatione hanc fidem praecedere oportet, et gubernare omnes actiones. Nec potest sine ea fieri vera invocatio. Neque enim statuere potes quod Deus accipiat tuas preces, et daturus sit, quae petis, nisi primum hac fide statuas, quod Deus velit tibi ignoscere, et te exaudire per misericordiam propter Christum iuxta promissiones. Hactenus dictum est, quis sit verus cultus, quem requirit Psalmus.

Tertio additur de effectu, seu fructu, qui sequitur, cum inquit: Adiutor eorum et protector eorum est. Hic ostendit, cultus piorum non esse frustraneos, non esse irritam fiduciam et invocationem: sed exaudiri, iuvari, defendi, liberari pios, qui habentes verbum et promissiones, sicut populus Israël habebat, iuxta illas credunt et invocant Deum, sicut testantur historiae illius populi, et exempla omnium aetatum, Deum mirabiliter adiuvisse et defendisse pios, servasse Ecclesiam omnibus temporibus, sicut populum Israël ingentibus miraculis liberavit, conservavit sacerdotium et regnum a se institutum, dedit insignes victorias etc. Haec opera testantur piorum fiduciam et preces non esse irritas, et sicut iudicant se vere habere Deum, quem invocant fide, et ab eo expectant bona, ita vicissim Deus testatur, quod sint populus, quod placeant ipsorum cultus, quia exaudit eos, adiuvat, defendit etc., dat bona spiritualia et corporalia.

Econtra qui carent hac fide, etiamsi habent professionem religionis, et aliquos cultus operum: tamen non vere apprehendunt Deum, non statuunt se exaudiri. Quare in gravibus periculis opprimuntur dubitatione, et destituti consilio ac praesidiis ruunt in desperationem, ut Saul, etiamsi sacrificat, et praestat quasdam observationes legis: tamen, quia est sine fide, non praestat veros cultus, in periculis non potest statuere se respici et exaudiri a Deo, nec expectat ab eo liberationem, sed victus dubitatione, quaerit alia non concessa auxilia, quae cum frustrantur ipsum, tandem ruit in desperationem. David quia habet fidem, etsi conflictatur ingentibus aerumnis et periculis: tamen fortiter perfert pericula, ac tandem emergit, et vincit fide, qua statuit se exaudiri a Deo iuxta promissiones, et magna fiducia expectat liberationem. Haec satis sit monuisse de hoc loco Psalmi.

Dominus memor est nostri, etc.

Haec cohaerere cum superioribus testantur repetitiones, domui Israël, domui Aaron. Ac, sicut coepit, pergit commemorare beneficia, qui-

bus Deus testatur se vere esse Deum huius populi, cui dedit verbum ac promissiones, quia praestet promissa, respiciat et adiuvet, et benefaciat piis, qui iuxta verbum apprehendunt Deum, et praestant veros cultus, fiduciam, invocationem etc., qui non sunt, ut aliorum cultus, irriti et sine fructu: sed Deus ostendit sibi eos placere, quia exaudit pios, et dat beneficia, quae complectuntur hi versus.

Ac sicut initio Psalmus exorsus est gratiarum actionem a commemoratione beneficiorum, quae Deus singulariter praestitit illi populo: ita nunc repetit in genere beneficia data divinitus, et addit precationem, ut Deus ea conservet et augeat. Ut autem dixi de auxilio Dei et defensione: Adiutor et protector eorum est: ita hic de conservatione, incremento et propagatione beneficiorum agit gratias. Primum inquit: Dominus meminit nostri, id est, conservat verbum traditum et alia beneficia, adest et adiuvat nos in periculis, ac etiamsi aliquandiu sinit nos affligi, et differt auxilium: tamen non ideo deserit nos, non obliviscitur nostri, sed cum est opus adiuvat, et mirabiliter servat nos. Item benedicit nobis, id est, favet et benefacit nobis, cumulat nos donis, dat successus et incrementa donorum.

Ac repetit in specie beneficia, agit gratias pro dato regno et sacerdotio: Benedicit domui Israël et domui Aaron, id est, sicut in hoc populo Deus instituit utramque gubernationem regni et sacerdotii, et dedit promissiones de utraque, idque praecipue propter Christum. Ita utramque conservat, et dat bona necessaria ad conservationem utriusque status. Sacerdotium institutum fuit propter ministerium verbi, ut populus doceretur, et ut esset aliqua Ecclesia, ubi conservarentur promissiones de Christo. Ideo ad illud conservandum dedit Prophetas, qui subinde doctrinam obscuratam restituerunt, clarius explicarunt promissiones, fuerunt autores abolendi idolatricos cultus, et populum revocarunt ad veram noticiam Dei et veros cultus. Sic etiam in politia, cum populus premeretur a vicinis hostibus, item ab Assyriis regibus Deus mirabiliter adiuvit populum, excitavit heroicos viros, per quos dedit insignes victorias, reddidit pacem, restituit statum politicum etc. Hoc est quod inquit: Benedicit domui Israël.

Sed praecipuum beneficium est, quod in hoc populo dedit ac conservavit promissiones de Christo, Christum exhibuit iuxta promissionem, propter quem et illud sacerdotium Leviticum, et regnum corporale huic populo a Deo traditum erat, ut esset testimonium venturi promissi seminis benedicti, qui futurus esset aeternus rex et pontifex, sicut alibi describitur, qui ipse sese offerret victimam pro peccatis, ac victa et abolita morte et potestate diaboli, liberaret genus humanum, placaret nobis Deum, et sublato peccato et morte, donaret iusticiam et vitam aeternam. Haec est aeterna administratio sacerdotii et regni spiritualis, ubi Christus ad dextram patris interpellat pro nobis, gubernat Ecclesiam, dato verbo et Spiritu sancto, defendit eam adversus saevitiam diaboli et mundi. Huius aeterni sacerdotii et regni umbra erat illud externum sacerdotium Leviticum, et regnum populi, quia propter Christum institutum erat, et habebat promissiones de Christo, Et apparet ideo hic mentionem fieri regni et sacerdotii, ut admoneat pios promissionum de Christo, quae describunt regnum et sacerdotium aeternum, sicut et alias sententiae de sacerdotio et regno revocant nos ad promissiones de Christo.

Adiiciat Dominus super vos, etc.

Addit apostrophen, qua gratulatur et bene precatur piis, habentibus haec beneficia divina, videlicet verbum et veram noticiam Dei, veros cultus, et alia bona spiritualia et corporalia, ut Deus haec augeat et conservet. Sicut et nobis gratiae agendae sunt pro talibus beneficiis, quod Deus dat verbum, quod conservat Ecclesiam, dat pacem publicam etc. et petendum ut haec bona foveat et conservet, ut propagentur ad posteros.

Benedicti vos a Domino, etc.

Ingens praeconium est, et dulcissima consolatio, de vera Ecclesia habente verbum divinitus traditum, quo se patefecit Deus, ut vere agnosci possit, et addidit ingentia beneficia, promisit et exhibuit Filium suum, per quem credentibus contingunt aeterna bona, liberatio a peccato et morte aeterna, remissio peccatorum, donatio Spiritus sancti, et vita ac laeticia perpetua in aeterna consuetudine cum Deo. Addidit etiam corporalia beneficia, quod inde usque ab initio semper in mundo dedit Ecclesiae victum, defensionem. Item editis miraculis testatus est suam praesentiam. Quare recte ornatur hic populus hoc prae-

conio, quod *sint benedicti a Deo*, id est, habentes Deum placatum, faventem, cumulantem eos omni genere bonorum. Discernit ergo hunc coetum, habentem verbum et promissiones, ab omnibus aliis gentibus. Solius huius populi haec est gloria, quod vere habeat et colat Deum, quia habet verbum, habet testimonia operum Dei, sacerdotium et regnum divinitus institutum. Quare in hoc populo vere potest conspici Deus. Hanc gloriam non habent aliae gentes, quae etiamsi habent aliquam noticiam quod sit Deus: tamen quia sunt sine verbo, quo se patefecit Deus, non recte apprehendunt Deum, non agnoscunt eius beneficia, sed, ut supra dixi, iactantur errantibus opinionibus de Deo, non vere statuunt Deo curae esse res humanas, Deum ubique adesse, omnia regi et gubernari ipsius consilio et potentia, certo respici, recipi et exaudiri credentes propter Filium promissum: sed putant res humanas temere et casu ferri. Quare non vere timent Deum, non confidunt Deo, non invocant nec expectant bona a Deo. Haec est caecitas et ignoratio humana, cum homines carent verbo divinitus tradito.

Econtra pii, qui habent hoc summum beneficium, hi demum recte apprehendunt Deum, vident et agnoscunt eius praesentiam, quod sit conditor et conservator omnium rerum, quod gubernet omnia, quod irascatur peccato, puniat improbos, et benefaciat iustis. Nec tantum hanc legis noticiam habent, sed etiam norunt promissiones Evangelii, quod Deus velit condonare peccata, et recipere homines propter Filium suum, quem voluit fieri victimam pro nobis. Quare vere agnoscunt Deum, sciunt eum irasci peccato, ideo vere timent, rursus sese erigunt fiducia misericordiae promissae propter Christum, et hac fiducia invocant. Itaque praestant veros cultus, expectant etiam et petunt a Deo corporalia bona, necessaria in hac vita, victum, defensionem, pacem publicam etc. Tales ergo vere praedicant Deum, quod hic Deus, cuius verbum habent, sit vere Deus, omnipotens, conditor et conservator omnium rerum, qui ubique adsit, gubernet omnia, et impertiat divina beneficia, et verbum, quo agnosci et coli possit, det item bona corporalia, victum, defensionem, conservationem status politici etc.

Haec praedicat hic versus: *Coeli coelorum Domini sunt*, id est, hic Deus ubique adest, gubernat et conservat universam naturam rerum, ac ita agnosci vult, quod ubique respiciat, exaudiat, servet pios, etc. Deinde: *Terram dedit filiis hominum*, id est, ille ipse Deus etiam dat bona corporalia, necessaria in hac vita, regimen politicum, defensionem etc. Haec etiam largitur, ut Ecclesia in mundo durare possit, ut pii habeant aliqua commoda vitae. Haec sunt Dei beneficia, nec sunt in potestate humana, etiamsi impii et tyranni rapiunt imperia, conantur opprimere pios, eripiunt eis commoda vitae, etiamsi diabolus per homines improbos saepe perturbat statum, et tranquillitatem rerumpub. bellis, seditionibus et aliis modis: tamen Deus conservat respub. et defendit pios, propter eos largitur pacem et alia beneficia, ut sit aliqua Ecclesia.

Est autem observanda haec particula, quae ait: *Terram dedit filiis hominum*, quia habet utilem doctrinam de rebus politicis et earum usu, testatur politicas et alias res necessarias ad rem corporalem, esse res a Deo conditas, ad utilitatem humani generis, et ab ipso dari et conservari. Quare significat earum usum concessum esse, et approbari a Deo. Quia enim dicit haec approbari a Deo seu esse dona Dei, sequitur esse res bonas, et quod earum usus placeat Deo, sicut et Paulus inquit de hoc genere: Omnis creatura Dei bona est. Quare res politicae, imperia, iurisdictiones, magistratus, divisio et proprietas rerum iuxta leges, contractus, iudicia etc. sunt res, quarum usum Deus approbat, et in piis usus earum est opus Deo placens.

Haec prodest tenere ad refutandas imaginationes hypocritarum et fanaticorum, qui damnant usum rerum politicarum, aut certe non satis reverenter de eis sentiunt. Sed haec doctrina amplificat et ornat dignitatem magistratuum et rerum politicarum, vult nos reverenter sentire de his, tanquam beneficiis divinitus donatis, excitat etiam studium diligentius parendi legibus et magistratibus. Postremo haec sententia admonet et eos, qui versantur in magistratibus, et reliquos, ut meminerint his rebus corporalibus utendum esse tanquam donis Dei, nec sic dari, ut homines arbitrentur potentia, gubernatione, opibus aut aliis rebus pro sua libidine utendum esse, contra voluntatem Dei, ad explendas suas voluptates, aut ad aliorum iniuriam, et ad opprimendos pios etc. Quia Deus qui est autor et dator horum bonorum, non vult ut ea habeamus

tanquam propria et a nobis parta: sed ut iis utamur tanquam administratores alieni beneficii, et meminerimus haec conferenda esse ad gloriam Dei, et ad utilitatem publicam ac Deo reddendam esse rationem nostrae administrationis.

Non mortui laudabunt te Domine, etc.

Memorabili sententia claudit Psalmum, qua repetit precationem, quae est in hoc Psalmo praecipua, videlicet, ut Deus exaudiat, defendat et servet populum seu Ecclesiam, propter suam gloriam, ut possit laudari, ut praestentur ei veri cultus, qui sunt invocatio cum fide, quae certo expectet auxilium et liberationem, deinde laus et gratiarum actio pro datis beneficiis, pro liberatione etc. Allegat ergo eandem causam petitionis, quam supra in versu: Non nobis Domine, sed Nomini tuo da gloriam etc., petit exaudiri, ut innotescat et celebretur gloria Dei, quae est, quod Deus exaudiat *gratis*, per misericordiam, non propter nostram dignitatem: sed adiuvet et salvet indignos, non velit nos perire etiamsi habemus peccatum. Ideo ait: *Non mortui laudabunt*, quasi dicat, Si sentiendum esset, tum demum invocandum esse, aut statuendum quod Deus nos exaudiat, si nos haberemus satis meritorum, non posset celebrari gloria Dei, quae laus non esset misericordiae, sed nostrae dignitatis: imo non posset existere fides, aut invocatio, sed animi opprimerentur dubitatione et desperatione, quia semper habemus peccatum.

Quare ita invocamus, non quaerentes nostra merita, aut respicientes ad propriam dignitatem: sed confidentes tua misericordia, quod gratis recipias, exaudias, salves, iuxta promissiones, et ideo petimus nos exaudiri, ut tibi tribuatur laus misericordiae, et innotescat gloria tua. Estque gravissima sententia, quae allegat Deo misericordiam et bonitatem, et docet hac fide invocandum esse, et expectandam a Deo salutem, quia Deus non velit nos perire, sed velit adiuvare, etiamsi sumus indigni ut possit laudari.

Psalmus CXVI.

I. ***Dilexi, quod exaudit Dominus vocem deprecationum mearum.***

II. ***Quia inclinat aurem suam mihi, et omnibus diebus meis invocabo.***

III. ***Circumdederunt me funes mortis, et angustiae inferni invenerunt me, Tribulationem et pavorem inveni.***

IV. ***Et nomen Domini invocabo, Obsecro Domine, eripe animam meam.***

V. ***Misericors Dominus et iustus, et Deus noster miseretur.***

VI. ***Custodit parvulos Dominus, Attenuatus sum, et salvavit me.***

VII. ***Revertere anima mea in requiem tuam, Quia Dominus benefecit tibi.***

VIII. ***Quia eripuisti animam meam de morte, oculos meos a lacrimis, pedem meum a lapsu.***

IX. ***Ambulo coram Domino in terra viventium.***

I. ***Credo propterea loquor, Ego autem humiliatus sum valde.***

II. ***Ego dixi in consternatione mea: Omnis homo mendax.***

III. ***Quid reddam Domino, pro omnibus beneficiis erga me?***

IV. ***Calicem salutarem accipiam, et nomen Domini invocabo.***

V. ***Vota mea Domino reddam, coram omni populo eius.***

VI. ***Preciosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.***

VII. ***Obsecro Domine, quia ego sum servus tuus, Ego sum servus tuus, et filius ancillae tuae, qui dirumpis vincula mea.***

VIII. ***Tibi sacrificabo sacrificium laudis, Et nomen Domini invocabo.***

IX. ***Vota mea Domino reddam, coram omni populo eius.***

X. ***In atriis domus Domini, In medio tui Ierusalem.***

Enarratio Psalmi CXVI.

Est et hic Psalmus valde celebratus, quia res insignes continet, consolationem in summa tentatione, videlicet animi luctantis cum terroribus aeternae mortis et irae Dei. Item mandatum de

Confessione, doctrinam de peccato et condemnatione humanae iusticiae, doctrinam de persecutione, de veris cultibus, scilicet de afflictione, invocatione et confessione. Hae materiae proponuntur in exemplo, ut fit in Psalmis: estque gratiarum actio commemorantis pericula, et liberationem, et effectus qui secuti sunt. In hac imagine traduntur praecipui loci doctrinae Evangelii. Terrores describunt veram poenitentiam. Consolatio qua se sustentat David in his terroribus, sunt voces fidei: et qualis res sit fides, et quod vere hunc cultum Deus postulet, clare ostendit hoc exemplum, videlicet, quod fides niti debeat sola misericordia, et non intueri nostras virtutes, nec frangi et excuti conspectu nostrae infirmitatis. Haec est doctrina peculiaris Evangelii concionantis de gratuita reconciliatione, quae diligentissime cognoscenda et discernenda est a doctrina legis. Necesse est autem lucere in Ecclesia doctrinam de his certaminibus, et pios ea experiri, alios plus, alios minus: nec invocatio vera sine hac fide existere potest. Ubi autem accensa est haec fides, sequuntur invocatio, confessio, crux. Hos locos constat esse praecipuos in doctrina Evangelii, et in vita Christiana.

Est igitur hic Psalmus exemplum doctrinae Evangelii, et imago verorum certaminum et sacrificiorum. Nam hic quoque significatur discrimen cultuum, et proponuntur non ceremoniae, sed longe alia sacrificia, scilicet fides, invocatio, confessio, afflictio. Et memorabiles sententiae multae traduntur.

Initio de Fide: *Dilexi quod Deus exaudit me*, id est, laetor, hac consolatione me sustento, quod exaudit me Deus luctantem cum terroribus aeternae mortis. Haec est vox fidei, quae nititur sola misericordia, ut postea dicit: Deus noster miseretur. Tales sententiae opponendae sunt dubitationi ac diffidentiae, quae deterret et languefacit invocantem.

Ideo postea coniungit invocationem et fidem. *Credidi, propter quod loquor*, id est: Invoco et profiteor. Saul quia dubitat, fugit Deum, non invocat. Itaque invocatio apud ignaros et hostes Evangelii, non est invocatio Dei, sicut nec apud gentes.

Est et hoc memorabile dictum, quod omnes homines accusat: *Omnis homo mendax*, id est, non recte sentiens de Deo. Nemo timet ut debet, nemo confidit Deo, ut debet, sed inflectuntur animi, aut avertuntur a Deo, metu, fiducia humanarum rerum, quaerunt praesidia humana, ruunt amore et aliis motibus contra Deum.

Est et hoc memorabile dictum: *Preciosa mors sanctorum in conspectu Domini.* Etsi coram mundo videntur a Deo abiecti, negligi, interire, tamen revera Deus hoc sacrificium, videlicet mortem, ducit esse preciosum et excellentem cultum. Ac vicissim curat, servat et glorificat eos. Estque testimonium de vita futura post hanc vitam.

Recensui et argumentum Psalmi, et excerpsi quaedam dicta, quae valde prodest habere in conspectu posita, et continent dulcissimam doctrinam et consolationem piorum, qui non sunt omnino ociosi, sed exercentur aerumnis aliquibus, et petunt a Deo auxilium et consolationem. Ac de argumento tantum.

Laetor, quod exaudit Dominus vocem deprecationum mearum.

Primus versus est propositio et summa negocii. Cum enim sit gratiarum actio, statim incoat eam ab hac sententia: Gaudeo me exaudiri a Deo, Ago gratias Deo me exaudienti. Observandus est enim Ebraismus in verbo translationis usitatae: Dilexi, quoniam exaudiet. Nam vis Ebraicae figurae haec est, Hanc rem mihi ex animo gratulor, hac me consolatione sustento, hac re delector, quod Deus me exaudit.

Dixi autem antea, hanc esse fidei vocem, quae eluctatur ex mediis fluctibus, cum statuit Deum vere velle exaudire et salvare per misericordiam, et sentit nos non debere cedere aut desperare, propterea quod peccata accusant nos, aut deterret nos infirmitas nostra. Contra haec erigamus animos, et sustentemus nos promissione misericordiae. Sic vult Deus invocari, et haec invocatio est verum fidei exercitium, et cultus quem Deus flagitat et in Evangelio requirit. Sic invocat David, pulsus in exilium. Movetur conscientia sui lapsus, deinde ingentium et horribilium scandalorum, quae secuta sunt propter illum lapsum: non potuit niti meritis, sed intuetur promissionem gratuitam remissionis peccatorum. Hac una se erigit et sustentat, accipit remissionem, et expectat veniam ac liberationem. Ita fide eluctatur ex inferis. Talia exempla monstrant veram sententiam horum Psalmorum, prae-

sertim apud pios qui non habent mentes carnali securitate ebrias, sed aliqua certamina experiuntur pavorum et fidei.

Quia inclinat aurem suam mihi, et omnibus diebus invocabo.

Repetitio est superioris sententiae, amplificata effectu: Gaudeo me exaudiri. Iam hic considerent pii, qualis motus sit fides, toties hoc ingeminat: Gaudeo me exaudiri. Inspiciamus autem mentes nostras, et sese interroget unusquisque, an statuat respici suas preces, deinde an in afflictionibus possit se consolari, et concipere levationem et gaudium ex hac spe auxilii divini. Epicureis, Academicis, Sauli, tales consolationes prorsus ignotae sunt. Dubitant, nec invenire Deum possunt, et haec dubitatio auget moerorem, considerant dissimiles aliorum eventus, et iudicant se abiectos esse a Deo, irascuntur dissimilibus iudiciis Dei, extinguuntur dolore. Haec ita geri testatur experientia.

Sed nos discamus hanc dubitationem displicere Deo, et postulare Deum, ut credamus Evangelio promittenti veniam, Et hac fide repugnemus naturali dubitationi, et discamus vere statuere, quod Deus respiciat, recipiat, et exaudiat nostras preces. Sicut et Iacobus dixit: Postulet in fide, nihil haesitans. Et ad Ebraeos: Accedamus cum fiducia. Ita hic adfirmat Propheta exaudiri se: *Inclinat Deus aurem suam mihi.*

Deinde addit de effectu: *Semper invocabo*, quasi dicat, Cum certum sit Deum flagitare hunc cultum, et exaudire invocantes, non desinam praestare hoc officium, non desinam quaerere consolationem, nec desinam celebrare haec beneficia, ac docere de veris cultibus: nam et invocationem et praedicationem complectitur. Et hanc sententiam aliquoties repetet: Credidi, propter quod loquor, invoco, praedico.

Circumdederunt me funes mortis, et angustiae inferni invenerunt me, tribulationem et pavorem inveni.
Et nomen Domini invocabo, obsecro Domine eripe animam meam.

Narratio est addita propositioni, exponens magnitudinem periculi. Estque admodum pathetica, describens non vulgarem agonem animi sentientis iram Dei, ac pene ruentis in aeternam damnationem, sed tamen utcunque se fide et invocatione sustentantis. Non omnium similes sunt luctae, sed tamen omnes pii exercentur aliquibus doloribus in poenitentia. Et accedunt multis non leves morsus diaboli, qui arte novit evertere incautos, et sic infigit dentes virulentos calcaneis piorum, ut vulnera non facile curari possint. Quantum vulnus fecit Adae facinus Cain, praesertim cum cogitaret suum lapsum causam esse talium malorum futurorum. Talis consternatio animi sequitur, cum sentimus ex aliquo nostro peccato aut errore orta esse ingentia publica mala aut scandala, ut ex Monetarii errore orta est seditio Rusticorum. Sic saepe adferunt etiam sanctis horribiles cruciatus, non solum alieni lapsus, sed etiam proprii.

In his doloribus non tantum cruciatur animus conspectu corporalium malorum, sed agnitione irae Dei, aeternae damnationis, cogitat animo ruinas aliorum, et secuturos errores ad posteritatem. Cogitat quam miserum sit, esse vas seu organum irae, non servire generi humano aut Deo ad bona, sed in consiliis, in negociis trahi tanquam quadam tempestate contra Deum, et ad infelicia negocia: sicut Saulis consilia et negocia tandem erant impia et infelicia. Cum haec animus pius aliqua ex parte sibi accidere sentit, hinc oriuntur pavores qui nullis verbis describi possunt, et sunt gustus quidam aeternorum cruciatuum, et fugae aeternae. Hos dolores hic vocat infernum, et funes mortis, quos saepe alias describit, ut in Psalmo: Domine ne in furore tuo arguas me, etc.

Nemo autem potest diu sustinere hos tantos terrores, nisi interim retineat aliquam scintillam fidei, quaerentis promissiones misericordiae, et utcunque gemitu inenarrabili auxilium Dei implorantis. Sic Adam, David non potuissent suas aerumnas tolerare, sed abrupissent vitam, sicut Iudas, Ahitophel et similes. Et quantos existimamus fuisse cruciatus Christi, cum sudaret sanguinem. Tantos motus nemo hominum alius ferre potuisset. Sed tales interim sustentantur, ut dixi, aliquo quamvis obscuro motu fidei luctantis cum pavoribus.

Hanc luctam et invocationem addit hic, et ipsa repetitione modum certaminis aliquo modo significat, quia vices sunt terrorum, et fidei invocantis et quaerentis consolationem. Ideo toties eadem repetit: Invocabo nomen Domini, Obsecro

Domine, eripe animam meam. Ita nos quoque discamus exercere fidem vera invocatione in nostris et communibus periculis, nec succumbamus magnitudini terrorum, quantumvis peccati et infelicitatis moles in animo crescat, tamen sciamus Filium Dei potentiorem esse peccato et inferis, et gratiam exuberare supra peccatum.

Misericors Dominus, et iustus, et Deus noster miseretur.

Custodiens parvulos Dominus, attenuatus sum et sum salvatus.

Haec est ipsa propriissima descriptio luctae, in qua fides repugnat doloribus. Sed fides requirit aliquod verbum et agnitionem misericordiae. Sicut memini in maximis et terribilibus doloribus d. Doctorem Martinum subinde clamantem ingeminasse hanc vocem: Conclusit Deus omnia sub peccatum, ut omnium misereatur. Ita hoc loco David proponit sibi sententiam de misericordia, ut saepe alias in Psalmis, quasi dicat, Etsi ingentibus oneribus peccatorum et periculorum premor, et moles mihi paulatim crescit, tamen his omnibus anteferre debeo misericordiam tuam. Tradidisti promissiones, et precipis ut credamus te velle nobis ignoscere, te velle esse liberatorem a peccato et a morte. Nos non possumus nostra iusticia, nostra sapientia, haec mala excutere. Ideo promisisti nobis Dominum, per quem benedices: Tua dextra nos liberabit ex his malis. Proinde quantacunque sunt peccata mea, non propterea accusabo te mendacii, sed confugiam ad promissiones tuas et his credam, hac fide expectabo mitigationem malorum et liberationem. Es misericors, id est, gratis misericordiam promisisti indignis. Es iustus, verax et servans promissionum tuarum. Deinde eo etiam te iustum praedicamus, quia nos iniustos recipis ac iustos pronuncias. Quo magis apud animum crescit peccatorum sensus et magnitudo, eo magis fugere cupimus. Sed contra nitendum est. Hanc ipsam ob causam quia sumus iniusti, contendamus ad Deum iustum, hoc est, iustificantem.

Deterrent autem animos a Deo, et peccata nostra et calamitates. Utraque res languefacit mentes, quia calamitas videtur testari, quod Deus nos abiecerit, ut infelices pugnae movent Saulem, ut desperet. Sed hic opponit et huic terrori consolationem. Imo calamitas non est testimonium irae et damnationis, sed signum in quo Deus gloriose ostendit potentiam et bonitatem suam. Hoc vult cum ait: Custodit parvulos, calamitosos, non confidentes suis consiliis, opibus ac viribus.

Eodem pertinet quod ait: *Attenuatus sum.* Quanquam in extremas calamitates coniectus sum, sicut alibi inquit: Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me. Haec usitata doctrina Evangelii, omnibus nota esse debet, quod Deus velit nos affligi, non ut perdat, sed ut revocet ac servet. Et tamen adfligi nos oportet, ut discamus, quantum malum sit peccatum. Experimur saevitiam diaboli, mordentis calcaneos Ecclesiae, sicut sauciavit Filium Dei. Sed gloria Dei est, quod interim sustentat nos, et mitigat mala, ac tandem prorsus tollit. Nam mitigatio dum durant, est singulare genus consolationis, de quo Prophetae loquuntur, ut Ierem. 10.: Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. Item: Domine ne in furore tuo, etc. Non est in morte qui memor sit tui, etc.

Revertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus retribuit tibi.

Quia eripuisti animam meam de morte, oculos meos a lacrimis, pedem meum a lapsu.

Ambulabo coram Domino in terra viventium.

Absoluta descriptione luctae, victoria seu liberatio praedicatur, et celebrantur effectus secuturi hanc liberationem. Nam in victoria fides excitatur, haec nova certamina prospicit, et se ad ea praeparat. *Revertere anima in requiem*, id est, quiesce, sis laeta tranquilla, etiamsi impendent minae et pericula, *Quia Dominus retribuit tibi.* Deus est custos, qui tueri solet, qui rursus eripiet ex venturis calamitatibus. Sicut 2. Corinth. 1. dicitur: Responsum mortis in nobis habuimus, ut non simus confidentes in nobis, sed in Deo excitante mortuos, qui ex tanta morte liberavit nos, et liberaturus est. Ut in ocio languescit et extinguitur fides, sicut dicitur, Sedit populus manducare et bibere, et surrexit ludere: ita econtra in certaminibus crescit fides, ut ferre maiores impetus possit. Nam phrasis Ebraica in his verbis, Retribuit tibi Dominus, significat continuum morem liberandi.

Est ergo primus fructus victoriae, hoc incrementum fidei. Alter fructus est, ambulare

coram Domino, id est, venire ad templum Dei, qua figura complectitur totum cultum Dei, omnia officia verae pietatis, quibus glorificatur et celebratur Deus. Propter hanc finalem causam Deus omnia miracula edit, gloriose liberat sanctos, ut conservet Ecclesiam, ut vera doctrina propagari et late spargi possit, ut multi invitentur ad pietatem. Ideo saepissime repetitur haec causa in scripturis, ut: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me. Psalm. 21.: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiae laudabo te. Item: Non mortui laudabunt te Domine. Sic et hoc loco inquit: Quia eripuisti me a morte, ambulabo coram Domino, praestabo tibi veros cultus, invocabo te, praedicabo, agam tibi gratias, obediam, omnibus officiis invitabo alios, ut de agnoscant, et recte colant. Hanc ipsam sententiam aliquoties inculcat in fine huius Psalmi.

Credo, propter quod loquor, ego autem humiliatus sum valde.

Superior pars Psalmi descripsit, et agonem animi luctantis adversus terrores irae Dei et mortis aeternae, et victoriam seu liberationem, cum fides erigens sese verbo, et apprehendens consolationem emergit ex illis fluctibus. Cum his cohaeret et reliqua pars. Nam gratiarum actio amplificata est descriptione effectuum, qui sequuntur victoriam, hoc est, verorum cultuum, de quibus dicere coepit in versu praecedente. Ambulabo coram Domino, id est, praestabo cultus, quibus Deus glorificatur. Hos cultus hic in specie enumerat, et ut coepit, in suo exemplo proponit doctrinam de multis rebus. Recenset ordine qui sint veri cultus, videlicet fides, invocatio, confessio, afflictiones, gratiarum actio, etc. Ita haec pars continet insignes locos doctrinae Evangelii, de fide et de effectibus fidei. Item doctrinam, quae accusat et damnat hypocrisin et fiduciam humanam. Item doctrinam de cruce et afflictionibus. Haec est utilis doctrina et necessaria piis. Quare diligenter considerari debet.

Primum, cum inquit, *Credo, propter quod loquor*, coniunguntur haec duo, fides et invocatio seu confessio quam parit fides, ac utrumque docet, et quid sit fides, et quomodo fieri debeat vera invocatio. Verbum Credo respicit ad ea quae supra dixi, de beneficiis pro quibus gratias agit, videlicet de victoria et liberatione, quod sit exauditus a Deo, et liberatus ex illis terroribus per misericordiam. Estque intelligendum vocabulum de fide, quae statuit se habere Deum placatu seu remittentem peccata, se exaudiri per misericordiam *gratis*. Nec patitur se deterreri conspectu propriae indignitatis, sed magnitudini peccatorum opponit, et antefert misericordiam promissam propter Filium Dei redemtorem generis humani. Haec fides vincit terrores peccati et mortis, et erigit sese, ut ausit accedere ad Deum et invocare, et certo expectat auxilium et liberationem, quare mox addit de invocatione.

Ita hoc uno verbo, Credo, complectitur totam doctrinam de iusticia fidei, quam proprie docet Evangelium, et ostendit, quae res sit fides, de quo necesse est in Ecclesia certo et explicate tradi doctrinam consentientem cum scriptura. Primum ac praecipuum certamen est cum adversariis, quid significet vocabulum fidei. Nam hoc constituto, postea de doctrina facilius conveniri potest. Verum alibi haec tota doctrina de iustificatione integre tradita est, et collecta sunt testimonia, de significatione vocabuli, quod fides in Paulo et reliqua scriptura significet non tantum noticiam historiae, seu professionem religionis, sed proprie et praecipue significet fiduciam misericordiae, hoc est, fiduciam, quae statuit, quod non propter nostram dignitatem, sed propter Christum *gratis* consequamur reconciliationem seu remissionem peccatorum, et vitam aeternam. Nec opus est hic integre repetere materiam toties agitatam.

Sed illis testimoniis addamus et hoc dictum Psalmi: Credo, propter quod loquor. In quo palam est Prophetam loqui, non de ociosa noticia seu professione, sed de fide, quae in vero certamine dimicat cum terroribus, et apprehendit misericordiam propositam in promissionibus. Atque hoc modo percipit consolationem, et vincit terrores. Nam hoc minime obscurum est, talem fidem describi, quae agit aliquid in certamine conscientiae, et apprehendit misericordiam, quam opponit propriae indignitati, et repugnat dubitationi.

Deinde cum paulo ante claris verbis dixerit de misericordia. Misericors Dominus et iustus, et Deus noster miseretur: Non obscure significat, se loqui de fiducia quae nititur gratuita misericordia.

Postremo, quia hic addit de effectu, hoc est, de invocatione, testatur se loqui non de noticia historiae, sed de vera fiducia, quia vera invocatio non potest existere, nisi cum adest fiducia, quae apprehendit misericordiam. Nec dubium est in invocatione requiri hanc fidem, quae sentit Deum velle nobis ignoscere et nos exaudire per misericordiam, propter pontificem et mediatorem Filium suum. Itaque cum coniungantur fides et invocatio, necesse est intelligi fiduciam misericordiae.

Quare diligenter observetur hoc loco verbum Credo, ut admoneat nos de iis, quae sunt praecipua in doctrina de fide. Primum de significatione vocabuli. Est enim testimonium, quod fides vocetur fiducia, non ociosa noticia, et quidem credere non tantum reliquos articulos, sed praecipue hunc quoque, ad quem reliqui referendi sunt, tanquam ad causam finalem. Credo remissionem peccatorum. Secundo, quod haec fides nitatur sola misericordia, nec quaerat dignitatem aut merita propria. Imo, quod necesse sit misericordiam opponere nostrae indignitati. Tertio, quod haec fides proprie pugnare debeat cum dubitatione, ac certo statuere sibi ignosci, se exaudiri, etc. Nam haec tantum fides vincit terrores et desperationem.

Adversarii, cum semel deerrarunt, postea multipliciter hallucinantur. Primum de vocabulo errant. Deinde tantum haerent in noticia historiae, non docent unde petenda sit vere et firma consolatio conscientiarum, quomodo utendum sit Christo, quomodo vincatur dubitatio, imo palam docent esse dubitandum. Ita plane eripiunt conscientiis firmam consolationem, extinguunt fidem et invocationem, ac prorsus abiiciunt praecipuum articulum: Credo remissionem peccatorum, etc. Deinde cum tantum noticiam historiae doceant, transformant Evangelium in doctrinam legis, quae non consolatur conscientias, non reddit certas de remissione peccatorum, sed magis auget terrores.

Nec vero posset existere fiducia misericordiae Dei, nisi promissiones revelatae et traditae essent. Ergo fiducia illa in Patribus oriebatur ex certo verbo, et nitebatur promissio liberatore, sicut Psalmus secundus ait: Osculamini Filium, etc. Beati omnes qui confidunt in eo. Et Esaias inquit: Iniquitates nostras ipse portavit. Ita quoties fit mentio fidei et misericordiae, intueamur promissiones, et nitatur mens mediatore et liberatore Christo Filio Dei. Haec de fide etsi saepe repetuntur, tamen hoc loco commemorari necesse est, ut verbum Credo vere et proprie intelligatur de vera fiducia misericordiae, qua agnoscimus Deum placatum esse, et conscientiae fiunt tranquillae, eriguntur et vivificantur. Nam qui fidem aliter intelligunt in talibus locis scripturae, aut putant sine hac fide, de qua diximus, valere invocationem, aut agnosci Deum, hi prorsus errant, et in densissimis tenebris versantur.

Neque vero intelligi haec doctrina de fide potest, sine veris exercitiis in cruce, et in vera invocatione. Ebria mens voluptatibus et secura, quae non luctatur cum aliquibus pavoribus, nec vere expetit auxilium Dei, non intelligit quid sit fides. Etsi autem multa exempla verorum exercitiorum proponuntur in propheticis et apostolicis scriptis, tamen contemplemur Publicanum Lucae 18. de quo ait Christus: Non audebat oculos in coelum tollere. Hic gestus significat acerrimam pugnam, animi desperabundi et fugitantis Deum. Cum mens vere expavit conspectu peccati, metuit iram Dei, cogitat se abiici, fugit Deum, non audet invocare, nec sperare veniam. In his augustiis revocanda est mens ad promissiones gratiae, sicut exuscitat se ille ipse Publicanus. Erigit se et tandem attollit oculos, audet quaerere Deum, et petere veniam, sicut inquit: Propicius esto mihi peccatori. Ibi cum fides vicit pavores, fit tranquilla conscientia et vivificatur. Talia exempla nobis proponamus, et hos motus nostris exercitiis discamus intelligere. Hactenus dictum est de verbo Credo. Nunc pergamus ad caetera.

Propterea loquor.

Simul hic Invocatio et Confessio comprehenduntur, quia impossibile est haec divellere. Nam invocatio est re ipsa quaedam confessio, sicut experientia testatur. Tres Israëlitae in Babylone, cum nolunt adorare statuam, ostendunt quem cultum probent, aut abominentur. Valentinianus cum in templo daret colaphum sacerdoti aspergenti ipsum lustrali aqua, ostendit se non invocare idola Iuliani imperatoris sui. Certum est igitur haec duo comprehendi, Invocationem et Confessionem. Primum autem de invocatione

dicamus. Haec sine fide non potest fieri, iuxta illud Rom. 10.: Quomodo invocabunt, in quem non credunt? Et Ebraeos 11.: Credere oportet accedentem ad Deum, quod sit, et inquirentes ipsum remuneretur.

Epicureos manifestum est non invocare Deum. Iuxta illud: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Nec Saul invocat, sed fugit Deum, eique irascitur. Nec Academici invocant, id est, homines securi, qualis est maxima pars generis humani, qui dubitant utrum Deus moveatur hominum aerumnis et precibus, et cum precantur, tamen nihil a Deo expectant, non existimant se respici a Deo. Sic maxima pars hominum invocat, nec intelligit hunc cultum damnatum esse. Sed Christus clamitat: Quidquid petieritis credentes. Et Paulus: Orate sine ira et sine haesitatione, id est, non impatienter irascentes Deo, et non diffidentes. Item Iacobus: Postulet autem in fide non haesitans.

In hanc sententiam hic dicitur: *Credo, propterea loquor.* Non sum Epicureus, non sum Academicus, vere statuo esse Deum, et confido eum mihi propicium esse propter Filium suum, quem pro nobis victimam esse voluit. Credo meas preces per hunc pontificem ad ipsum perferri, et accipi. Credo me ei curae esse, et propter Filium me exaudiri. Non fugio eum sicut Saul, etiamsi agnosco meam miseriam, sed obtempero ei, cum iusserit nos credere remissionem peccatorum donandam propter Filium. Cum dico: In te Domine speravi, non confundar, vere et ex animo spero, et expecto consolationem et auxilium a Deo. Hunc scio esse cultum Dei, hoc cultu scio eum delectari, sicut dicitur in Psalmo: Invoca me in die tribulationis, etc. Haec intelligere debemus, et sic in invocatione mentes adfectas esse oportet. Estque haec propria et peculiaris piorum sapientia, ignota mundo.

Huc et caetera, quae de oratione traduntur, accommodanda sunt, quod videlicet pia mens sibi proponere debeat praeceptum de invocatione, deinde et promissiones. Tertio, quod semper adferenda sit haec ipsa fides, quae credit remissionem peccatorum. Quarto, doctrina tenenda est, quas res fides nominatim petere et expectare debeat, quas cum conditione petere debeat, si ita placeat Deo.

Nam ea quae nominatim iussit Deus peti, ut promissiones Evangelii proprias, videlicet de remissione peccatorum, de vita aeterna, de conservatione Ecclesiae, de depulsione blasphemiarum, haec petat et expectet fides sine conditione, quia voluntas Dei iam est expressa.

Sed de cruce in periculis corporalibus, fides in genere statuat, Deo placere invocationem, et non futuram inanem, etsi non illo modo liberamur, quem nos cogitamus, quia Deus vult Ecclesiam subiectam esse cruci, et pendere ex fide, non ex humanis cogitationibus. Et tamen eam exaudit et liberat, sed variis modis, ut Paulus inquit, ad Ephesios 3.: Ei qui potens est super omnia, facere excellentius quam petimus aut cogitamus. Et Psalmo 4.: Scitote quod Dominus mirificat sanctum suum, id est, mirabiliter liberat.

Deus promiserat se servaturum esse regnum David. Petebant igitur Sancti, ne in Babylonem abducerentur: sed tamen addebant conditionem, si ita Deo videretur, et intelligebant requiri obedientiam in cruce. Et tamen norant Deum servaturum esse populum etiam in exilio. Itaque ibi maiori gloria ornantur, quam qualem domui habuerant, et mirabili modo reducuntur.

Ita David exulans petit reductionem, sed cum conditione, si Deo placeat, ac intelligit requiri obedientiam. Interea tamen scit non abiiciendam esse fidem remissionis peccatorum: scit et has preces de reductione Deo placere, et eventuram aliquam mitigationem calamitatis, seu consolationem. Iuxta illud: Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit. Item: Allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos. Item: Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum. Haec doctrina maxime necessaria est in cruce, ne mentes prorsus deficiant a Deo, sed fide expectent ab eo vel liberationem, vel mitigationem calamitatum, sicut orat Ieremias cap. 10.: Castiga me Domine, sed in iudicio, non in furore tuo, ne ad nihilum redigas me.

Dictum est breviter de invocatione. Cum hac coniuncta est confessio, quia invocans praestat aliquos manifestos cultus Deo. In his ostendit, quos cultus, quam doctrinam probet, discedit ab idolatris, adiungit se verae Ecclesiae. Denique necesse est tantos animi motus erumpere. Ideo toties recurrunt hi versiculi. Laudationem Domini loquetur os meum. Item: Confitebor tibi in nationibus, etc.

Quod autem confessio sit necessarius cultus, testatur Christus, inquiens: Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego ipsum coram patre meo coelesti. Et Rom. 10.: Corde creditur ad iusticiam, ore autem fit confessio ad salutem. Quare ingentia peccata sunt, aut palam oppugnare veram doctrinam, aut dissimulata confessione, confirmare furorem hostium Evangelii. Multi qui norunt veritatem, tacent metu potentum, et interim fingunt speciosas causas, cur taceant, aiunt se vereri ne magis exacerbent potentum animos, aut ne plus tumultuum oriatur. Hae sunt frivolae excusationes damnatae *Christi* voce, cum ait: Quem pudet sermonem meorum, Filius hominis confundet eum.

Ego autem humiliatus sum valde.

Exemplum suum proponit adversus scandalum crucis. Mundus enim offenditur calamitatibus piorum, quia ratio iudicat bonis, qui Deo credunt, qui veritatem profitentur, ac Deo serviunt, debere bene esse. Cumque videat pios conflictari asperrimis aerumnis, ex his miseriis iudicat neque doctrinam quam profitentur, neque ipsos Deo placere. Ergo toties ab initio consolatus est Ecclesiam exemplis, et expressis sententiis, in quibus significavit Ecclesiam in hac mortali vita subiectam fore cruci. Hoc prima concio docet: Serpens mordebit calcaneum Ecclesiae. Et mox secuta sunt exempla, ut Abel, Abrahae, Isaac, Iacob, et deinde Prophetarum, ut Esaiae, Ieremiae, et plurimorum aliorum, qui fuerunt lumina Ecclesiae. Ita hic inquit David: *Ego autem humiliatus sum nimis.*

Tyranni ut deleant Evangelium, exercent saevitiam in professores verae doctrinae. Sed haec concio Davidis non tantum de tyrannorum crudelitate intelligatur, sed in universum, de piorum afflictionibus. Diabolus enim insidiatur toti Ecclesiae. Cum Saul extinctus iam non persequeretur Davidem, novas fraudes struit diabolus, Davidem ociosum praecipitat in flagitium, postea oppugnat eum desperatione. Ita nunquam sunt extra periculum sancti. Formidantur supplicia corporis, cum audimus pios interfici, sed multo magis formidare ociosi deberemus insidias diaboli, quia semper quaerit occasiones mordendi calcanei. Et alios aliis modis adoritur.

Intelligatur igitur generaliter dictum Psalmi: *Ego autem humiliatus sum nimis*, quod Ecclesiam oporteat subiectam esse cruci, sive a tyrannis, sive a diabolo oriantur afflictiones, ut morbi, detrimenta facultatum, pavores animi, qualia exempla cernuntur in historia Iob. Huc accedunt singulares pavores, divinitus incussi in poenitentia.

His exercitiis oneratur Ecclesia, ut in eis luceat fides, et exerceatur invocatio. Si enim tantum suaviter viveret caro, non intelligeremus opus esse Dei auxilio, non expectaremus nec peteremus bona a Deo. Vult etiam Deus conspici suam praesentiam et potentiam, cum mirabilibus modis liberat Ecclesiam conflictantem tanta infirmitate, et belligerantem cum potenti ac saevo hoste.

Mira quidem est haec gubernatio Ecclesiae, et abhorrens a iudiciis humanis: ideo multos offendunt scandala crucis, sed tamen pii discant hanc esse voluntatem Dei, ut Ecclesia in hac mortali vita exerceatur, et huic voluntati obtemperandum esse. Hanc voluntatem ostendit Deus in Filio suo, Domino nostro Iesu Christo. Quare Paulus inquit: Oportet nos fieri similes imaginis Filii eius.

Ego dixi in consternatione mea: Omnis homo mendax.

Hic versiculus iam de utilitate afflictionum concionatur. Ideo exercetur caro, ut videamus nos, cum sumus ociosi et securi, habere fiduciam nostri, delectari nostra sapientia, nostris donis aliis. Haec cum excutiuntur, videmus nos eis abusos esse, habuisse vanam fiduciam aversam a Deo, fuisse negligentiores, non timuisse Deum, sine fiducia Dei quaesivisse humana consilia et praesidia. Haec agnoscuntur in afflictionibus.

Ideo Propheta inquit, se in pavoribus qui accedunt ad omnis generis adflictiones, didicisse hanc doctrinam de infirmitate humana. *Omnis homo mendax*, id est, non recte sentiens de Deo, sine vehementi timore, sine ardenti fide, dubitans, fugitans Deum, quaerens humana praesidia, voluptates contra mandatum Dei, non ardenter invocans Deum, non expectans auxilium, fremens impatientia in cruce, non satis obedienter ferens afflictiones, expetens vindictam, humanam gloriam, concipiens flammas amorum vel odiorum contra voluntatem Dei. Haec et similia

omnia complectitur, accusans omnes homines mendacii, quae vitia securi non vident, nec deplorant, sed pii in afflictionibus magis magisque agnoscunt ea, et admoniti expavescunt, humiliantur, petunt condonationem, et erigunt fide perterrefactas mentes. Ita simul crescunt poenitentia et fides.

Huius utilissimae doctrinae exemplum proponit, cum de se ipso concionatur, ait sese exerceri duris afflictionibus, et in his agnoscere infirmitatem, non tantum suam, sed omnium hominum, id est, totius naturae hominum corruptae.

Tradit igitur doctrinam quam in Ecclesia extare necesse est, de infirmitate Sanctorum, videlicet quod maneant peccata in Sanctis in hac mortali vita. De hoc loco saepe concionantur Prophetae et Apostoli, ut Psalmo 142.: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et 1. Ioh. 1.: Si dixerimus, quod peccatum non habeamus, nos ipsos seducimus, etc.

Haec necesse est in Ecclesia inculcari, propter utrosque, videlicet propter securos seu superbos, et propter pavidos. Nam hypocrisis castigatur, et damnatur humana fiducia, cum audimus nos vere peccatum habere, nec iustos seu acceptos esse Deo, propter nostras virtutes.

Paulus inquit: Video aliam legem in membris meis, militantem contra legem mentis meae, et captivantem me legi peccati. Usus est Apostolus illustri metaphora, et significantibus verbis, ut errorem hypocritarum taxaret, qui suas virtutes et facta valde admirantur, seque efferunt, induunt securitatem et superbiam, quia imaginantur se nihil habere vitii, se mundos esse ac iustos coram Deo propter sua facta.

Huic coecitati opponit Paulus hanc concionem, vocat peccatum haerens in carne, legem membrorum, hoc est, non rem ociosam, sed habentem acres stimulos et motus, deinde addit: Militantem contra legem mentis. Non igitur cessat haec labes, nec est extincta, sed hostili more grassatur, ut avertat mentes a Deo: tandem vocat et captivantem, sicut saepe horribiliter impingunt Sancti ex infirmitate et ignorantes. Item diu luctantur in pavoribus cum desperatione. Moysen tenebat captivum infirmitas ad petram, cum dubitaret, etsi iussus erat a Deo, aquam ex petra elicere.

Interdum impelluntur Sancti ad horrendos lapsus contra conscientiam, qui excutiunt fidem, ut, David impulsus est ad adulterium. Sunt igitur saevi et acres motus peccati haerentis adhuc in carne. Hanc imbecillitatem securi agnoscunt, ac deponant fiduciam iusticiae, et expavescentes petant condonationem, ac discant, homines tantum per misericordiam iustos, id est, Deo acceptos esse.

Rursus pavidi teneant hanc consolationem, sciant Deum veracem esse, ac vere postulare, ut statuamus nos iustos esse per misericordiam fide in Christum, non propter nostram dignitatem. Nec deterreamur ab hac consolatione, etiamsi infirmitas nostra multis modis oppugnatur, haerent vitia non levia in carnali natura, ut dictum est, Vexamur morbis, inopia, fame, bellis, et aliis ingentibus calamitatibus, quas nemo recensere potest, ut, David filius interficit fratrem, movet seditionem adversus parentem. Talia cum incurrunt in oculos, movent animos etiam Sanctorum, ut cogitent se abiectos esse a Deo, sicut in Psalmis saepe dicitur. Ut Psal. 29.: Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus. Ad te Domine clamabo, et ad Deum meum deprecabor. Quae utilitas in sanguine meo, etc.

In his durissimis luctis haec praecipua consolatio est, scire quod vere praeceperit Deus, ut credamus nos placere per misericordiam propter Filium Dei, etiamsi premimur infirmitate, aut ingentibus calamitatibus.

Ita Paulus Rom. 6. ait: Nos simul sepultos esse cum Christo. Iacemus obruti mole afflictionum et ingenti infirmitate, perinde ut cum in sepulcro iaceret mortuum corpus corpus Christi, nan conspiciebantur eius vita et gloria: sed tamen interim Deus respicit, servat nos, et suo tempore ornabit nos gloria. Paulus significat sepulturam Christi esse imaginem vitae infirmae et adflictae Sanctorum. Quare in hoc typo nos contemplemur, et discamus infirmo et adflictos non esse abiectos a Deo, modo ut fide, hoc est, fiducia misericordiae promissae propter Filium, nos sustentemus.

Sed magnae est naturae humanae contumacia, blandimur nostris vitiis, quaerimus praesidia contra voluntatem Dei, fremunt animi calamitatibus et irascuntur Deo, indignantur melius esse Tyrannis et Epicureis, quam invocantibus

Deum. Haec omnia complectitur hic David inquiens: Omnis homo mendax, id est, non recte sentiens de Deo, non vere obediens, irascens Deo, diffidens etc. Et in hac confessione peccati, ipse intuetur misericordiam, et scit se habere Deum propicium, propter promissum liberatorem. Hactenus dixit de primis cultibus, de fide, invocatione, praedicatione, cruce, agnitione peccati. Horum locorum cognitio quam sit necessaria piis, et quam suaviter in hoc exemplo Psalmi hae res maximae proponantur, diligenter cogitandum est. Nunc tantum addit repetitiones superiorum quorundam membrorum.

Quid reddam Domino, pro omnibus beneficiis erga me.

Calicem salutarem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Non dubium est, interrogationem, *Quid reddam*, opponi duabus rebus, ceremoniis, et generaliter fiduciae meritorum, quasi dicat, Alii mactant greges taurorum, aedificant templa, instituunt ieiunia, et similes ceremonias. Sed tu requiris alia maiora munera, invocationem, confessionem, praedicationem, crucem. Ideo proximus versus in hanc sententiam respondet interrogationi.

Altera antithesis taxat arrogantiam illorum qui iactant merita, quasi dicat, Accepi ingentia beneficia, vocatus sum ad agnitionem Dei et Filii eius, donatus sum haereditate vitae aeternae, defendor et gubernor divinitus. Haec tanta dona non sum meritus meis virtutibus, sed agnosco me debitorem esse Deo, sicut Paulus inquit: Quis prior dedit illi. Nec post acceptum munus compensatio ulla par est. Exclamat igitur: *Quid reddam*, quasi dicat, summa beneficia donata sunt immerenti, nec nunc habeo compensationem. Quod munus Deo reddi potest, pro Filio misso, pro sublata morte aeterna, profutura societate coelestis vitae? Quanquam autem par gratia nulla reddi potest, tamen Deus requirit quoddam debitum officium, scilicet, ut celebremus haec beneficia, et alios invitemus ad Dei agnitionem, et ad accipienda haec beneficia, sicut Petrus inquit: Vocati e tenebris ad admirandum lumen, ut virtutes eius, id est, gloriosa beneficia enarretis. Hanc gratiam Deo poscit aliorum causa, ut plures salventur.

Inquit igitur David, se aliquam gratiam redditurum esse. *Calicem salutarem accipiam, et nomen Domini invocabo.* Constat esse phrasin Ebraicam, Calicem salutarem accipiam. Et quia figura non fuit intellecta, versiculus inepte detortus est ad poculum in Coena Domini, cum de eo poculo hic non dicatur. Sed crebro offert se haec metaphora in Prophetis, ubi calix significat suam cuiusque portionem, seu bonam seu malam. Quare et hoc loco sic intelligatur. Calicem salutarem accipiam, id est, hanc ducam esse praecipuam portionem, qua maxime fruar et delectabor, et quae mihi una erit salutaris, videlicet hic cultus invocandi Dei, et praedicandae verae doctrinae, quasi dicat, relinquam alias portiones aliis fruendas. Habeat Saul regnum, habeant opes et imperia tyranni. Ego hanc portionem mihi salutarem esse duco, invocare et praedicare nomen Dei. Sicut Psalm. 118. dicitur: Portio mea Domine, dixi custodiam legem tuam, id est, hanc ducam esse praecipuam meam portionem, qua maxime fruar, profiteri veram doctrinam.

Conferenda est igitur antithesis, ut intelligatur versiculus, opponenda Sanctorum portio, iis rebus quas impetunt impii et tyranni. Et discrimen observandum est, quod hic traditur. Haec una portio invocandi Dei et praedicandae verae doctrinae, est salutaris: impiorum portiones non sunt salutares, sed species longe alia est. Nam qui praedicant veram doctrinam, exercentur adflictionibus omnis generis, oppugnantur a diabolo, trucidantur a tyrannis. Hae calamitates certe in speciem non videntur salutaris portio. Sed credentes norunt ex verbo Dei, has aerumnas esse obedientiam Deo placentem, in qua Deus vult exerceri, lucere et conspici fidem et confessionem nostram, norunt item, post has aerumnas secuturam esse aeternam gloriam. Ideo fides intelligit haec certamina salutaria esse. Quod autem dicit, *Invocabo nomen Domini*, complectitur invocationem Dei, confessionem et praedicationem verae doctrinae, quia haec opera reipsa cohaerent, ut supra dictum est, quia invocantes est necesse ostendere quid sentiant, quos cultus approbent.

Recitavi enarrationem huius versiculi, quam eruditi iudicant maxime grammaticam esse, videlicet si prius comma iungatur posteriori, tanquam expositio, Invocabo Deum, et praedicabo veram doctrinam, Haec opera erunt mihi calix

salutaris, id est, portio praecipue expetenda, atque ita calix generaliter de bona portione accipiendus erit. Alii discernunt commata, et duas res significari volunt: calicem intelligunt afflictiones. Nec male cohaerent ita caeteri versiculi. Quid reddam? Sustinebo ingenti animo afflictiones, non defugiam certamina et pericula, et in his invocabo Deum, ac propagabo veram doctrinam.

Vota mea Domino reddam coram omni populo eius.

Preciosa in conspectu Domini, mors Sanctorum eius.

Iterum coniungit confessionem et crucem. *Vota reddam Domino*, id est, cultum Deo debitum. Nam vota generaliter significant gratiarum actionem, quae complectitur omnes debitos, id est, veros cultus. Invocationem, confessionem, propagationem doctrinae, obedientiam in afflictionibus, in confessione. Hic opus est sanctis consolatione. Ideo sequitur: *Preciosa in conspectu Domini, mors sanctorum eius.*

Hoc est egregium dictum, quod de multis magnis rebus nos docet. Primum testatur Ecclesiam Dei subiectam esse cruci et afflictionibus, discernit Ecclesiam ab imperiis mundi et tyrannis, quasi dicat, grassabuntur tyranni et imperia in Ecclesiam, quae erit exigua et imbecillis, Sancti interficientur, Erunt imperia et opes penes impios. Sed hac re frangi non debet Ecclesia, quia etiam moriens Deo curae est. Imo etiam haec mors preciosa est coram Deo, id est, Deus iudicat hoc officium singularem et eximium cultum esse, ut postea dicitur.

Secundo, hic locus est illustre testimonium de vita futura post mortem corporis, quia cum mors sanctorum sit preciosa coram Deo, necesse est sanctos in morte Deo curae esse, nec penitus extinctos esse. Quid boni adferret eis mors, si prorsus interirent et non revicturi essent. Frustra diceretur mors preciosa esse, esse si ipsis morientibus nihil accederet boni.

Deinde etiam testimonium est de iudicio post hanc vitam, quia enim mors sanctorum est preciosa, discernit Deus in morte sanctos a tyrannis et impiis. Sanctorum mors est preciosa, id est, sancti in morte ornabuntur gloria: ergo tyranni dabunt poenas. Diligenter igitur hoc testimonium infigamus animis, ut confirmet sententiam de vita futura, et admoneat nos de futuro iudicio.

Tertio proponit dulcissimam consolationem in genere, de morte, et omnibus afflictionibus sanctorum. Non solum significat, non abiectos esse sanctos, aut extinctos in morte, sed etiam hoc officium Deo placere et rem gloriosam esse, sicut Paulus inquit Rom. 5.: Gloriamur in afflictionibus, id est, ducimus eas esse res gloriosas, Deo placentes, quas Deus postea ornabit gloria. Haec sapientia, ut saepe dictum est in Psalmis, dissidet ab omnibus humanis iudiciis, et tantum est sapientia Evangelii. Omnes homines iudicio rationis in calamitatibus disputant se negligi a Deo, non exaudiri, non sublevari. Nec ulla doctrina est praeter Evangelium, quae adfirmet calamitosos non esse abiectos a Deo. Ideo scriptum est: Qui sanat contritos corde. Tantum illi qui norunt Evangelium de Filio Dei, de peccato, de morte, de liberatione a peccato et a morte, invocant et adorant hunc Deum patrem liberatoris nostri Iesu Christi, exaudientem afflictos. Ignari Evangelii non possunt invocare Deum, sanantem contritos, non credunt exaudiri ac recipi afflictos.

Quare haec peculiaris sapientia Evangelii discenda est, et prudenter discernenda a iudiciis humanis, quae quidem, cum sola sit vera et firma consolatio piorum, semper nobis in conspectu esse debet, semper hac doctrina admoniti discamus invocare Deum in afflictionibus, et ab eo expectare auxilium. Et sciamus hunc cultum praecipue flagitari, sciamus hunc honorem Deo a sola Ecclesia tribui. Facile est autem magnifice loqui de hac doctrina, cum mens est ociosa. Sed quantum exercitium fidei sit, non intelligitur, nisi cum in afflictionibus vere confugimus ad Deum, et in invocatione fidem exercemus.

Quare meminerimus hoc dictum: *Preciosa mors sanctorum*, Preciosae afflictiones, quia Deo placent, et in his Deus exercet fidem nostram, vult invocari et glorificari. Ideo adfligimur, ut ab ipso auxilium postulemus, et agnoscamus eum nobis adesse, et ostendere suam praesentiam et potentiam, cum mirabiliter nos liberat, sicut inquit Psalmus: Scitote quod mirificat Deus sanctum suum, id est, mirabilibus modis liberat et servat. Sciamus autem in his certaminibus, non

dimicare nos cum carne et sanguine tantum, sed cum diabolo. Nec sumus soli in his praeliis. Sed iuvamur a Filio Dei, qui destruit opera diaboli. Ac ob eam causam Ecclesia est infirma, quia Deus vult victorias Filii sui gloriosas esse, vincentis diabolum per infirmos et afflictos.

Quarto, Preciosa est mors sanctorum, quia afflictiones et mors sanctorum sunt praecipua sacrificia et cultus Dei, cum videlicet accedunt fides, invocatio, confessio, sicut Psalmus inquit: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, etc. Item Psalm. 43.: Propter te mactamur tota die. Quia enim Deus subiecit Ecclesiam cruci et afflictionibus: ideo hanc obedientiam ornat et magnifacit, vocat sacrificia, et testatur se honore affici, cum sustinemus afflictiones, seu propter confessionem, seu alioqui iuxta invocationem: sicut hos cultus cernimus praestitisse Filium Dei, et Patres, Prophetas ac Apostolos. Oportet enim Ecclesiam similem esse imaginis Filii Dei, sicut Paulus inquit: Una glorificabimur, si tamen etiam una affligemur. Quare sicut in hoc Psalmo dictum est: Preciosa mors sanctorum coram Deo, sic 72. dicitur: Preciosus sanguis eorum coram eo.

Hi loci totam doctrinam Evangelii de cruce seu afflictionibus continent, quare lector animo repetat caetera quae de cruce dicuntur, colligat utiles sententias, quae praecipiunt de hac obedientia, et iubent addi invocationem Dei, et expectationem auxilii. Quales sunt hae gnomae, 1. Pet. ult.: Humiliamini sub potenti manu Dei, et omnem curam in eum reiicite, quasi dicat, cum aerumnae vos opprimunt, non fit hoc casu, sed fit potenti manu Dei. Non existimate casu vos affligi, aut Deo non esse curae vestras aerumnas. Imo Dei manu vos premit, quae quidem est potens, et ad securos evertendos et ad sustentandos, ac erigendos miseros. Obtemperate igitur, et obedientiam Deo praestate. Deinde non existimate vos reiectos esse, sed scitote Deo placere hos cultus, addite invocationem, petite auxilium a Deo. Ideo addit: *Curam in eum reiicite.*

Idem dulcissime traditur Psalmo 37.: Subditus esto Deo, et spera in eum. Prima particula postulat obedientiam, Subditus esto, seu ut Ebraice legitur, Taceas Domino, id est, obedias Deo, non irascaris ei, non fugias eum indignabundus, non quaeras praesidia contra mandatum Dei, sicut Saul iratus Deo, fugit et deserit eum, ac petit auxilium a diabolo. Hos furores quibus agitantur impatientes prohibet, cum ait: Subditus esto, seu taceas Deo. Nec tamen satis est tacere, sed accedat invocatio Dei et expectatio auxilii divini. Ideo addit: Et spera in eum, id est, pete, expecta auxilium a Deo. Hae sententiae et similes semper in conspectu nobis esse debent, ut regant omnia nostra pericula et mitigent aerumnas.

Obsecro Domine, quia ego sum servus tuus.

Ego sum servus tuus, et filius ancillae tuae, dirupisti vincula mea.

Psalmus est imago credentis, qui commemoravit prius afflictiones quae sequuntur invocationem, confessionem et praedicationem, adiecit etiam sententiam, quid de Cruce sentiendum sit. Nunc pergit agere gratias de liberatione, etsi misceri sciamus petitionem et gratiarum actionem.

Porro cum inquit, *Ego sum servus tuus*, duo argumenta complectitur. Alterum, cum tibi serviam, et desertus sum a mundo, et me oderunt, ac delere conantur principes sapientes. Petit igitur auxilium a Deo, tanquam omnibus humanis praesidiis spoliatus. Sicut Psalmus 24. ait: Respice in me et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego. Item 26.: Pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me.

Alterum argumentum est a gloria Dei et promissionibus sumtum, quasi dicat, Tuae gloriae interest, ne deleatur Ecclesia. Defendas igitur servum tuum, ut conspiciatur tua gloria, quod vere hic coetus tuum verbum profiteatur. Item, ne hostes victores extinguant tuum verbum, penitus deleant Ecclesiam. Sic orat saepe, ut Psal. 78.: Adiuva nos Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui libera nos, et propicius esto peccatis nostris, propter nomen tuum, ne dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum?

Simul etiam de promissionibus eum admonet: Pollicitus es auxilium servis tuis invocantibus te. Sicut inquit Psalm. 144.: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Item Psalm. 24.: Universi qui expectant te, non confundentur. Et Naum primo: Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis, et agnoscens sperantes in ipsum. De talibus promissionibus admoneamus nos ipsos, cum petimus, ut Deus nos adiuvet, tanquam servos suos quibus auxilium et liberationem pollicitus est. Et quidem vult

coli, hac invocatione, ac petitione et expectatione auxilii. Ideo toties ingeminat eadem verba: *Ego servus tuus, et filius ancillae tuae*, id est, servus, seu filius tuae Ecclesiae, desertus a mundo, sustinens aerumnas, in quibus si triumphabunt hostes tui, delebunt tuum verbum et populum. Defendas igitur servum tuum, propter tuam gloriam, iuxta tuas promissiones.

Dirupisti vincula mea.

Agit gratias pro dato beneficio, et simul petit liberationem in futuris periculis. Sunt enim perpetua pericula, et Ebraica phrasis apta est ad significandam hanc continuitatem. Tu qui soles liberare, etiam postea me eripies.

Vincula autem vocat, omnis generis pericula, et insidias diaboli, qui non tantum ita grassatur, ut tyrannos impellat ad interficiendos pios, sed multo magis conatur qualibuscunque fraudibus, qualicunque sophistica doctrinam ipsam coelestem obruere. Nec possunt hi laquei enumerari: sed pios in ipsis negociis oportet intentos esse, sicut Christus iubet prudentes esse, sine cupiditate nocendi: Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.

Tibi sacrificabo sacrificium laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo eius, in atriis domus Domini, etc.

Posterior particula expositive adiicitur, ut saepe fit in Psalmis. *Sacrificabo sacrificium laudis, vota reddam*: id vero est nomen Domini invocare. Repetit argumentum, quod toties inculcat de sua gratitudine. Ait se redditurum Deo quoddam officium, quo ostendit gratitudinem. Id vocat sacrificium laudis, ut saepe alias, quod complectitur haec omnia, videlicet fidem, invocationem, gratiarum actionem, confessionem et praedicationem verae doctrinae iuxta vocationem, obedientiam in afflictionibus, quae confessionem sequuntur, diligentiam cavendi scandala, ne doctrina propter nos male audiat.

Ideo in altero versu addit: *Reddam vota coram omni populo eius.* Item: *In atriis domus Domini, in medio Ierusalem.* Horum sacrificiorum et huius obedientiae finis sit, ut Ecclesia confirmetur, ut plurimi invitentur ad agnoscendum verbum Dei, ad timorem Dei, ad veram fidem, non deterreantur scandalis, non seducantur dissimulatione verae sententiae. Hic scopus sit propositus piis in confessione et omni vita, sicut Christus inquit: Luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificetur pater vester coelestis.

Ut autem saepe alias Propheta discernit sacrificia a ceremoniis, et taxat hypocritarum opinionem de sacrificiis, ita et in hoc versiculo antithesis cogitanda est. Sacrificabo, inquit, non mactatione pecudum, sed sacrificio laudis. Sicut Christus inquit: Veri adoratores adorabunt patrem in Spiritu et veritate. Spiritu, id est, motibus spiritualibus cordis. Veritate, id est, iuxta verbum Dei, non commentitiis cultibus et ἐθελοθρησκείαις. Sed praestabunt sacrificia, motibus cordis, quae verbum Dei requirit et adprobat.

Prodest autem multis de causis recte tenere totam sacrificiorum descriptionem, quia nulla est maior laus operum, quam cum vocantur sacrificia, nulla maior laus hominum, quam quod sumus Dei sacerdotes, et quod dicimur Deo sacrificare, nulla maior consolatio in omnibus afflictionibus, in tota vita, quam quod omnes aerumnae nostrae ornantur a Deo hac laude, quod sint sacrificia. Ideo addam descriptionem et distinctionem sacrificiorum.

Certum est duplicia opera mandata esse a Deo. Alia sunt signa addita promissionibus, per quae vult suam voluntatem erga nos agnosci, et, ut crasse dicamus, aliquid nobis largiri. Haec vocantur Sacramenta, ut in novo Testamento, Baptismus est opus divinitus ordinatum, per quod nos Deus recipit, et vult id opus nobis testimonium esse, quod testetur nos in gratiam recipi, et salvandos esse. Hoc opus est nota promissionis, et amissa promissione est irritum et inane signum. Ut Iudaei aut Turci retinent circumcisionem sine promissione: id opus non est Sacramentum, sed spectaculum, quod Deus aspernatur. Quare principaliter in Baptismo et Coena Domini intueri promissionem debemus.

De Sacrificio.

Sacrificium vero est opus a Deo mandatum, quod nos Deo reddimus, ut ipsum honore afficiamus, hoc est, ut testemur hunc Deum, quem nos invocamus, vere esse Deum, conditorem omnium rerum, et recipientem, exaudientem, et salvantem nos, ac debere ei hanc obedientiam,

et invitamus alios hoc testimonio, ut hunc Deum agnoscant, invocent, et ei obediant.

Haec est generis definitio, quae ex dictis propheticis et apostolicis collecta est. Primum enim opera non mandata a Deo, non esse sacrificia testatur Christus inquiens: Frustra colunt me mandatis hominum.

Deinde finem esse talium operum, ut testemur hunc Deum quem nos invocamus, vere esse Deum, et alios invitemus, docet dictum Christi: Luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificetur pater vester coelestis. Sed nemo hanc definitionem deprehendet, aut labefactare poterit. Species iam quaerendae sunt.

Nihil dubium est, duas tantum species praecipuas esse, scilicet Propiciatorium et Eucharisticon.

Est autem Propiciatorium opus Deo placens, quod aliis remissionem peccatorum meretur. Tale est tantum unicum Christi sacrificium, id est, mors Christi cum tota eius obedientia. Etsi autem quaedam Leviticae ceremoniae vocantur propiciatoria sacrificia, tamen nullum est vere propiciatorium, quod aliis coram Deo mereatur remissionem peccatorum, nisi solum Christi sacrificium, ut clare testatur Epistola ad Ebraeos: Impossibile est sanguine taurorum et hircorum tolli peccata. Sed Levitici ritus habebant hanc adpellationem, tantum velut typi propter significationem, quibus quomodo fuerit utendum, postea dicam.

Sic et in Psal. 37. inquit Christus: Sacrificium et oblationem noluisti, In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, Volui, et lex tua in medio cordis mei. Et Esaias inquit: Quia ponet animam suam hostiam pro peccato, videbit semen longaevum. Hic Propheta brevi dicto testatur, hostiis Leviticis non esse abolitum peccatum. Sed restare hanc unam hostiam, quae abolitura erat peccatum.

Eadem est sententia dicti Iohannis: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Vocat enim agnum, quia est victima, et nominat Agnum Dei, id est, et missum a Deo, et Deo placentem, et consecratum a Deo proprie ad abolendum peccatum. Nam caeterae victimae nec missae sunt a Deo, nec ad abolendum peccatum consecratae, nec per se placentes Deo, sed fuerunt umbrae et res destinatae ad pascendos sacerdotes. Erant igitur typi, et sacerdotum agni. At hic Agnus a Deo missus et consecratus est ad abolendum peccatum. Significat igitur Iohannes non esse abolitum peccatum victimis Leviticis. Sed hoc tribuendum esse huic uni victimae, Filio Dei. Estque in hoc quamvis brevi dicto summa Evangelii, et dulcissima consolatio proposita.

Nec adprobat Deus sacrificia sine cultu mentis, sed requirit talia sacrificia, in quibus ipse agnoscitur, invocatur, praedicatur, et in quibus ipsi obedientia praestatur. Ideo Paulus iubet offerri λογικὰ sacrificia, id est, mentis, quae Deum intuetur, invocat, praestat Deo obedientiam. Tale fuit Christi sacrificium, sicut Psalmus inquit: Lex tua in medio cordis mei. Et Ebrae. 5.: Offerens cum clamore valido et lacrimis, et exauditus est propter suam reverentiam, id est, obedientiam. Item cap. 10.: In qua voluntate sanctificati sumus. Ideo fit ipse Christus pontifex, et suum sacrificium applicat, et pro nobis intercedit. Iohan. 17.: Pro eis ego sanctifico me, ut et ipsi sint sancti in veritate, Rogo autem non pro eis tantum, sed pro credituris per verbum eorum in me.

Quanquam autem tantum unicum est vere propiciatorium sacrificium, tamen hominum coecitas prona ad superstitionem et falsos cultus, et magnifaciens sua opera, solet hunc honorem tribuere omnis generis operibus: quia pendere ex solo verbo, et manere in fide, nec colligere merita incurrentia in oculos, res est difficilima humanae infirmitati. Ratio enim admiratur iusticiam propriam, disputat iuxta legem, Deo satisfaciendum esse. Paulus et has ipsas persuasiones, et impios cultus vocat peccata, quae lege excitantur.

Hinc tantum est bellum Prophetis cum populo Israël, qui ceremonias fingebat esse sacrificia propiciatoria, mereri remissionem peccatorum, et omnia bona: et hac opinione cumulabat ceremonias, imo fingebat etiam novos cultus, et ut videretur insignia et dura opera facere, decurrebat in magnis periculis ad humanas hostias. Has horrendas superstitiones toties severissime taxant Prophetae, ut Psalmo 49.: Non arguam te de sacrificiis. Et Esaiae 1. ac Ieremiae 7.: Non praecipi de holocaustomatis. Docebant Prophetae alium usum ceremoniarum, de quo postea dicemus, et monstrabant verum sacrificium, scilicet promissam victimam, et proponebant doctrinam

de fide. Nec levia pericula pariebat eis reprehensio publici erroris.

Ut autem in populo Israël haerebat hic error, ita multo magis tenebat gentium mentes fascinatas: sic et Ecclesiam post Apostolos tenebrae obruerunt, Obscuratum est sacrificium Christi, et amissa doctrina de fide, receptae sunt stultae satisfactiones pro peccatis, excogitati monachatus, et castigationes, quas iudicabant esse sacrificia pro peccatis, id est, mereri remissionem peccatorum. Sed omnia vicit error de Missa, qua dicebant ex opere operato facientem sibi et aliis mereri remissionem. Nec minus tribuebant huic oblationi sacerdotis, quam oblationi Christi.

Hanc prodigiosam impietatem taxari et damnari in Ecclesia necesse est, sicut Psalmus 49. totum genus humanum in iudicium vocat, ut hunc universalem errorem omnium gentium et temporum clare et cum magna severitate improbet: Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram. A Solis ortu usque ad occasum. Advocavit coelum desursum, et terram deorsum, ut iudicet seu accuset populum suum. Hoc tam grandi exordio usus est Propheta, ut admoneat auditorem, non de levi causa proponi concionem, sed reprehendi magnum et horribilem errorem. Quare hanc regulam teneamus, tantum unicum fuisse sacrificium vere propiciatorium, scilicet mortem et afflictiones Filii Dei. Iam de altera specie dicam.

Altera species sacrificium εὐχαριστικὸν, id est, opus mandatum a Deo, factum a iusto vera fide, non ut mereatur remissionem peccatorum, seu culpae, sed ut praestet Deo obedientiam debitam, ac testetur nos agnoscere hunc vere Deum esse, quem invocamus et sic colimus, ac invitet alios: quod quidem ita placet, cum prius statuimus nos placere Deo propter Christi sacrificium, et placere hanc quanquam imperfectam obedientiam, propter mediatorem Christum interpellantem pro nobis, et nostra sacrificia offerentem patri, sicut Petrus docet, 1. Petr. 2.: Estis sacerdotium sanctum, ut offeratis hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum.

Haec definitio diligenter tenenda est, tum ut finem bonorum operum, tum ut dignitatem eorum magis intelligamus. Non sit finis, ut mereantur remissionem peccatorum, et deleant gloriam sacrificii Christi. Sed ut accepta reconciliatione propter aliam victimam praestantiorem, postea celebremus Deum, nos ipsos exuscitemus, ut in talibus exercitiis fides luceat et crescat, item invitemus alios nostris piis exemplis et officiis.

Deinde magna dignitas est bonorum operum, tribui eis a Deo hanc summam laudem, quod sint res, per quas Deus testatur se honore affici, se agnosci, sibi tribui honorem divinitatis. Item, quod noster pontifex Christus perferat ea ad patrem, ut sint odor gratus patri, sicut in Genesi dicitur cap. 8.: Odoratus est Dominus odorem suavitatis, id est, recepit, adprobavit Nohae et Ecclesiam quae apud eum fuit, quae praedicavit promissionem datam Patribus, et ingentia beneficia per ipsum data, per quae conservaretur ad posteros Ecclesia.

Itaque singuli pii semper habent duo sacrificia: alterum alienum, alterum proprium. Primum est praecipuum, scilicet Christi sacrificium: id fit nostrum fide adplicatum. Singuli enim statuere debemus, nos propter Filium Dei recipi in gratiam, exaudiri et salvari. Et id sacrificium semper in omni invocatione Deo proponi debet, per Filium Dei, tanquam mediatorem, accedendum ad Deum, sicut Rom. 5. dicitur: Iustificati fide pacem habemus per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem et accessum habemus in gratiam hanc, in qua stamus et gloriamur. Et Ebraeos 4.: Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiae, ut accipiamus misericordiam, habentes talem pontificem.

Quare hoc sacrificium, etsi est unius Christi opus, tamen fide statuamus nobis donari, et fieri nostrum, sicut Christus nostra causa factus victima, sese pro nobis obtulit patri. Quanquam enim huius sacrificii dignitas et meritum soli Christo tribuendum est, tamen eius utilitas ad nos redit, et donatione vere fit nostrum, si tamen fide accipimus.

Sed habent pii et proprium sacrificium, ut dixi, εὐχαριστικὸν, quod quidem tum primum vere praestatur, et Deo placet, postquam Christi sacrificium fide apprehenderunt, et statuunt se receptos esse a Deo propter victimam Christum, et placere etiam illam obedientiam, propter eundem mediatorem et pontificem interpellantem pro nobis,

Haec species sacrificii complectitur omnia opera et cultus, qui habent mandatum Dei, et fiunt a piis seu credentibus, hoc fine, ut testentur

se agnoscere Deum, et gratias agere pro acceptis beneficiis, et ut vicissim ei praestent obedientiam debitam. Itaque Eucharistica sacrificia vocamus, universam obedientiam et bona opera piorum, qui iam sunt iusti, id est, accepti Deo propter Christum, videlicet fidem, invocationem, confessionem, gratiarum actionem, de quibus audimus concionari Psalmum.

Quare universa vita Christiana est perpetuum sacrificium *εὐχαριστικὸν*, in qua lucere et conspici debet agnitio Dei, et obedientia erga Deum, et perpetua celebratio beneficiorum Dei. Sicut hic Psalmus profitetur, se redditurum vota, id est, acturum gratias, celebraturum Dei beneficia, ut innotescat bonitas Dei, et alii invitentur ad agnoscendum hunc Deum, et praestandos veros cultus, etc.

Semper autem tenendum est de hoc genere sacrificii, quod supra dictum est, considerandae sunt causae, videlicet, ut sint opera a Deo mandata, et fiant iusto seu debito fine, ne putemus ea mereri remissionem peccati seu culpae, sed ut Deo praestetur obedientia debita, et quod non placeant, nisi in iis, qui credunt se propter Christum recipi in gratiam, et consequi remissionem peccatorum. Ideo in genere de Ceremoniis teneatur regula, quod opera traditionum humanarum, seu cultus qui fiunt sine mandato Dei, non sint sacrificia aut opera placentia Deo, iuxta illud: Frustra colunt me mandatis hominum. Deinde et hoc sciendum est, quod ne illa quidem opera quae habent mandatum Dei, facta a nobis, sint eiusmodi sacrificia, quae mereantur remissionem peccatorum.

Ex his facile est iudicare, quid sentiendum sit de Leviticis ceremoniis, quae etsi erant opera mandata a Deo praestanda illi populo, et in his quaedam vocabatur Propiciatoria, ut holocausta, item sacrificium pro peccato, etc. Tamen non merebantur remissionem coram Deo. Ideo Prophetae acriter reprehendebant errorem hypocritarum, qui assuebant opinionem meriti remissionis peccatorum, et admonebant pios de vero usu ceremoniarum, docebant hos ritus esse institutos tanquam typos, qui admonerent promissionum de Christo, qui erat futurus victima pro peccatis generis humani, sicut Esaias exponit, illos ritus fuisse umbras et signa veri sacrificii, cum inquit de Christo: Ipse ponet animam suam hostiam pro peccato, quasi dicat, haec demum erit vera victima, verum sacrificium pro peccato, cuius sacrificii typi et umbrae sunt Leviticae hostiae.

Ita sancti, fide tenentes promissiones de Filio Dei, intelligebant hanc unam esse veram victimam propositam a Deo, ut satisfaceret pro peccatis, et tolleret iram Dei, ut Iohannes inquit: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et in illis Leviticis spectaculis fide intuebantur in Christum, et statuebant se propter ipsum a Deo consequi remissionem peccatorum. Postea utebantur illis ritibus tanquam signis seu sacramentis, quibus admoniti promissionum de Christo, excitabant fidem, credentes vere ad se pertinere promissiones propositas, et se vere consequi beneficia promissa propter venturum liberatorem.

Hic erat pius et praecipuus usus illorum rituum in sacrificiis Leviticis, quorum quaedam vocabantur Propiciatoria, propter similitudinem et significationem, quia erant proposita, ut essent imagines et picturae, quae admonerent pios de promissionibus Evangelii, et de vero sacrificio Christi. Ita et Patres habuerunt utriusque generis sacrificia, quia fide et ipsi tenebant illud Christi sacrificium, postea etiam addebant *εὐχαριστικὰ*, hoc est, bona opera omnis generis, ut praestarent obedientiam et veros cultus, iuxta mandatum Dei.

Deinde, ut de usu sacramentorum docetur, quod principalis finis sit, ut illis utamur tanquam testimoniis, quibus Deus nos admonet promissionis Evangelii, et testatur quod recipiat nos, quod impertiat nobis beneficia Christi. Et tamen interim accedunt etiam alii fines, sicut in usu Coenae Domini, etsi praecipuus finis esse debet, ut sciamus nos vere accipere remissionem peccatorum, adiungi Christo tanquam membra. Tamen simul accedit et hic usus, utentes hac ceremonia, recordamur mortis Domini, hoc est, agimus gratias, celebramus et praedicamus haec beneficia, etc. Ita Patribus etiam illi ritus Levitici fiebant sacrificia *εὐχαριστικα*, quibus testabantur se agnoscere Deum, agebant gratias, et praedicabant eius beneficia.

Sed ut in populo Israël de sacrificiis semper obrepsit error, qui fingebat haec opera esse cultus, qui placarent iram Dei, et mererentur remissionem peccatorum: ita in Ecclesia haeserunt multi et perniciosi errores, de hoc genere ope-

rum, primum deerratum est a scopo seu regula, quod est verbum Dei, opera traditionum sine mandato Dei habita sunt pro cultibus. Praeterea in universa doctrina operum, prorsus silentium fuit de fide. Accessit horribilis error de applicatione operis operati in Missa, ut supra dictum est: Finxerunt homines, opus sacerdotis adplicatum aliis, vivis et mortuis, mereri remissionem culpae et poenarum, etc.

Hos errores necesse est in Ecclesia reprehendi, et extare puram doctrinam Evangelii, et quae opera vocentur sacrificia, et quod sit discrimen sacrificii Christi, quod fide nobis adplicatur, et nostrorum operum, quae non possunt adplicari aliis, seu vocantur εὐχαριστικὰ in his, qui fide apprehenderunt sacrificium Christi. Sed refutatio errorum de sacrificio Missae et applicatione operis sacerdotis requirit integram et longiorem disputationem, quae alias est agitata.

Psalmus CXVIII.

I. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.*

II. *Dicat nunc Israël, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.*

III. *Dicat nunc domus Aaron, quoniam in seculum misericordia eius.*

IV. *Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in seculum misericordia eius.*

V. *De tribulatione invocavi Dominum, exaudivit me in latitudine Dominus.*

VI. *Dominus mecum, non timebo, quid faciat mihi homo?*

VII. *Dominus mecum et auxiliator meus, et ego despiciam inimicos meos.*

VIII. *Melius est confidere in Domino, quam sperare in homine.*

IX. *Melius est confidere in Domino, quam sperare in principibus.*

X. *Omnes gentes circumdederunt me, Sed in nomine Domini delebo eos.*

XI. *Circumdederunt me undique, Sed in nomine Domini delebo eos.*

XII. *Circumdederunt me sicut apes, arserunt sicut ignis spinarum, Sed in nomine Domini delebo eos.*

XIII. *Impellens impulit me ut caderem, et Dominus adiuvit me.*

XIV. *Fortitudo mea et canticum meum Dominus, et fuit mihi auxiliator.*

XV. *Vox exultationis et salutis in tentoriis iustorum, Dextra Domini fecit virtutem.*

XVI. *Dextra Domini exaltata est, Dextra Domini fecit virtutem.*

XVII. *Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.*

XVIII. *Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me.*

XIX. *Aperite mihi portas iusticiae, ingrediar eas, et confitebor Domino.*

XX. *Haec porta Domini, iusti intrabunt in eam.*

XXI. *Confitebor tibi, quia humiliasti me, et factus es mihi in salutem.*

XXII. *Lapis quem reprobaverunt aedificantes, factus est in caput anguli.*

XXIII. *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.*

XXIV. *Haec est dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea.*

XXV. *O Domine da salutem, Domine da prosperitatem, Benedictus qui venit in nomine Domini.*

XXVI. *Benediximus vobis ex domo Domini, Deus est Dominus, illuminator noster.*

XXVII. *Ornate festum frondibus, usque ad cornua altaris.*

XXVIII. *Deus meus es tu, et confitebor tibi, Deus meus exaltabo te.*

XXIX. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.*

Enarratio Psalmi CXVIII.

Hieronymus scribit, Iudaeos, florente adhuc regno, in synagogis crebro hunc Psalmum recitasse, petentes exhiberi Messiam, eoque Psalmum fuisse notiorem populo, et inde sumtum esse versiculum in pompa, cum exciperetur Iesus Nazarenus, tanquam Messias. Christus etiam ad se accommodat Psalmum, Matth. 21. citans ver-

siculum: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. Eundem versum et Petrus de Christo citat.

Quare non dubium est, hunc Psalmum in ore fuisse piis, tanquam vaticinium, de afflictionibus, et de glorificatione Christi, et de regno eius. Fortassis et Esaias hinc sumsit dictum 28.: Ecce ponam in Sion lapidem electum, angularem; quod et Paulus ad Ephesios imitatus est.

Etsi igitur potest Psalmus generaliter ad Ecclesiam, et singula membra accommodari. Nam tota Ecclesia exercetur afflictionibus, et rursus experitur varias et mirandas liberationes, ut celebret Deum, et late spargat Evangelium, et tandem prorsus a morte liberabitur, tamen principaliter ad Messiam accommodandus est.

Reprehendit Propheta vulgi opinionem, qui Messiam somniabant ipsis imperium mundi, opes et voluptates allaturum esse. Docet igitur longe aliter de regno Messiae sentiendum esse: venturum videlicet, ut sua morte deleat peccatum et mortem, et defecturos esse ab ipso, principes et pontifices populi Iudaeorum, et tamen eum superata morte, revicturum, regnaturum, et novi aedificii autorem, ac novi populi ducem fore. Et huius Messiae similia esse membra, hoc est, Sanctos ab initio mundi usque ad iudicium extremum. Horum odio ardent diaboli, et impii pontifices et principes, qui cupiunt deletum Evangelium, et veros Dei cultus. Et tamen servantur aliqui pii ministri, et auditores, defensi et adiuti a Lapide Angulari, videlicet a Messia, a quo sustentantur, qui est immotus, et everti non potest. Sciunt et omnes Sancti, se propter illum ducem, Messiam, liberandos esse a peccato et morte, et revicturos esse, ut in perpetua vita fruantur Dei conspectu, et eum celebrent.

Quare primum prophetia est Psalmus, de venturo illo Lapide angulari, victore mortis, deinde doctrina est et consolatio, quae membris Messiae concionatur, ut sciant sibi similes aerumnas, et similem liberationem in hac vita et post hanc vitam propositam esse. Docet item de veris cultibus, de fide, de spe, de confessione, de ministerio Evangelii. Postremo etiam gratiarum actio est, qua singuli tum privatam liberationem, tum publicam Ecclesiae defensionem agnoscentes, gratias agere Deo, autori horum beneficiorum debent.

Singuli, si sumus membra Ecclesiae, experiemur aliquos diaboli morsus, lapsus, insidias diabolicas, supplicia corporis. Inter haec pericula fide nos erigamus, innixi lapidi angulari, dicamus. *Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.* Redditur tibi vita, defenditur Ecclesia, non ut has admirandas victorias Filii Dei, comitentur in nobis ocium, luxus, voluptates. Sed ut narremus opera Domini, id est, praedicemus et doctrinam et haec beneficia, ac nostro exemplo alios etiam invitemus et confirmemus.

Hic etiam discamus, quo animo Deus exerceat Ecclesiam tantis aerumnis, videlicet, non ut nos perdat, sed ut revocet ad poenitentiam, ut in his certaminibus fides exerceatur, et agnoscatur praesentia et potentia Dei, et ducis nostri Messiae in nostra infirmitate. Ideo inquit: *Castigans castigavit me, et morti non tradidit me.*

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

Dicat nunc Israël, quoniam in seculum misericordia eius.

Dicat nunc Domus Aaron, quoniam in seculum, etc.

Dicant nunc omnes qui timent Dominum, quoniam, etc.

Usitatum est exordium ab adfectu et generali gratiarum actione, cui subiiciet postea expositionem eius beneficii peculiaris, de quo iam concionaturus est.

Primum autem attente considerandum est, quale, quam arduum, et quam difficile sit hoc opus, agere gratias Deo, hoc est, fateri et testari, quod Deus sit bonus, curet, exaudiat, iuvet nos. Deinde hoc longius extra conspectum humanae rationis positum est, agnoscere misericordiam Dei perpetuam, ut hic dicit: In seculum misericordia eius.

Non enim tantum hoc vult Propheta, in hac vita Deum largiri bona, dare vitam, foecundare terram, ut gignat fruges ad alenda corpora, dare victorias, pacem, et similia bona, liberare ex periculis, et ostendere bonitatem, etiam cum videtur aliquandiu nos deseruisse. Complectitur haec Propheta, sed praecipue praedicat illud inenarrabile beneficium, quod Deus elegit Ecclesiam per-

petuo victuram, in vita et gloria aeterna, ut fruatur conspectu Dei, quodque hanc Ecclesiam interea mirabiliter exercet et liberat a peccatis et a morte, per Filium quem misit, ut mirabili modo placaret iram Dei, et tolleret peccatum.

Admirans igitur Propheta magnitudinem aeterni beneficii, quod haec mortalis natura ad aeternam vitam et gloriam, ad societatem cum Deo electa et vocata est, clamitat se hoc praedicare, immensam esse bonitatem Dei, quae se sic erga nos effuderit, ut non tantum corporalibus bonis nos cumulaverit, sed etiam aeterna vita et gloria, quam cogitare ratio non potest.

Est ergo haec vox verae et ardentis fidei, intuentis Deum, non more rationis, sed qualem ipse se nobis ostendit in arcana promissione Evangelii, quam revelavit Filius, qui est in sinu patris. Philosophi et populus legis non intelligunt hanc vocem: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.* Videt humana sapientia haec pulcerrima corpora, coelum et terram, videt mirificum ordinem motuum, temporum vices, videt etiam opificium humani corporis summa arte conditi. Haec admirans cogitur fateri, esse aliquam aeternam mentem, a qua haec orta sunt et reguntur, et dolet se non posse penetrare ad autorem. Sed cum oculos refert ad confusionem in vita hominum, ubi cernit multitudinem infinitam vitiorum, videt florere tyrannos et flagitiosos, opprimi vero iustos et innocentes, rursus amittit cogitationem de Deo, et dubitat an homines Deo curae sint, maxime vero in propriis aerumnis iudicat se negligi a Deo.

Haec consideranda sunt, ut sciamus hanc vocem, *Confitemini Domino*, non esse quorumlibet. Nec populus legis eam sonat. Mala conscientia fugiens Deum, non praedicat, sed fremit adversus eum, non ait bonum esse, non expectat illam aeternam misericordiam, sed potius mallet nihil esse, sicut Saul, Iudas et omnes homines, qui non eluctantur ex malae conscientiae terroribus.

Tantum igitur illi canunt hanc vocem, qui iam statuunt se habere Deum placatum per Filium, qui hic describitur novi aedificii autor. Hi agnoscunt aeternam salutem, vitam et gloriam, et norunt propter illam aeternam gloriam liberari nos a peccato et a morte, imo etiam dari nobis vitam, victorias, pacem, tegi nos in periculis corporum, defendi nostras familias, gubernari omnia consilia et actiones, quia Deus non vult in hoc mundo prorsus deleri Ecclesiam, vult aliquos esse, qui ipsius Nomen et noticiam celebrent, et Evangelium circumferant.

Ut igitur possimus et nos hanc vocem sonare, ac laudare Deum, quod sit bonus, qui cum in hac vita iuvet, tum vero daturus sit nobis aeternam vitam et gloriam, agnoscamus sapientiam humanam coecam esse, discamus quantum mali sit, succumbere malae conscientiae, et confugiamus ad Filium Dei Mediatorem, et fide nos erigamus, ut Deum invocare et praedicare possimus.

Etsi autem una est sententia, qua et ipse laudat Deum, et iubet alios eandem laudem sonare, tamen venusta est distributio. Primum praecipit toti populo Israël. Deinde nominatim praecipit domui Aaron, id est, ministris verbi Dei, doctoribus et gubernatoribus: nam hi debent huius chori duces esse, docere alios de vera laude et veris cultibus. Postea praecipit omnibus qui timent Dominum, hoc est, toti Ecclesiae, collectae ex Israël, et ex gentibus. O beatum, qui cum hoc choro potest Deum sic invocare, ut agnoscat esse bonum, curare, exaudire, iuvare nos, et vere nobis aeternam vitam et gloriam daturum esse. Hic est verus, et solius Ecclesiae cultus. Ideo Psalmus hunc cultum proponit et docet.

De tribulatione invocavi Dominum, exaudivit me in latitudine Dominus.

Dominus mecum, non timebo, quid faciat mihi homo?

Dominus mecum et auxiliator meus, et ego despiciam inimicos meos.

Melius est confidere in Domino, quam sperare in homine.

Melius est confidere in Domino, quam sperare in principibus.

Expositio seu narratio beneficii aliquoties repetita. Et verba plana ac perspicua sunt. Membra sunt quinque, narratio periculi, invocationis, liberationis, confirmatae fidei et doctrinae.

Periculum initio uno verbo recitat, cum mentionem facit tribulationis. Sed hanc postea exaggerat, cum narrat omnium gentium odia et impetus se sustinuisse, se impulsum et castigatum esse, et conflictatum cum morte, ut postea dice-

tur. Significat autem aerumnas omnium atrocissimas, quas et Christus et semper Ecclesia pertulit. Impia multitudo, etsi tandem rapitur ad poenas, tamen diu floret, tenet imperia, opes, gloriam, fruitur voluptatibus: sed Christus et Ecclesia iacent oppressi servitute, rapiuntur ad necem, et intus sentiunt ingentes terrores, cum agnoscunt iram Dei adversus peccatum, et luctantur cum aeterna morte.

Primum igitur in hac narratione sciamus, Christum et Ecclesiam subiectos esse cruci, et dissimilem esse statum imperiis mundi. Et ut saepe dictum est, Peculiaris est sapientia Ecclesiae, intelligere, quod velit Deus talem esse Ecclesiae formam, et cur subiecerit eam tantis et tam horrendis afflictionibus, videlicet, ut agnoscat peccatum, et iram Dei adversus peccatum, ut mortificentur reliquiae peccati, et crescat poenitentia, et fides invocet Deum et cernat praesentiam Dei. Item, ut conspiciatur in infirmitate nostra, Dei iuvantis et vincentis gloria. Item, ut admoneamur de immortalitate, quod restet iudicium, in quo Deus hostes horribiliter puniet.

Secundum membrum est Invocatio. Et exemplum continet doctrinam, quod in tribulatione sit invocandus Deus. Dixi iam inter causas afflictionum hanc esse, ut excitemur ad invocandum Deum. Ut igitur hic testatur se in afflictione invocasse, ita nobis doctrinam tradit, ut in periculis invocemus Deum, iuxta illud: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te.

Sed ut possimus invocare, oportet praelucere nobis vocem Evangelii, quae ostendit Deum vere exaudire, et velle opitulari. Ideo sequitur tertium membrum: *Et exaudivit me in latitudine Dominus.* Recitat enim haec verba, tanquam exemplum et doctrinam, quasi dicat, Ego testor Deum velle invocari et exaudire, sicut clamitant promissiones. Et Christus inquit: Petite, et accipietis. Quidquid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. Et in Ezechiele iusiurandum addit: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Ad has promissiones referatur et doctrina Psalmi, Testatur se oppressum ingentibus procellis, invocasse, et invocantem exauditum esse, ut nos quoque in omnibus periculis invocemus Deum, et credamus nos respici et exaudiri. Hanc fidem adferamus ad invocationem. Nam haec fides discrimen facit inter invocantes pios et impios. Ethnici et hypocritae invocant Deum, sed dubitant se respici, aut accipi suas preces. Interim adferunt aliqua opera, quibus conantur Deum placare. Sed fides piorum statuit accipi preces, per misericordiam, propter donatum Mediatorem.

Quod addit in latitudine, active intelligatur, id est, exaudivit me, ita ut ex angustiis me extraxerit, et me collocarit in latiore spacio, ubi me nemo premit aut angit. Est enim usitata linguae metaphora de consolatione. Vides igitur in hoc primo versiculo, imaginem esse Ecclesiae, commemorat afflictiones, invocationem et liberationem.

Sequentes versiculi repetunt eandem sententiam, sed amplificatam: Dominus mecum, non timebo, quid faciat mihi homo?

Quartum membrum est, Fides experta consolationem erigitur et confirmatur, sicut et Paulus inquit: Probatio spem efficit, id est, cum fides probatur et exercetur, spes crescit et fit firmior ac ardentior. Noti sunt versus:

Vidi ego quassatas mota face crescere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.

Ita si fides non exerceatur, fit languida et extinguitur, rursus sicut flamma crescit agitata, ita fides in periculis excitata, fit ardentior. Ideo hic addit triumphalem vocem fidei confirmatae, non timebo hominum impetus. Et est extenuatio in adpellatione hominis; quasi dicat, Cur timemus hominum saevitiam, cur timemus Turcicum furorem? Quid est homine fragilius et imbecillius, quam facile Deus humanam potentiam quamvis summam delere potest? Quare obtemperemus Deo, nec deterreamur minis aut saevitia hominum. Deus servabit nos invocantes ipsum.

Sequens versus repetit prorsus eandem sententiam: Si Deo obtemperabimus, et fide expectabimus, gloriose triumphabimus, laeti videbimus hostes nostros puniri et deleri.

Quintum membrum est utilissima doctrina, gravissimis verbis taxans vanam fiduciam in omnibus hominibus, et docens transferendam esse fiduciam in Deum. Sicut magis timendus est Deus, quam omnes creaturae, sic magis fidendum est Deo, quam ulli creaturae. Sed in utroque peccant omnes homines. Multi mortem, offensiones principum, iacturam existi-

mationis apud sapientes in mundo, inopiam et similia plus metuunt quam Deum, ruunt et faciunt quaedam contra mandata Dei. Ita et diffidentia peccant, imaginantur sibi profuturam esse suam sapientiam, gratiam principum, coniunctiones amicorum, opes.

Haec fiducia prohibita a Deo, saepe fallit etiam bonos in causis iustis. Sicut Achas habebat iustas causas belli contra Syros, et tamen quia confidebat auxiliis Assyriorum, non Deo, fuit infelix.

Tenendae sunt hae regulae, ut nos ipsos admoneamus, et in nostris negociis et periculis regant corda nostra.

Ierem. 17.: Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor eius.

Econtra vero, Esaiae 28.: Omnis qui confidit in Dominum, non confundetur.

Et in Psalmis saepe repetita est haec sententia.

Psalm. 9.: Et sperent in te qui noverunt nomen tuum, quia non derelinques quaerentes te Domine.

Psalm. 24.: Universi qui expectant te Domine, non confundentur.

Palm. 30.: In te Domine speravi, non confundar in aeternum.

Psalm. 33.: Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, et ex omnibus tribulationibus eripuit eum.

Psalm. 124.: Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebuntur etc.

Deus vult sibi soli tribui, quod verax sit et omnipotens. Homines sunt mendaces, et leves, et omnis humana potentia imbecillis est. Ideo vult Deus, ut certam fiduciam tantum in ipsum collocemus, qui promisit auxilium et est verax, et potest unus iuvare, cum sit omnipotens. Sed quia non videmus, quomodo velit opitulari, ideo quaerimus praesidia posita ob oculos. Difficile est a solo verbo Dei pendere, et nudari omnibus humanis praesidiis. Cruciat etiam mora, cum saepe differatur liberatio tam diu, ut etiam mors opprimat Sanctos.

Ideo impii hanc doctrinam de fide seu fiducia collocanda in Deum non intelligunt, imo derident. Et hunc praecipuum cultum, scilicet confidere Deo, et ab eo solo petere et expectare auxilium, non possunt praestare. Interim vero quaerunt praesidia et auxilia undecunque, sicut Saul implorat opem a muliere magica. Et reges Iudaeae confugiebant ad Aegyptios, ut Esaiae 30. dicitur, ubi perspicue describitur imbecillitas humani cordis, quod non potest a verbo Dei pendere, et fide se sustentare, sed quaerit res subiectas oculis, et manu comprehensas, ut eis nitatur. Sicut illi apud Esaiam dicunt: Ad equos fugiemus.

Opponit autem Esaias contrariam doctrinam: Si revertemini et quiescetis, salvi eritis. In silentio et spe erit fortitudo vestra. Duo requirit, quietem seu silentium, et spem. Prohibet enim animi infirmi et dubitantis trepidationes et discursationes, undique quaerentis auxilia humana, seu concessa seu inconcessa.

Hae discursationes quales sint, exempla quotidianae vitae, summorum et infimorum ostendunt. Et nunc vocantur practicae et sapientia consilia. Sed haec trepidatio oritur ex diffidentia animi, cogitantis se deseri a Deo, et fugientis Deum. Ideo saepe vituperatur. Psalmo 45.: Vacate, et videte quod ego sim Deus. Iubet vacare et intueri Deum, quasi dicat, Statuite vos Deo curae esse, et expectate auxilium eius. Ipsum intuemini, non existimate vos ab eo desertos et proiectos esse, nec tanquam deserti a Deo discurrite, quaerite foedera, socios, practicas, technas. Item pulcerrime significatum est, cum Moyses diceret, State, et videbitis magnalia Dei. Vetat fugere et dissipari populum desperatione divini auxilii.

Neque haec vacatio, seu hoc silentium pugnat cum officiis vocationis. Sed regulam in Psalmo traditam servemus: Revela Domino viam tuam, et ipse faciet. Vocat viam, vocationem et omnia officia vocationis, haec bona conscientia facienda sunt, Miles praelietur, Senator gubernet, Pastores doceant: sed his operibus vocationis praeluceat fides, petens et expectans a Deo auxilium, sicut Iosaphat inquit: Credite Domino Deo vestro, et securi eritis.

Haec est summa sententiae etiam hoc loco traditae: Melius est confidere in Domino, quam in homine. Melius est confidere in Domino, quam in principibus. Vetat confidere humanis praesidiis, non solum, quia voluntas omnium hominum sunt mobiles et inconstantes, sed etiam ob hoc ipsum, quod auxilia sunt infirma. Saepe homines, si velint non possunt iuvare. Sunt in historiis et praeceptis ethnicis multae similes sen-

tentiae, quae prohibent hanc fiduciam, quale illud est, Nusquam tuta fides. Omnia vertuntur, certe vertuntur amores. Sed hae loquuntur tantum de inconstantia voluntatum, et perfidiis usitatis inter homines, quas quidem omnes experimur esse creberrimas.

Sed Spiritus sanctus non solum de voluntatum inconstantia, sed etiam de fragilitate humanarum virium concionatur. Pompeius tam firmum exercitum habuit, ut non dubitaret sibi polliceri victoriam, sed tamen hac spe frustratus est.

Nec sine causa hic nominatim mentionem facit principum. Intelligit enim non tantum reges et divites, sed alios etiam praestantes ingeniis, sapientia, virtute. De his admonet maxime nos in Ecclesia, ne ex illorum autoritate, iudiciis et voluntatibus pendeamus, neve nos ad illorum voluntates inflectamus. Sicut Hosius se inflexerat ad Constantii voluntatem.

Si causam bonam moves, quia speras te principum et magnorum virorum studia habiturum esse, experieris illorum inconstantiam. Rursus etiam peccas, si metu principum et sapientum bonam causam proiicis. Ideo sequere regulam Psalmi 36.: Spera in Dominum, et recta facito. Obtempera tuae vocationi, recte doceas et agas, et expecta auxilium et gubernationem eventuum a Deo, nec spectes vel benevolentiam, vel promissa, vel odia principum. Praesertim in Ecclesia opus est hac animi magnitudine, quia experientia ostendit, quam pauci semper fuerint fideles principes, et quam sint mutabiles, etiam qui videntur esse mediocres. Ut Asa, cum auspicia regni fuissent pia, et ipse egregiis victoriis a Deo ornatus esset, tamen postea factus est sui dissimilis, et exercuit saevitiam in Prophetam et alios.

Omnes gentes circumdederunt me: sed in nomine Domini delebo eos.

Circumdederunt me undique: sed in nomine Domini delebo eos.

Circumdederunt me sicut apes, arserunt sicut ignis spinarum: sed in nomine Domini delebo eos.

Impellens impulit me ut caderem, et Dominus adiuvit me.

Fortitudo mea et canticum meum Dominus, et fuit mihi auxiliator.

Vox exultationis et salutis in tentoriis iustorum, Dextra Domini fecit virtutem.

Dextra Domini exaltata est, Dextra Domini fecit virtutem.

Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.

Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me.

Solent Psalmi eandem sententiam, vel iisdem verbis, vel paululum mutatis repetere, amplificandi causa. Idque videmus in veteribus carminibus usitatum fuisse. Ita in hoc triumphali carmine eadem sententia saepe repetita est. Iterum exaggerat periculum, et testatur se divinitus servatum esse, et celebrat admirandam victoriam, et fide erectus sperat similes victorias in posterum, et hostibus minatur exitium. Ut autem haec narratio praecipue Christi afflictiones et victorias describit, ita imago est totius Ecclesiae, et certamina eius, et aerumnas ac victorias nobis proponit, ut saepe in Psalmis hoc ipsum argumentum tractatur.

Quod dicit, *Omnes gentes circumdederunt me*, etsi etiam recte intelligitur de Davide, cui omnes vicinae gentes bella intulerunt, tamen totam Ecclesiam, inde usque a principio ad finem, complectitur vox Christi. Toto orbe terrarum inde usque ab Abel, incitavit diabolus impia organa adversus Ecclesiam. Nulla gens non habuit tyrannos inimicos Christo. Omnes monarchiae conatae sunt delere verbum Dei. Maxime vero saeviit quarta, et nunc post quartam Turcicus furor, sicut significavit Daniel, pedes, id est, postremam partem ultimi imperii omnia conculcare, hoc est, horribiles vastitates in Ecclesiis toto orbe terrarum efficere. Item de cornu, quod exoritur ex quarta bestia ait, belligeraturum esse cum Sanctis. Et Ezechielis capite 38. de Gog et Magog ait, Ignem irae Dei esse saevitiam, quam exercebit Gog et Magog.

Quare cum haec verba legimus, *Omnes gentes circumdederunt me*, Ecclesiam omnium temporum intueamur, et maxime de ultimae aetatis persecutione cogitemus. In Oriente et Africa Saraceni dominantur, Turci vastant Occidentem. In Europa exiguus angulus est, qui titulum retinet Ecclesiae Dei, et profitetur se Christum invocare, et retinere verbum Dei, traditum Prophetis

et Apostolis. Et in hoc coetu Pontifices, Episcopi, Reges, et multae nationes defendunt manifestas εἰδωλομανίας, et conantur delere puram doctrinam Evangelii, per Prophetas, Christum et Apostolos traditi.

Hanc igitur tristissimam et acerbissimam querelam nunc verissime repetit Ecclesia Christi. Omnes gentes, Saraceni, Turci, hypocritae, pontifices et reges circumdederunt nos. Et multitudo, iracundia ac vehementia hostium significata est duabus similitudinibus, apum et incendii spinarum. Magna et densa sunt apum examina, et natura eius insecti pugnacissima est, ut monstrat experientia, et Virgilius inquit:

Illis ira modum supra est, laesaeque venenum
Morsibus inspirant, et spicula coeca relinquunt
Adfixae venis, animasque in vulnere ponunt.

Longum esset persequi totam collationem. Sed cogitemus acerrimum odium et acerrima praelia significari, praesertim sapientum: nam id quoque significatur mentione apum. Ut videmus arsisse Pharisaeos acerrimo odio adversus Christum et Apostolos. Est et incendium spinarum imago magni impetus.

Sed his periculis opponit Christus vocem triumphalem, *In nomine Domini delebo eos*, id est, invocatione et confessione nominis Dei, qui adest, regit, defendit et salvat illum coetum, qui Evangelium ipsius circumfert, et vera fide ipsum invocat. Addit autem amplificationes aerumnarum. Non ocioso et dormitanti contingent victoriae. Imo prius horribiles aerumnas feret Ecclesia: id quoque docet Psalmus, et significat duplices aerumnas, crudelitatem hostium, et iram Dei castigantis Ecclesiam.

Facile esset ferre hominum impetus, si non accederet sensus peccati nostri et irae Dei, sicut inquit Ieremias, cap. 17.: Non sis tu mihi terrori, spes mea tu in die afflictionis. Sed cum hic ait, Castigans castigavit me, admonet, has afflictiones esse poenas, vocantes nos ad poenitentiam. Et sancti intelligunt oneratam esse Ecclesiam tantis calamitatibus, propter peccatum haerens in natura, ut agnoscamus nostram infirmitatem, et confugiamus ad misericordiam. Itaque luctantur ipsi secum, sicut inquit Paulus: Intus terrores, Foris pugnae.

Sed his calamitatibus opponit Psalmus uberrimas consolationes, et finem monstrat, testatur Ecclesiam sic affligi, non ut pereat, sed ut in castigatione magis agnoscat praesentiam et misericordiam Dei, crescat fide, maiori robore celebret et confiteatur Deum.

Et haec concio de hoc fine calamitatum saepe repetitur in Prophetis. Est enim propria et peculiaris sapientia verae Ecclesiae, ut Psalmo 88.: Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Et alibi: Bonum mihi quod humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. Et Ieremiae 29.: Ego scio cogitationes, quas cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis et non perditionis, ut dem vobis finem quem expectatis. Et Ezechielis 33.: Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Nec existimemus frustra tales sententias in scriptura traditas esse, aut esse vulgares et philosophicas consolationes. Sicut et Philosophi dicunt, Homines ferocientes, rebus adversis ad modestiam revocari. Quod etsi verum est, tamen de alia re concionantur Prophetae, scilicet de voluntate Dei. De hac dubitant animi in rebus adversis, sicut apud Euripidem dicit Hecuba, post captam urbem, invocans Deos, se invocare ignavos opitulatores, κακοὺς συμμάχους. Nimis vere poëta iudicium rationis et animi motum in impiis pingit. Sic homines naturali iudicio in veris doloribus agnoscunt se propter malefacta puniri, et se abiectos esse a Deo, quem sentiunt irasci humanis delictis, et vident se ruere in aeternam mortem et poenam.

In his fluctibus et procellis opitulatur humanae menti vox Dei, et proponit consolationem ignotam rationi et philosophiae, ac testatur voluntatem Dei esse, non perdere eos quos punit, sed castigatis ignoscere, si credant promissioni gratiae propter Filium Dei promissae. Sicut Paulus clamitat: Conclusit Deus omnes sub peccatum, ut omnium misereatur, quasi dicat, non ut perdat, sed potius ut reddat salutem invocantibus ipsum. Sicut dixit: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te.

Hae et similes promissiones infigendae sunt animis, et discernenda haec doctrina Prophetarum, a philosophia et iudicio rationis et legis. Ideo enim diligentius repetitae sunt hae promissiones in sententiis et exemplis, ut discamus aliter

iudicare de calamitatibus Evangelium, aliter rationem, legem et philosophiam.

Pertinent igitur ad promissiones illas et haec dicta: *Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me.* Item: *Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.* Proponit exemplum, quod tanquam promissio communis ad omnes credentes pertinens intelligi debet. Fatetur se castigatum esse, et luctatum cum morte, sed tamen rursus liberatum esse. Haec eo dicit, ut discamus voluntatem Dei esse, etsi castigat, punit, et in mediam mortem coniicit, rursus tamen liberare castigatos.

Sed quid interest inter Davidem et Scipionem? Nonne et Scipio saepe in magnis praeliis periclitatus est, et vicit, sicut David? Et ut tandem Scipio placida morte extinctus est, ita et David post tot victorias, tamen ad extremum mortuus est. Qui magis igitur haec canit David, quam Scipio? Non moriar, sed vivam.

Respondeo: Multa sunt discrimina, Scipio vincit, Deo iuvante, sed non statuit se a Deo vocatum esse, et casu putat has victorias contingere, multo minus intelligit victorias praesentes debere simul aeterna morte absorberi. Deinde Scipio nihil certo statuit de aeterna vita.

Econtra Christus, David et omnes qui Deum recte invocant, agnoscunt se divinitus vocatos esse ad agnitionem Evangelii, et Deum velle, ut agnitione Evangelii et fide vincant aeternam mortem. Quare etiam superati calamitatibus et morte corporis, tamen clamitant: Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. Et haec vox primum et principaliter congruit Filio Dei, per quem mors superatur, et qui resurgens victa morte, ostendit se Apostolis, docuit eos, dedit Spiritum sanctum, misit Apostolos, et regnat in Ecclesia. Estque hoc dictum, Non moriar, sed vivam, testimonium de resurrectione Christi. Toties testatur scriptura Christum fore victimam, et moriturum esse. Et rursus saepe dicit, ut hic, se non moriturum esse. Necesse igitur fuit eum resurgere, sicut et Psalmo 15. ait: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Deinde intelligit David et norunt omnes sancti, ducem Christum vincere et delere mortem, ut reddat vitam etiam caeteris sanctis. Canit igitur et David hanc vocem de vita aeterna, quae Scipioni ignota est.

Deinde et de praesentibus victoriis discrimen est. Etsi dimicat Scipio singulari quodam impetu, tamen arbitratur id casu fieri, nescit se a Deo vocatum esse, nec adfert ad praelium fidem expectantem auxilium a Deo.

Tertio, nec vincit in talibus fidei exercitiis peccatum et mortem aeternam.

Quarto, etsi saepe feliciter praeliatur, tamen semper est incertus de exitu, sciebat interfectos esse tam multos praestantes duces omnium temporum, meminerat trucidatos patrem, patruum, Aemylium, Marcellum, et alios. Ideo cogitat et se aliquando simili fato periturum esse. Nec tantum de personae suae exitu est incertus, sed etiam de causa et repub. quam propugnat, hanc etiam cogitat casu regi, et fortasse subito aliquo motu ruituram esse.

Quanquam autem eventus in populo Israël, et caeteris imperiis videntur esse similes, interficiuntur magni et pii duces, ut Samson, Ionathas, Iosias, exoriuntur tyrannides, seditiones, et aliae magnae mutationes: tamen Davidis mens et de persona sua, et de causa, longe aliter sentit, quam Scipio. David scit se a Deo vocatum esse, deinde in praeliis fide petit et expectat auxilium et victoriam: et eadem fide luctatur cum terroribus peccati, et vincit mortem aeternam. Scit et hoc, Deum defensorem esse verae Ecclesiae, cui ipse seruit, et propterea duces a Deo vocatos plerunque in officiis vocationis servari. Et ut maxime in acie intereant duces, (vidit enim Deum mirabiliter regere Ecclesiam, et velle nos exerceri ingentibus periculis,) tamen scit causam et Ecclesiam non interituram esse. Quare et ipse reviviscet, et erit socius aeterni triumphi et gloriae apud Deum. Hac igitur fide vere canit hunc hymnum, et praedicat causam non interituram esse, imo se quoque in praesentibus praeliis liberatum esse a morte, et rursus vere liberandum esse ab aeterna morte.

Cum autem de liberatione a morte concionatur, complectamur nos omnia Christi beneficia. Non aboletur mors in Davide et nobis, nisi liberemur a peccato. Quare hic versiculus, *Non moriar, sed vivam*, complectitur promissionem de remissione peccatorum, et tota instauratione et glorificatione sanctorum. Iam vide quomodo hic paean conveniat cum specie Ecclesiae. Dilaceratur vera Ecclesia inde usque ab initio, et undique est cincta morte. Abel interficitur, Israëlitae in Aegypto, postea etiam Palaestina opprimuntur servitute, trucidantur Prophetae, Apo-

stoli, Martyres. Quomodi hi canunt: Non moriar sed vivam. Iam vero et de causa, et de personis canunt. Esaias, Ieremias, Paulus saepe in hac vita gloriose servantur, ut diutius fungi officio possint, et, ut hic ait Psalmus, *Narrare opera Domini.* Tandem postea quasi perfuncti sua militia interficiuntur, sed tunc et causa manet, et ipsi vitam aeternam accipiunt.

Sed hominum oculi sine fide longe aliter de Ecclesia cogitant, imo hanc totam cantilenam, Non moriar, sed vivam, putant esse fabulosam. Contra haec humana iudicia confirmemus animos, his sententiis Spiritus sancti, et meminerimus hoc doctrinae genus divinum esse, et supra humanam sapientiam positum, et discamus exercere fidem, ut luctantes cum peccato et morte, in toto cursu vitae et vocationum, agnoscamus per hunc liberatorem nostrum, cuius triumphus hic describitur, deletum esse peccatum, abolitam mortem, et redditam esse perpetuam iusticiam et vitam, nosque hac fide vivificari, sicut scriptum est: Iustus fide sua vivet.

Aperite mihi portas iusticiae, ingrediar eas, et confitebor Domino.

Haec porta Domini, iusti intrabunt in eam.

Confitebor tibi, quia humiliasti me, et factus es mihi in salutem.

Altera pars Psalmi est: nam supra recitavit afflictionem suam, et liberationem. Nunc de applicatione loquitur. Haec, inquit, in Ecclesiis praedicabo caeteris, et novum aedificium, seu novum regnum per me, quamvis antea afflictum, incoabitur. Afflictio seu passio Messiae servivit aliis. Fuit enim sacrificium pro peccato humani generis. Liberatio etiam prodest aliis. Haec celebrari in Ecclesiis et innotescere oportet.

De hac applicatione iam concionatur. Ideoque dicit Christus, *Aperite mihi portas iusticiae,* id est, patefacite mihi Ecclesias et coetus, in quibus iusticia iam fulgebit. Vos Ecclesiae auditae hanc meam concionem. Haec et Christi vox est, et aliorum docentium et confitentium.

Portae significant usitata metaphora, imperia seu regna. Et hic discernit ab imperiis mundi hanc portam, id est, hoc regnum, seu hunc coetum. Vocat enim portam iusticiae, et portam Domini. Est enim Ecclesia regnum Dei, hoc est, coetus, in quo Deus recte agnoscitur, invocatur, colitur, et perpetuo laudabitur. Ideo est et iusticiae porta, hoc est, iustum regnum, seu coetus iusti, Deo placentes, et haeredes vitae aeternae.

Alia regna iusticiam externam seu civilem utcunque tuentur, coërcent poenis humanam audaciam, sicut dicitur in Psalmo: In chamo et freno maxillas eorum constringe. Denique sunt carcer legis, qui servit miserae necessitati vitae corporalis, non adfert iusticiam aut vitam aeternam. Sed Ecclesia est regnum seu coetus, in quo dantur iusticia et vita aeterna, et in quo Deus ipse regnat, agnoscitur, invocatur, et perpetuo laudabitur. Nam quid fiat in Ecclesia hic quoque addit, *Ingressus in has portas confitebor Domino*, praedicabo, celebrabo eius beneficia, et praestabo veros cultus.

DE ECCLESIA.

Hinc igitur vera definitio Ecclesiae Dei sumenda est, et repudiandae sunt aliae definitiones, quae non Ecclesiam, sed Pontificium Regnum describunt. Continetur enim definitio verae Ecclesiae in his quatuor versibus, qui hic contexuntur: Haec est porta Domini, iusti intrabunt in eam. Confitebor tibi, quia humiliasti me, et factus es mihi in salutem. Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est hoc, et mirabile est in oculis nostris.

Definitum et titulus est. *Haec est porta Domini*, id est, haec est Ecclesia Dei, seu regnum Dei. Deinde sequitur genus, *Iusti intrabunt in eam*, id est, Ecclesia Dei, est iustorum coetus. Sed hi certas habent notas, et certum caput, et doctrinam, qua discernuntur ab aliis regnis, habent et gloriam singularem dissimilem gloriae aliorum imperiorum. Haec erudite traduntur in his versibus. Postquam enim dixit esse iustorum coetum, addidit notam externam. *Confitebor tibi, quia humiliasti me, et factus es mihi in salutem.* Talis coetus est iustorum, qui praedicant Deum, habent certum verbum, et in confessione adfliguntur, et tamen servantur. Confessio enim, hoc est, vera agnitio et celebratio Dei, cum qua necesse est coniunctam esse Evangelii praedicationem, proprium munus et peculiaris nota est Ecclesiae.

Sed descriptio fit illustrior in sequenti versu: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.* Haec porta seu Ecclesia iustorum, confitetur certum verbum, quod? acceptum ab illo duce, qui vincit mortem et restituit vitam, qui reiectus est ab aedificantibus, id est, doctoribus et regibus, et tamen factus est *caput anguli*, id est, fundamentum Ecclesiae Dei, collectae ex Iudaeis et Gentibus, quae est populus vita aeterna donandus, et perpetuo celebraturus Deum.

Deinde additur: *A Domino hoc factum est.* Hoc est, hic Christus rex non humano consilio missus est, aut vicit, sed a Deo missus est, et divina potentia abolevit peccatum et mortem. Est ergo Ecclesia porta, seu coetus iustorum, hoc est, talium, qui, confitentur se salvatos esse per Dominum missum a Deo, qui quamvis reprobatus est a regibus et doctoribus, tamen non moritur, sed vivit, et narrat opera Domini, et est caput anguli, hoc est totius Ecclesiae.

Sic saepe definiunt Ecclesiam Prophetae et Apostoli, videlicet coetum iustorum, hoc est, vere credentium Evangelio Filii Dei, et recte invocantium Deum, qui liberati sunt a peccato et aeterna morte. Ita definitur Ecclesia, Ephes. 2. ubi ait esse templum sanctum, aedificatum super lapidem angularem, Iesum Christum, qui est fundamentum Apostolorum et Prophetarum. Et Ephes. 5. ait esse coetum, mundatum lavacro aquae per verbum, nec habere rugam, aut maculam.

Magnum igitur discrimen est inter politias humanas et Ecclesiam Dei. Sed homines politici semper haec miscent, et humano more iudicant de Ecclesia, unde sequuntur perniciosi errores, promissiones factae Ecclesiae detorquentur, ad impios stabiliuntur falsa decreta, tribuitur autoritas pontificibus et synodis, quae tribui eis non debet.

Fingunt enim homines politici humano more, Ecclesiam esse regnum, in quo unus sit monarcha Romanus pontifex, qui tribuat episcopis et sacerdotibus per gradus autoritatem docendi et administrandi Sacramenta. Deinde alligant ita Ecclesiam ad hunc coetum episcoporum et sacerdotum, ut tribuant eis potestatem interpretandi verbi Dei, condendi leges, instituendi cultus, et iudicandi de dogmatum controversiis, et adfirment maioris partis suffragiis obtemperandum esse, quia semper in hoc coetu retineatur veritas.

Haec tota pictura est imago humani regni, et nequaquam est verae Ecclesiae definitio, quia vera Ecclesia non est certa multitudo seu pontificum seu episcoporum, humano consilio collecta, Iohan. 1.: Et proprii eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri, credentibus in nomine eius, qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Et certissimum est, promissiones non pertinere ad non credentes, Ioh. 3.: Qui autem non credit: iam iudicatus est. Et Roman. 8.: Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Sed cum tota turba pontificum, episcoporum et sacerdotum possit esse impia, non est ad hunc coetum alliganda Ecclesia. Sed retineatur dictum Pauli: Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.

Deinde sequitur particula reliqua versus: *Et est mirabile in oculis nostris*, quasi dicat, Omnia regna habent gloriam aliquam, qua conspici possunt, habent praestantes duces, senatores, habent victorias et triumphos. Iam si pingitis Ecclesiam talem, in qua non sint pontifices et episcopi gubernatores, in qua non sit ordo regentium, quae non habeat potestatem aliquam iudicandi et decernendi. Qualis confusio et ἀταξία est?

Adversus hoc scandalum inquit Psalmus: *Et est mirabile in oculis nostris.* Habet Ecclesia, etiamsi est oppressa et exigua, ingentem gloriam, Deus excitat suo arbitrio excellentes gubernatores, ut Eliam, Elisaeum, Esaiam, Ieremiam, Danielem, Apostolos, et alios inferiores, sed tamen excellentia lumina. Dat item donum interpretationis, id est, lumen spirituale excellens aliquibus. Defendit etiam et servat Ecclesiam mirabili modo, etsi duriter quassatur inter imperia mundi. Habet igitur admirandam gloriam, quae non pendet ex humanis consiliis, sed ab admirabilibus Dei operibus. Haec est insignis hoc loco descriptio Ecclesiae, digna quae diligenter observetur. Caeterum qualis sit species, qui cultus, quae liberationes huius Ecclesiae, significatum est in his verbis.

Confitebor tibi, quia humiliasti me, et factus es mihi in salutem.

Confessio, ut saepe dictum est, significat gratiarum actionem, quae complectitur multa officia,

Invocationem, praedicationem et professionem seu testimonium nostrae sententiae de religione, quod ostendi oportet non solum cum de doctrina interrogamur, sed etiam in moribus, in tota vita lucere debet professio, ita ut significemus in publicis et privatis negociis, nos hunc Deum invocare, qui misit Filium suum, ut sit *lapis angularis*, hoc est, salvator Ecclesiae. Hi cultus proprii sunt Ecclesiae, invocare, docere et profiteri, sicut alias dictum est in versu Psalmi: Credidi, propter quod locutus sum.

Speciem autem Ecclesiae describit, inquiens: *Quia humiliasti me.* Supra dictum est aliquoties, Ecclesiam in hac vita subiectam esse cruci, mirabili consilio Dei, cum propter alias causas, tum quia circumfert peccatum in carne, quod Deus vult mortificari in sanctis in hac vita, vult etiam Deus conspici potentiam suam in infirmis contra potentiam diaboli, belligerantis multipliciter contra Ecclesiam.

Haec certamina praedicta sunt initio post lapsum Adae, ubi dicitur de semine mulieris: Ipsum conculcabit caput serpentis, et serpens mordebit calcaneum eius. Hos venenatos morsus experitur Ecclesia omnium temporum, privatim et publice. Nota est saevitia publica tyrannorum, quae statim tempore Cain exarsit, et deinde post diluvium crevit, cum exortae essent monarchiae. Et nunc in fine mundi durissime quassatur Ecclesia, a Turcis, a pontificibus et regibus. Et hanc saevitiam alii magis, alii minus experiuntur. Sed tamen et hi qui procul absunt a publica tyrannide, habent suas aerumnas, singuli tametsi privati, et extra loca periculis obnoxia degentes, sentiunt horribiles morsus diaboli, qui vel corpora sanctorum, vel vitam, vel familias oppugnat, ut implicatos acerrimis doloribus interficiat, vel ad desperationem trahat. Ita grassatur serpens ille, autor peccati et mortis, etsi pauci homines agnoscunt causas tantorum malorum. Sed Ecclesia scit se luctari cum diabolo, scit diabolum esse hostem Filii Dei, scit Filium Dei propagatorem esse Ecclesiae, et hanc ad ingentia certamina vocatam esse, sicut hic dicitur de certaminibus et de victoria. Ait se utrumque praedicaturum esse, quod sit humiliatus et liberatus.

Est ergo haec species Ecclesiae, Est exigua, imbecillis, oppressa tyrannide impiorum, experitur et privatim morsus diaboli: sed interim servatur et liberatur mirabili modo, sicut Noë servatur in diluvio, sicut David defendebatur contra saevitiam Saul, sicut Elias, Elisaeus et alii Prophetae defensi sunt contra tyrannos, denique ut David servabatur inter leones. Haec semper est verae Ecclesiae species. Et hi sunt cultus proprii Ecclesiae, patientia in his aerumnis, et invocatio Dei, confessio et celebratio, ut nos ipsi confirmemur, et alii ad agnitionem Dei inviteutur, sicut saepe dicunt Psalmi: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Item: Narrabo nomen tuum fratribus meis etc.

Ac de specie Ecclesiae et propriis cultibus hic versus concionatus est, quos cum sciamus requiri a nobis, simus animo parato ad certamina, quae Ecclesiae proposita sunt. Sequens versus eadem repetit, sed nominatim de duce et liberatore Ecclesiae Christo etiam vaticinatur.

Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.

Eo etiam magis amandus est hic versiculus, quia citatus est a Christo ipso, et Apostolis Petro et Paulo, et usui nobis est tripliciter. Primum refutat Iudaeos, qui fingunt Messiam triumphantem et non interfectum a populo suo. At hic versus testatur ipsos pontifices et principes fore hostes Messiae, et futurum ut videatur Messias reiectus et deletus a suo populo, et quidem a principibus. Usitata est enim metaphora aedificantium pro gubernatoribus.

Secundo docet et nos de Ecclesiae persecutione, quod sicut Christum persecuti sunt principes, ita sit Ecclesia subiecta similibus aerumnis. Haec sententia etsi saepe repetitur, tamen et hic continetur.

Tertio docet nos hic versiculus de aedificio Ecclesiae, et ut supra in descriptione Ecclesiae eum complexi sumus, ita sciamus semper in descriptionibus Ecclesiae citandum, proferendum et explicandum esse. Continet enim doctrinam admodum utilem ad fidem confirmandam in piis, qui specie Ecclesiae offenduntur. Videtur Ecclesiae coetus esse desertus, et vagabundus Nomadum aut pecudum more, sine doctoribus et sine defensoribus. At hic versiculus testatur Messiam esse caput anguli, id est, fundamentum, cui Ecclesia incumbit, quod intelligendum est, et de verbo seu doctrina, et de efficacia ac defensione.

Primum enim certa et una doctrina est, tradita per Filium Dei, patribus, Prophetis et Apostolis, sicut ait Ioannes: Filius qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Et aeternus pater clara voce de coelo mandavit, hunc filium audiri, Matth. 17.: Hic est filius meus dilectus, in quo complacitum est mihi, hunc audite. Hic filius certo patefacit voluntatem Dei de reconciliatione, de tollendo peccato et morte, et de danda vita aeterna. Huic filio vult credi, et vult doctrinam eius anteferri totius mundi iudiciis, et opinionibus.

Et Ecclesia unitas consistit in societate huius unius doctrinae Evangelii inde usque a principio ad finem. In hac voce Evangelii, videlicet in promissione Messiae, consociati fuerunt patres ante circumcisionem, et deinde posteritas Abrahae, cum multis qui crediderunt ex gentibus, ut Nahaman Syrus, Nabugdonosor et alii, ac postremo Ecclesia collecta per Apostolos et Iudaeis et Gentibus.

Non enim potest Deus aliter coli aut invocari, nisi Evangelium de Messia amplectamur, et in hoc ipso verbo agnoscamus misericordiam Dei, et statuamus nos exaudiri et salvari. Ideo clamitant Apostoli Petrus et Paulus. Ephes. 2. Ecclesiam aedificatam esse supra hunc lapidem angularem. Idem docet 1. Corinth. 3. inquiens: Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Quare extra hoc ministerium, quod praedicat Filium Dei, non est Ecclesia, nec salvatio, sicut et Petrus Actor. 4. inquit: Non est aliud nomen, per quod oporteat salvos fieri, nisi nomen Christi. Quare sunt exclusi a vita aeterna omnes, super quos non est invocatum nomen Christi, ut gentes ignarae Evangelii, aut blasphemae, ut Epicurei omnium gentium. Item Iudaei, Mahometistae, tyranni, qui defendunt impios cultus Papae, et conantur veram et salutarem doctrinam de beneficiis Filii Dei, et de fide opprimere. Item, Anabaptistae, qui contendunt etiam infantes extra Ecclesiam, et sine invocatione nominis Christi salvari.

Docet igitur hic versiculus, quae sit Ecclesia, et ut conspici possit, proponit certam notam, scilicet hunc lapidem angularem, hanc unam doctrinam traditam inde usque ab initio de Filio Dei salvatore. Impietas et impostura est, proponere aliam doctrinam, pro fundamento seu lapide angulari, dissentientem ab Evangelio, sicut faciunt Iudaei, Mahometistae et defensores errorum pontificiorum.

Caeterum ubi verum fundamentum retinetur, si in externis noribus Ecclesia habet aliquas traditiones, hae non aequentur fundamento, nec dicantur esse res necessariae, sed adiaphorae, institutae propter politicum ordinem, ut sunt feriae et certae lectiones. Nullae tales res possunt esse fundamentum aut lapis angularis perpetui aedificii, quod manebit in vita aeterna.

Secundo, Lapis angularis est seu fundamentum Christus, non tantum propter doctrinam, sed etiam propter efficaciam. Id considerari hoc loco necesse est. Oportet enim discerni Filium Dei salvatorem a patribus et Prophetis et caeteris ministris. Dicat enim fortassis aliquis, cur non et Moises intelligitur lapis angularis, cum et ipse sit architectus pulcerrimi aedificii, scilicet, politiae Israël, hoc est, doctor legis, qua consociatus est populus Israël.

Sed respondendum est, hic fieri mentionem de lapide angulari, qui non tantum est doctor, sed salvator et liberator a morte aeterna, qui discernendus est a patribus, Prophetis et caeteris ministris, sicut Iohannes Baptista aliquoties monuit. Patres, Prophetae et caeteri ministri, tantum sunt doctores: at filius Dei est et doctor Evangelii et salvator. Et est semper efficax in Ecclesia, remittit peccata credentibus, exaudit, dat Spiritum sanctum, sanctificat corda credentium, liberat eos a tyrannide diaboli, regit eos mirabiliter et iuvat in periculis, dat vitam aeternam, et depellit diabolum. Haec assidua beneficia impertit verae Ecclesiae, sicut et alias saepe dicitur: Sine me nihil potestis facere. Item: Ascendit, captivam duxit captivitatem, dat dona hominibus. Non cogitemus ociosum esse dominum, sed hic lapis angularis vere sustentat, et gestat nos, ac vult beneficia a nobis intelligi, et fide peti, quae quidem experiuntur sancti in assiduis liberationibus, sicut viderunt Ecclesiam mirabiliter servari et defendi, Noë, Moises, Samuel, David, Ezechias, Ieremias, Daniel, Apostoli et caeteri pii. Estque hic cultus verae Ecclesiae, in hac fide invocare Deum, petere et expectare auxilium et liberationem, propter Messiam, qui est lapis angularis. Sicut ipse clamitat: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Item: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. Item:

Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Item: Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Has sententias nobis inculcemus, ut discamus, quare vocetur Filius Dei Lapis angularis, ac gestator Ecclesiae, et nos hac doctrina et consolatione ad fidem, invocationem, et ad veros cultus excitemus.

Et quoniam fit aedificii mentio, consideremus quae sint in politiis praecipua, Caput, ordo personarum, et gloria. Haec quo modo sint in aedificio Ecclesiae, docet hic versus.

I.

DE CAPITE ECCLESIAE.

Dissimilis est Ecclesia imperiis seu regnis mundanis. Sicut clare dicit Paulus: Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Item: Qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et Galat. 3.: Omnes filii Dei estis per fidem in Christum Iesum, Non est Iudaeus, nec Graecus, non servus, nec liber, non mas, nec foemina. Quanquam igitur vagatur in terris Ecclesia, et habet externum ministerium Evangelii et Sacramentorum, et res magnas gerit, dimicat cum diabolo, et impietate mundi, tamen in terra non habet caput, hoc est, regem ut caetera regna, qui ferat novas leges populi Dei, aut mutet, aut inflectat doctrinam a Deo traditam, aut cogat exercitu et armis adversarios obtemperare Evangelio, aut defendat armis populum Dei, sed regnum est coeleste seu spirituale, corpora subiecta sunt cruci, mentes vero praeliantur adversus diabolum et mundi impietatem. Habent autem caput, scilicet Filium Dei, qui adest ipsis, et primum regit eos una et immutabili Evangelii voce, deinde adiuvat etiam Spiritu sancto, corroborat contra carnem, et defendit contra diabolum, reprimit et furores tyrannorum, sicut Danielem in lacu leonum servabat.

Nec enim intelligatur caput Ecclesiae, ociosus titulus, sed Filius Dei vere est efficax, iuvat et vivificat invocantes, sicut saepe scriptum est: Ego sum vitis, vos palmites, Sine me nihil potestis facere. Et Paulus describens Ecclesiam et caput ad Ephes. primo ait: Et omnia subiecit pedibus eius, et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiae, quae est corpus ipsius, videlicet coetus perficientis omnia in omnibus. Poëtae ludunt, cum fingunt Iovem in coelo ociosum convivia agitare, sed tamen cogitationes humanas de Deo pingere volebant. Et sic cogitant de Christo multi, sedere ociosum in coelo. Ac talia somnia confirmantur in stultis, cum proponitur aliud caput Ecclesiae in terris, videlicet Romanus pontifex, et tribuitur ei autoritas tanta, ut verum caput obscuretur.

At contra omnia haec deliramenta teneantur sententiae, quae docent Filium Dei esse caput, assidue efficax in sanctis, et velle, ut hanc efficaciam experiamur in quotidianis certaminibus, et quotidiana invocatione. Perficit omnia in omnibus, iuvat Davidem adversus Goliath, sustentat eum, et vere est lapis angularis, cum pellitur in exilium, et oppugnatur sensu irae Dei propter peccata, et metu aeternae poenae, terroribus diaboli, odiis et furore seditiosorum. In tantis periculis erigit se promissione misericordiae, Sustentatur ergo a Filio Dei, tanquam lapide angulari, et exitus sunt gloriosi, sicut hic dicitur: *Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.* Sentit David se revocari ex pavoribus et morte, remitti peccata, liberatur ab hostibus, et crescit in fide et donis spiritualibus. Ita Filius Dei qui caput est, omnia in eo perficit.

Sic et nos capitis et ducis nostri praesentiam et efficaciam experiamur. Nec sinamus nobis offundi nebulas per carnales imaginationes et *κακοζηλίας*, quae transformant Ecclesiam in regnum mundanum, et imponunt scenicum caput, pontificem Romanum, cum illa externa dominatio res aliena sit ab Ecclesia. Nunc dicamus de ordine.

II.

DE ORDINE IN ECCLESIA.

In imperiis ordo instituitur, cum discernuntur principum et officiorum gradus, ut aliud est ducis, aliud senatoris, aliud quaestoris officium, alius gradus militum, alius artificum. Ita in Ecclesia docent adversarii, episcopos iure divino antecellere caeteris ministris Evangelii, addiderunt etiam Senatum Cardinalium, et multos gradus fecerunt, quasi Ecclesia sit humana politia.

Praecipue autem de hoc articulo pugnant, quod Ecclesia alligata sit ad ordinariam successionem episcoporum. Ex qua hypothesi ratiocinantur, nullam esse ordinationem, nullum ministerium, nullam remissionem peccatorum apud eos,

qui non habent episcopos ordinaria successione regnantes.

Hanc perniciosam opinionem necesse est refutari. Nam Ecclesia non est alligata ad certum locum, aut certarum personarum successionem, sicut clare ait Christus, cum dicent: Ecce hic est Christus, aut illic est, nolite credere. Item: Regnum Dei non venit cum observatione. Sed Ecclesia tantum ad verbum Dei alligata est, et hac mente et voluntate coniuncta est veris ministris, ubicunque sunt, a quibus discit Evangelium, sicut Ecclesia in Babylone, credens doctrinae absentis Ieremiae, tamen eius ministerio fruebatur. Ita nunc multi pii inter adversarios voluntate coniuncti sunt cum ministerio Ecclesiarum nostrarum, unde discunt Evangelium.

Idem docet hic versiculus: *Lapis quem reprobaverunt, hic factus est in caput anguli.* Testatur enim non humanam doctrinam, aut humanas ordinationes de locis, aut successione, sed Christum esse lapidem angularem, hoc est, fundamentum super quod extructa est Ecclesia.

Quoties lux Evangelii in successione ordinaria extinguitur, necesse est aliam doctrinam quaeri, sicut dicitur: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Si oculis humanis Ecclesiam intuens, videas coetum esse sine externo et conspicuo capite et duce, deinde vagabundum, et non habentem in una certa sede continuos episcopos et moderatores, qualis videbitur dissipatio esse? Quid minus congruit ad politicum ordinem, quam tollere autoritatem ordinariae successionis? Et tamen necesse est regulam teneri: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

Et retinent pii seiuncti ab impiis episcopis, verum ministerium, veram ordinationem, verum usum Sacramentorum, remissionem peccatorum, et donationem Spiritus sancti et caetera beneficia Christi. Haec sunt in coetu pio, etiamsi discesserit ab impiis episcopis ordinaria successione regnantibus, quia certissimum est Ecclesiam Dei vere ex Evangelio pendere, et nasci voce Evangelii, et non certas personas, aut certa loca alligatam esse.

Ideo consolatur Christus Apostolos, admonens, ne moveantur scandalo dissipationis, cum eiicientur ex synagogis. Grata et dulcis est res, pius consensus episcoporum et Ecclesiarum, ut dicitur in Psalmo: Ecce quam bonum, etc. Sed cum episcopi belligerantur cum Christo, necessario deserendi sunt. Interim vero unitas Ecclesiae manet, conservata unitate verae doctrinae, quam summo studio tueri debemus. Hoc vult Paulus, inquiens, Ephes. 2. Ecclesiam esse aedificatam supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, id est, certum verbum per Prophetas et Apostolos traditum.

Haec admonitio et consolatio necessaria est piis, ut se confirment adversus terribilia iudicia eorum, qui sine modo amplificant ordinariam successionem, cum reipsa hoc agant, ut eo praetextu abstrahant pios a verae doctrinae professione. Nec paucos hae fucosae laudes ordinariae successionis decipiunt.

Sed quaerat aliquis, An non etiam gradus diversi sint ac ordo? Respondeo: Est in Ecclesia vera ministerium docendi, sunt doctores ac pastores alicubi, ut scriptum est, Alios quidem dedit doctores, alios pastores, ne circumferamur variis ventis doctrinae. Est igitur officium, et sunt gradus donorum. Sed hinc non sequitur, iure divino episcopum, a presbytero discernendum esse. Imo Hieronymus aperte testatur, non esse iure divino diversos gradus episcopi et presbyteri. Loca nota sunt, ad Eugubium, et in commentario ad Titum.

III.

DE GLORIA ECCLESIAE.

Deus vult regna gerere res gloriosas, tueri iusticiam, coniugia, virtutem, depellere tyrannos, punire et arcere flagitia. Ideoque Deus iusta imperia adiuvat, et ornat victoriis et opibus. Hac imitatione pontifices et Ecclesiam voluerunt esse stipatam regum armis, cumulatam opibus, armatos potentia superioris gradus, et ornatos dignitatibus, ut Cardinales essent summus senatus, antecellens opibus, potentia et dignitate: post hos collocarunt Archiepiscopos et Episcopos. Hanc potentiam, et has opes et victorias, quibus praesentem statum quoquo modo tuentur, iudicant esse gloriam Ecclesiae. Imo etiam affinxerunt, pontifices esse regnorum dominos, habere utrunque gladium. Et perfidiose accommodarunt huc dicta quaedam in Evangelio et Prophetis, ut: Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Item: Ecce duo gladii hic. Item Esa. 49.: Et erunt reges nutritores tui; et

reginae nutrices. Capiuntur autem animi humani potentia, opibus, victoriis, rebus secundis, voluptatibus, ideo multi vere putant hanc esse gloriam Ecclesiae, ac sequuntur eam Ecclesiam, quae his bonis floret.

Sed sciendum est, longe aliam esse speciem verae Ecclesiae, Nec divitiae, nec paupertas, nec potentia, nec miseriae, nec regum coniunctio, nec disiunctio constituunt Ecclesiam. Imago proponi potest verae Ecclesiae ex historia exilii Babylonici, ibi imperium plerunque penes impios reges erat, et tamen interim erant coetus exulum Israëlitarum, qui ibi vagabantur, et tamen interim erant coetus exulum Israëlitarum, qui ibi vagabuntur, et verbum Dei ac veros cultus profitebantur: hi magna ex parte erant homines inopes, despecti, sine praesidiis, obnoxii saevitiae tyrannorum propter confessionem, ut cum tres viri nolentes adorare statuam, coniiciebantur in flammas fornacis. Interdum habebant adiunctos reges, sed hos quoque exercuerunt tristissimae aerumnae, ut cum Nabogdonosor coepit furere, sed cum Darius Medus principum impiorum conspiratione victus, Danielem obiecit leonibus.

Denique non dubium est, Ecclesiam omnibus aetatibus, et singula membra, alia aliter, oppugnari a diabolo, et organis eius, et variis modis excruciari. Sicut historiae inde usque ab initio ostendunt, Abel, Abrahae, Isaac, Iacob, populi servientis in Aegypto: deinde regum, Davidis, Ezechiae et populi abducti in exilium. Postea saevitium est in Christum, Apostolos, Martyres. Talis plerunque est Ecclesia, sine ulla certa humana defensione. Nam etiamsi interdum principes aliqui sunt aequiores, tamen id nunquam est diuturnum, ut in Aegypto et Babylone pauci reges fuerunt pii. Et non vult Deus Ecclesiam niti praesidiis humanis, sicut docet Propheta: Nolite confidere in principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus.

Est igitur Ecclesia, dissipatus coetus exulum, erronum, despectorum, qui nullam certam humanam defensionem habet, sive sint divites, sive pauperes, reges seu servi, omnes sunt obnoxii ingentibus periculis, ut Constantino Licinius adversabatur, Theodosio Eugenius et alii. Sed oportet in hoc despecto coetu lucere Evangelium, ac veram Dei noticiam, et multas excellentes virtutes in confessione.

Sic non solum in exemplis Ecclesia proponitur oculis totius mundi, sed etiam talis pingitur in concionibus omnium Prophetarum, Christi et Apostolorum. Psalmo 43.: Dedisti nos tanquam oves escarum, et in gentibus dispersisti nos. Haec omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, et inique non egimus in testamento tuo. Propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis. Esaiae 30.: Dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem, et non sinet avolare a te ultra doctorem tuum. In hoc dicto et plerisque similibus multa simul continentur. Praecipuum munus est Ecclesiae, professio Evangelii. Ideo ait: Non sinet auferri doctorem tuum. Deinde, ne penitus extinguatur noticia Dei, Deus conservat Ecclesiam, et dat ei aliqua hospitia et victum. Ideo dicitur: Dabit vobis Dominus panem et aquam. Sed tamen Ecclesia semper est subiecta cruci. Ideo dicitur: Panem arctum, et aquam brevem. Magna autem consolatio est, quod testatur in his miseriis, tamen non interituram esse. Denique hic totus Psalmus docet, Ecclesiam subiectam esse cruci, et hic versiculus idem repetit, cum ait: Lapis, quem reprobaverunt aedificantes.

Quanquam igitur humana et carnalia iudicia offendit haec species Ecclesiae, quod non habet gloriam similem imperiis, certa regna, potentiam, opes, praesidia, defensionem humanam, sed est dissipata, laceratur a tyrannis et aliis impiis: tamen interim habet admirandam et veram gloriam multiplicem, dissimilem regnorum, ut Danielis gloria, servati inter leones, quanto maior est, quam gloria omnium regum Babylonicorum.

Enumerabimus autem aliquos gradus.

Primus est, habere verbum Dei certum, et agnitionem veri Dei, iudicii divini, et vitae aeternae, et futurae gloriae. Propter hanc causam Paulus, Ephes. 2.: Credentes Evangelio vocat lucernas in mundo. Et pertinent huc dicta Moisi et Davidis. Deuter. 4. En populus sapiens, intelligens et gens magna. Nec est alia natio tanta, quae habeat Deum appropinquantem sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.

Hic Moises praedicat hoc summum beneficium, possessionem verbi Dei, et agnitionem veri Dei, ad quae dona accedit et hoc, quod longe maximum est omnium, quod certo scit Ecclesia, se curae esse Deo, et ab eo exaudiri et salvari, de

quo dono postea dicetur. Prius enim et Psalmi dictum adiiciam. Psal. 147.: Non fecit taliter omni nationi, et iudicia sua non manifestavit eis.

Ethnici fatentur se nihil de Deo certi scire, non habere traditam doctrinam divinitus, nihil scire certi de vita aeterna. Haec fatentur Ethnici ex omnium gentium historiis. Et quanquam rident Ecclesiam, iactitantem se habere certam de Deo doctrinam, tamen ipsi prius suam ignorantiam confitentur, postea damnant ignota. Quod vero Ecclesia non sit incerta de verbo accepto, testatur tota historia populi Israël. Nam omnia miracula omnium temporum in populo Dei, praecipue edita sunt propter hanc causam, ut dicant testimonium de hoc verbo, revelato per patres et Prophetas, et tota politia populi Dei conservata est propter hanc causam, ut esset custos huius verbi, et certo testimonio hoc verbum propagaretur.

Ad haec testimonia accessit resuscitatio mortuorum, facta per Eliam, Elisaeum, Christum et Apostolos. Haec convincunt etiam gentes, ut maxime praefracti homines, et impediti laqueis diaboli repugnent agnitae veritati. Nobis autem sunt satis certa testimonia, nos scimus hanc doctrinam a Deo certis et non fallentibus testimoniis acceptam esse.

Scimus et hoc, antiquissimam esse hanc doctrinam, et primam omnium de Deo. Nulla enim gens habet historiam ullam de initiis mundi, et certa serie annorum. Haec copiose possent tractari, et sunt cogitationes piis utiles et honestae, et haec ipsa praerogativa, si volumus vere iudicare, magna gloria est Ecclesiae. Sed gradus sequens est maior.

Secundus gradus ex priore oritur. Quid potest dici maius, gloriosius, melius et gratius homini, quam, quod vere ita se res habeat, quod Deo aeterno conditori curae simus, quod exaudiamur, defendamur, iuvemur, donemur vita aeterna. Mens humana longe est angustior, quam ut capere tantam liberalitatem Dei possit. Ideo non assentitur, quia non arbitratur tantam esse Dei bonitatem, ut se sic demittat, et effundat in nos sua bona. Quare et profani irrident Ecclesiam haec iactantem de Dei praesentia. Sed Ecclesia est certa ex verbo, et plurimis liberationibus, quas subinde experitur.

Econtra caeterae gentes fatentur se dubitare, an in invocatione exaudiantur a Deo. Imo leguntur innumerabiles loci in poëtis, et aliis scriptoribus, in quibus manifesta confessio est dubitationis de providentia, ut apud Virgil.:

> An te genitor, cum fulmina torques,
> Nequicquam horremus? etc.

Sed de Ecclesia inquit Moises, ut antea citavi, Deum adesse obsecrationibus nostris. Imo toties repetita sunt mandata de invocatione, et additae promissiones, ut: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te. Item: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum. Huc adde omnia similia testimonia, quae sunt innumera. Necesse est autem, pios aliqua certa semper in conspectu habere, ut contra doctrinam de dubitatione nos muniamus, et ut veram gloriam Ecclesiae intelligamus.

Tertius gradus est, Etsi est subiecta cruci Ecclesia, tamen hoc ipsum est miranda gloria, quod deleri non potest, et conflictata cum omnibus monarchiis, tamen mansit.

Quartus gradus. Quod in his certaminibus, subinde habet insignes liberationes, et tantum divinas, ut cum Noë in diluvio servatus est, cum mare rubrum praebuit transitum Israëlitis, cum deinceps donatae sunt Samueli, David, Ezechiae et aliis mirabiles victoriae, cum Elias, Elisaeus, Esaias, Ieremias, Daniel, res maximas gesserunt, et fuerunt tuti adversus tyrannos, nullis humanis praesidiis, sed tantum mirabili gubernatione divina. Horum Prophetarum victoriae longe superant omnium regum triumphos.

Quintus gradus, Impiae gentes habuerunt fanaticos vates, quarum vaticiniis etsi saepe responderunt eventus, tamen ipsae praedictiones fuerunt ambiguae et fallaces, et ne ipsi quidem allegaverunt Deum autorem, sed observaverunt quaedam signa, in extis, in avium volatu, aut aliis rebus.

Sed Ecclesia longe alios Prophetas habet, qui allegant Deum, et miraculis probant, quod habeant a Deo mandata. Nec sunt ambiguae eorum praedictiones, sed perspicuae, definientes momenta temporum. Praeterea utilitas sequitur has prophetias, quod per eas invitantur multi ad agnitionem veri Dei, et pii confirmantur, ut Ioseph expresse dicit numerum annorum, quibus magna ubertas frugum futura erat, deinde eorum, quibus erat futura sterilitas, difinit tempora, monet quomodo gentes illae servandae sint, et hoc ipso

beneficio confirmat pios, et multos invitat ad agnitionem Dei. Tales fuerunt et Moisi, Eliae, Elisaei, Esaiae, Ieremiae, Danielis et multorum aliorum prophetiae. Tales Prophetae fuerunt et Apostoli.

Et quanquam posteriora tempora Ecclesiae non habent coram mundo gloriam tantam, quanta fuit Prophetarum in Israël, tamen interdum Deus excitat vel Prophetas futura dicentes, qualis scribitur fuisse Methodius martyr, episcopus Lyciae, et multi alii. Interdum sine praedictionibus doctores excellentes, per quos renovat doctrinam, et repurgat Ecclesiam, quos etiam mirabili modo defendit, sicut excitavit Ambrosium, Augustinum, et passim aliquos magnos viros postremis temporibus, sed obscuriores, ut Taulerum aut similes.

Et nunc incoata est emendatio Ecclesiae, quam esse a Deo, primum testatur ipsum doctrinae genus, quia non tradit res novas extra verbum Dei, sed revocat Ecclesiam ad ipsum purum Evangelium Dei, ubicunque autem est purum Evangelium Dei, ibi necesse est esse veram Ecclesiam. Sicut Christus ait: Qui ex Deo est, verbum Dei audit.

Secundo, habemus et hoc testimonium Spiritus sancti, quod res patefactae sunt necessariae et spirituales, de poenitentia, consolatione, quae fit per fidem. Hae res non poterant deprehendi, aut cerni ingeniis humanis. Sed tantum lumine Spiritus sancti per verbum, in cruce agnoscuntur.

Tertio, videmus etiam divinitus defendi hanc doctrinam, cum diabolus undique adversus eam exuscitet hostes, pontifices, reges, principes, impium vulgus, imo etiam Turcas. Ideo enim diabolus impellit Turcas, ut in haec loca irrumpant, ut extinguant lucem Evangelii, excitat etiam varia scandala inter nos ipsos, ut deformet Evangelium. Inter haec pericula tamen fulsit Evangelium, et ut speramus fulgebit. Haec ipsa magnitudo periculorum, et indignatio diaboli commoventis totum mundum adversus nos, est signum, quod doctrina Ecclesiarum nostrarum sit Evangelium Dei.

Sextus gradus est, Etiamsi Ecclesia vera est aerumnosa, sine opibus, sine potentia, et multi pii interficiuntur a tyrannis, tamen ipsae virtutes Ecclesiae sunt magna gloria. Sicut mens humana naturaliter detestatur crudelitatem, vagas et promiscuas libidines, periuria, calumnias, quibus vitiis omnibus tyranni abundant: ita econtra miratur et probat iusticiam, castitatem, constantiam in perferendis cruciatibus, propter confessionem rectae sententiae.

Ideo magna est Ecclesiae gloria in illis ipsis certaminibus, in quibus tyranni suam saevitiam explent: ut etiam ethnici spectatores magnitudinem virtutis in Laurentio, cum viderent eum ambustum tyranno insultare, magis mirati sunt, quam potentiam tyranni. Quare et exempla virtutum omnis generis, multos ad Evangelium invitaverunt.

Septimus gradus est, Haereditas vitae aeternae, in qua sancti perpetuo laetabuntur cum Deo, et fruentur dulcissima consuetudine angelorum, patrum, Prophetarum, Apostolorum, et aliorum summorum virorum. Haec gloria nondum in hac vita conspicitur, sed tamen nos credentes Evangelio, certa spe et expectatione tanti muneris consolari nos ipsos debemus, et iudicare ingentem gloriam esse, quod iam simus haeredes tanti honoris, sicut Paulus inquit, gloriari nos in spe vitae aeternae. Sed haec gloria magis conspicietur post hanc vitam.

Est autem et hoc considerandum, quod impii fatentur se dubitare de futura vita, et sunt contumeliosi in Deum, dubitant an sit providentia, an iusti sint habituri praemia, scelerati poenas. Haec ipsa dubitatio est magna labes in mente humana, et est contumeliosa in Deum.

Nos igitur hoc nomine antecellimus, quod statuimus restare vitam, et iudicium post hanc vitam, et eius rei tenemus certam fidem, confirmatam in animis luce verbi Dei, motu Spiritus sancti, et multis illustribus argumentis et testimoniis, resurrectione Christi, et aliorum sanctorum. Haec ipsa sapientia est ingens gloria, et tribuit Deo providentiam et iusticiam. Recensui praecipuos gradus gloriae, quos vera Ecclesia opponere impiorum gloriae debet. Nam et afflictiones nostras et gloriam considerare nos convenit, ut nos erudiamus, consolemur et confirmemus.

Haec ut de Ecclesia colligerem, admonuerunt me dulcissimi versiculi: *Lapis quem reprobastis, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est hoc, et est mirabile in oculis nostris.* Ut enim agnosci possint haec mirabilia opera Dei in Ecclesia, dicendum hic fuit, quid sit Ecclesia, qualis eius sit species coram mundo, qualis politia, seu quale ministerium, quae sit

autoritas, et quae gloria sit. Ac necesse est veras Ecclesiae notas, et admiranda dona intelligere ac agnoscere, ne specie et potentia illius coetus decipiamur, qui sibi titulum Ecclesiae falso arrogat, et belligeratur cum vera Ecclesia.

Et haec ipsa consideratio dulcissimam consolationem piis affert. Iuvat intueri patriam, multo magis delectemur cogitatione huius verae et aeternae patriae, in qua non inter tyrannos, et portenta scelerum vivemus: sed fruemur conspectu et sapientia Dei, et liberatoris nostri Iesu Christi, audiemus sapientissimos patres et Prophetas. Hic coetus est vera patria, quam ardentibus votis omnes expetamus.

Haec est dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea.

Descripsit antea victoriam Messiae, qua Ecclesia constituta et liberata est. Nunc eiusdem victoriae commemoratio repetitur, adiecta mentione temporis. *Haec est dies quam fecit Dominus*, id est: Hoc est tempus Novi testamenti, in quo genus humanum liberatum est a peccato et a morte, iuxta testamentum, id est, pactum et promissiones Dei, datas patribus.

Ac ut constituatur certus dies, quo promissiones completae sunt, et victoria Messiae parta est, qua victoria universa Ecclesia praecedens et secutura salvatur, recte hic intelligitur ipse dies resurrectionis Messiae, qui est praecipuus dies totius Novi testamenti, inde ab initio Ecclesiae, usque ad finem.

Facienda est enim collatio duorum dierum. Cum Eva et Adam lapsi sunt, dies luctus et aeternae irae ac mortis oppressit totum genus humanum. Eius diei aerumnas non fecit Deus, sed diabolus. Et durat ille funestus dies impiis, semper et omnibus temporibus. Econtra vero cum Christus superata morte resurrexit, liberavit genus humanum a peccato et a morte, sic ut omnes intuentes in eum diem, et id beneficium fide, id est, fiducia Filii Dei, accipientes quocunque tempore, fiant iusti et haeredes vitae aeternae.

Huius diei beneficium, id est, restitutio vitae aeternae, certe non est illius creaturae opus, sed Dei munus. Hic vere est autor huius diei, hic per Messiam praestitit hoc ingens beneficium, hunc voluit esse patrem, id est, autorem et incoatorem aeternae vitae, ut inquit Esaias.

Et sicut dies mortis durat impiis perpetuo, sic agnitio et fructus huius diei, quo vicit et triumphat Messias, pertinet ad universam Ecclesiam omnium temporum. Sic in patribus incoata est vita aeterna, intuentibus in hunc diem victoriae et triumphi Messiae, et fide hunc autorem et patrem vitae aeternae apprehendentibus. Ita Novum testamentum, non annorum numero, sed agnitione beneficii discernatur a die mortis.

Cum autem agnovimus huius diei victoriam, et fide munus accepimus, vere exultant et laetantur animi. Ideo sequitur: *Exultemus et laetemur in ea.* Primum in nobis ipsis complentur corda inenarrabili laeticia, cum liberantur a terroribus peccati et mortis, et concipiunt consolationem, sicut Paulus inquit: Fide iustificati pacem habemus. Et Christus de Abraham inquit: Abraham vidit diem meum, et laetatus est. Agnovit venturum hunc diem, quo Messias aboliturus erat peccatum et mortem. In ea luce agnovit misericordiam Dei et remissionem peccatorum, et mirabili laeticia sensit sibi dari vitam aeternam.

Sed haec laeticia non potest existere, nisi recte agnoscatur hic dies, id est, nisi recte teneatur Evangelium de Filio Dei. Donec animi sauciantur legis voce, fugiunt Deum, non laetantur, id est, donec imaginantur has voces, Exultate, Laetamini, ad alios pertinere, nec posse laetari, nisi eos qui sunt digni, sine peccato, nondum agnoscunt hunc diem, nondum norunt Evangelium. Sed sciant gratis propter Messiam promitti reconciliationem et imputationem iusticiae. Sciat quisque ad se pertinere has voces: Exultate, Laetamini, et gratis donari hoc beneficium et indignis. Scit Deus te oppressum esse moesticia, propter peccatum haerens in carne. Ideo praecipit quanquam indigno, ut laeteris, vult te statuere, quod quanquam indignus sis, tamen propter hunc victorem et mediatorem Deo placeas. Ita cognito Evangelio de gratia, id est, gratuita acceptione seu imputatione iusticiae, corda laetari et accipere beneficia Filii Dei, et invocare Deum possunt.

Porro Laetari et Exultare non tantum arcanam laeticiam significat, sed etiam complectitur gratiarum actionem, invoctionem, praedicationem, confessionem, et in omni obedientia studium celebrandae huius victoriae, et glorificandi Filii Dei, et constantiam in subeundis periculis et aerumnis, quae non potest existere, nisi cor pa-

catum sentiat se habere Deum propicium et adiutorem. Postquam igitur de laeticia dixit, quae invocationem et celebrationem continet, iam subiicit exemplum invocationis et celebrationis.

O Domine, da salutem, da prosperitatem. Benedictus qui venit in nomine Domini.

Ut Christo ingredienti in urbem Ierosolymam, pii canebant hunc versum, precantes Deum, ut hoc suum regnum constitueret, augeret, defenderet, ita omnibus temporibus Ecclesia clamitat: *O Domine, da salutem.* Adesto huic tuo regno, fac ut illucescat in animis nostris dies Evangelii tui, ut recte agnoscamus victorem, adiuva nos tuo robore, ut te celebrare et tibi obedire possimus. Depelle diabolum molientem dissipationem tui regni, serentem falsa dogmata et scandala, reprime tyrannos et fanaticos.

Denique prorsus idem petit Ecclesia in his verbis, Domine da salutem, da prosperitatem, seu prosperos successus, quod petit in precatione quotidiana: Sanctificetur nomen tuum, id est, nomen tuum nobis sancte, id est, pure innotescat, data vera et pura Evangelii doctrina: Adveniat regnum tuum, id est, rege tu nos, per verbum tuum et Spiritum sanctum, et incoa in nobis aeternam iusticiam et vitam: Fiat voluntas tua, ut in coelo, ita in terra, obediant tibi doctores, gubernatores, et caeteri in sua quisque vocatione, ut nomen tuum non deformetur scandalis, ut consulatur communi saluti Ecclesiae, sint gloriosi successus Evangelii, ut erant Eliae, Elisaei, Esaiae, Ioannis, Christi, et Apostolorum successus, quia nisi tu traxeris mentes hominum, non potest hoc regnum crescere, sed quia elegisti tibi hoc regnum, et vis constituere et glorificare, sicut promisisti, te invocamus, ut adsis et adiuves nos.

Ac mox adiectae sunt promissiones, ut nos confirment, et ad invocationem, spem, confessionem, et certamina accendant. Et postquam in genere pro regno precatus est Propheta, addit testimonium, quo peculiariter regem ipsum celebrat, et nobis commendat, inquiens:

Benedictus qui venit in nomine Domini.

Ut saepe dixi, In his brevibus dictis necesse est intueri universam scripturam propheticam, quia hae breves admonitiones ita proponuntur, ut mandentur memoriae, tanquam symbola continentia summas promissionum. Et Propheta velut digitum intendens ad ipsas promissiones, edit hanc vocem.

Duae sunt insignes particulae in hoc brevi versiculo: Ait, Messiam venientem in nomine Domini, benedictum esse. Generaliter venire in nomine Domini, est venire, iubente, gubernante et adiuvante Deo, cum mandatis Dei et invocatione nominis divini, sicut Paulus inquit: Omnia facite in nomine Domini. Complectitur enim haec omnia, vult nos ea suscipere, quae Deus praecepit, et invocare Deum, ut gubernet negocia, et fiducia mandati et auxilii divini, non nostrae sapientiae aut virium nostrarum pergere.

Venerunt igitur in nomine Dei ad populum, Moises, David, Elias, et alii Prophetae, quia vocati susceperunt ministeria certa, Deo mandante, quae et gubernavit Deus, et ipsi invocantes Deum, res magnas feliciter gesserunt.

Haec communia conveniunt ad Filium Dei, sed tamen ipsius vocatio maior est. Ideo diligenter consideranda est haec descriptio: Venit in nomine Domini, non solum iubente, gubernante, adiuvante Deo, cum invocatione patris aeterni, adferens mandata, et vocatus ad certum ministerium, sed venit ut filius, propter quem caeteri omnes dilecti et missi sunt. Venit ut adferret e sinu patris Evangelium, et fieret non tantum doctor, sed liberator, et quidem in nomine Dei, hoc est, adiutus non ut caeteri, sed habens divinam potentiam, autor vitae aeternae, sicut ipse inquit: Omnia mihi subiecta sunt in coelo et in terra.

Et quia promissus erat patribus talis liberator, hunc venientem in nomine Dei, hic intelligamus venientem, non communi conditione, ut venerunt Iosue aut David, sed sicut promissus est mandante Deo et in potentia divina, ut aboleret regnum peccati et mortis. Referenda est igitur haec vox huius Psalmi ad promissiones.

Ideo addit: *Benedictus.* Nam et hic intelligit non tantum benedictum, id est felicem, sicut erant benedicti et felices, Abraham, Ioseph, Samuel, aut similes: sed admonet lectorem Psalmus de promissione, data patribus, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Eo respicit, et significat hunc Messiam venientem, iubente Deo adferentem nova mandata, ac venientem cum

divina potentia, primum esse qui sit benedictus, Deo dilectus, propter quem caeteri diliguntur, quos liberaturus est a maledictione, quae oppressit genus humanum.

Itaque et benedictus est ipse, sicut pater aeternus inquit: Hic est filius meus dilectus, quo delector. Et donatus est nobis, ut propter eum nobis benedicatur, a patre aeterno, et ut ipse filius sit benedictor, id est, ut propter eum donentur remissio peccatorum, iusticia, vita aeterna, et alia bona, et ut ipse sit donator iusticiae et vitae aeternae.

Fit illustre dictum Psalmi, cum refertur ad illam dulcissimam promissionem: In semine tuo benedicentur omnes gentes, quia satis constat ibi benedictionem intelligi, liberationem a peccato et morte, et donationem iusticiae et vitae aeternae, ac opponi maledictioni primae, cum natura hominis oppressa est ira Dei, ruens in peccatum et in mortem.

Nec opus est longa enarratione. Sed ipsi discamus his amplissimis promissionibus fidem nostram exuscitare. Quoties invocamus Deum, mens intueatur mediatorem Filium Dei, et cogitemus nos propter hunc recipi, exaudiri, iuvari et salvari, quia hoc decretum aeterni patris immutabile est, et iureiurando ipsius sancitum: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Item: Benedictus qui venit in nomine Domini. Certo propter hunc benedictum filium vult nos, qui fuimus subiecti irae et maledictioni, recipere et benedicendo iubere, ut simus liberati ab omnibus malis. Utinam his tantis promissionibus serio moveremur, et inflammarentur animi, ut excitata fide, disceremus vera invocatione hanc benedictionem, et salutem promissam petere, expectare et vero corde celebrare. Hoc affectu et Propheta in Psalmo addit epiphonema de ministerio Evangelii.

Benedeximus vobis de domo Domini.

Antea cecinit victoriam et beneficia Christi. Nunc addit adhortationem, suo et communi Prophetarum nomine, ad universam Ecclesiam, ut res easdem celebret, id est, ut ministerium conservet, et propagare studeat. Estque hic brevis versiculus, dulce encomium ministerii Evangelii, admonens, quid sit docendum, quod sit munus doctorum, et quae sit Ecclesia.

Et ut hinc incipiam. Ecclesia est domus Dei, in qua benedixerunt nobis patres et Prophetae, hanc benedictionem Filii Dei proponentes et clamitantes: Deus, dominus illuminator noster. Sic alligat Ecclesiam principio ad verbum Prophetarum, Ubi etiam ipsorum patrum et Prophetarum certamina cogitemus, quae in Evangelii propagatione sustinuerunt. Cum enim inquit David: *Benediximus vobis ex domo Domini*, id est, nos, qui sumus in domo Domini, benediximus vobis, docuimus hanc benedictionem, et eam magnis certaminibus propagavimus, Intuere animo stantes in templo patres, Adam, Seth, Enoch, Noë, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, Moisen, Davidem, Eliam, Elisaeum et alios. Omnium haec una vox est: *Benediximus vobis de domo Domini.*

Ut sunt in choris certi, qui incoant cantilenas, et praecinunt reliquae turbae, et vocantur Exarchi, ita sunt in Ecclesia patres et Prophetae. Idque quanquam est gloriosum populo Israël, et nos gratiam illis doctoribus debemus, tamen ideo praecipue significatur, ut sciamus Ecclesiam alligatam esse ad verbum traditum per patres, Prophetas, Christum et Apostolos. Hi omnes sunt Exarchi Ecclesiis collectis ex gentibus.

Ut autem definitionem Ecclesiae sumamus ex hoc loco, non solum dicemus, quae personae sonent hunc versiculum, sed etiam quid sonent, videlicet Benedictionem: brevis vox est, sed referenda ad promissiones. Nec quicquam dici maius potest, quam quod illa Ecclesia patefecerit nobis benedictionem, promissam a Deo, quae primum exhibet aeterna bona. Postea addit etiam multa praesentia, sicut inquit Paulus 1. Tim. 4. pietatem habere praesentis et futurae vitae promissiones. Haec benedictio in Ecclesia, testatur Deum nobis placatum esse per Filium, nos haeredes esse vitae aeternae. Ideoque Deo curae esse, regi etiam in hac vita, et mirabiliter servari, sicut ipsi patres, Prophetae, Christus et Apostoli, suis exemplis hanc mirandam gubernationem pinxerunt, et ostenderunt, quae bona aeterna et praesentia complectatur benedictio seu promissio, quomodo regantur socii huius benedictionis, quomodo exerceantur, iuventur et salventur.

Iam discamus hanc benedictionem, id est, promissiones divinas fide accipere et retinere, sequamur Exarchos incoantes cantilenam, non excutiamus oblatam misericordiam, sed fruamur,

et una cum ipsis agnoscamus Deum, et fiducia promissionum et Messiae nobis donati eum invocemus, et exemplo ipsorum suscipiamus certamina, et expectemus ac experiamur auxilium et liberationes. Ipsi suum munus fideliter praestant, patefaciunt nobis benedictionem promissam. Nos etiam eam accipiamus. Sed surdae mentes hominum non afficiuntur illa divina voce, ideo beneficia nec accipiunt, nec experiuntur. Quare huius tanti muneris magnitudinem pauci cogitant. Si in invocatione exerceremus fidem, experientia doceret nos de beneficiis huius benedictionis.

Dixi quid sonet ille chorus, scilicet benedictionem. Hanc interpretatur et sequens versiculus, cum ait:

Deus est Dominus, illuminator noster.

Figura usitata est, Illuminator, praebens lumen, id est, consilium et consolationem, ut Psal. 26.: Dominus illuminatio mea et salus mea, id est, consolator et gubernator meus. Haec igitur brevis descriptio continet summam promissionis, quod Deus, quem praedicant Prophetae, sit illuminator, sit iam placatus, propicius, ducens ex tenebris, liberans a peccato et morte, ac reddens lucem, agnitionem ipsius, iusticiam, gaudium et vitam aeternam. Haec est vox, quae de Dei voluntate erga nos in Ecclesia sonare debet.

Sed hanc vocem non sonant pontifices et episcopi, qui oppresso Evangelio docent umbram doctrinae legis et suas traditiones. Ideo nec benedicunt, nec sunt pars domus Domini, sed vi grassantes in ea, tyrannidem exercent, sicut erant in domo Domini Ierosolymis pontifices impii, Pharisaei et Sadducaei. Interim erant alii, qui et benedicebant, et erant pars domus Domini, qui ad hunc coetum pertinent, de quo David loquitur, Zacharias, Simeon, Baptista, Christus, Apostoli, Maria, Elisabeth, Anna, et similes.

Ex hac definitione Ecclesiae satis intelligi potest, pontifices adversantes Evangelio non esse Ecclesiam, aut doctores Ecclesiae. Praeterea quod sit officium doctoris in Ecclesia, ex eadem descriptione intelligi potest, scilicet, una cum Prophetis et Apostolis benedictionem praedicare, non fingere novas leges aut novos cultus. Est autem benedictio ipsa vox Evangelii, qua propter Filium Dei, deleto peccato, restituitur gratia et vita aeterna, ut supra saepe de benedictione dictum est.

Hinc etiam apparet, quid in Ecclesia docendum sit, videlicet haec ipsa vox Prophetarum, quae sonat benedictionem, hoc est, Evangelium quod arguit peccata, et offert benedictionem Dei, donatam propter Filium. Explodantur ergo ex Ecclesia doctrinae maledicentes, id est, iram Dei augentes, ut sunt doctrinae confirmantes idolorum cultus, ut papisticae Missae, invocatio mortuorum. Item doctrinae confirmantes hypocrisin, et cumulantes peccata, ut monachatus, lex de coelibatu, et alia deliria.

Tam dulcis versiculus est: *Benediximus vobis ex domo Domini*, ut saepe cogitandus sit, tanquam symbolum multa monens, de benedictione propter Christum donata, de verbo, quod proprium est Ecclesiae de toto coetu patrum, Prophetarum, Christi et Apostolorum, a quibus verbum Dei accepimus. Sed admoneat etiam auditores de obedientia. Qui aspernantur hunc coetum benedicentem, et nolunt accipere oblatum donum, audient id quod alibi dicitur: Noluerunt benedictionem, et auferetur ab eis. Ideo grato pectore audiamus coetum patrum, Prophetarum et Apostolorum, benedicentem nobis, amplectamur eorum doctrinam, et eam in invocatione Dei exerceamus. Quid enim potest esse optabilius, quam esse socios huius chori, et esse partem domus Domini.

Eodem pertinet sequens adhortatio. Ut enim supra de doctoribus inquit, *Benediximus vobis*, ita nunc auditores hortatur, ut rite agant festum diem, hoc est, audiant hoc Evangelium, de quo hic dicitur, Agnoscant Deum, et Messiam ab ipso missum, qui est lapis angularis, hoc est, caput et rex Ecclesiae, agant Deo gratias, celebrent Deum et Messiam ab ipso missum, et ei obediant. Constat enim quid proprie significet festi diei sanctificatio, videlicet, publicam doctrinae enarrationem, laudes Dei, invocationem, et gratiarum actionem.

Ornate festum frondibus, usque ad cornua altaris.

Sumta est figura a communi consuetudine ornandorum templorum. Sed non intelligantur solae ceremoniae, pompa diei festi, coetus, templi ornatus. Nam ut constat, hae figurae admonere nos de vera celebratione debent. Est autem vera celebratio, conservare ministerium Evange-

lii, proponere et audire Evangelium, quod supra tradidit de regno Messiae, agnoscere Messiam, et vera fide Deum invocare, et ei gratias agere, atque ita in his conventibus propagare ad posteros Evangelium.

Frondes praesertim in illis regionibus, fragrantissimae contexebantur in pompis, ut viror et odor recrearet corpora. Sic verae frondes, scilicet conciones de Deo, invocationes et laudes Dei sunt odor gratus Deo, id est, sacrificia praecipua, et suavitate sua recreant mentes piorum auditorum. Sed hoc observandum est, quod has frondes certo altari alligat, quia lex prohibuit ulla fieri altaria aut templa, nisi in uno loco divinitus constituto, ut doceat unam esse Ecclesiam, unum ministerium verbi Dei, ad quod vult Deus alligatam esse Ecclesiam.

Hinc discamus regulam, de qua saepe disputatur, Ecclesiam alligatam esse ad certum verbum Dei, et ministerium verbi Dei. Idque significatur per frondes contextas ad altare. Sed in hac regula discerni oportet verum ministerium, ab episcopis, qui titulum gerunt, cum sint hostes Evangelii. Et tamen hi disputant, Ecclesiam alligatam esse ad successionem ordinariam, ut vocant, Episcoporum ac ad eorum leges, Negant esse sacramenta et remissionem peccatorum apud eos, qui non obtemperant talibus episcopis.

Contra hos errores diligenter muniendi sunt animi, ac utrunque discendum, Ecclesiam alligatam esse ad verbum Dei, et ministerium eius verbi, quia Deus prohibuit vagari animos sine certo verbo, et fingere opiniones de Deo, et cultus, sicut Ethnici fingunt. Et tamen rursus hoc sciendum est, Ecclesiam non ad personas alligatam, quae titulum gerunt Episcoporum, cum sint hostes Evangelii, sicut Paulus ad Galatas clare praecipit: Si quis aliud Evangelium docebit, anathema sit. Item: Fugite idolatriam, Quare episcopi defendentes idolatriam, deserendi sunt, et fugiendi tanquam anathemata.

Nec propterea fit *ἀναρχία,* sed maxime contendimus, ut obedientia ministerio Evangelii praestetur, sic frondes contexuntur et alligantur altari, quod Deus collocari iussit, id est, ministerio verbi Dei. Nam altare significat verum ministerium. Et qualis sit tota haec pompa festi, sequentes versus indicant.

Deus meus es tu, celebrabo te, Deus meus exaltabo te.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

Haec est vera celebratio festi, cum doctores et populus canunt hoc admirandum carmen, *Deus meus es tu, celebrabo te.* Ad hanc agnitionem et celebrationem Deus initio condidit genus humanum, et postea reparavit, ac Ecclesiam perpetuo victuram elegit, ut bonitas ipsius et gloria innotesceret, et celebraretur. Nec est alia sapientia maior ulla hominum aut angelorum, quam haec quam iubet nos canere, his verbis: Deus meus es tu, celebrabo te. Hic iubemur agnoscere hunc Dominum, qui verbum suum nobis tradidit, qui misit Messiam, vere esse unicum Deum, aeternum et omnipotentem, conditorem et conservatorem rerum, deinde et nobis esse Deum, hoc est, vere curantem, respicientem, exaudientem, liberantem, salvantem nos.

Humana mens oppressa dubitatione de providentia, non sonat hanc vocem sine luce divina, *Deus meus es tu*: dubitat enim an Deus nos curet, exaudiat, velit iuvare, ac praecipue in aerumnis, cum sentit se negligi, non iuvari. Hic nequaquam ait, Deus meus es tu, sed fremit potius ac miratur, cur Deus adeo negligat hanc imbecillem naturam.

Deinde cum mens nihil novit, nisi legis doctrinam, opprimitur conspectu peccati et irae Dei, fugit Deum, ruit in desperationem et exitium, sicut Cain, Saul, Iudas, aut similes. Horum nemo potest dicere, Deus meus es tu, sed fugiunt Deum, tanquam saevissimum hostem, irascuntur ei, et vellent quoquo modo abrumpi posse ingentes cruciatus, quos sustinent, et tum Deum, tum sese non existere. Nec magnitudo huius doloris describi verbis potest, nec satis cogitari, quanta sit miseria, obrui his terroribus, quos in ocio et tranquillitate homines securi non magnifaciunt. Pii gustum aliquem habent, et cogitare eos debent, ut vere perhorrescant metu irae Dei, et ingentium poenarum, quae post hanc vitam damnatos opprimerent.

Nemo igitur Epicureorum, nemo Mahometistarum, nemo Iudaeorum, nemo adversariorum Evangelii, poterit canere hunc versum: *Deus meus es tu.* Sed canent hi tantum, qui norunt Evangelium, qui agnoscunt aeternum patrem

Deum, placatum esse per filium Iesum Christum, et propter hunc condonari peccata, exaudiri nos, et fieri haeredes vitae aeternae, servari etiam Ecclesiam in hac vita, etiamsi aliqua membra intereant. Hac fide se pii in hac infinita varietate periculorum et afflictionum sustentant, norunt Deum non esse ociosum, non agitare convivia, ut ludunt poëtae, sed serio velle agnosci, et invocari, non frustra misisse Filium suum unigenitum, non frustra dedisse vocem Evangelii sui patribus et Prophetis, non frustra patefecisse in hac pulcerrima mundi conditione, foecundis terrae vicibus, liberatione miranda Ecclesiae, in eductione ex Aegypto, in defensione sanctorum omnibus seculis.

In haec omnia intuens pia mens, erecta luce Evangelii, et noticia Filii Dei, potest clamare: *Deus meus es tu.* Et sequitur gratiarum actio, et proprium Ecclesiae officium: *Celebrabo te*, id est, etsi undique bellum infertur nomini tuo, tyranni, Epicurei, hypocritae, autores impiorum dogmatum, veram doctrinam, veram invocationem abolere conantur. Defendunt Ethnici suos furores, Iovis, Martis, Bacchi, Veneris, Priapi sacra. Iudaei Filium Dei et Apostolos trucidant, et somniant se iustos esse, suis ritibus, Mahometistae contumelia Filium Dei adficiunt, delere nomen eius conantur, et sibi arrogant iusticiae laudem, hoc uno argumento, quod non addunt Filium Deo, postea frenum laxant libidinibus, lege concedunt duci, dimitti, et rursus duci dimissas, quot quisque velit, concedunt lege et nefarias libidines, propter quas Deus non tantum Sodoma, sed multas gentes totas funditus delevit.

Quantam saevitiam exercet Romani pontificis factio, ut idola sua stabiliat, Missas, statuas divorum, coelibatum, monasticas superstitiones. Et haec omnia defendit, non quod probet, sed ut potentiam, opes, voluptates tueatur. Inter talia certamina semper et fuit, et erit aliqua exigua Ecclesia, quae est custos verbi Dei, quae sonat hanc vocem: *Celebrabo te Deus*, *confitemini Domino quoniam bonus*, *quoniam in seculum misericordia eius.*

Enarravi Psalmum mediocri diligentia, qui cum de regno Christi, de adflictione et de victoriis eius concionatur, nunc maxime legendus et meditandus est, ut cum statuemus non posse deleri nomen Filii Dei et Evangelium eius, eo fortiorib. animis et refutemus impios doctores, et in acie dimicemus adversus Turcicam barbariem. Extrema mundi senectus est, qua diabolus sciens instare diem, quo palam condemnatus, et vinctus grassari desinet, rabiem suam adversus Ecclesiam paulatim atrocius exerit. Hinc oppugnat eam per pontifices, stabilientes idola, istinc Turcicis armis totum nomen Christi delere conatur.

Fuerunt et antea imperia in mundo, quae saepe concusserunt Ecclesiam. Sed tamen dissimilia Turcico, Persarum monarchia diu clementer fovit populum Dei. Alexander, Seleucus, Ptolemaeus pater, et filius Philadelphus, mediocri humanitate erga populum Dei usi sunt. In imperio Romano, etsi interdum saevitia exarsit, tamen saepe mitigata est, et multi principes hospitia Ecclesiis praebuerunt. At postea Mahometi tyrannis hoc titulo constituta est, ut coiret multitudo ad liberandum orbem terrarum servitute, ad tollendas religionum dissensiones, et ad eius religionis propagationem, quae unum Deum agnoscendum et colendum esse doceat, non multos, nec patri filium addat, quaeque armis defendere doctrinam doceat, et constituere imperium, non iubeat subire cruciatus, sicut Apostoli et martyres subierant.

Haec cum essent plausibilia, concurrit multitudo, duce Mahometo, et facile Aegyptum dilaceratam multis dissensionibus sectarum, et vicina loca occupavit, et Ecclesias funditus in illis locis delevit, ac paulatim longius protulit imperium. Creverant enim vitia omnis generis in Ecclesia, luxus, ambitio, audacia fingendi nova dogmata, et novos cultus spreto Evangelio, intestina odia, libidines, avaricia, rapacitates. Talibus moribus irritatus Deus, permisit ut grassaretur illa Mahometi tyrannis et vinceret, sicut in Daniele praedictum est. Etsi autem late vastitatem Ecclesiarum fecit, tamen sciamus nomen Filii Dei non penitus deleri posse. Erit aliqua Ecclesia vera Christi, in qua lucebit Evangelium, erit aliqua sedes, erunt aliquae Respub. quae praebebunt domicilium verae Ecclesiae.

Discamus igitur pios praemonitos esse, ne adsentiantur regno, quod collabente iam monarchia Romana constituetur, et profitebitur se velle Christi nomen delere. De hoc regno inquit Daniel: Et sermones contra excelsum loquetur, et sanctos altissimi conteret, et putabit quod possit mutare tempora et leges, et tradentur in manus eius, usque ad tempus etc. Contremisco toto cor-

pore, legens hoc vaticinium, et simul cogitans de successibus et victoriis Turcicis, de ira Dei, de Ecclesiarum excidiis. Sed tamen hanc consolationem teneamus: quam dixi, non posse deleri nomen Filii Dei, non funditus interituras esse Ecclesias: gerent enim bellum cum illa tyrannide inimica Christi, quae late dominabitur, ut Antiochus late dominabatur, et Iudaeam ipsam praesidiis tenebat. Et tamen aliqui erant exercitus pii, qui legem Dei propugnabant, et aliquanto post recuperant templum. Haec historia imago est earum rerum, quae nunc in Ecclesia accident, grassabuntur Turci, sed erunt tamen exercitus, quamvis exigui, qui se opponent.

Discamus igitur haec tria, quae de his postremis periculis praedicta sunt, ne nos magnitudo imperii Turcici, aut Ecclesiae clades moveant, ut a Christo deficiamus. Primum, Non esse adsentiendum regno Turcico, ne nos societate blasphemiae contra Deum, et parricidiorum in sanctos polluamus, quia haec duo tribuit Turcico regno, cap. 7. sermones contra excelsum loquetur, et sanctos altissimi conteret. Constat autem delirium Mahometicum, palam et ex professo contumeliosum esse contra Filium Dei. Et totum hoc regnum, foedus est factum, ad delendam gloriam Filii Dei, et ad parricidia.

Accedit ad hoc, quod qui volentes se adiungunt regno Turcico, foedas et nefarias libidines confirmant, quae lege Mahometi conceduntur. Magna turpitudo fuit in Graecia et in Asia, Alexandri tempore, et postea magna Romae in ipso imperii flore, sed tamen leges erant honestiores. At lex Mahometi concedit ducere, dimittere, et dimissas rursus ducere. Hoc prorsus est tollere coniugii perpetuum foedus, et non solum cum Christi dicto pugnat, sed etiam cum Moise.

Ac talis consuetudo, quid est nisi promiscua quaedam scortatio, ducere, extrudere, vendere alteri, rursus emere extrusam. Nullum est igitur vere coniugium legibus Turcicis. Et ipsa lege conceditur maior turpitudo. Daniel notas tradidit Antichristi, ut agnosci et vitari possit, ait novam doctrinam contumeliosam contra Filium Dei propositurum esse. Addit et alteram notam, contumelias foeminei sexus. Haec ubi palam sonat ipsa legis vox, non dubitandum est, ibi regnum esse Antichristi.

Quanquam autem dissimiles sunt politiae, Mahometica et Pontificia, tamen eadem flagitia seruntur et confirmantur diversa ratione. Nec singula conferam, sed defendi idolomanias in pontificia politia manifestum est, profana spectacula Missarum, et mortuorum invocationes, legem etiam de coelibatu, fontem esse magnae turpitudinis, nemo negare potest.

Sed haec superstitione quadam, et quibusdam involucris tecta sunt. Magis impudenter iactitat lex Mahometi, contumelias adversus Christum, et flagitia libidinum. Haec notae a Prophetis indicatae sunt, ut nos a doctrina flagitiosa, et a regno execrando deterreant.

Deinde praedictiones Spiritus sancti monent, ut adversemur doctrinae et regno Mahometi, Omnes opponamus veram invocationem Dei, Ecclesiae omnes orent Deum, ut reprimat grassantem diabolum in regno Turcico. Pugnemus etiam suo quisque loco, doctores legem Mahometicam refutent, patefaciant turpitudinem, monstrent dicta Prophetarum, qui nos praemunire voluerunt. Politiae, quae colunt Evangelium Filii Dei, dimicent armis. Quae causa viros fortes ad dimicandum vehementius incitare potest, quam defensio pudiciciae coniugum, filiarum, filiorum et honestarum legum coniugii? Quis nostrum non malit uno hiatu terrae universam Germaniam corruere, ac vastitatem fieri, quam inferri contumelias Christo, coniugii dissipationem, publicam licentiam rapiendi florem iuventutis. Haec mala viri fortes metuunt, haec fugiunt, haec ne accidant, non solum dimicare in acie, sed etiam mortem oppetere gloriosum ducunt. Cumque tantae sint dimicandi causae, sint occasiones, sint studia populi, dolendum est ita nos cessare, cum hostis in conspectu. Utinam igitur Deus exuscitet tandem duces, ut patriae, ut Ecclesiae, quae est altera patria, ut suae privatae saluti consulant.

Tertio, non solum pericula ostendunt Prophetae, nec monent tantum fugienda esse, sed etiam consolationem addunt. Late vagabitur barbaries Gog et Magog, quos esse Turcas omnino consentaneum est, sed tamen ait Daniel de postrema mundi aetate: Tempore illo stabit Michaël dux magnus pro filiis populi tui. Ducem intelligit Filium Dei. Hic stabit, non fugabitur, non evertetur, sed dimicabit pro Ecclesia, ducet pios exercitus, praeliabitur in acie, adiuvabit pios milites, ut adiuvabat Maccabaei exercitum in recuperando templo, in evertenda Iovis Olympii statua, in abolendis Bacchanalibus, sed simul


significat Daniel fore exiguas copias. Sublevabuntur, inquit, auxilio parvulo. Etsi autem magnae clades accipiendae erunt, dat enim Ecclesia poenas multorum scelerum, tamen hac spe nos sustentemus, quod tandem reliquiis Ecclesiae victoria promittitur.


Tales consolationes ut quaeramus et colligamus, ipsa nos temporum saevitia coget. Et experiemur auxilium Dei, si ipsum invocabimus et Ecclesias nostras propugnare conabimur. Ostendunt tandem eventus, hanc Psalmi vocem non esse irritam: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.* Diabolus per domesticas insidias et externos hostes molitur Ecclesiae exitium. Sed penitus eam delere non poterit, vincet Filius Dei, et servabit reliquias suas, nec sinet prorsus extingui lucem Evangelii, et haec vera doctrinae coelestis studia.

Finis.

HALIS

TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIIS.


Corpus
Refor-
matorum.
13


13
Corpus
Refor-
matorum